IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI ... GENEANTHROPEIA E SIUE DE...

Giovanni Benedetto Sinibaldi, Cornelio Francescucci

Digitized by Google

12
1 B
7
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
10 G
3

Sancte Martij de Scala — 113

BIBLIOTECA HAZ. S. ROMA

Cornelio Francescucci

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & in Romano Archigymnasio Medicinæ Practicæ Professoris

GENEANTHROPEIAE

siue

DE HOMINIS GENERATIONE

DECATEVCHON

Vbi ex ordine quæcunque ad Humanæ Generationis liturgiam, eiusdemque Principia, Organa, Tempus, Vsum, Modum, Occasionem, Voluptatem, aliasque omnes affectiones, quæ in aphrodisijs accidere quoquomodo solent, ac possunt

DEDITA OPERA

Plenè, methodicè, & iucundè pertractantur.

OPVS NIMIRVM

Philosophis, Philiatris, Philomusis apprimè vtile.

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA VITA

AD EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPEM

RAYNALDVM S. R. E. PRINCIPEM CARD. DE ESTE.

Cornelio

Francesconi

ROMÆ, Ex Typographia Francisci Caballi. M. D C. XLII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur. si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. B. Epiſc. Cam. Viceſg.

OPus hoc præclariſſimi Medicinæ Profeſſoris Io. Benedicti Sinibaldi, quod Geneathropeia, ſeu de Hominis Generatione inſcribitur, & quod ex commiſſione Reuerendiſſimi P. M. Sacri Palatij Apoſtolici recognoui, cùm nihil contineat vel à bonis moribus alienum, vel à ſacris ſanctionibus vetitum, quinimo multiplici ſit, ac varia, fingularique eruditione, & doctrina refertum, non impreſſione tantummodo, ſed publica vel ſapientum commendatione dignißimũ reorteoque vel maximè, quod viam ad cognitionẽ ſui ipſius tantopere ſcitu neceſſariam, & captu difficilem apud mortales habitam, vt etiã pro foribus templi Delphici legendũ omnibus penſitandumq. proponeretur γνῶθι σεαυτὸν facilliman plane reddit, ac expeditam. Quapropter prælo committi poſſe, fidem facio hac die 3. Aprilis 1640.

Ego Baldus Baldus in Almæ Vrbis Gymnaſio Medicinæ Practicæ Profeſſor.

Imprimatur.

F. Io. Vinc. Morenus Socius Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal.

EMINENTIS.^mo ET REVER.^mo PRINCIPI

RAYNALDO S.R.E. PRINCIPI CARD. ESTENSI,

IO. BENEDICTVS SINIBALDVS F.

CVM satis diu nominis immortalitati, & rebus consulens meis, Eminentissime, & Reuerendiss. Princeps, libro huic meo Martialis verba acciniſſem, illa nempe

Cuius vis fieri libelle munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram citò raptus in culinam
Cordillas madida tegas papyro,
Vel thuris, piperisque sis cucullus.

Non nisi tandem paucos ante dies ille me festiuus compellauit, inquiens: Euge festina prælum; quid præstolaris diutius? Nouum en sydus affulget Vrbi, immo toti præfulget orbi: Vnum iam adest tutelare numen, Eminentiss. atque Reuerendissimus scilicet RAYNALDVS de Este, Flos Principum, Decus Purpuræ, Estensis gloriæ columen. Hic vnus celebre nomen lethæo valet subtrahere gurgiti: Huius AQVILAE candidissimæ inuidiæ poterunt liuidos infringere dentes. Tanti Principis ergo in sinum proijce me: nullo namque titulo fœlicior in lucem prodire vnquam, & vspiam potero. His dictis continuò librum nomini tuo clarissimo dicare, ipsoque Regio Auorum stemmate imaginem exornare, atque ad aram tuæ maiestatis tanquam votiuam iconem appendere, decreui. Inde faustum omen ex eodem Poeta præcantaui.

Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis,
Et te purpura delicata velet,

Et cocco rubeàt ſuperbus Index.
Illo vindice nec Probum timeto.

Cæterùm ſolemni epiſtolæ nuncupatione, virtutumque tuarum prolixa narratione meas haſce lucubrationes inſcribere, vt moris eſt, Eminentiſsime Princeps, neque audeo, neque valeo: qui enim vera nitent gloria Heroes, prurientem garrulitatem, & verborum lenocinium indignantur potius; quoniam vt Seneca in Thieſte

At qui fauoris gloriam veri petit,
Animo laudari magis quàm voce volet.

Quid inſuper tuarum laudum, Principum glorioſiſſime, immenſum percurrere ſtadium, ſeu vaſtiſsimum permeare Oceanum labore tamen impari enixè ſtudeam? Nulli, & nullibi ignotus es (agam laconicè) Vnius Inuictiſsimi Cæſaris eſto fides tota Germania teſte. Profectò integerrimæ tuæ vitæ candor, incredibilis pietas, morum ſuauitas, auitæ munificentiæ ſplendor, admirabilis æquè in pace, atque in bello prudentia, & humanitas ineffabilis ſunt fere minima tuarum virtutum fragmenta. Hinc meritò quòd nuper inter S. R. E. Cardines relatus fueris, Roma geſtit, Germania plaudit, Mutina iubilat; quin etiam ſpe meliori illuceſcente tanquam e ſepulchro rediuiuæ lætantur Muſæ, Minerua gaudet, virtutes omnes reuiuiſcunt. Age iam Eminentiſsime, & Reuerendiſsime Princeps, hoc deuoti animi ſymbolum ne dedigneris: animum non munus par Magno Alexandro reſpice, immo cœlitibus compar corda non holocauſtum intuere, meque tuo patrocinij clypeo benignus tutare, vt Romano lare ſub auſpicijs tuis glorioſiùs vtar, nec non Amuſorum, Criticorumque turba ſolo inclyto RAYNALDI nomine perhorreſcat. Id ſi conſequar, meis votis pleniùs arriſiſſe fortunam exiſtimabo. Ita Numina TE diu ſeruent incolumem: Sic tua floreant perpetuò LILIA, & ſublimè ſemper tuæ volent AQVILAE, vt Chriſtianæ toti Reipublicæ, nobiſque omnibus proſis, æternùmque faueas. Vale.

ME-

Digitized by Google

MEDICORVM ARISTOCRATIAE AVCTORIS CONSILIVM.

SOCRATES ille Magnus Diocletem Regem hortari sæpè solebat, vt animi memoriam immortalem, sempiternamque relinqueret; nam, vt Saluſtius habet: Omnes homines, qui sese ſtudent præſtare cæteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit: cui quidem conſilio Genius meus vel ab ipſa adoleſcentia adeo ſubſcripſit, vt nihil magis, quàm æternitati conſulere cogitarit; illos omnes infelices arbitratus, brutiſque parum diſſimiles, quorum nomen vnà cum corpore occidit; Quibus profectò anima proſale tantum modo eſt, vt aiebat Cicero; & vt facundiſſimus idem Saluſtius teſtatur: Contra naturam Corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum vitam, mortemque iuxta æſtimo, quoniam de vtraque ſiletur: veluti è contrario beatos dicendos eſſe, & immortales eos ratus ſum, qui licet fato ſuccumbant, tamen, vt ille ait

Volitant viui per ora Virûm.

Hinc factum eſt, vt adoleſcentiam, & reliquam ætatem vſque ad præſentem, qua Geneanthropeiam conſtruxi, quæ viridis eſt adhuc (licet per quinquennium rebelli ægritudine afflictatus ab ompeiam conſtruxi, quæ viridis eſt adhuc (licet per quinquennium rebelli ægritudine afflictatus ab omni ſtudiorum genere vacare, fuerim inuitò coactus) in Gymnaſijs, in Academijs, in Peripato tranſigere ſim conatus, memor ſemper noſtri Galeni verborum in exhortatione ad bonas artes dicentis. Quare longè turpiſſimum eſt, hanc ipſam rationis vim, quæ nobis ineſt communis cum Dijs, negligentes caducarum rerum ſtudio teneri; Etenim fieri non poteſt, vt quiuis in qualibet facultate præclarus euadat, ni ſapientiſſimum illum Solonem, qui se quotidie vel docentem vel addiſcentem ſenescere gloriabatur, imitetur. Quamobrem vt innato ſatisfacerem deſiderio, & meorum laborum quaſi rationem quamdam vnicuique redderem, aliquid vtile, & iucundum ſimul ſcribere, tandiù mente perluſtraui; Ac tandem in mentem venit, Hominis generationem ab ipſa radice philoſophicè non magis, quàm medicè perſcrutari, ac pertractare. Cùm enim noſtris hiſce temporibus nihil ſit aliud ſcribere, quàm parùm immutatis methodo, ac verbis tranſcribere; cùmque de re medica, & alijs facultatibus abundè ſatis, ac plenè vſque adeo dictum ſit, vt ſuperfluum, ac fortè temerarium foret eas aggredi (oporteret etenim ſtilo, atque doctrina cæteris antecellere) longè melius mecum factum iri exiſtimaui, ſi de re, quam alij non attigerint, aut ſaltem non expleuerint, tractatum inirem, & noua pro viribus excogitarem theoremata, Apulei verba ſectatus dicentis libro de ſcholaſtica diſciplina: Miſerrimi ingenij eſt, vti ſemper inuentis, & non inueniendis. Viſum eſt autem opus in duo volumina diuidere: In primo omnia, quæ ad Hominis generationem excluſiuè pertinent, ſusè percurrere, vtputà actus aphrodiſios, eorumque principia & organa, omneſque coeuntibentis affectiones & accidentia. In ſecundo verò cunctas naturæ operationes, & induſtrias vſque ad completam formationem & partum incluſiuè inueſtigare, vnà cum ijs, quæ ad fœtum, ad vterum, ad prægnantem intrinſecè, vel extrinſecè quouis modo facere poſſunt. Et ideo primus hic liber inſcribitur GENEANTHROPEIA. ſecundus verò nuncupabitur forte NIPIANTHROPEIA. Ille iam compilatus datur ipſis, hic tantum incboatus, mente totus digeſtus citò fato non denegante propalabitur, eoque libentius, quo primum hoc volumen ſapientioribus haud eſſe deſpectum intellexerim, meoſque labores Medicinæ candidatis aliquatenus gratari, ſeu arridere. Quod ſi paucis, doctrina tamen locupletiſſimis commendari ſentiam, inuidos & ſycophantas nihil extimeſcam; quin potius eorum reformidabo laudes: ſiquidem tam vulgare eſt à vulgo laudari, quàm ob vulgaria laudari. Enimuerò auram ipſe popularem non ambio; ſed ſapientum tantummodo, eruditorumque probationem exopto: perindè ac Dionyſidorus illi Tibicen clariſſimus, ut

vt refert Laertius in Cratete, gloriari sæpè solebat, neminem pulsus suos audisse neque in Trirremi, neque ad fontem quemadmodum Ismenia; sentiens nunquam se plausum imperitorum captasse, sed sat habuisse probari paucis eruditis:

Neque te, vt miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. *Præcipiebat Venusinus Vates.*

Magna enim, *vt Symmachus ait in Epistolis*, prærogatiua est placuisse sapienti. *Inde Agatho apud Platonem in Conuiuio*: Ne me adeo Theatri, *aiebat*, studiosum, eiusque fauori deditum putes, vt ignorem prudenti viro paucorum sapientum magis, quàm multorum insipientium iudicium esse verendum. *Ouidius quoque primo de remedio Amoris illa habet:*

Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe,
Quàm volet impugnet vnus, & alter opus.
Ingenium magni liuor detrectat Homeri;
Quisquis es ex illo, Zoile, nomen habes.

Id ipsum appositè confirmauit Hippomachus pugillatus magister apud Aelianum 2. libro variæ historiæ cap. 6. his verbis: Quum Athleta quidam ex eius discipulis specimen exiberet Artis, & circumstans multitudo vniuersa plausum tolleret, percussit eum virga Hippomachus, inquiens: Tu verò perperam, neque sicut oportebat fecisti, quod melius fieri debebat; nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te collaudarent, innuens, eos, qui vnumquodque ritè gerunt, & administrant, non multitudini, sed ijs tantum, qui rei scientiam aliquam habent, placere oportere. *Ita quoque lepidissimus Martialis 6. Epigram. 61. tunc testatur sua sibi carmina in maiori existimatione fuisse, quandocriticos, & cauillatores habere cœperunt, sic ille:*

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

Quod si vestræ Aristocratia id placere contingat, maiora alacriùs moliri conabor, & maturiora suo tempore mens pariet, quæ vsque modo parturit; namque nondum fortè ad vegetem fœcunditatem peruenit animus, teste autem Plauto in Trinummo:

Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati cibus.

Vt autem Plato in suo conuiuio edisserit. Omnium hominum prægnans, & grauidum corpus est, prægnans & anima, & cùm primum ad certam ætatem peruenerimus, parere nostra natura cupit. *Ideo Sulmonensis decimo quinto Metamorphoseos.*

Etenim mihi multa vetustas
Scire dedit. *Præclara quippè sententia, sed multò ante à Iob luculentiùs diuino afflatu prolata ijs verbis capite duodecimo:* In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. *Si quidem auctore Plutarcho in quæstionibus Romanis.* Veritas est filia temporis. *Nec interim perfecti, & vndique absoluti partus desunt, quos aliquando publicæ vtilitati tradam, inter quos præcipui erunt, quos in Romano Archigymnasio de suggestu oretenus protuli, & sunt: Commentaria opulentissima in sextum Epidem. Liber de Morbis contagiosis. Tractatus locuples de morbis hæreditarijs. Tractatus de morbis Puerorum. Hippocratis antitheta cũ conciliatione. insuper in Pythagoræ symbola Elucidationes amplissimæ, in quibus Stoicorũ, ac Peripateticorũ simul reuelantur mysteria. Illud postremò præfari iubet, amice lector, in adducendis Auctorum sententijs me libenter ipsorum verbis vti, fideliterque registrare vtplurimum textus, tum quia iucundior est audita ex ore dictantis paræmia; tum etiam quia Tyrunum detrahitur labori; hi enim & ex librorum penuria, nec non etiam ex simpliciori studio sæpè alicuius sententiæ frustra aucupantur locum, quem tamen si relatum aduenguem iuueniant, in proprium vsum leuiori labore conuertere possunt. Valeas.*

MO-

Digitized by Google

Momo, Zoilo, Sycophantis, Cacologis, Amusis,

Perpetuam confusionem, & Mentis cœcitatem.

VIS QVIS es, Geneanthropomastix, *qui me vel mordicùs arguis, vel inuidus insimulas, quòd lucubrationes ediderim palam inutiles, & nullius ferè precij, indignas, quæ non dicam typo ad immortalitatem, sed calamo ad breue tempus commendentur, exeas, cedò, mecum ipso in certamen, non sis tamen atro liuore polemista infectus; & in duellari conflictu velmeos repares ictus; vel ipse ferias, & ego tela, mucronesque tuos altiùs reuerberabo. Id si detrectes agere, in detractorum vilissimam turbam reijci, ne grauteris. Porrò si huius operis apographon, siue titulum prima facie inspicias (quod primo fortè obijcies) Geneanthropeiæ: fanè opus ipsum censebis iucundum potius, atque eroticum, quàm eruditum, & vtile, Poetarumque auribus magis quàm Iatrophysicorum consonum. Verumenimuerò si intimè perlegeris, & mentis aciem penitus adiunxeris, haud vereor, quin simul cum iucunditate fœcunda insuper philosophiæ semina, ac medicinæ germina reperias. Quamobrem Aristophani subscribe dicenti in Equitibus.* Amice audias primùm, deinde iudices. *Fortè enim caracteres* Cleantis lucernam *redolebunt. Ideo Galenus in primo de elementis:* Neque, *inquit*, nomen operis, sed virtus inspicienda est. *Cæterùm nisi candidis doctrinæ flamimbus inueneris opus contextum, classicorum Auctorum sententijs laqueatum, meliorum Vatum carminibus, & oraculis tesseratum, philosophicis rationibus confirmatum, medicisque dogmatibus consummatum, dentibus laceres, & æquis animis feram. At si rerum insuper varietate mulceri desideres, nihil equidem vereor, quin iucunditatem eamque maximam sis hausturus; nam vel in ipso scribendi principio calamum ad lectoris voluptatem concinnaui, illud Marci Tullij 2. Tusc. recolens;* lectionem sine vlla delectatione negligo; *& illud magis Tusc. I.* Mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & litteris. *Quæ quidem aurea sententia maximoperè mihi semper arrisit, si quidem receptum est illud Horatij in Poetica.*

Aut prodesse volunt, aut delectare Poetæ,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Quin si verum est, quod Lyricus ipse subiungit.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Spero fore, vt iudicemur scopum propius attigisse.

Lectorem delectando, pariterque monendo.

Cùm igitur omnia hæc plenius exuberare videbis, nequicquam cupio, vt me laudibus extollas, ingenium que commendes, sed illa aliquando animi gratia perlegas, & si fortè fortuna tunc in paruos aliquot impingas errores, vt corrigas, precor, & excuses artificem, quandoquidem aliquando bonus dormitat Homerus. *Sed heus tu, qui futurus es Aristarchus, illud Ouidij 3. de Ponto mente prius, animoque rependas.*

Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

Rursus quoniam sicut Galenus aiebat: Nunquam errare captum excedit humanum, rarò autem solius artificis. *Inde si omnibus numeris perfectum, absolutumque non reperies opus, aut multò minus nouis inuentionibus ditatum, æqui, bonique consulas; vt enim noster habet Hippocrates 1. de Diæta:* Immeritò autem vllus aliquis ipsorum reprehendatur, propterea quod inuenire non potuerunt, immo laudandi potius omnes, quòd inuestigare conati sunt. *Atque ita cuspidem ferientis linguæ primò retorqueo, & cum Terrentio in Heauton. querulus acclamo.*

Dij vestram fidem! Itan' comparatum esse Hominum naturam omnium

Alie-

Digitized by Google

Aliena melius vt videant, & iudicent, quàm sua?

Sed acriùs adhuc insultantem te, Momo, video. Quacumque, ais, ab aliquo scribuntur, eo consilio exarari debent, vt scientiam, & facultatem aliquam, quibus saltem subalternentur, præseferant. Iam isthoc opus ad nullam prorsus referri posse facultatem videtur; ergo sine debito frustratur; ergo exantlatur incassum.

Atqui frustrà, Sycophanta, conaris pessundare generosos labores; nam non modo opus hoc suo non deficit fine, verùm duabus planè scientijs subalternatur, duos obtinet, eosque illustres fines. Quandoquidem si Venereamixtionem, de qua hic agitur, consideremus, prout est via ad Hominis generationem, immo prout est eiusdem primum principium: si perpendamus videlicet, quo pacto, quaue inita ratione, quo tempore, quaue mensura, quo altro, & ordine aphrodision celebrare quis debeat, quatenus integrum sortiatur generationis effectum, & pulchra prole mundum exornet; quis neget præstantissimam Physiologiæ partem librum redolere, nimirum illam, quæ ad Viros attinet, omnium pulcherrimam, necessariam, arduam, doctissimam, immo etiam ad Magiæ præclaram partem, quæ anthroposophia nuncupatur? quæ omnes res illius excellentiam luculenter insinuant. Nempe versatur circa productionem Hominis, qui non solum diuini totius operis compendium, & microcosmos dicitur; sed etiam à Trismegisto Magnum *appellatur* Mundi miraculum, *à Zoroastro,* Audacissimæ naturę decus. *Vt proinde iure Sophocles in Antigone.*

Nihil æquè stupendum, ac hominem,
Natura parens produxit vnquam.

Quod ergo præter Deum potest in rerum vniuersitate nobilius inueniri subiectum? Præterea si eandem Venereamconiunctionem respiciamus, vt quædam humani corporis passio est, & vt sanitatem seu morbum apta est parere, dubio procul ad medicinam liber spectabit, & ad nobilem illam partem quæ ὑγιεινὴ, aut σωτηρικὴ nuncupatur. Quapropter si facultates ab obiectis præstantiam ducunt, cùm præsens Tractatus circa Hominem vel gignendum, vel seruandum uersetur, apprimè tractans, atque illustris censeadus erit, cùm undequaque respiciat Hominem omnium rerum mensuram, & creaturarum normam; quem ideo Pythagoras bassiicè appellabat Deum mortalem. *Plato* Diuinum genus. *Plotinus* Quoddam vniuersum. *Est itaque hoc maximè præclarum in opere, quod si Philosophus perleget, lautè Philosophiæ pabula degustabit; si Medicus, suaue & ipse dapes opiparè delibabit.*

Iustas liuente, Zoile, uultu, & caperata fronte iactas, opus immodestiam quandam, ac turpitudinem præseferre; turpes enim, & acolasti uel ex Aristotele sunt actus Veneri; Igitur si habitus specificantur ab actibus, & a suis obiectis scientiæ, turpis, & inhonestus erit hic tractatus, ac proinde Medi um quem modestissimum esse conuenit uel Hippocrate monente libello de decenti ornatu, dedecet. Detractor inuide, fusurro nequam, qui nihilo plus sapis, quàm Rana Gyrina, vt est Platonis adagium in Theeteto, tertio isthoc tuo insulsu nihil magis perterritus, aut perculsus, quàm primo, & secundo audax respondeo cum Auicenna fen. 20. lib. 3. tract. 1. cap. 44. Non est turpe Medico, cùm loquitur de rebus Venereis, de amplificanda virili virga, de constringendo muliebri vase, de delectatione Mulieris cocuntis; Quoniam sunt ex causis, quibus peruenitur ad generationem. *Auro sanè digna uerba; quod si motus specificatur à termino, à fine media ex Philosopho, quoniam aphrodisia sunt motus ad generationem præuij, & antesignana media propter illam, licet non ex se, sed ex abusu considerata aliquod redoleant μιασμα, siue immunditiem, sunt nihilominus præclarissima, quia ad generationis officium diriguntur, de quo sapientissimus Plato in Conuiuio dicebat.* Est autem opus hoc diuinum, & in Animali ipso mortali immortale hoc est, conceptio scilicet, & generatio. *Præterquamquod licet adesset in opere aliquid ametriæ sic requirente subiecta materia, dicerem cum Plinio:* Laicua est nobis pagina, vita proba; *subiungerem cum Petronio.*

Quid me constricta spectatis fronte Catones,
Damnatisque nouæ simplicitatis opus?
Sermonis puri non tristis gratia ridet,
Quodque facit populus, candida lingua refert.
Nam quis concubitus Veneris, quis gaudia nescit?

Quis

Quis petat, in tepido membra calere thoro?
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Iussit, & hoc vitam dixit habere telos

Id ipsum primo Epigram. luculentiùs exarauerat Martialis ad Cornelium, quod mirè ad Geneantropeiam facit

Versus scribere me parum seueros,
Nec quos perlegat in schola magister,
Corneli quereris: sed hi libelli.
Tanquam coniugibus suis mariti
Non possunt sine mentula placere.
Quid si me iubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis Floralia vestit, & stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est iocosis
Non possint, nisi pruriant, iuuare.

Sed interim rogo meum librum, vt caueat ab ijs, qui, vt Iuuenalis ait:

Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Quippe in hos Aristotelis quadrat cauillus ille in Xenocratem Chalcidonium, eo quòd cùm metiere manus pudendis non admoueret, ne contaminaretur honestas:

Castæ manus sunt, mens habet piacula.

At quis turpia non turpiter dixerit, *inquit etiam Marsilius Ficinus in Conuiuio, proinde in toto opere stolata non minus verba, quàm pretexta legentur. Te autem, Alophanta, vt video, turpia legere, facere non pudet. Sile tam:* Ignem ne scalpas, *si credis Pythagoræ.*

Dices victu cynico, extitisse alios, qui de subiecto argumento egerint; ideoque frustra me hanc prouinciam subijsse. Subit onus respondendi Magnus Hippocrates 1. *de Diæta, vbi ait.* Multi homines vbi audiuerint aliquem, prius de re aliqua exposuisse, eum qui de his posterius dixerit, non recipiunt, non cognoscentes quod eiusdem intelligentiæ est, ea quæ rectè dicta sunt, posse iudicare. *O quam uenustum Maronis dictlerium illud fuit, quando Amusis quibusdam obycientibus, quod Eunij uersus aliquot suo inseruisset poemati, respondit.* Magnorum esse Virorum, clauam extorquere de manu Herculis. *Nec reticenda est Flauij Albinij sententia illa.* Fructus legendi is est, vt æmuleris, quæ in alijs probes, & quæ maximè in aliorum dictis mireris, in aliquem vsum tuum opportuna deriuatione conuertas. *Tametsi nemo adhuc, quem sciam, ex professo & radicitus GENEANTHROPEIAM fabricauit: sunt solummodo pauca quædam fragmenta in hoc & illo Auctore dispersa. Nos autem de omnibus, quæ circa humanam generationem, ac pædurgiam contingere possunt, affatim, consultò, & summo studio decernimus, & ni mihi sim* Suffenus, *nimium cæcutiens φιλαυτία nix poterat iucundius, & uberiùs res ipsa tractari. Athuius census tibi neutiquam uidetur opus; Esto, sed tu meliora prome.*

Quid ringis ultra? An nescis ex Martiale, quòd improbe agit, qui in alieno libro ingeniosus est? Mediocribus scriptis, *inquit Symmacus in Epistolis,* amicorum benignitas scit fauere, alienorum inuidia nescit ignoscere. *Nam apud illos; ut Erricus Puteanus Sugamber queritur.* Traducitur quicquid scribitur, ridetur quicquid editur; decerpitur, atque etiam euellitur, quicquid prænuncia alicuius famæ folia emiserint. *Itaque cum Ausonio concinam.*

Pone obelos igitur spuriorum stigmata Vatum.
Palmas, non culpas esse putabo meas;
Et correcta magis, quàm condemnata vocabo,
Apponet docti, quæ mihi lima Viri.

Aio tandem cum Persio:

Disce, sed ira cadat naso, rugosaque fanna. *Sin minus illud Homeri in Sciolos peruicaces maledictum ruat.*

Sed Dij vos omnes faciant vndamque, solumque. DI-

Digitized by Google

DISERTISSIMO MEDICINÆ PROFESSORI,
Vrbisque Archiatro Ioanni Benedicto Sinibaldo Amico singulari.

IN rerum creatarum omnium liturgia, quæ alioquin spatioso ambitu dispersa ad totius ornatus summi Opificis extant opera, vel verbo facta, exiguo Hominis ergastulo eiusdem gratiosa ideæ conclusit. Quin dignatur ad sui similitudinem effomatam, creatamque animam tabernaculo hoc indere. Illico creatus cum morte ob peccatum mulctatus Homo deperdendus esset, corruisset vix visum tantum naturæ miraculum (quoad reliqua) ni pius ille creator multiplicibus, siue pluribus ad corpora animabus propagata sobole ad posthabitem tempore æternitatem concessisset, indidissetque cœstrum, desiderium nue ad sui simile gignendum medio coitu. Actionem ex sui tantum animadversione talem vt turpem abrenuissent Homines, nisi & corporis forma libidinis excitata titillatione, congressusque delectatione, tanquam cohonestato actu mens illecebris obuoluta id haud perspiceret. Cuncta hæc, SINIBALDE MI DOCTISSIME, ET LEPIDISSIME cum percurras, nec tem obiicœnam, nec tanto homine indignam quis dijudicare poterit. Versatur circa abditissima philosophica, & Medica, vt Iatrophisicorum palato abunde sapiant exarata quæque. Ne cures scielorum garrulitatem, si vti canes aduersus umbram adlatrent, obstrepant, obtrectent. Qui norint, quid perlegant, intendent animo, nec despicient. Doctissimorum familiam satis tibi sit expiere: illam ne diutius tot bonis laboribus priuatam reddas, enixe hortor, & rogo, vt properes ad editionem; facilius erit tibi tunc manum dare alteri sectioni, seu parti, vt completum postmodum ex toto prodeat opus. Interterea pleraque iucundissime conspexi de spermatica febre, ac de conceptione à spirituosa seminis portione; in his si quis pro re indubitata opinionem recipere recuset, non denegabit saltem in probatione nec defuisse ingenium, nec iudicium. Perge alacriter, festina ad editionem, loquere secundum Socratem, vt sciant cuncti, quid valeas. Reportabis forsitan adeo summas laudes, vt calcar sint ad maiora. Vale.

Addictissimus ex animo

Paulus Mancinus ab Acummulo.

Clarissimo Viro
PAVLO MANCINO ACVMMVLENSI.

IO. BENEDICTVS SINIBALDVS S.

DIVTINA rebellique corporis ægritudine mihi detento, seu potius depresso, vt nosti, Mancine Eruditissime, ab omni lucubrationis genere vacare per annos necesse fuit; inde Gencanthropiæ institutum opus marcore fere contabuit, nec potuit vsque modo Philomusorum explere vota. Torpet ingenium, amice doctissime, vbi corporis viget langnor; ideoque Tullius prudenter aiebat, opus esse valere corpore, quo possimus & animo. Cedo quàm male quispiam degeret inclusus carcere lacunoso, obscuro, squalido? Quis valeat ceno putrido mersus vitæ commode obire munia? Corporis ergastulum, quo veluti carcere cœlestis claudatur animus: pari modo si nimium exhaustum, infirmum, impurum, ac tabidum euadat; ipsius animi vis pene diuina habeatur, ac præstringitur, nec non mentis æthereum lumen ita caligat, vt nihil præclari, nihil diuini concipere queat, & si forte concipiat, nequeat exarare; vt proinde foret semper sapientiæ studiosis

Orandum, vt sit mens sana in corpore sano.

Verùm enimuerò si ætatis beneficio, & medicæ artis ope vitæ robur, vt spes est, paululum reuiuiscat, si quidem in præsentiarum illud Ouidij 4. de tristibus edicere possum:

Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat;
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa cutem.

Spero fore, vt præli mora maiori adhuc perfectione rependatur, ac tandem opus ipsum in lucem prodeat omni ex parte expolitum, & vndique locupletatum. Profecto Horatianum illud præceptum mihi semper arrisit, quo monitat, vt lucubrationes nonum premantur in annum: qui namque nominis, vanæque gloriæ auidiusculi præceleres sunt in suis excudendis mentis conceptibus, illos vt plurimum edunt immaturos: perinde ac in animalium genere teste Aristotele, quæ celerius fœtus pariunt, cæcos emittunt vtplurimum. Erunt, Paule mi, fauente numine, ac Panacea in opere, non modo quæ delibasti de Hominis generatione facta per seminales spiritus absque genitura, nec non de febre spermatica, a nemine hactenus, quem sciam descripta; verùm etiam alia plurima ingeniosa ni fallor, noua, & simul iucunda; vt parum inde sim formidaturus curiosiuius ligurini Momi liuidos dentes, quin potius alacriùs, si Sororum haud nimis breuia erunt stamina, expediam secundum volumen, quod est Nipsanthropeia: didici enim ab Ornatissimo illo Crucio, præceptore nostro olim fortunæ ludibrio, qui tamen

Aduersis rerum immersabilis vndis:

Vt ex Pindaro canit Horatius, amusorum æquè obiurgationes, ac laudes perfundare. Tù interim saluti meæ aspirare ne præstoleris; optimæ namque, selectæ, & yberrimæ tuæ proxi è plenis Theoriæ fontibus mananti, fido quamplurimum. Vale. & si quid habes in arte noui (nam bibliophagus vndique nouos expiscaris Auctores) impertiri ne graueris.

Digitized by Google

AVCTORVM QVI FREQVENTIVS interloquuntur Anacephaleosis.

A Drianus Spigelius.
Aelianus.
Aetius.
Aeschilus.
Aelius Promothus.
Albumazar.
Albucasis.
Albertus Magnus.
Albertinus Bottonnus.
Albertus Saxonia.
Albucasis.
Alexander Massaria.
Alexander Benedictus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Trallianus.
Alexander Aphrodiseus.
Aloysius Mundella.
Alcmeon. Alexis.
Amatus Lusitanus.
Ambrosius Pareus.
Anacreon.
Andreas Baccius.
Andreas Vesalius.
Andreas Laurentius.
Andreas Mattheolus.
Andreas Spigelius.
Andreas Alciatus.
Andreas Cesalpinus.
Antonius Mizaldus.
Antonius Beniuenius.
Antonius Guainerius.
Antonius Musa Brasauola.
Antonius Torquemada.
D. Antoninus.
Antonius Zimara.
Anaxagoras.
Antiphanes.
Apollonius Rhodius.
Apollonius Tianeus.
Apuleius.
Archelaus.
Archias.
Aristippus.
Aretheus.
Arnaldus Villanouanus.
Aristoxenus.
Aristoteles.
Aristophanes.
Arrianus.
Asclepiades.
Athenaeus.
D. Athanasius.
Auenzoar.
Auerroes.
Auicenna.
Aulus Gellius.

D. Augustinus.
Augustinus Niphus.
Aurelius Victor.
Ausonius.

B Aldus Angelus Abatius.
Balduinus Ronsaeus.
Baptista Codronchius.
Bartholomaeus Cassanaeus.
Bartholomaeus Cabrolius.
Bartholomaeus Coelex.
Bartholomaeus Euclachius.
D. Basilius.
Beda.
Benedictus Pererius.
Bernardus Gordonius.
D. Bernardus.
Bion.
Blondus.
D. Bonauentura.

C Atullus.
Caelius Calcagninus.
Caelius Rhodiginus.
Caelius Aurelianus.
Caietanus.
Calimachus.
Capreolus.
Carolus Stephanus.
Carolus Clusius.
Carolus Sigonius.
Caspar Babuinus.
Caslor Durantes.
Catullus.
Chalcidius.
Chrisyppus.
Christophorus à Costa.
Claudius Minorus.
Claudianus.
Cleopatra.
Clemens Alexandrinus.
Clearchus.
Clinias Pythagoricus.
Coiterus.
Columella.
Conciliator.
Conradus Gesnerus.
Cordaeus.
Cornelius Agrippa.
Cornelius Celsus.
Cornelius Gallus.
Cornelius Gemma.
Cratetes.
Curio

D Aniel Sennertus.
D. Damascenus.
Damocrates Clinicus.
Democritus.
Demosthenes.
Diocles.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Dioscorides.
Donatus Antonius ab Altomari
Dortenius.
Durandus.

Æ Gidius Romanus.
Empedocles.
Ennius.
Epitectus.
Euonimus.
Euripides.
Eusebius.
Eustachius Rudius.
Euthimius.

F Ausius Andrellinus.
Felix Platerus.
Franciscus Ronssettus.
Franciscus Vallesius.
Franciscus Georgius.
Franciscus Frigemelica.
Franciscus Valleriola.
Fulgosius

G Abriel Fallopius.
Gabriel.
Galenus.
Gargias ab Horto.
Gaspar Peucerus.
Gaspar Babuinus.
Gaspar Sebunenchfeld.
Geber.
Georgius Villicbius.
Georgius Traperuntius.
Grattarolus.
Gregorius Nanzianzenus.
Gregorius Horstius.
Guglielmus Rondeletius.

H Aliabas.
Haly Rodoam.
Heroeus.
Hesiodus.
Herodotus.
Hieremias.
Hieronymus Fracastorius.
D Hieronymus.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Montuus.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Capiuaccius.
Hieronymus Fabritius.
Hieronymus Mengus.
Hieronymus Angerianus.
Hieronymus Magius.
Hippocrates.

Ho-

Homerus,
Horapollo.
Horatius,
Horatius Augenius,
Iacobus de Partibus,
Iacobus Fontanus,
Iacobus Ruef.
Iacobus Oetheus.
Iamblicus.
Iacobus Vuecchcrus,
Iacobus Hollerius.
D. Io. Chryſoſtomus,
D. Io Apoſtolus.
Io: Schenchius.
Ioannes Gramaticus,
Ioannes Renodæus.
Io. Chetan,
Ioannes Meſue,
Io. Damaſcenus,
Io. Serapius,
Ioannes Coile.
Ioannes Gallego de la Serna,
Ioannes Heurnius.
Ioannes Fernelius.
Io. Baptiſta à Porta,
Ioannes Ruellius.
Ioannes Varandæus.
Io. Vcherus.
Ioannes Manardus.
Ioannes Argenterius.
Ioannes Vigo.
Io. Ingegnerius,
Ioannes Vuierus.
Ioannes Riolanus.
Ioſephus Phauorinus.
Ieſephus Quercetanus.
Iſaac.
Iſaias.
Iſidorus.
Iulius Cæſar.
Iulius Alexandrinus.
Iulius Guaſtauinus.
Iulius Cæſar Scaliger.
Iulius Firmicus.
Iulius Cæſar Claudinus.
Iuſtinianus.
Iuuenalis.

Lactantius Firmianus,
Laurentius Ioubertus,
Leo Apber.
Leonardus Fuhſius.
Leonardus Iachinus.
Leucippus.
Leuinus Lemnius.
Lucanus.
Lucianus.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Duretus.
Ludouicus Molina.
Ludouicus Septalius,
Lycoſthenes.

Macrobius.
Marbodeus Gallus.
Marcus Antonius Vimus.
Marcellus Empiricus.
Marcus Marullus.
Marcus Tullius Cicero.
Marcellus Donatus.
Marcus Varro.
Marſilius Ficinus.
Marſilius Cagnatus.
Martinus Delrio.
Martialis.
Martinus Rulandus.
Matthias Cornax.
Matthæus Gradius.
Mauritius Cordæus.
Menander.
Mercurius Triſmegiſtus.
Metellus Numidius.
Michael Doringius.
Moyſes.
Moſchius.
Montanus.
Montagnana.
Muſæus.
Mundinus.

Natalis Comes.
Nemeſianus.
Nicander.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Leonicenus.
Nicolaus Liranus.
Nicolaus Craggius.
Nonnius.

Ochamus.
Olimpiodorus.
Oribaſius.
Orpheus.
Oſualdus Crollius.
Ouidius.

Parmenides.
D. Paulus Apoſtolus.
Paulus Zacchias.
Paulus Diaconus.
Paulus Ghirlanda.
Paulus Aegineta.
Perſius.
Petrus Foreſtus.
Petrus Toletus.
Petrus Lambardus.
Petrus Salius.
Petrus de Abano.
Petrus de Peramato.
Petrus Bembus.
Petrus Seuerinus Danus.
Petrus Bayrus.
Petronius Arbiter.
Philoſtratus.
Philippus Presbiter.
Philo Hebræus.
Picus Mirandula.
Phocilides.
Pierius Valerianus.
Pindarus.
Plato.
Plinius.
Plotinus.
Plutarchus.
Polybius.
Pomponius Lætus.
Proclus.
Propertius.
Proſper Alpinus.
Procopius Gazæus.
Ptolomæus.
Pythagoras.

Quintus Curtius.
Quintus Serenus.

Anchinus.
Raſes.
Realdus Columbus.
Rembertus Dodonæus.
Rodericus Fonſeca.
Rodericus à Caſtro.
Rufus.

Auonarola.
Sanctorius Sanctorius.
Scotus.
Scribonius Largus.
Seuerinus Pinæus.
Seneca.
Seuerinus Boetius.
Sextus Platonicus.
Sillius Italicus.
Simon Portius.
Socrates.
Sophocles.
Statius
Stobæus.
Symmachus.

Tertullianus
Theophraſtus Paracelſus.
Theocrytus.
Theophraſtus.
Theodorus Zuingerus.
D. Thomas.
Thomas à Vega.
Tibullus.
Titus Liuius.

Aluerdus.
Victorius Trincauellius.
Vidus Vidius.
Virgilius Maro.
Vlpianus.
Vuimpina.
Vlyſſes Aldourandus.

Enocrates.
Xenophon.

Eno.
Zoroaſter.
Zopirus.

GENEANTHROPEIÆ,
SIVE
DE HOMINIS GENERATIONE.
LIBER PRIMVS.

Omnis caro sicut fœnum veteraſcit, & sicut folium fructificans in arbore viridi: alia generantur, & alia deijciuntur; sic generatio carnis, & sanguinis alia finitur, & alia naſcitur. *Eccles. cap. 14.*

De actu generationis in communi.

PROEMIVM.

NATVRÆ myſta magnus Ariſtoteles 1. de Phyſico auditu contextu 4. ſcribendi, & componendi rationem vniuerſq. demonſtraturus, aiebat. *Qua propter ex vniuerſalibus ad ſingularia procedere oportet.* Nos igitur hac pariter norma, & methodo præſens opus auſpicaturi: catholica quædam, ac prolegomena dicta præludemus; facilius enim ſingularia conſideramus, quando de vniuerſalibus acceperimus primùm, vt idem Philoſophus teſtatur. In omnibus autem non obſcuram breuitatem pro viribus polliceor, omiſſa verborum, rerumque vulgarium profuſa, & infructuoſa ambage, ne tædio afficiatur eruditus lector. Pindari namque celeberrimo dicto aſtipulor: *Atqui pauca in prolixis argumentis vario ſermonis artificio edisſerere, auditio eſt pro ſapientibus.* Etenim meus calamus incidit in ſæculum, quo ſicuti nullum extitit aliud eruditum magis, ita, & nullum adeò cacoſtomachon, ſeu δύσστομον, qui δύσπεπτος, cui proinde opus eſt modicis quidem, ſed eupeptis, cupedijſque citrà nauſeam, non fine bellarijs. Aſpirent interim numina votis, nam vt Lucan. 9. belli ciuilis.

Nil agimus niſi ſpante Deo.

TRACTATVS PRIMVS.

De Nomine, Definitione, & Finali cauſa Veneris.

PRAELOQVIVM.

ANTE cuiuſlibet rei, vel facultatis tractationem, recepta tulit conſuetudo, vt præludia quædam præmittantur, quæ faciliorem aditum, & clariorem intelligentiam parare ad ſequentia ſolent. Huiuſmodi ſunt in primis Nomen rei, de qua ſcribitur; Definitio, & præcipuè finalis cauſa. Porrò ignorato nomine ignorantur ferè & reliqua. Quamobrem 1. Elench. aiebat Philoſophus, *Qui nominum vires ignorant, & ſeipſos ſæpenumerò, & alios quoque fallunt.* Id quod ſana mente recipias velim, candide lector, nam docente Hippocrate, libello de arte. *Abſurdum eſt putare, ex nominibus ideas rerum germinare, quinimò impoſſibile.* Et Plato ſapientiores eos omnes ad ſenectutem peruenire, dicebat, qui, neglectis nominibus, rebus eſſentialibus ſeſe addicunt. Definitio velut manu ducit nos in rei cognitionem, vt enim 1. Officiorum Tullius habet: *Omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit illud, de quo diſputatur.* Demùm quod attinet ad finalem cauſam 1. Magn. Moral. dicebat Ariſtoteles. *Primùm dicere oportet omnis ſcientiæ, & facultatis eſſe aliquem finem, eumque bonum.* Quocirca cuncta hæc nos, dedita opera perluſtrabimus, illud prænunciantes, Generationis actum in toto operis curriculo, ſeruata pudoris lege, appellandum fore modò Venerem, ſeu Mixtionem: modò congreſſum, ſeu copulam: modò inſtum, ſeu coitum, aut contactum; modò genium, ſeu concubitum; non rarò etiam obſcuriori nomen-

menclatura aphrodision, vel clinopalin, aut voluptatis palestram; & si cui fortè græca nomina arrideant magis, dicatur ἀφροδισιασμὸς, μιστηΐα, aut ξυνουσιασμὸς, quæ voces Aphrodisiasmos. misitia, & sinusiasmos, latinè sonant.

CAPVT I.

De Veneris Nomine, ac Pseudonumine.

VEsana Gentium progenies, & Vatum insana turba, ceù quæ rebus omnibus numen, ac deitatem facilè imponebat, non fuit vera lasciui quoque luxus, & fœdæ libidinis Deam facere, quam Venerem appellarunt; quatenùs apud homines ἀμώσους, καὶ ἀγροδιαίτους, ideſt imperitos, & vulgares minus turpe facinus haberetur impuritas coitus, tanquam Deorum inuentum aliquod, vt meritò exclamari indè debeat cum Didone apud Ausonium.

Falsidici Vates, timerant qui carmine verum,
Humanisque Deos assimilant vitijs.

Verè enim nihil est aliud Venus, quàm effrœnus naturæ impetus, ac luxuriantis naturæ somes, atque adeò turpe quoddam nefas. Fuit enimuerò ex multorum sententia Venus lasciua quædam, & petulca nimis meretrix, quæ ab excessu libidinis, & molliciei diuinam nomenclaturam adepta fuit. hinc Vates Andrellinus contra Amorem.

Te peperit Genetrix scorto sceleratior omni.

Sic factum est, vt nefarij homines numine quodam occulere propria vitia conati sint, contra quos Tragicus ille Seneca in Hyppolito, inuehens aiebat.

Vana ista demens animus asciuit sibi
Veneriſque numen finxit, atque arcus Dei.

Verissimum est enim, quod ibidem Seneca dixerat:

Deum esse Amorem turpiter vitio fauens
Finxit libido, quòque liberior foret.
Titulum furori numinis falsi addidit.

Huius Veneris originem finxerunt Poetæ è Saturni testibus in mare proiectis, & spuma ipsius: hinc Ausonius.

Orta Salo, susceptа solo patre edita Cœlo
Aeneadum genetrix hic habito alma Venus.

Et ex hoc Venus græcè ἀφροδίτη ab ἀφρὸς, ideſt, à spuma dicitur, quamuis Pierius in Hieroglyphicis lib. 48. Veneri à vinculo nomen inditum, scribat ex sententia Varri, qui Venerem à verbo, viere, quod ligare est, denominatam ait; & verè Venus non modò corpus ligat, vinclisque mulieribus astringit, verùm etiam mentem ipsam, & rationem illaqueat, & quasi compedibus opprimit. Quid si illam (& erit fortè ratio-

A ni magis consonum) à græco verbo ἀφροσύνη, ideſt dementia denominemus? Astipulatur huic ethimologiæ præclarè nimis Plautus in Truculento, vbi sic loquitur.

nam mihi hæc meretrix,
Quæ hic habet Phronesium suum nomen omne
Ex pectore mouit meo Phronesim; nam φρόνησις
Est sapientia

Vtique semper Veneris igniculus insipientiæ, atque dementiæ signum extat, atque effectus, à qua Eurypides illam denominauit in Troadibus, his carminibus, quæ sonant.

Mortalibus nam stulta cuncta sunt Venus,
Rectèque cœpit nomen hoc, insania.

B Vbique etiam, & ab omnibus libido vocitatur insana, vesana, amens, ferina, quò pertinet illud Maronis in Eclogis.

Ah Choridon, Choridon, quæ te dementia cœpit?

Erat enim is pastor insano Veneris impulsus ardore, quo veluti desipiens, ac delirus euaserat.

Id Veneris futile numen, siue potius execrandum turpitudinis monstrum coluit, præ cæteris vna mollis, nefaria, ac detestabilis illa Philosophorum secta (si tamen Philosophorum nomine digna est) quæ Cynica dicebatur, quòd more canum in propatulo, coram luce clarissima, coire minùs erubescebat; sic Cratetes, e Cynicis vnus in porticu celebre cum vxore Hipparchæ, palàm concumbens, à Zenone, iniecto pallio, obtectus fuit. Corynthi etiam Veneri turpiter, & obscœnè litabatur; erat enim ibi templum locupletissimum, quòd, Strabone auctore lib. 8. Geograph. supra mille Deæ prostitutas puellas caperet, ob quas, frequens in Vrbe iuuenum multitudo, turbaque conueniebat; vnde prouerbium: *Non omnibus datum est ire Corynthum*; nam, non nisi formosissimi, & opulentissimi iuuenes, in ipsius templi conclaue, ad voluptatis dulcorem, recipiebantur.

C

Sed præterea plurimi populi, illecebrosis Veneris ritibus, illaqueati sunt. Pomponius Mela in descriptione Aphricæ, vbi de Garamanthis loquitur, consuetudinem quamdam refert, toto Cœlo detestandam. *Fœminis*, inquit, *solemne est nocte, qua nubunt, omnium stupro patere, qui cum munere aduenerint, & tamen cum pluribus concubuisse maximum decus, in reliquum pudicitia insignis est.* Nescio, an vera sint, quæ Athenæus lib. 2. ex ore Theopompi de Tuscis olim narrat, scribit enim: *Tuscos coire cum quibuslibet mulieribus obuijs, nec turpe ducere, si quid in propatulo fœdum, vel faciant, vel patiantur, tantumque abesse, vt id credant obscœnum, quòd si Veneri patersamilias vacet, & quærat ipsum aliquis, respondeant, hoc, vel illud agere, vel pati, inhonestis nominibus rem appellantes, &c.* Plura idem addit adhuc magis detestanda, quæ pudicum calamum regiſtrare puderet.

D

Apud quosdam Lituaniæ populos, vt scribit Lau-

Laurentius Ananias in sua cosmographia, licebat mulieribus, absente coniuge, iuuenem admittere, quem magis placeret, qui vocabatur, Matrimonij coadiutor. Hucusque deuenit numinis infanda licentia! Quidnam dicendum de Euchetis, & Gnosceis? Audite Pfellum lib. de Dæmon. *Euchetæ, & Gnoscei, vt Dæmonia toto concipiant pectore, nefanda sacrificia perpetrant. Conueniunt die, quo passus est Saluator, vespere statutum in locum, vnà cum puellis sibi notis, & post quædam sacra, extinctis luminibus, mixtim coeunt, siue cum sorore, siue cum filia, siue cum qualibet. Nono rursus mense reuertuntur, puellasque accersunt, & infantes iam natos, abbis euellunt, perque totum corpus pueros circumcidunt, & circumfuso sanguine phialas implent, corpora cremant, cinerem cum sanguine miscent. Hoc condimento epulas, & pocula condiunt, tum sua inter se, tum aliorum clàm quorumcunque possunt.* Quid magis horrendum, & execrandum simul audiri potest à sæculo? Venus improba, quid non mortalia pectora cogis?

Adhuc Babylonijs à gentibus illis execrandis, Mylitta Dea ad tantam cœcitatem, & fœditatem colebatur (Mylittam verò Assyrij Venerem appellant) vt genitalibus illi, veluti rem sacram facerent; quinimò, Herodoto auctore, lex erat Babylonijs, vt indigenæ mulieres semel in vita, ad Veneris templum desiderent, cumq; viris externis consuetudinem haberent, nec recusare adulterum possent vi legis, adeo fœdæ libidinis infandus error mentes humanas excæcarat, adeò potentis Asmodei, luridique genij vis rationem præstrinxerat. Infamis huius consuetudinis meminit, & Strabo lib. Geograph. 16. quem videre poteris. Sed placet Herodoti verba referre, & sunt hæc: *Vna ijdem Babylonijs lex est omnibus modijs execranda, nempè omnibus mulieribus indigenis commune est semel in vita ad Veneris templum desidentibus cum externis viris consuetudinem habere. Cæterùm cum pleræque sint diuitijs tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis subuectæ pro templo consistunt, relicta interim à tergo magna famulitij turba. Pleræque etiam hunc in modum faciunt; ad templum Veneris sedent nodis, corollisque tempora reuinctæ, è quibus dum aliæ feorsim abeunt, aliæ regrediuntur, nam diuerticula eò ducunque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit deligendam. Porrò cum semel illuc consederint, non prius domum regrediuntur, quàm hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinu iniecerit, & cum eadem à fano feorsim abductam rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit dicere oportet: Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro: Mylittam enim Assyrij Venerem appellant. At verò pecuniam illam, quantacunque sit, non est fas reijcere, siquidem in sacrum conuertitur vsum. Neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare, sed quicunque is est, qui pecuniam obiecerit primum, hunc illa sequitur citra delectum. postremò vbi iam congressa fuerit cum externo mulier, Dea expiata, domum reuertitur. Iam quæ forma sunt elegantiori cultus, vt par est, expediuntur, quæ verò deformes diutius coguntur desidere pro templo antequàm legi faciant satis. Fit quæ interdum vt vno, aut altero anno, aut etiam triennio, atque diutius expectare oporteat miseras.* Hactenus Herodotus, cuius legis insuper meminisse videtur, Baruch 6. ijs verbis: *Mulieres autem circundatæ funibus in vijs sedent, succendentes ossa oliuarum; cùm autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte, dormiuit cum eo proximæ suæ exprobrat, quòd ea non sit habita sicut ipsa, neque funis eius disruptus sit.* Alicubi nempe in Cypro, Macharia olim præ delicijs dicta, similisquædam lex erat, aliæque longè lasciuiores; nam insula illa propterea Veneri sacra censebatur. vnde Horat. 1. carm.

Sic te Diua potens Cypri

& omnino huc pertinent Persarum Regum licentiosa conuiuia, Sybariticæ mensæ, necnon Aeliogabali, aliorumque fœda voluptas, & omnibus modijs detestanda Aphrodisiomania.

At qui tandem parcere mihi non possum, quin tanquam auctarium apponam, quæ Ioan. Boemus Aubamus in sua orbis terrarum epitome de Boemis, ac Romanis enarrat. habet enim. *Picardus quidam, ex Gallia gentem alio delyrio infecit: is non paruam virorum, mulierumque plebem contractam, nudam incedere iussit. Adamitas vocauit, Auctor omnis licentiæ, Venus publica, & mixta, reliqua horrenda auditu crimina, hoc duce cæperant, & in quibusdam locis adhuc durare, sed occultè à multis dicitur. Nam subterraneos Boemorum quidam, qui ex hoc Gruebenhaimer appellantur, sacra operaturi subeunt, inter quæ cùm à Sacerdote pro more illud Genesis pronunciatur, Creseite, ac multiplicamini, & replete terram, lumina, quæ ibi habentur continuò omnia extinguuntur, & tunc neque etatis vlla, neque sanguinis attenta reuerentia promiscuè viri, & in quam per tenebras quisque incidit, mulieres cognoscunt. Peracto scelere, cum in locum suum se quisque receperit, lumina rursus incenduntur, & sacrum peragitur, est execrandus hic damnatæ gentis ritus, non multum diuersus à Bacchanalibus, quæ in Hetruria prius, mox Romæ etiam noctu multa vini, & epularum crapula Mulieres maribus mixtæ in abdito celebrauere, nullo neque sexus, neque etatis respectu habito ad promiscua puerorum, ac Matronarum stupra, &c.* Ex his, alijsque scelestissimis ritibus, necnon cultibus, atque sacratis ædibus variæ extitere Veneris nomenclaturæ, vt ex Rhodigino, & Aurelio Hauecho lib.

1. de cognominibus Deorum gentilium perſpectum habetur: ideoque dicebatur Gnidia, Calua, Aphrogenia, Epitragia, Libitina, Philia, Callypiga, Erycina, cuius poſtliminio lectori iam ſaturo hiſtoriam tanquam ſecundas menſas libenter apponam.

Non procul ab Vrbe in via, qua itur ad Eretum, quem locum Montem Rotundum Volaterranus putat, Erycinæ Veneris templum celebre erat cum pulcherrima, & magnifica porticu à Fabio dictatore voto poſitum, cuius inſuper Deæ ſimulacrum Sulpitia Paterculi filia, & Fuluij Flacci vxor caſtiſſima, atque integerrima conſacrarat. Huic Idolo fictas imagunculas virgines, ſuaque puellaria ludicra efferebant. Rurſus idem à Matronis, vt quæque optima cenſeretur, ſumma veneratione, ſolemnique pompa cum ferculo colebatur. Quid plura? Auguſto menſe huic Deæ virilis membri imaginem offerri mos erat, & licet hoc paulominus honeſtum, aut meretricium potius videri poſſet, nulli tamen, niſi præter cæteras caſtitate inſignitæ matronæ membrum attrectare licebat, quod attrectatum in Veneris ipſius gremium reponebat. Ita quoq; apud Ægyptios in ſacris Oſiridis, quæ Pamylia dicebantur, priapi ſimulachrum adhibebatur. Putant verò aliqui, hanc ipſam ſtatuam Verticordiæ Veneris extitiſſe, ſic appellatæ, quod fœminarum corda verteret, & ab effrænata reuocaret libidine. Vide Iulium Faunum 1. de Antiquitatibus Vrbis Romæ; Sed quorſum hæc relata ſunt à nobis? nimirum, vt Veneris ethimologiam enuclearemus. Ponitur inde Venus pro coitu, non ſecus, ac Bacchus pro vino, Ceres pro pane, figura, quam vocant Rhetores Methonymiam, atque in tali poſitione, ac ſenſu vſurpabitur à nobis paſſim in Geneanthropeia.

CAPVT II.

De Duplici Venere.

ET ſuam ipſi Venerem cognouerunt Aſtronomi, quæ vnus eſt ex errantibus planetis, poſitam inter Solis, & Mercurij ſphæram, quę manè anteit Solē, & dicitur φώσφορος græcè, latinè verò Lucifera: veſperè autem phœbi ſubſequitur Occaſum, & vocatur Heſperus, ſeu Veſperugo: hinc Boëtius 1. de conſolatione philoſophorum metro. 5.

Et qui primæ tempora noctis
Agit algentes Heſperus ortus:
Solitas iterum mutet habenas
Phœbi pallens lucifer ortu.

Sed huius conſideratio, vti pertinet ad Aſtronomum, ita nil ad nos. At plures adhuc fuiſſe

Veneres, ac diuerſis Parentibus ortas memoriæ mandauit Tull. Cic. 3. de Natura Deorum; Pauſanias verò in Beoticis tres tantùm fuiſſe teſtatur, quarum vna Cœleſtis ex Cœlo, ac die nata; altera terreſtris è Saturno, ac ſpuma genita: tertia verò Apoſtrophia, ab harmonia dicta. Hinc Thebis, Rhodigino referente, tria Veneris ſimulacra extabant, vetuſtate miranda, & ſuis diſtincta cognominibus: Vrania vna, ab omni corporea voluptate ſeiuncta: Pandemo altera, quæ communiter generationi præerat: tertia Apoſtrophia, quæ ab impijs cupiditatibus, & operibus humanum genus auerteret: ita quoque apud Romanos Veneris Erycinæ templum, cum eximio porticu extabat, magno ſumptu, ac mole à Marcello conſtructum, poſtquam de Sicilia triumphauerat, ea religione, ne libido inualeſceret, Romanosque fœde ſuperaret, quin etiam eo conſilio ad pomeria, extra portam Collinam erectum fuerat; vt à matronis, & matribus familiàs longè iret luxuria, proculque omnis turpitudo abeſſet: imò etiam in hac eadem Æde, temporis progreſſu, aliud ſimulacrum Veneri Verticordiæ ſacrarunt; vt procliues animos, & corda voluptatis illecebris obnoxia, ab effuſa libidine auerteret. Veruntamen diui Platonis opinio in conuiuio, mihi longè magis arridet, duas tantummodo ſtatuentis Veneres, Cœleſtem vnam, Popularem alteram: iuuat illius verba in medio ponere: *Neminem profectò latet, abſque amore Venerem nunquam eſſe; quarè ſi vna eſſet Venus, vnus & amor; quoniam verò duæ ſunt Veneres, geminum quoquè amorem eſſe, neceſſe eſt. Geminam autem Deam hanc eſſe, quis neget? nonne vna quadam antiquior eſt, & ſine Matre Venus, Cœlo nata; quam Cœleſtem Venerem nuncupamus; altera verò iunior ex Ioue, & Diana progenita, quam vulgarem, communemque appellamus?* Cœleſtis illa Venus ab omni prorſus corporis coinquinatione, & animi libidine exempta puriſſimi genetrix eſt amoris; qualis in primis ille eſt, qui erga Deum verſatur, ſecundò erga Patriam: tertio in Viros bonæ indolis, decenti formæ, & mactę virtute iuuenes; & huic Veneri, vt refert Pierius Valerianus lib. 9. Suillum genus eſt valde inuiſum, eò quòd, vt ille ait, *immundiſſimi ſunt ſues cæ omni manſueto pecore.* Cæterùm non niſi intemperatis, pacatiſque penitus, ſereque Cœleſtibus animis iſthæc reperitur Venus: Popularis autem eſt illa, quæ illius eſt parens Cupidinis, quem Plato πολυκέφαλον vocat, ideſt multicapitem belluam, & eſt illa prorſus, quæ libidinem incendit, fomitem irritat, turbulentos animi motus excitat, plena eſt labe, atque impuritate, laſciuiæ parens, luxus effrœni magiſtra, turpium cupiditatum domina, ac genialis produca voluptatis; Sedem ſuam in impuris duntaxat animis, atque terrenis collocans. Orphæus verò

Digitized by Google

rò cœlestem, atque popularem confundere videtur, vt apparet ijs versibus.

Οὐρανία πολύμνη, φιλομμειδὴς ἀφροδίτη
πουτογενὴς γενέτειρα θεὰ

ideſt

Cœlestis, genetrixque sonori filia ponti
Lætitiæque parens Venus. Philomidea autem dicitur, quod ex Cœli pudendis apparuerit.

De terrena Venere, Pandemone dicta, prout scilicet ad generationem dirigitur, hic à nobis sermo plenior instituitur. At quoniam terrenæ huius, & acolasticæ Veneris non vnus est, sed multiplex actus, non id mihi consilij est (caueho tanquam à Scorpione) vt loquar de omnibus, verùm solummodò de naturali, per instrumenta scilicet à natura præscripta exercito, qui propriè dicitur coitus, erit sermo. Absit enim, vt mille Veneris spurcissimos actus mente, nedum calamo recolam. Heu corrupti mores! Proh deploranda calamitas! non sat erat, nequam illum Asmodeum perditos Homines naturali venere veluti profunda margine habere demersos, vt oportuerit, alios etiam Inridos, & vndecunque putentes actus naturæ, moribus, atque stomacho aduersos inuenire? & forsan in his cæca vetustas non delirauit? forsitan apud obscœnos quosdam Poëtas id genus impuritatis palam non legitur? Vtinam & hodie parceretur capiti, vt Lactantij Firmiani verbis vtar 6. diuinarum instit. Atqui amabò hæc missa faciamus: De populari Venere generationis ergo verba facturi dicamus cum Marullo in hymnis.

Sed Venus Regina, Iouis propago
Aurea huc adsis precor, & maligna
Nocte discussa, tua da beata
Visere templa.

CAPVT III.

Quid sit Aphrodision.

TAMETSI nomine ipso vnusquisque optimè tenet, quid sit coitus, cùm natura ipsa edoceat ex instinctu, siquidem ad illum cunctis animantibus inseruit appetitum, vt proinde auctore Gal. 4. de different. pulsuum. *Vbi res nomine ipso comprobatæ sunt, & cognitæ minimè egent definitione.* Nihilominus non erit ab re illius aliquam definitionem adducere, cuius beneficio ratio intrinseca mixtionis Venereæ clarius innotescat, vt enim sapientissimus Plato in Phædro loquitur: *In omnibus, ò puer, vnicum principium ys, qui benè consulere volunt, est intelligere quid illud sit, de quo consulatur.* Cùm autem genialis initus exactam definitionem apud alios registratam non inuenerim, operæ pretium erit ingenio expiscari; meo itaque iudicio sic definiri posset. *Est coniunctio maris, & fœminæ per apta vtriusque instrumenta cum seminis ejectione ad simile generandum.* Examinemus modo, si placet, omnia huius definitionis membra. Dicitur primò (*est coniunctio*) quoniam actus Veneris nequeunt exerceri in distans, neque oculis, auribusue fieri possunt, qui quidem sensus è longinquo suos actus elicere valent, sed solummodo per sensum tactus, qui non nisi per approximationem, & coniunctionem suam facit sensationem.

Dicitur, *Maris, & Fœminæ*, quoniam inqualibet naturæ operatione requiritur necessario Agens, & Patiens. Atqui Mas est tanquam Agens, tanquam Patiens Fœmina, vt placet Aristoteli in lib. de generat. Animal. Hoc tamen haud ita intellectum velim, vt sentiat quisquam cum Peripateticis, fœminam passiuè tantum ad generationem conuenire, est enim opinio toto Cœlo erronea, & iam diù à medicorum scholis explosa, verè enim agit & ipsa, licet minus principaliter, vt alibi dicetur.

Insuper dictum est *per vtriusque apta instrumenta*, quia Magistro Aristotele 2. Topic. in definitione debet poni genus proximum, aut differentiæ determinantes genus propinquum, & sic per ea verba declaratur, non omnem Maris, & Fœminæ coniunctionem esse coitum, sed illam tantùm, quæ per amborum genitalia nectitur; siquidem possent exempli gratia vir, & mulier brachijs, pedibus, & ore conjungi, nec tamen commisceri, seù coire dici possent, quoniam membra hæc non sunt apta instrumenta ad generationem à natura præscripta. Hinc pateat quam deridenda sit illorum opinio, qui putarunt animalia quædam, vel oculis, vel crine, vel ore iuncta concipere posse. Verùm hæc fusius alibi trutinanda erunt. Nequè præposteræ infandæ libidini, coitus nomen vllo pacto ideò competit, quandoquidem non fit per apta instrumenta, minusque in patiente ad hoc à natura producto. Propterea Auic. lib. 3. Fen. 20. cap. de anatomia testiculorum solum coitum cum Mulieribus in vase genitali celebratum naturalem appellat ijs verbis. *Et projcitur in commixtione cum muliere, quæ est coitus naturalis.*

Addita est præterea tertia illa particula, *cum seminis ejectione, seù infusione*, quia terminus, & complementum ipsius veneri congressus est seminis effusio, sine qua, vt plurimùm nequit obtineri generatio, vt plurimum dixi, quoniam vt infrà edocebo, spiritus tantummodo sunt interdum generationi satis, nec verè quis cum aliqua coiuisse dici potest, nisi ad iniectionem vsque seminis deuenerit, quod ex Canonistis probari posset, qui cùm asserant coitu affinitatem contrahi, attamen ni semen ipsum iaciatur, fiatque

que commixtio, contrahi negant. Quamobrem neque tribadum coniunctio erit propriè coitus.

Extrema illa tandem apposita est particula, *ad simile generandum*, eò quòd finis, quem solùm in re Venerea natura cupit, est similis generatio, & nihil aliud. Quamobrem cùm optima definitio, & vndequaque perfecta quatuor omnes causas continere debeat: hæc à nobis allata perfectissima censenda est; nam causa materialis designatur prima illa particula, *maris, & fœminæ coniunctio:* efficiens significatur iis verbis, *per apta vtriusque instrumenta*: Causa formalis per id, *cum seminis ejectione*, finalis verò per particulam, *ad simile generandum*. Si cui tamen breuior definitio placeret, illa esse posset. *Coitus est commistio maris, & fœminæ.* hoc enim ipso, quod dicitur, *commixtio*, supponitur coniunctio per genitalia instrumenta, cum seminis iaculatione. Verùm prior cùm sit amplior, & causas explicitè contineat, melior est, & luculentior. Secunda obscurior, vt autem Aristoteles monebat 6. illo Topic. *Oportet, definientem clarissima interpretatione vti*. Quare ibidem dicebat, *Definitio dari debet per notiora:* At obijcies non omnes Veneri dant operam, vt sibi similem generent, sed maior pars ob voluptatem, ideo generatio similis non est adæquata finalis causa. Huic obiectioni obuiam itur; si dicatur naturam vniuersalem ad hoc solùm Venerem instituisse, vt nimirùm fieret viuentium propagatio, cuius gratia duntaxat collocauit in ipso contactu mulcedinem. Iam licet natura particularis alicuius individui voluptatis dulcorem tanquam finem sibi constituat, vniuersalis tamen generationem solummodò veluti finem vltimatum intendit, delectationem autem, vti perficientem conditionem. Adhuc quantumuis voluptatem proponat, vt finem, agens particulare, generationem tamen haudquaquam detrectat: alioquin bonum, & sui perpetuationem despiceret, quod est à naturæ instinctu, insitoque genio prorsus alienum; ideòque, teste Platone in conuiuio, cùm primùm pulchra conspicitur mulier, statim pulchrum in illa gignendi cupiditas exoritur, ac propterea non Volupia primariò, sed Generatio expetitur votis.

CAPVT IV.

Quænam sit causa finalis Venerei congressus.

INEVITABILI naturæ lege sancitum fuerat, vt nil genitum foret immortale, & omnia, quæ ortum subirent, haud multò post interitum sustinerent.

Conflat aterna, positumque lege est.

Vt conflet genitum nihil. Diuinus canebat Boëtius metro 3. secundi libri. Sic inferiora cuncta, quæ spatioso hoc Cæli continentur ambitu, ac in primis homines ad occasum præcipiti pede properare cernimus, nec reparari vllo possunt adminiculo (blaterent quantumuis Alchimistæ de auro suo potabili). Inde Tullius in somn. Scipionis aiebat. *Infra Lunam nihil est non mortale, præter animas hominum, diuino munere datas.* Nempè ea conditione prodierunt vniuersa in vitam, vt hanc breui resignarent, & eo iure generationis obierunt munus, vt corruptionis maleficio paulò post grauarentur.

Omnia labuntur vario mortalia casu,
Et nihil æterna conditione datur. Faustus primo amorum.

Ideo Lucianus in Charonte, bellè satis vitam nostram bullis assimilem dicebat, quæ simul ac natæ sunt, euanescunt. Diuusq. Iacob eandem non immeritò appellabat, Vaporem. *Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* hominis miserrimam conditionem deplorans Iob dicebat. Cuius rei, & euentus causa est materia suo contrario annexa, ex qua coalescit vnaquæque res, vt enim Auerr. ait lib. de substantia Orbis, ex Arist. 1. Phys. text. 8. *Materia cum suo contrario facit ad corruptionem, & maleficium*. Iam ægrè ferens natura partus suos, tanta dolatos industria, & artificio concinnatos, tantoque labore consummatos, ita citò deperdi, atque corrumpi, vt infortunio, quoad posset, occurreret, casumque ineuitabilem quoquo modo rependeret, dedit vnicuique vim, rationemque sibi simile generandi, quatenus sin minus in individuo, saltem in specie conseruaretur. ideo Seneca in Hyppol.

Prouidit ille maximus mundi parens,
Cùm tam rapaces cerneret fati minas,
Vt damna semper sobole reparet noua.

Quod Gal. 14. de vsu part. doctissimè exaruit iis verbis: *Certè natura, si fieri potuisset, maximè optasset suum opificium esse immortale; quod cùm per materiam non liceret; nam quod ex arterijs, venis, neruis, & ossibus, ac præterea carne est compositum, incorruptibile id esse non potest, subsidium, quod potuit, ipsi ad immortalitatem est fabricata, sapientis cuiusdam Vrbis conditoris exemplo, qui non modo id agit, vt Vrbem suam in præsens tantum temporis populo frequentet, sed prouidit, quo pacto in omne tempus, aut saltem diutissimè conseruetur, nulla tamen Ciuitas floruisse adeò memoratur, vt non dies ipsa conditoris memoriam deleuerit. Natura verò opificium multis annorum millibus iam constitit, atque in posterum stabit; nam mirabilem quandam rationem inuenit, quomodo in demortui animalis locum nouum aliud sufficiat. quare omnibus animalibus natura concipiendi instrumen-*

menta tribuit, ipsisque instrumentis eximiam quandam vim voluptatis effectricem, animæ vero, ipsis vsura incredibilem quandam, atque ineffabilem etendi cupiditatem coniunxit, à quæ animalia incitata, ac stimulata, etiamsi mentis, ac rationis expertia, atateque tenera sint, prouident tamen non secus, ac si essent prudentissima, vt genus suum sit superstes. In primis igitur id naturæ commentum est admirabile. Mox subiungit. *Natura enim prouidens, ne quod Animalis genus periret, quæ propter corporis imbecillitatem aut vitam breuissimam, aut præda fortioribus erant futura, ijs omnibus assidui interitus remedium excogitauit: fœcundam fecilicet generationem.* Hactenus Gal. Hinc itaque factum est, vt habeat vnaquæque res naturalis desiderium peremnis vitæ, nam perpetuum, & diuinum esse, vt inquit Philosophus, participare concupiscunt etiam naturalia secundum quod possunt, vt ideò diceret Plato in conuiuio. *Natura mortalis semper, & immortalis esse pro viribus nititur, hoc autem generatione duntaxat assequitur* Quod idem Aristoteles 2. de gener. animal. declarauit perspicuè magis ijs verbis. *Cumque anima sit corpore melior, animatumque inanimato præstet propter animam, & esse, quam non esse, & viuere, quàm non viuere melius sit, efficitur his de causis, vt generatio sit animalium: cùm enim natura eius generis sempiterna esse non possit, quomodo fieri potest, & sempiternum, quod gignitur, est; numero igitur non potest: subsistentia enim rerum in singularibus est, quæ si talia essent, sempiterna essent; specie verò potest. Itaque genus hominum semper, & bestiarum, & plantarum est.* hucusque Aristotelis verba. Quò fit, vt causæ in effectibus, parentes in filijs suum producant esse; & vt elementa suis præuijs qualitatibus, veluti consonis instrumentis gignere sibi simile, ingiter intendant; stirpes, & plantæ seminibus, ac radicibus comparem vitam traducere nitantur (natura enim dat simul operationem, & instrumenta necessaria ad illam, teste Aristotele de gener. animal.) Animalia verò vt longè omnium perfectiora per commoda maris, & fœminæ instrumenta speciem propagare, seseque in illa seruare toto vitæ curriculo appimè studeant: idcirco 8. de Hist. animal. Aristoteles. *Circa duo* (inquit) *versatur vita, & omne studium Animalium, in procreando, & alendo.* Et hinc est, sicuti Nemesianus in Eclogis, quòd

Cerua marè sequitur, Tarijs formosa iuuenca,
Et Venerem censere Lupa, censere Leæna;
Et genus aereti, volucres, & squammea turba
Et montes, sylueque suos habet arbor amores.

Elucet autem multò magis in hominibus hic æternitatis appetitus, quia & hi proximiores sunt immortalitati, atque æterno Plasmatori magis confimiles. Quare & ipsi non quidem simplici duntaxat naturæ instinctu, sed rationis quoque lumine circumfusi coniugium eligunt, vt indè vberrimam prolem excipere queant, cuius postea beneficio immortalitatem nanciscantur. & hoc est, quod idem Aristoteles 1. Politic. cap. 2. inculcauit, inquiens. *Idque non animi iudicio; sed vt in cæteris animantibus, & ijs rebus, qua terra eduntur naturale est desiderium, quale quicquam est, tale quid alterum relinquendi.* Præclarè igitur Plato in Dialogis de legibus tantum bonum, quantum est immortalitas, vnicuique commendarurus. *Nefas est,* inquit, *seipsum immortalitate priuare; hac verò ex animo ille se priuat, qui filios, & vxorem negligit.* Hæc ergo est finalis causa Veneris, quam meritò ex hoc capite laudibus celebrauit Orpheus.

Omnia vinxisti, per te fiant pondera mundi
Imperitasq tribus Parcis, atqomnia gignis.

Cuius etiam, vt eandem potentiam exprimeret Careachus ille Suronius sculptor illustris Venerem ex auro, & ebore confecit, ita vt capite polum gestaret, atque altera manu papaueri, altera malum punicum; Id quod etiam in fabula Berenicis obumbrarunt Poetæ, vnde Theocritus in Syracusijs.

Nunquam posse mori, mortalem tu Berenicen
Fabula vt est olim, dederas Venus, orta Dione.

Atquè hæc satis esse debent pro statuendo sine Venerei congressus; Sed fortè argues: homines si perseuerassent in statu Innocentiæ, mortis vulnera non sensissent; (per peccatum enim intrauit mors) et generationi tamen dedissent operam: igitur finis eorum non fuisset immortalitas, quam ex perpetua generationum serie nanciscerentur. Respondeo primò: homines iam tum etiam ex intrinseci principij ratione fuisse caducos, ac mortales, licet ex gratia, & pomi illius esu, calorem restaurantis, mortis morsum haud fuissent recepturi, quarè generationi operam dantes naturæ immortalitati prouidissent, quæ sui stabilitatem in dies vidisset consistere in prole, seriatim enascente; Adhuc via ad senectutem est via ad corruptionem. Ad illam quodammodo in eo statu appulissent homines: igitur & ad hanc etiã quoquomodo. Quamobrè dum generationi indulsissent, in filijs saltem iuuentæ florem consecuti fuissent. Secundò dicam, in statu innocentiæ maximum bonum futurum fuisse hominibus generare sibi simile, licet ex gratia interitũ non subituri essent. Nam si licet paruis componere magna, & ipse Deus, qui est fons vitæ, in productione ab intrà generauit ab æterno sibi simile; Verbum videlicet; in generatione verò ad extrà identidem produxit in tempore creaturam sibi similem. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram;* nec tamen ex homine caduco, & fragili aliquid æternitati suæ adiungere poterat. Quamobrem similis ge-

ne-

neratio simpliciter fuisset apud primos Parentes maximum bonum, & finis optimus, quia viditissent suam vitam in pluribus diffusam, integra, & vigente radice. & hinc est, quod animalia imperfecta nequeunt producere sibi simile; Nam ens, & bonum conuertuntur: Ens eorum est imperfectissimum, igitur & bonum erit mancum, & imperfectum, & ideo non erit sui diffusiuum per generationem.

Dices fortè, angeli perfectiores creaturæ sunt, quàm homines, sunt enim ab omni materia depurati, & nihilominus non generant sibi simile: ergo non semper potentia genitiua sui similis bonum, & perfectionem denotat. Enodabitur difficultas, si dicatur, angelos, qui mediæ naturæ sunt inter Deum, & homines in maiori, & oppidò meliori opere occupatos iugitèr esse, putà in fruitione, & visione Diuinæ essentiæ, in qua sunt eminenter omnia; homines autem nequaquam habere in vita excellentiorem operationem, quàm ipsam generationem, à qua, & ipsi tunc erunt prorsùs alieni, cùm poterunt in Cœlo eadem gaudere fruitione. Quid si dicamus ad calcem, in statu innocentiæ futurum fuisse, vt homines pœdagoniæ operam sedulò nauassent, propter immortalitatem? siquidem quò citius generationum fœta serie terram repleuissent, eò fuissent in æthera de paradiso voluptatis terrenæ prius translati, vbi æternitatis consortes, omnis terrenæ fragilitatis extorres penitùs extitissent. Atque hæc physicæ intelligentiæ satis. Plura ad Theologos spectant. Nos naturæ limitibus contineamur.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Amore Veneris, affectibusque eroticis.

PRAELOQVIVM.

VENEREM absque amore non incedere, supra dictum fuit ex Platone. Vt igitur Venus ipsa describatur plenius, atque omnibus numeris absoluta percrebescat ejusdem natura, operæ pretium factura existimaui me, si de Amore ipsius insuper aliqua intexerem, quæ palàm iucunda, & simul vtilia venirent obuiam. Sanè Venus, quæ absque Amore, eiusque calcare celebratur, frigida est, insuauis, infœcunda, noxia, ferina, fœda; quæ verò stimulis agitatur Amoris, hilaris, iucunda, feruida, prolifica, vtilis, humanior. At quoniam de Amore adeo multa dici possent, vt vix integrum sufficeret volumen; paucis ego contentus ero, & vt ea, qua maiori possum breuitate restringam, Sophorum registrabo sententias, ac Vatum epoda, qui quidem in suis apophthegmatibus, carminibusque complexi sunt laconicè ferè omnia, quæ profusa oratione vix posset quisquam assequi. Alioquin Platonis conuiuium, & Marsilij Ficini hypomnemata in eodem sunt adeo mira, ac planè diuina, vt stultum foret consilium, ea, non dicam prosequi, sed imitari solùm. Apud hos igitur auctores plenos haurire fontes licebit vnicuique. Nobis in præsentiarum sat erit, poetarum oracula quædam in medio ponere, quibus vulgaris cupidinis natura cùm primis (de hoc enim sermo erit) compendiosa, & omninò laconica oratione delineetur, absquequo inutilibus quæstiunculis tempus teramus. Accedant ergo molliculi amatores, dominumque suum, vel potius tyrannum euiscratum intueantur; & dum eius breuem, sed exactam anatomen celebro, discant fœuam spoliare tyrannidem.

CAPVT I.

Quid sit Amor Veneris.

DIVINVS Plato in Sympofio sic illum describit. *Amor est circulus à pulchro per pulchrum ad pulchrum.* Verùm hæc definitio non facit ad nos, cuius mysterium altioris est intelligentiæ. Dicunt alij, amorem esse desiderium pulchritudinis, sic Marsilius Ficinus in conuiuio, & cum eo plerique. Modò hoc desiderium ex eodem Ficino est, vel contemplandæ pulchritudinis, vel gignendæ pulchritudinis. Illud est amor, qui dicitur heroicus, aliàs Platonicus, ac Socraticus; hoc verò amor ferinæ voluptatis; illud est in animo, & solo aspectu, seù contemplatione expletur; hoc verò corporis tactum exposcit, & pulchrum in pulchro gignere intendit, & affectat, atq; hic est Veneris filius, qui matrem semper comitatur, alioque nomine libido nuncupatur, & quem idem Ficinus sanguinis perturbationem appellat, de quo Seneca in Octauia.

Vis magna mentis, blandus, atque animi calor
Amor est, iuuentæ gignitur luxu, otio.
Nutritur inter læta fortunæ bona. An tibi fortè magis placeat illa alterius Senecæ definitio?

tio? *Amor formæ rationis obliuio est, & insaniæ proximus.* An illa magis Epitecti descriptio. *Quid est Amor? Otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in iuuene ardor, in sene risus, in deprauore delicti nequitium est.* Tute, lector, selige, quam magis placet. Arduum namque foret Amoris meliorem, seu adæquatam inuenire definitionem, vtideò multi post longam speculationem magis, ac magis cespitantes per dubia, atque omnino incerta descripserint, dicentes: Amor est, nescio quid; natus, nescio vnde; qui venit, nescio quomodo; & accendit, nescio quo pacto certam aliquam rem, & personam: Vide Poetam illum Hetruscum, estque prorsus illud Plutarchi. *Ignoraturque, quid sit, vnde eueniat, quomodo ingressus?* Quod Alexis Tragicus apud Athenæum Dipnosophist. 13. annuerat prius his carminibus, quæ latinè sonant:

Nec enim mas ille est, nec fœmina,
Nec Deus, nec homo, nec fatuus,
Nec prudens.

Erit fortassis Amor veluti materia prima, quæ non est Quid, nec Quale, nec Quantum. Conformis vtique; nam sicuti materia est primum rerum subiectum, sic Amor primus artifex, qui cuncta produxit, cuncta generat, cuncta seruabit, vt ex Luciano dicitur inferius.

CAPVT II.

Qualis sit Amor Veneris.

PVER est in primis, qui hominesque, Deosque vrit Amor, cæcus, alatus, nudus. Quare apud Marullum hæc mysteria sic reuelantur.

Quis puer hic? Veneris; plena, quæ causa pharetræ est.
Non bene prouisus certè quòd arma mouet.
Cur sine veste Deus? simplex puer odit opertum.
Vnde puer? pueros quòd facit ipse senes:
Quis pennas humeris dedit? inconstantia. Quare.
Nulla Deo frons est? signa inimica fugit.
Quæ sors eripuit lucem? immoderata libido.
Cur macies? Vigilis cura, dolorque facit.
Quis cæcum præit? ebrietas, sopor, otia, luxus.
Qui comites? Rixæ, Bella, opprobrium.

Quodidem Propert. lib. Elegiarum 2. expressit venustè, breuitatis tamen causa reticco carmina. Alexander quoque Aphrodisiensis in suis problematibus Amorem depingit iuxta ritum antiquorum, atque Idòli singulas partes examinando declarat. Vide si placet problema 87. primi libri. Addit Lucianus in Amore fugitiuo.

Non albus faciem, sed totus flammeus, acres
Scintillant oculi, mala mens, oratio blanda;
Lingua animo dispar, suauis vox mellis ad instar:
Irato mens intractabilis, & fera fallax
Versutus puer, & mendax, immania ludit.

Subscribit Franciscus Petrarcha dialog. 69. de remedijs vtriusque fortunæ, aitq. venustè satis: *Amor latens ignis, gratum vulnus, sapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, iucundum supplicium, blanda mors.* Cæterùm fortis est amor, ac παντοκράτωρ. *Omnia vincit Amor.* Immoderatus est: *Quis enim modus adsit Amori?* Militia est. *Militat omnis amans.* Vaser est. *Amor odit inertes.* Audax est. *Quid enim deterret amantes?* Exlex est. *Quis legem dat amantibus? Maior lex amor est sibi.* Sic Boetius, Statius, Ouidius, Virgilius cecinere.

CAPVT III.

Per quam corporis partem inuadat Amor Veneris.

AMORIS domicilium oculi sunt. ideò Propert. 1. Elegiarum

Si nescis, oculi sunt in Amore duces.

Per quos Cupido spicula in amantes mille iaculari solet, & in quibus eundem suas accendere faces dixerunt Vates. Sic Virgil. Eclog. 8.

Vt vidi, vt perij. & Ouidius epistolarum Heroidum 12.

Et vidi, & perij, nec notis ignibus arsi.

Ex oculorum humoribus, non ex maris spumis oriri experimur Amorem, dicebat Senecæ sic militiæ Assyriorum Princeps Holofernes visa Iudith: *Statim captus est in oculis suis*, vt sacra testatur pagina. Sed omnium sapientissimè mirabilis ille Ficinus in suo conuiuio oratione 7. cap. 4. hoc mysterium reuelat, cuius verba hic regiſtrare non grauabor, sunt enim omnium auribus digna. *Ergo quid mirum si patefactus oculus, & intentus in aliquem radiorum suorum aculeos in adstantes oculos iaculatur? atque etiam cum aculeis istis, qui spirituum vehicula sunt, sanguineum vaporem illum, quem spiritum nuncupamus, intendit? Hinc virulentus aculeus transuerberat oculos, cumque à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia, quasi regionem propriam repetit: cor vulnerat, inque eius duriori dorso hebescit, redituque in sanguinem. Peregrinus hic sanguis à saucij hominis natura quodammodo alienus sanguinem eius proprium inficit, infectus sanguis ægrotat, hinc duplex sequitur fascinatio.* Subiungit paulò infra: *Ponite, obsecro, ante oculos Phædrum*

Myrrhusium, & Thebanum illum eius amore captum, Lysiam Oratorem; Lysias in Phædri vultum inhiat, Phædrus in oculos lysiæ scintillas suo rum defigit oculorum, cumque scintillis vna transmittit, & spiritum. Radius Phædræ radio Lysiæ facilè copulatur, spiritui quoque facilè iungitur spiritus. Vapor huiusmodi Phædri cordegenitus Lysiæ flatim petit præcordia, quorum hebetudine fit compactior, & in priorem Phædri relabitur sanguinem, ita vt Phædri sanguis, quod mirum est, iam in corde fit Lysiæ. Hinc ad clamorem confestim prorumpit vterque, Lysias ad Phædrum: Cor meum Phædre, carissima viscera. Phædrus ad Lysiam. O spiritus meus, o meus sanguis Lysia, sequitur Phædrus Lysiam, quia cor suum posuit humorem. Sectatur Phædrum Lysias, quia sanguineus humor vas proprium postulat, suam exigit sedem. Hactenus Marsilius Ficinus, cuius quidem doctrina, & cœlestis quidem sapientia trahit me sæpissimè in stuporem. Iam patet, quòd per oculos penetrat amor ad viscera, quæ rursus calefacta vnico aspectu feruent, & æstuant, adeò vt Iuuenalis prodigij loco cæcum amantem referat

Qui nunquam visa flagrabat amore puellæ.

siquidem, alas ab oculis mutuat Amor, Euripides aiebat. Ideò Plautus in Mercatore.

Ego illic aspicio forma eximia mulierem,
Quam ego, postquàm aspexi, non ita amo, vt sani solent
Homines, sed eodem pacto, vt insani solent.

& in Gurgul.

Subsilite, obsecro, & mittite istanc foràs,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.

Ferunt ideò, Democritum sibi oculos eripuisse, quòd expertus erat, ex patre oculo puerum cæcum nasci; amorem videlicet, vt ille aiebat; vt meritò tandem Quintilian. dixerit. *Oculi tota nostra luxuria.* Vide Ficinum orat. 7. cap. 10. in coniuio, vbi plura. Nos cum Tatio concludamus. *Amor enim per oculos amatoris vulneri aditum patefaciens in animam penetrat.* Atqui interim illud ex Cardano libro 13. de subtilitate reticere non debeo, eos minus, ac rarius amorem concipere, qui oculorum acumine pollent, quòd nimirum videant, obseruentque aptius pulchritudinis defectus, inueniantque facile nodum in scirpo, alboque in dente cariem. Hæc sunt Cardani verba: *Minus igitur amant, qui acutè vident, & non solum minus, sed rarius; quòd diligenter consideranti vara fit facies absoluta, & quæ vitio careat, tum maximè quòd lenis cutis, glabra, & roseus color desiderantur ad pulchritudinem; amant igitur plerique, quòd acie præuertantur, aut prius ament, quàm inspiciant, quod amare velint, &c.* Hinc fortassis cæcus pingitur Amor.

CAPVT IV.

Quæ sint Amoris Aphrodisæi artes, & proprietates genuinæ.

PLAVTVS in Trinummo dolosas Amoris artes, ac pellaces imposturas, & fraudes ita prorsus enucleat.

Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant nunquam,
Amor quemquam, nisi cupidum hominem postulat; sed
In plagas
Conjecere eos cupit, eos consectatur, subdolè blanditur, ab re
Consulit, blandiloquentulus, harpago, mendax, Cupes.
Auarus,
Elegans dispoliator, latebricolarum hominum corruptor
Blandus, inops, cœlati indagator. & quæ sequuntur.

Prosiliat insuper Lucianus in Amore fugitiuo, & sua ferat conuicia.

Si flentem videas, ne decipiare, cauto:
Si ridet, tu strinze trahens: si suauia porgat,
Tu fugito, oscula dira, & labra infecta veneno.

Plura tute lege, & rursus Opianum pete lib. 4. vbi technas, & astu proponit Amoris. Verùm in mentem veniunt, adhuc fortè non illepida carmina, lyrico barbite concinnata, dum ego in prima ætate blandioribus musis operam dabam, quæ cùm plenius Cupidinis illecebrosas resonent fraudes, recensere non displicet. *Nos quoque poma natamus*, vt fertur adagio.

Iam fibris procul excidat
Lasciuus calor (improbum
Numen) qui vorat anxiè,
Cunctorum face pectora.
Pellatur ferus aucifer,
Infanus puer, ac senex,
Fraudes qui struit inuias,
Incautos quibus ambiat.
Trux princeps, Deus impius,
Syren callida, perfidè
Quæ primò comis obuiat,
Mox dura nece vulnerat.
Hospes pessimus hostium,
Anguis, qui latet inguine,
Et mentis labe candidas
Auras subdolus inficit.
Sagus, lurco nefarius,
Lethæo cane seuior,
Nostro qui (miser anthropos)
Gaudet, strix atra, sanguine.
Cestos, loraque dulcia

Tur-

Turpis dona Volupiæ
Præfert, mox promit vndique
Curas proditor asperas.
Insanus furor, inquies,
Ignis, quem Venus impudens
Venis excitat intimis:
Pestis, quæ nece desinit,
Febris cordibus æstuans,
Quæ pascit malè spiritus:
Vires funditus abripit,
Vitam denique conficit.
Dux vanæ gregis inclytus,
Quo præceps ruit illicò
Lux diua, & citò labitur.
E mente ætherea decus.

Sed claudite iam riuos, satis amorem exprobrauimus, satis, superque maledictis incessimus; illum si sapis, lector, declina protinus.

CAPVT V.

Quæ mala, & vitia comitentur Amorem.

TERENTIVS in Eunucho eleganter describit Amoris detrimenta, inquit enim.

In Amore hæc omnia insunt vitia: Iniuriæ
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum; incerta hæc situ postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, vt cum ratione insanias.

At Plautus in Mercatore plura congregat; inquit enim.

Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia: & paulo post

Sed Amori accedunt hæc vltrà ea, quæ diximus
Insomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia, stultitiaque adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia
Inhæret etiam auiditas, desidia, incuria,
Inopia, contumelia, & dispendium. Plura non sunt necessaria.

CAPVT VI.

Quæ sint Amoris præsentis indicia.

DISERTISSIMVS ille Seneca, atque omniscientia refertissimus docuit hæc in Hyppolito, vbi vulnerati pectoris, animique æstuantis tecmeria signa colligit, claudicque metro.

Torretur æstu tacito, & incluſus quoque,
Quamuis tegatur, proditur vultu furor.
Erumpit oculis ignis, & lassæ genæ
Lucem recusant, nil idem dubiæ placet,
Artusque varie iactat incertus dolor,
Nunc vt soluto labitur gradu
Et via labante sustinet collo caput;
Nunc se quieti reddit, & somni immemor
Noctem quærelis ducit: attolli iubet,
Iterumque poni corpus, & solui comas,
Rursusque fingi: semper impatiens sui
Mutatur habitus: nulla iam Cereris subit
Cura, aut salutis, vadit incerto pede
Iam viribus defecta, non idem vigor
Non ora tingens nitida purpureus rubor,
Populatur artus cura, iam gressus tremunt,
Tenerque nitidi corporis cecidit decor,
Et qui tenebant signa Phœbæ facis
Oculi nihil gentile, nec Patrium micant.
Lacrymæ cadunt per ora, & assiduo genæ
Rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
Tepido madescunt imbre perfusæ nives.

Nec plenius, nec mehercle elegantius signa amoris alicuius in pectore inæstuantis describi poterant. Liceat nihilominus pauca quædam Ficini verba adscribere. *Quis enim*, ait, *celet Amorem, quem toruus, taurinus, affixus prodit intuitus? Quem interceptus sermo declarat? Rubor, pallorque vultus, crebra suspiria, iactatio membrorum, perpetua querimonia, importunæ laudationes, subita indignatio, iactantia, procacitas, petulantia, vana suspicio, & vilissima indicant ministeria.* Hic graphicè consonant, quæ Plautus dictitat in Cistellaria pateant herophilis aures.

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in
Amoris rota miser:
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo; vbi sum, ibi non sum, vbi non
sum, ibi est animus:

Atque hæc ex poetis sunto satis.

Hippocrates ex pulsu cognouit Macedonum Principis Perdiccæ amorem, pariterque Galen. alterius cuiusdam Virginis, quorum historias perlegas apud ipsos, vt relinquam Erasistratum, celeberrimum medicum, qui Seleuci Antiochi Regis filij in Stratonicam deprehendit amorem ex pulsu. Confirmatur euentus à Iosepho Struthio in suo lib. 4. artis Sphygmicæ, vbi tradit, amorem inæquales, anonymos, & inordinatos efficere pulsus, licet Galen. nullum esse pulsum amoris proprium 1. Prognost. edisserat, hos verò pulsus micare potissimum existimarem, vel præsente Amasia, vel eius nomine, aut virtute, aut pulchritudine nuncupatis, quemadmodum ex Hipp. & Galen. notis historijs compertum fit. Et ex prænuncupati Iosephi Struthij pateat obseruatione, quæ huiusmodi est. *Memini, me iam olim pulsus amoris primum experimentum,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

feriſſe in vxore eiuſdam viri nobilis, quam ſubolfeceram Adulteri amore fuiſſe correptam, ſed neſciui quis eſſet. Quum aſſiderem quadam die ei fœminæ, cœpi de induſtria percunctari res pluvimas ab ea, quarum cognitio ad curandam eam (nam maritus eius medendi cauſa in febre curæ meæ eam commiſerat peregrè proficiſcens) videbatur eſſe neceſſaria. Interim verò manum eius attrectabam, & tangebam arteriam interpolatim. Inſinuaui etiam mentionem multorum hominum coram ipſa, quos nominatim recenſebam, quum verò inter ceteros nominaui eum, quem ipſa deperibat, cœpit illicò pulſus variari, ac ex naturali fieri multò minor, celerior, crebrior, & languidior; ſed in ijs omnibus inæqualiter, commutans ſine vllo ordine pulſus paruos in magnos, debiles in languidos, & viciſſim hos in illos; ſimiliter, & celeres in tardiores, crebriores in rariores, & è contrà; perſeuerauit verò ea pulſuum immutatio aliquouſque, nec citò deſiit. Hactenus ille.

Verùm omnino detrectandum erit, pulſum dari amatorium, ſed prout variæ paſſiones, vel timoris, vel lætitiæ, vel ſpei amoris comites fiunt, ita vario modo alterari ſolent pulſus; Quare Galenus 6. de prænot. ex pulſu aiebat. *Nuge igitur magnæ ſunt pulſus, amatorio modo moueri, &c.* Cæterùm Eraſiſtratus, & Galenus amorem vaticinati ſunt, ille quidem, quoniam ex mulieris preſentia, & receſſu adoleſcentem variè alterari in pulſu deprehendit, hic verò quoniam audito Pyladis nomine mulier illa, Iuſti vxor magnæ turbationis indicia in pulſibus referebat. Sed quid mirum fieri in pulſu tantam variationem præſente amaſio, aut amaſia, cùm aliquando longè maiora apparuerint inde ſymptomata. Narrat Cornax. 1. Conſultationum medicarum cap. 3. cuidã iuueni ſibi noto, qui in mẽſa propè puellam aſſidebat, cuius amore flagrabat, nuptiasque anxius expetebat, repente venam in temporibus propè aurem fuiſſe reſeratam, & copioſiſſimum indè profluxiſſe ſanguinem. Refert & Donatus Marcellus 3. de hiſtoria medica mirab. aliquos ob repulſam, vel Amicæ diſceſſum repentina morte occupatos fuiſſe, de quibus alibi. Amoris adhuc plura argumenta, qui cupit apud medicos, perlegere poterit, quos eruditiſſimus Paulus Zacchias recenſet 2. quæſtionum medicolegalium titul. 1. quæſtione 10. vbi auctor is fœcundiſſimus ex Alihabate vnum inter alia notat amoris celebre ſignum, (& eſto auctarium) maciem ſcilicet vniuerſi corporis præterquàm in oculis, cuius quippe euentus, rationem haudquaquam reijcerem ego in ſpiritus duntaxat, eò confluentes, verùm etiam in frequentes lacrymas, quibus turgeſcunt oculi, adeò vt macies non agnoſcatur. Sanè facit ad rem hanc illud Ouid. de Arte.

Et lacrymæ proſunt, lacrymis adamanta mouebis.

CAPVT VII.

Quos magis adoriatur amor.

QVIS ille fuit, qui vocauit amorem paſſionem vacantis animæ? Et quis ille, qui eundem dixit otioſorum ſtudium? Vtiquè ambò prudentiſſimè locuti ſunt. nam

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus. Igitur in illos promptius graſſatur amor, quos videt otioſam, ac ſedentariam degere vitam, necnon tempus oſcitanter tranſigere. Hinc Ouid. Eleg. 1.

In vacuo pectore regnat amor. Vnde eſt, quòd cupientes ipſius amoris rete, vel compedes abrumpere, otia iubentur potiſſimùm euitare. Sic 1. de remedijs Ouid.

Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc vt ames faciunt: hæc vt fecere, tuentur.
Hæc ſunt tutandi cauſa, cibuſq. mali.

Inſuper acrius infectatur amor, quos molles, & effœminatos nouerit, quiuè cupedijs delectantur, vel omnino Abronis vitam agunt. Ex Ficino illud poſtremò iuuat apponere. *Inneſcuntur præterea citò, quibus naſcentibus Venus fuerit in Leone, vel Luna Venerem vehementer aſpexerit, & qui eadem complexione ſunt præditi. Phlegmatici, in quibus dominatur pituita nunquam. Melancholici, in quibus atrabilis, vix quidem capiuntur: ſed capti nunquam poſtea liberantur.*

Illos præterea petulcus inuadit amor, qui Amorum colloquia frequenter habent, qui libros lectitant eroticos, pathicosque, quiuè molliuſculis cantibus, muſicisq. delectantur melodijs. Benè idcircò ageretur cum puellis illis, quæ virginitatem animo non minus, quàm corpore ſeruare debent, ſi muſicę nunquam vacarent operam, illi videlicet, quę rithmos titillantes, atque laſciuientes modulatur, alioquin deuota, flebilisq. camęna tutò admitti poterit.

CAPVT VIII.

Quibus rebus augeſcat amor.

VISIONE, & memoria obiecti concupiti exardeſcit amor. Sic Ouid. 1. de remed.

Vt penè extinctum cinerem ſi ſulphure tangas
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit.

Sic

Sic nisi vitaris quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modo nulla fuit

Ex ijsdem nutrimur, ex quibus sumus, vt est apud Philosophos receptum axioma, iam ex oculis aphrodisæus amor suam trahit originem, ex ijsdem ergo suum debet, recipere alimentum, & incrementum; quod vel Ethic 9. Aristoteles expressit. Indè Ouidius, quatenus ab aspectu non recrudescat vulnus, monet amantes, vt per longa interualla absentes fiant

I procul, & longas carpere perge vias.

Quin etiam imagines prohibet, & simulacra, quæ in magna etiam loci intercapedine possunt refricare dolorem. Sic idem amoris medicus 2. de remed. aptè concinit

Si potes, & ceras remoue, quid imagine muta
Carperis? Hoc perijt Laodomeia modo.

Nec solùm idòla id possunt efficere, verùm etiam amorum libri, molles cantus, & fescennina carmina, atque in primis mellifluæ, blandæque ab amasia receptæ epistolæ, quibus nimirum sopitus amor apprimè reuiuiscere solet, quocirca Sulmonensis heroiatros:

Scripta, cauè, relegas blandæ seruata puellæ.

Augescit præterea Amoris plaga inanibus curis, ludo, chorea, fidibus, tripudijs, cantilenis, lasciuarum enarratione fabellarum, atque Symposijs. Demum âluxu, diuitijs, cæterisque fortunæ commodis præter modum cupidinis exæstuat flamma.

Nutritur inter læta fortunæ bona. dicebat Senec. in Octauia, & Ouid.

Diuitijs alitur luxuriosus Amor.

Esto appendix, amorem amore maximè vigere, quæ apposite significarunt Mythologi, dum dixerunt, quòd cum amor sui ortus initio nil grandis, vegetusque fieret, quidam Veneri consilium dedit, vt alium pareret amorem; futurum fore, affirmans, vt inuicem conuinentibus Heros prior maximopere vigesceret. Quò factum est, vt alterum Venus amorem produxerit, Anterotem dictum, de quo 3. de natura Deorum Tull.

CAPVT IX.

Multarum etiam vtilitatum originem, auctoremque bonorum amorem esse.

SICCINE semper erit fugandus Amor?
Huc ades tandem puer ò beate
Dexter, & cæcos miseratus ægri
Pectoris motus age dum prophanis
Exime curis.

Dicamus cum Marullo.

Haud Ædepol omnis amor malus, haud semper turpis. Id nos docuere Mythologi, qui duos amores Veneris filios effinxerunt; Turpium vnum, Honestium: alterum nuncupatum, ille in hepate, hic in cerebro sedem obtinet. *Amor* Lucianus aiebat, *duplex est Deus, non vna via ad nos ventitans, neque vno spiritu nostros animos incessens, sed alter, vt arbitror, puerilia sapiens, cuius mentem nulla ratio gubernare potest; frequens in animis insipientium congregatur, atque ipsi muliebria potissimum desideria curæ sunt. Et hic est quotidianæ illius contumeliæ socius absque discrimine, cuique volenti se se celeriter applicans. Alter verò amor priscorum pater temporum, visu graue, sacrumque omninò spectaculum, promus temperatorum affectuum, blandum quiddam vniuscuiusque mentibus inspirat, tunc propitium nacti hunc Deum voluptatem virtuti immixtam amplectimur.* Quæ hactenus dicta manent superius, amori Turpio, debentur potiùs: quę conueniant Honestio percurrenda vlterius erunt, siquidem affatim enarrata, & altius decantata encomia à Ficino petenda sunt, cuius eminentem doctrinam nunquam admirando deficiam.

Age, Plaute, si alterius amoris propalasti technas, male sanos astus, & scelerosa nequitia, ne defraudes Honestium suis laudibus, debitisque elogijs. Sic igitur ille in Cass.

Nam vbi Amor condimentum inerit, cuiuis placiturum credo:
Neque falsum prorsus, neque suaue esse potest quicquam,
Vbi Amor
Non admiscetur, fel quod est amarum, id mel faciet
Hominem ex tristi lepidum, & lenem.

Sed hęc Plauti omnino leuia sunt. Audiantur aliqua ab Agathone apud Plat. in Conuiuio. *In primis sedem suam in animis, & mentibus Deorum, & hominum locat: pulchritudo omnium rapit oculos: amor nec iniuriam infert Deo, vel homini iniuriam patitur. Nec iustitiæ solùm, verùm etiam summæ est temperantiæ particeps. Quod si voluptates,* dicebat ille, *omnes amore imbecilliores sunt, ab illo vtique superantur, ille verò dominatur. Amor itaque, quoniam libidinibus, & voluptatibus dominatur, mirum in modum est temperans. Fortissimus est amor; non enim Mars amorem, sed amor Veneris, vt fertur, Martem detinet, potentius autem est, quod detinet, quàm quod detinetur. Hic Deus,* inquit Symposiastes Agatho, *Poeta est adeò sapiens, vt alios quoque Poetas possit efficere. Quilibet enim licet anteà rudis, Poeta euadit, cum primium amor afflauerit.* Addit Agatho; *Eum hominem, cuius hic est præceptor, quauis in arte præcellere, clarumque euadere; contra verò eum*

Digitized by Google

cum, qui ab Amore non tangitur, in obſcuro ia cere. Cæterùm Amoris beneficio plurimas facultates optimas Dij inuenerunt. Sagittandi, medendi, & diuinandi peritiam Apollo, Muſicam Muſæ. Texendi artificium Minerua, Iuppiter Deorum, hominumque gubernationem. Hic Deus eſt, vt vates quidam concinit, *qui pacem largitur humano generi, pelagoque ſerenum vultum, tum requiem ventis, hominique cubile, & ſomnum curis permixtum.* Verùm canat receptui ipſe Agatho, atque breui epithome comprehendat infinita. *Hic ruſticitatem*, ſubiungit ille, *à nobis amouet, hic nos familiaritate conciliat, cœtus huiuſmodi omnes cõgregans. In ſolemnibus, feſtisque diebus, in choris, in ſacrificijs dux nobis, & præſidens. Manſuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, beneuolentiæ largitor, malevolentiæ omnis expulſor, propitius, beneficus, ſpectandus ſapientibus, Dijs placidus, exoptandus expertibus, participantibus poſſidendus, atque tenendus. Deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum dulcis perfuſionis, & deſiderij pater. Bonorum ſtudioſus, malorum ſpretor: in labore, in timore, in deſiderio, in ſermone gubernator, perfectus adiutor, ſeruatorque præ ipsis. Cunctorum Deorum atque hominum dec us, & dux pulcherrimus, atque optimus.* Hactenus Plato, ſiue eius Agatho, nec meo iudicio maiora, & plura de Amore ipſo fari liceret cuiquam: attamen Luciani addenda ſunt verba pro exodio. *Tu modò nobis, ætherie Deus, in tempore aſſiſte amicitiæ fautor, & arcanorum Sacerdos, cupido, nequaquam prauus infans, qualem pictorum manus iocando fingunt, ſed quem primario ſemine principium procreauit perfectum protinus editum. Tu enim ex obſcura, atque confuſa deformitate vniuerſum hoc formaſti. Proinde ſublato tamquam communi totius mundi ſepulchro, circumfuſo illo chao, illud quidem in vltimi Tartari ſeceſſus fugaſti, vbi verè ſtant ſeruati poſtes, atque ærea limina portæ, vt inſuperabili addictum cuſtodiæ à reditu prohibeatur. Splendidæ autem luci, obſcura nocte prætentæ, omnium & animæ carentium, & animam habentium opifex fuiſti. Præcipuam verò hominibus concordiam infundendo, graues illos amicitiæ affectus coniunxiſti, vt ex anima malitiæ adhuc experte, & tenera connutrita beneuolentia in viridem perfectionem conſummaretur. Nam inuentum quidem eſt coniugium neceſſariæ ſucceſſionis remedium.* Ita ille baſilicè valde, & σοφῶς.

CAPVT X.

An ſit Amor herbis, pharmacis, amulatis, alijſue rationibus medicabilis, vbi Ouidij Eroiatria vana oſtenditur.

TAMETSI multa ſunt, quę venereę cupiditatis ardorem, & acrem ſenſum libidinis reſtinguere, & obtundere valent; non tamen ita facile eſt amorem, cordis anfractus iam depaſcentem igniculis, propulſare; quamuis enim amor ſit quidam Veneris effectus, vnde à poetis dicitur amor, Veneris filius: nihilominus amor, cùm ſit per ſe paſſio radicitus hærens medul is, illum extirpari, haud facile eſt; quin putarim ego fermè impoſſibile, vt remedia vlla naturalia in illum agere queant, quandoquidem cùm ſit amor, voluntatis quidam affectus, voluntas autem nullo valeat extrinſeco conatu impelli ad actus ſuos eliciendos, ſed vt libera potentia eſt, ſic libertatem operandi obtinet, ſit ideò, vt vana ſint auxilia cuncta, quibus ab eo, quod concupiſcit, vel odit, deterrere nitimur. Verum quidem eſt, voluntatem noſtram aliquatenus dependere ab intellectu; nam nihil volitum, niſi cognitum; verùm, & indubitatum inſuper eſt, intellectum ſpeculari phantaſmata, phantaſmata autem, vt plurimum genialis naturę impetum, ac vim ſequi temperamenti, vt proinde videatur voluntas immutari poſſe ijs naturæ auxilijs, quę vim habent alterandi temperiem, & inde phantaſmata, & ſucceſſiue intellectionem, & denique actum volendi. Verùm enimuerò, quoniam hęc ardua ſunt, & ſatis laborioſa, & quia voluntas, licet obiectiuè dependeat in operando ab intellectu, formaliter tamen omninò liberè, & ex proprio marte actum volendi, & nolendi elicit, Idcircò concedi poſſe videtur, libidinis incitamenta, ardorem furentis naturę, ac ſomitem naturalibus auxilijs vinci, vel ſedari poſſe; eo quia talis effectus à naturalibus cauſis emanat. Minus tamen debellari, & reſcindi poterit cupido, ſeu amor, qui eſt actus alterius potentię, in quam, vel nullo pacto, vel indirectè nimis, & remotè, ſeu per accidens poſſunt agere naturalia. Vt autem, quę dicimus melius intelligantur, ſciendum eſt, quod aliquando non eſt Venus mater amoris, ſed amor pater Veneris, qua ratione omnium Deorum parens à poetis aliquando dicitur. Tunc eſt amor filius Veneris, cùm libidinis œſtro perciti, genioque turgente impellimur ad aliquant excupiendam, vt libidini tantùm ſatisfiat. Tunc amor eſt pater Veneris, quando ob ingentem amorem, quo pro-

Digitized by Google

prosequimur aliquam, eiusdem coniunctionem exoptamus, licet primariò, & per se in huiusmodi symplegadem non feratur amor; nam vt Marsilius Ficinus in Conuiuio sapientissimè ratiocinatur, cùm sit Amor desiderium pulchritudinis: pulchritudo autem sit quidam splendor humanus, qui in colorum, linearumque decore consistit, quem non auris, non olfactus, non tactus, sed oculus percipit; sequitur, vt solus oculus corporis pulchritudine fruatur, quia solus cognoscit; inde subiungit ille. *Cùm verò amor nihil aliud sit, nisi fruendæ pulchritudinis desiderium, hæc autem solis oculis comprehendatur, solo aspectu amator corporis est contentus. Tangendi verò cupido non amoris pars est, nec amantis affectus, sed petulantiæ speciei, & seruilis hominis perturbatio.* Modò quoniam finalis causa amoris, qui Veneris est filius, nulla est alia, quàm libido ipsa, nil mirum si ijsdem prorsus auxiliis libido, atque eius amor temperatur. At verò quoniam finis intentus amoris, qui est pater Veneris, nequicquam est voluptuosa coniunctio, & libidinis actus, sed solummodò ipsamet benevolentia, ipsamet pulchritudinis contemplatio, & fruitio; ideò est, vt rebus vllis extrinsecis, opibusque naturę euinci, & exturbari. nulla ratione queat. Ad faciliorem huius doctrinæ captum possumus cum Ficino distinctionem amoris perpulchram recolere, quòd videlicet, alius est amor contemplandę pulchritudinis, alius generandę pulchritudinis. Amor contemplandę pulchritudinis aspectu desiderat, quo fruatur oculis, & animo, nec fertur vlterius. Amor gignendę pulchritudinis est, cùm non modo frui, cupimus aspectu pulchri, verùm etiam in pulchro gignere exoptamus; quare fertur appetitus in corporis ferinam coniunctionem. Addequod aliquando hi duo amores commiscentur. si enim quis amore saucius cuiusdam contemplandę pulchritudinis, gignendę etiam pulchritudinis corripiatur ardore, tunc potius explere cupit in ea, quam deperit amans, quàm in alia, cui nullo benevolentię vinculo sit deuinctus. His positis pono lemma.

Amorem contemplandæ pulchritudinis vel simplicem, vel commixtum cum Amore gignendæ pulchritudinis nullis artibus, pharmacis, & viribus euinci posse. Paradoxon probandum erit primò sic. Verum quidem est, Ouidium plurima remedia additare, quibus amor debelletur, eiusque libros sparsim continere varias medicinas. Verumtamen dixerim ego cum Terent. *Omnes cùm valemus, optima consilia ægrotis damus*; quippe dicere, ac docere facilè est, at medelas assequi, hoc opus, hic labor. Cœterum quàm sint vana ab Ouid. decantata remedia detegit Faustus ille eximius Vates.

Vana igitur superest pellendi cura furoris,
Cùm bene radices egerit ille suas.

Vana redundarunt Peligni iussa Poetæ;
Sanantur nullo vulnera tanta modo.
Scilicet ipsa tenet semper sua signa cicatrix,
Cunctaque perpetuo stygmata corde notat.

Monet Ouid. in primis otium arceri. & fugari: Faustus ait, expertum se id esse, nihil tamen profecisse.

Apta cupidineis vitauimus otia telis. Nam & in negotio seuit Amor, cuius fortis apprehensio nulla prorsus alia distrahi imaginatione potest. Sic videre est, laboriosos homines, telo cupidinis ictos in suis laboribus œstro seruescere magis, augerique ipso in opere thyrsum.

Docet ille, ad Amorem extinguendum imperfectiones, & defectus Amasię animaduertendos esse. Faustus hisce etiam frustratum se esse, profitetur.

Scripsimus infamis notum modo crimen Amicæ
Ipsaque stultitiæ damna pudenda meæ, &c.

At id nimis etiam est arduum, siquidem, vt dictauit quoque Theocritus in Eclogis.

Quæ minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.

Sic apud Horatium, Balbinum polypus Agnæ delectabat.

Si communis opinio est, mentem ab re amata ad alia, vt venationes, studia, conuiuia, & id genus alia auocandam esse. Faustus incassum hęc adhibuisse concinit; quinimò hęc omnia sunt sępè in causa, vt sopitus excitetur Amor.

Describuntur ab Ouidio, & aliis herbę, ac radices quędam, quę amorem infringendi potentiam creduntur habere. Atqui Apollo ipse, medicinarum inuentor, palàm fatetur, nullam vim talem illis inesse apud eundem Ouid. primo Metamorphos.

Inuentum medicina meum, opiferxque per orbem.

Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis:
Hei mihi, quòd nullis amor est sanabilis herbis.

Quin etiam

Quæcunque herba potens ad opem, radixque medendi
Vtilis in toto nascitur orbe mea est.
Me miseram! quòd Amor non est medicabilis herbis.

Deficior prudens artis ab arte mea. Oeno scribebat Paridi.

Adhuc putarunt Ethnici posse magicis artibus, & incantamentis vim amoris euinci. Sic Dido apud Virgil. in 4. sororem hortatur vt petat Hesperidum illam sacerdotem, quę huiusmodi peritia prędita erat.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes.
Quas velit, aut alijs diras immittere curas.

Faustus hęc eadem expertus illudit.

Inuitusque sui magicas accinctus ad artes,
Ferret vt auxilium conscia sęga pium.

Quinimò ipsemet Ouidius deridet magicas artes

cum, qui ab Amore non tangitur, in obscuro ia cere. Cæterum Amoris beneficio plurimas facultates optimas Dij inuenerunt. Sagittandi, medendi, & diuinandi peritiam Apollo, Musicam Musæ. Texendi artificium Minerua, Iuppiter Deorum, hominumque gubernationem. Hic Deus est, vt vates quidam concinit, qui pacem largitur humano generi, pelagoque serenum vultum, tum requiem ventis, hominique cubile, & somnum curis permixtum. Verum canat receptui ipse Agatho, atque breui epithome comprehendat infinita. Hic ruslicitatem, subiungit ille, à nobis amouet, hic nos familiaritate conciliat, cœtus huiusmodi omnes eõgregans. In solemnibus, festisque diebus, in choris, in sacrificijs dux nobis, & præsidens. Mansuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, benevolentiæ largitor, malevolentiæ omnis expulsor, propitius, beneficus, spectandus sapientibus, Dijs placidus, exoptandus expertibus, participantibus possidendus, atque tenendus. Deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum dulcis perfusionis, & desiderij pater. Bonorum studiosus, malorum spretor: in labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, perfectus adiutor, seruatorque præ ipsius. Cunctorum Deorum atque hominum dec us, & dux pulcherrimus, atque optimus. Hactenus Plato, siue eius Agatho, nec meo iudicio maiora, & plura de Amore ipso fari liceret cuiquam: attamen Luciani addenda sunt verba pro exodio. Tu modò nobis, ætherie Deus, in tempore assiste amicitiæ fautor, & arcanorum Sacerdos, cupido, nequaquam prauus infans, qualem pictorum manus iocando fingunt, sed quem primario semine principium procreauit perfectum protinus editum. Tu enim ex obscura, atque confusa deformitate vniuersum hoc formasti. Proinde sublato tamquam communi totius mundi sepulchro, circumfuso illo chao, illud quidem in vltimi Tartari secessus fugasti, vbi verè stant seruati postes, atque area limina portæ, vt insuperabili addictum custodiæ à reditu prohiberetur. Splendide autem luci, obscura nocte prætenta, omnium & anima cæntium, & animam habentium opifex fuisti. Præcipuam verò hominibus concordiam infundendo, graues illos amicitiæ affectus coniunxisti, vt ex anima malitiæ adhuc experte, & tenera connutrita beneuolentia in viridem perfectionem consummaretur. Nam inuentum quidem est coniugium necessariæ successionis remedium. Ita ille basilicè valde, & σοφῶς.



CAPVT X.

An sit Amor herbis, pharmacis, amuletis, alijsue rationibus medicabilis, vbi Ouidij Erotia-tria vana ostenditur.

TAMETSI multa sunt, quę venereę cupiditatis ardorem, & acrem sensum libidinis restinguere, & obtundere valent; non tamen ita facile est amorem, cordis anfractus iam depascentem, igniculis, propulsare; quamuis enim amor sit quidam Veneris effectus, vnde à poetis dicitur amor, Veneris filius: nihilominus amor, cùm sit per se passio radicitùs herens medullis, illum extirpari, haud facile est; quin putarim ego fermè impossibile, vt remedia vlla naturalia in illum agere queant, quandoquidem cùm sit amor, voluntatis quidam affectus, voluntas autem nullo valeat extrinseco conatu impelli ad actus suos eliciendos, sed vt libera potentia est, sic libertatem operandi obtinet, fit ideò, vt vana sint auxiliæ cuncta, quibus ab eo, quod concupiscit, vel odit, deterrere nitimur. Verum quidem est, voluntatem nostram aliquatenus dependere ab intellectu; nam nihil volitum, nisi cognitum; verùm, & indubitatum insuper est, intellectum specularem phantasmata, phantasmata autem, vt plurimum genialis naturę impetum, ac vim sequi temperamenti, vt proinde videatur voluntas immutari posse ijs naturæ auxilijs, quę vim habent alterandi temperiem, & inde phantasmata, & successiuè intellectionem, & denique actum volendi. Verùm enimuerò, quoniam hęc arduna sunt, & satis laboriosa, & quia voluntas, licet obiectiuè dependeat in operando ab intellectu, formaliter tamen omninò liberè, & ex proprio marte actum volendi, & nolendi elicit, Idcircò concedi posse videtur, libidinis incitamenta, ardorem furentis naturę, ac fomitem naturalibus auxilijs vinci, vel sedari posse; eo quia talis effectus à naturalibus causis emanat. Minus tamen debellari, & rescindi poterit cupido, seu amor, qui est actus alterius potentię, in quam, vel nullo pacto, vel indirectè nimis, & remotè, seu per accidens possunt agere naturalia. Vt autem, quę dicimus melius intelligantur, sciendum est, quod aliquando non est Venus mater amoris, sed amor pater Veneris, qua ratione omnium Deorum parens à poetis aliquando dicitur. Tunc est amor filius Veneris, cùm libidinis œstro perciti, genioque turgente impellimur ad aliquam excupiendam, vt libidini tantùm satisfiat. Tunc amor est pater Veneris, quando ob ingentem amorem, quo pro-

Digitized by Google

prosequimur aliquam, eiusdem coniunctionem exoptamus. licet primariò, & per se in huiusmodi symplegadem non feratur amor; nam vt Marsilius Ficinus in Conuiuio sapientissimè ratiocinatur, cùm sit Amor desiderium pulchritudinis: pulchritudo autem sit quidam splendor humanus, qui in colorum, linearumque decore consistit, quem non auris, non olfactus, non tactus, sed oculus percipit; sequitur, vt solus oculus corporis pulchritudine fruatur, quia solus cognoscit; inde subiungit ille. *Cùm verò amor nihil aliud sit, nisi fruenda pulchritudinis desiderium, hæc autem solis oculis comprehendatur, solo aspectu amator corporis est contentus. Tangendi verò cupido non amoris pars est, nec amantis affectus, sed petulantiæ species, & seruilis hominis perturbatio.* Modò quoniam finalis causa amoris, qui Veneris est filius, nulla est alia, quàm libido ipsa, nil mirum si ijsdem prorsus auxilijs libido, atque eius amor temperatur. At verò quoniam finis intentus amoris, qui est pater Veneris, nequicquam est voluptuosa coniunctio, & libidinis actus, sed solummodò ipsamet benuolentia, ipsamet pulchritudinis contemplatio, & fruitio; ideò est, vt rebus vllis extrinsecis, opibusque naturę euinci, & exturbari nulla ratione queat. Ad faciliorem huius doctrinæ captum possumus cum Ficino distinctionem amoris perpulchram recolere, quòd videlicet, alius est amor contemplandę pulchritudinis, alius generandę pulchritudinis. Amor contemplandę pulchritudinis aspectū desiderat, quo fruatur oculis, & animo, nec fertur vlterius. Amor gignendę pulchritudinis est, cùm non modo frui, cupimus aspectu pulchri, verùm etiam in pulchro gignere exoptamus; quare fertur appetitus in corporis fœminam coniunctionem. Adde, quod aliquando hi duo amores commiscentur. si enim quis amore saucius cuiusdam contemplandę pulchritudinis, gignendę etiam pulchritudinis corripiatur ardore, tunc potius explere cupit in ea, quam deperit amans, quàm in alia, cui nullo benuolentię vinculo sit deuinctus. His positis pono lemma.

Amorem contemplandæ pulchritudinis vel simplicem, vel commixtum cum Amore gignendæ pulchritudinis nullis artibus, pharmacis, & viribus euinci posse. Paradoxon probandum erit primò sic. Verum quidem est, Ouidium plurima remedia additare, quibus amor debelletur, eiusque libros sparsim continere varias medicinas. Verumtamen dixerim ego cum Terent. *Omnes cùm valemus, optima consilia ægrotis damus*; quippe dicere, ac docere facilè est, at medelas assequi, hoc opus, hic labor. Cœterum quàm sint vana ab Ouid. decantata remedia deregit Faustus ille eximius Vates.

Vana igitur superest pellendi cura furoris,
Cùm bene radices egerit ille suas.

Vana redundarunt Peligni iussa Poetæ;
Sanantur nullo vulnera tanta modo.
Scilicet ipsa tenet semper sua signa cicatrix,
Cunctaque perpetuo stygmata corde notat.

Monet Ouid. in primis otium arceri, & fugari: Faustus ait, expertum se id esse, nihil tamen profecisse.

Apta cupidineis vitauimus otia telis. Nam & in negotio seruit Amor, cuius fortis apprehensio nulla prorsus alia distrahi imaginatione potest. Sic videre est, laboriosos homines, telo cupidinis ictos in suis laboribus æstro seruescere magis, augerique ipso in opere thyrsum.

Docet ille, ad Amorem extinguendum imperfectiones, & defectus Amasię animaduertendos esse. Faustus hisce etiam frustratum se esse, profitetur.

Scripsimus infamis notum modo crimen Amicæ
Ipsaque liuitiæ damna pudenda meæ, &c.

At id nimis etiam est arduum, siquidem, vt dictauit quoque Theocritus in Eclogis.

Quæ minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.

Sic apud Horatium, Balbinum polypus Agnæ delectabat.

Si communis opinio est, mentem ab re amata ad alia, vt venationes, studia, conuiuia, & id genus alia auocandam esse. Faustus incassum hęc adhibuisse concinit; quinimò hęc omnia sunt sepè in causa, vt sopitus excitetur Amor.

Describuntur ab Ouidio, & ali s herbę, ac radices quędam, quę amorem infringendi potentiam creduntur habere. Atqui Apollo ipse, medicinarum inuentor, palàm fatetur, nullam vim talem illis inesse apud eundem Ouid. primo Metamorphos.

Inuentum medicina meum, opifexque per orbem.
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis:
Hei mihi, quòd nullis amor est sanabilis herbis.

Quin etiam

Quæcunque herba potens ad opem, radixque medendi
Vtilis in toto nascitur orbe mea est.
Me miseram! quòd Amor non est medicabilis herbis.
Deficior prudens artis ab arte mea. Oeno scribebat Paridi.

Adhuc putarunt Ethnici posse magicis artibus, & incantamentis vim amoris euinci. Sic Dido apud Virgil. in 4. sororem hortatur, vt petat Hesperidum illam sacerdotem, quę huiusmodi peritia prędita erat.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes.
Quas velit, asq; alijs diras immittere curas.

Faustus hęc eadem expertus illudit.

Inuitusquè fui magicas accinctus ad artes,
Ferret vt auxilium conscia saga pium.

Quinimò ipsemet Ouidius deridet magicas artes

tes cum Circem sic alloquitur.

Omnia feci∫ti, ne te ferus ureret ignis,
Longus at inuicto pectore ſedit Amor.

Deinde;

Ardet, & aſſuetas Circe tendebat ad artes,
Nec tamen eſt illis attenuatus Amor.

Et infra.

Deme veneficijs, carminibusque fidem.

Porrò Amor, & ipſe Dæmon eſt, vt Platonici aſſeuerant, ac Dæmonum potentiſſimus, quare alterius virtute Dæmonis euinci non poterit. Nec ſi ab his ſperare ſalutem potuiſſet Eliſa, enſe, & rogo ſibi conſciuiſſet mortem. Hinc diſcere fas eſt, quàm ſit inutile ſmaragdos, aliaque amuleta, & periapta geſtare digitis, vel collo ſuſpenſa: quàm ſit etiam fœdum, & inutile in amantis calceo ſtercus amatæ reponere. Rurſus quàm commentitium Selemni fluminis aquam id laudis, ac virtutis adeptam, vt ea ablutos tam viros, quàm fœminas amore liberet. In Achaia autem propè Argyram Ciuitatem hic fluuius erat; ac tandem dignoſcere ſatis licet, quàm ſit ridiculum illud Plinij libro 13. quod videlicet volutare ſe in puluere, quo ſe ſe mula volutarit, amoris eſt remedium, & ſimiles nugæ.

Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Serò recuſat ferre, quod ſubijt iugum. vt Seneca in Hyppolito.

Verùm adhuc maiora proferens, aio, ſano modo recipiatur, nec vi Superum ſecundum Ethnicos affectum eroticum auferri poſſe. Maximum profectò Theorema! plena ſtuporis aſſertio! at ſuis fulcita auctoribus. Virgil. 4. Æneidos poſtquàm cupidinis ardore furentem deſcripſit Didonem, ideoquè Annam ſororem conſulentem, quæ holocauſta Dijs offerenda, & preces cenſuit, ſumma cum pietate id effectui mandatum à Didone teſtatur; mox tamen his verſibus proclamat.

Heù Vatum inſanæ mentes? quid vota furentem,
Quid delubra iuuant? eſt mollis flamma medullas &c.

Quo loco manifeſtis verbis edocere videtur Maro, neque templa, neque vota, neque holocauſta amore flagrantem animum ſoluere, & ſanare poſſe; quaſi dicat Poeta: quid opus eſt votis, & precibus erga Deum, ſi amore incenſa Dido ſuum cogatur ſequi appetitum, & furore concita; nam (*tota vagatur Vrbe furens*) Diuinæ opis, & auræ ſit incapax? Idem manifeſtis verbis infinuauit Ouidius in epiſt. Oenonis ad Paridem dicens.

Quod neq; graminibus tellus fœcunda creatis,
Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes. &
clarius Medea apud eundem.

Ipſi me cantus, artes, herbæque relinquunt,
Nil Dea, nil Hecate ſacra potentis agunt.

Rem confirmat Horatius primo Carminum Ode 32. vbi ſic. *Ah miſer!*

Quanta laboras in Carybdi,
Digne puer meliore flamma.
Quæ ſaga, quis te ſoluere Theſſalis
Magus Venenis, quis
poterit Deus?

Adde ex D. Auguſt. *Fortis eſt, vt mors, dilectio.* Iam ſicuti mors nulla eſt placabilis arte, vt ideo Orpheus in hymnis.

Nec prece, muneribus, nec tu placabilis vlli.

Sic prorſus ictus amoris nullo ſanabilis auxilio eſt. Vt verum ſit ideò, quod Plautus in Trinummo,

Qui in amore præcipitauit peius perit, quàm ſi ſaxo ſaliat. Verum etiam illud Propertij.

Errat, qui finem veſani quærit Amoris; nam
Nec modus, ac requies niſi mors reperitur amoris.

Id quod Crates Thebanus, ne Philoſophi etiam deſit auctoritas, ſatis expreſsè confirmauit, dum quæ forent amoris antipharmaca, interrogatus reſpondit affabrè: λιμὸς, χεῖνος, βρόχος, ideſt fames, tempus, laqueus; quod Achilles Bocchius primo Symbolicarum Quæſtionum ita graphicè retulit:

Fames amorem ſedat atra: ſin minus
Tempus. niſi hoc: laqueus erit tandem ſatis.
Sententiam hanc Crates tulit. Si quis negat
Probabit illico, vt periclum fecerit,
Ita laqueo laqueum ipſum amoris ſoluier.

Sed inſtas; vt clauus clauo pellitur, ſic amor amore, quare Sulmonenſis

Succeſſore nouo vincitur omnis amor.

Infelix qui neſcit, aio, morbum niſi morbo pellere, haud ſic vincitur Amor, ſed ſolùm mutat locum; quis dicat ſanari febrem, ſi de tertiana in quartanam, vel quotidianam euadat? aut ſedem de alis ad inguina variet? præterquamquod impoſſibile ferè eſt, vt ſauciatus vulnere Daphnidis exardere Amarillida poſſit. Rurſus morbus ex morbo non eſt ſanitas.

Atqui afferes Capitolini hiſtoriam de Fauſtina, Antonini Imperatoris filia, & Marci Aurelij vxore, quæ cùm ardentiſſimo erga pugilem quendam incenderetur amore, in morbum incidit, & ex febre animi magis, quàm humorum mortis limina tetigit. Quò factum eſt, vt Magorum, & Medicorum initum concilium ſuerit, qui tamen fruſtrà multis adhibitis auxilijs tandem ſtatuêre, vt inſons interficeretur gladiator, eiusque ſanguis mulieri propinaretur ægræ; quo facto, ait, liberam euaſiſſe. Dices ergo, amati ſanguine amoris flammas extingui. Proh ſcelus! quid crudelius vnquam auditum, ſeù magis indignum, quàm humanum ſanguinem amanti offerre? Hèm quo aſtu Dæmon callidus cœcos homines ad ima tartara precipites trahit! Ideò Fauſtinæ deferuit amor, quia

Digitized by Google

quia vir dilectus perijt, interemptus *truci* consilio. Mors omnia soluit. Stultum foret arbitrari, fuisse in sanguine virtutem vllam Amoris corruptiuam; & si fuisset, cur occidere innocentem? poterat hauriri ab eo sanguis, & viuo Gladiatore, propinari Heroinæ amatrici. Melius consilium fuit Antiocho, Seleuci filio, nouercam, quam deperibat, non dum patri commistam liberè concedere. Vnicum enim Amoris remedium est amata re frui. inde Ouid.

Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes.

Ergo, vt amoris insanabile vulnus est. Sed iam tot sileant Poetę, qui fortè philosophorū auribus nimium obstrepuere, quos precor iccirco, nerigidas suspendant nares, neue ora nauseabundi conuellant; nam suo loco pulmenta digna palato ministrabimus: hic, vbi Amor agitur, qui puer est, melipecta conueniunt, ac τίμματα.

CAPVT XI.

Quæ sint in Amore alterutrius odij, vel concordiæ causæ.

DICTITANT Poetæ, duplici telo in vulnerando Amorem vti, plumbeo vno, aureo altero; hoc mutuam beneuolentiam, illo amorem absque gratia pectoribus excitare. Fabulæ mysterium tute ipse expiscare ingenio. Interim, arbitre me, cuspis aurea, beneuolentiæ genetrix, numisma est diues, gemmæ, pretiosaque munera, quibus vel castissimæ expugnantur mentes, rigidique cicurjunt custodes, ac vel æneæ reserantur ianuæ. Sic Iuppiter, vt inaccessibilem Danaen amplecteretur, optimo consilio conuertit se se in aureum imbrem, votique compos ilicet factus est. Hinc Lyricus Vates Venusinus,

Inclusam Danaen turris ænea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierunt satis
Nocturnis ab adulteris.
Si non Arrisum Virginis abditæ
Custodem pauidum Iuppiter, & Venus
Risissent, fore enim tutum iter, & patens,
Conuerso in pretium Deo.

Plato in Sympolio, metaphysicè nimis, mutuæ beneuolentiæ causam refert in cognitionem, quam animæ in Cœlis habebant altera alterius, ita vt corporibus inde elanſæ, dum se se fortè agnoscunt, reciproco etiam complectantur amore. Sed opinio, vt quæ supponit animas æternas, aut multo ante corporum animationem creatas, iamdiù & à Christiana pietate, & vera philosophia explosa est. Illud quidem veritati nihil dissonum arbitrarer, animas, quæ à Deo eodem instanti fuerint productæ (produci autem quolibet instanti penè innumeras, verisimile est) peculiari quodam amoris vinculo obligari ob illam eandem relationem, quam habent ad illud idem instans creationis, seu ad eundem creatorem, eodem instanti producentem. Quare post corporum informationem si accidat, vt corpora, quæ regunt, animantque, simul alicubi conueniant, beneuolè, & amicabiliter complectantur; siquè suppositorum alter vir, altera mulier extiterit, coniunctionis conciliari cupidinem; si ambo viri, familiaritatis, & amicitiæ studium, existimandum; & hinc est, quòd multi exterarum nationum mutuam interdùm contrahunt beneuolentiam, & inter coetaneos amicabilior nectitur societas.

Interim cuiusque amoris concordis causam, ad similitudinem referendam fore, vnanimi philosophantium sententia dicendum est. Istæc verò similitudo non simplex, sed multiplex est. Alia nempè est similitudo syderis, cùm videlicet sub eiusdem dominio stellæ hic, & ille ortum subit: fuit enim Platonicorum opinio, vnumquodque cœli lucidum corpus regimen habere multarum animarum, Dæmonum, brutorum, vegetantium, & lapidum. Alia est similitudo Cœli, cùm videlicet sub eadem Cœli sympathia, siue cœlestium corporum dispositione, vterque amantium in lucem prodit. Tertia similitudo est, quæ dicitur Genij; vnicuique enim duos Genios, eminentiorem corporis partem habitantes, à Deo insitos esse, Plato cum suis Academicis existimauit; modò Genij inter se amici, vel inimici esse possunt. Quibus ego similes, & nihil discrepantes inditi sunt istiusmodi Genij, amici, & amantes inuicem deueniunt. Quarta similitudo est morum harmonia, & conuenientia: sic apparet quotidiè, quod bonus diligit bonum, fidelis fidelem; nam *quid communicabit cacabus ad ollam? quandò enim se collisserint, frangentur.* Sic Salomon sapientissimus. *Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximum sibi: omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo sibi simili associabitur.* Profectò vbi morum est discrepantia, non nisi dissidia, iurgia, contumeliæ, & rixæ exoriri possunt. Quinta similitudo est illa, quæ habetur in aspectu: assimilis enim facies, consimilis membrorum structura cur non debeant & ipsæ amorem, & mutuam beneuolentiam conciliare? Sexta, & vltima similitudo est illa prorsus, quæ habetur ex temperamento: Namque si verum est Hippocrate, Platone, & Aristotele asserentibus, quòd mores animi sequantur temperaturam corporis, vti breuem libellum compilauit etiam Galen., quicunque simili temperamento præditi erunt, erunt etiam ijsdem moribus, & animi propensionibus imbuti; quod Physiognomonici multis persuadere laborant. Qua in re lubet apponere, quæ Marsilius Ficinus orat. 7. cap.

9. scripta reliquit in conuiuio, quæ scitu digna, & periucunda sunt. *Quando sanguineus deuincit sanguineum, leue iugum est, suaue vinculum, similis namque complexio mutuum creat amorem. Huius præterea hominis suauitas sperm-, & fiduciam præstat amanti. Quando choleri cus cholericum, intolerabilior seruitus! Vicissitudinem quidem nonnullam beneuolentia in his facit complexionis similitudo; sed igneus ille bilis humor crebra illos iracundia turbat. Quando sanguineus cholericum, aut contrà, propter suauis simul. & acris humoris commixtionem alteratio quædam prouenit iracundiæ, & gratiæ, voluptatis, atque doloris. Cùm sanguineus melancholicum ligat, nodus perpetuus, non miserrimus. Sanguinis quippe dulcedo melancholiæ amaritudinem temperat. Cùm verò cholericus illaqueat melancholicum, pestis omniù perniciosissima. Acutissimus adolescentis humor senioris viscera passim illabitur. Est mollis flamma medullas. Vritur infœlix amator. Cholera ad iracundiam-, cædesque prouocat. Melancholia ad mœrorem-, & perpetuam querimoniam: ijs sæpe idem, qui Phyllidi, Didoni, Lucretiæ amoris est exitus. Phlegmaticus autem, seù melancholicus adolescens propter sanguinis, & spirituum crassitudinem capit neminem.* Sed quæres hic fortassè, quibusnam maior insit, & efficacior illaqueandi virtus. Hoc tibi ex eodem Ficino cap. iam citato addiscere licet; sic enim habet. *Fœmina profectò viros facilè capiunt: facilius autem ille, quæ masculam quandam indolem præseferunt, & tantò facilius masculi, quantò similiores sunt viris, quàm fœmina, & sanguinem, spiritumque habent lucidiorem, calidiorem, subtiliorem: qua- in re amatoria consistit illaqueatio. Exmaribus autem illi viros, seu mulieres velocissimè fascinant, qui sanguinei sunt potissimùm, & quadam ex parte cholerici, oculos amplos habent, glaucos, atque nitentes, præcipuè verò si castè viuant, neque per coitum claro humorum succo exhaustio serenos vultus fœdauerint.* Sed illud postliminio haud erat omittendum, amorem tandiu regnare pacificum, vnanimemque, quandiu exunguis, & edentulus viuit. At qui nam- dentes, & vngues Amoris? Suspicio, & zelotypia ex Plutarcho apud Stobæum capite 64. Nempe amoris cuiusque venenum, & flagellum vna est zelotypia, si modum excedat.

CAPVT XII.

De Philtro, siue amoris illicio.

POSSE naturalibus quibusdam rebus, amuletis, ac periaptis amorem conciliari, contendit in primis Albertus Magnus, qui ad hunc effectum descripsit multa, vt fileam Plinij, & multos alios, qui amoris prolectandi varia proponunt auxilia, licet vana, & commentitia. Supernaturali tamen ope, vt Dæmonis cacotechnis philtrum componi posse, amoris illex Theologi omnes fatentur, impia Gnosticorum docet cathedra, & quotidiana probat experientia, qua reapse deprehendimus, impios homines, & præcipuè vafras, bliteasque mulierculas, vt voluptatis æstro satisfaciant, atque optato potiantur amplexu, mentem, seù potius dilecti phantasiam- peruertere miserè: quò perdita proles, veluti phanatica cogitur amarè sæpè, quâ oderat, atque illius languere cupidine, cuius paulò ante furebat odio. Brixiæ monumentum legitur, quo mulier impudica philtrorum suorum meminit.

D. M.
Qui me volent.
Valete Matronæ, Matresque
Familias, vixi, & vltrà
Vitam nihil credidi. Me
Veneri alumnę addixi.
Quos potui pellexi philtro,
Et astu. Viro humato
Non vidua fui, &c.

Sit interim vnum ex omnibus exemplum Caroli Magni, Galliarum Regis, strenuique Imperatoris dignum sanè, quod recolatur. Audite- mirum simul, & iucundum acroama. E Martis tentoriis, strepituque Bellonæ olim in Ciuitatem, Parisiarum, ni fallor, redux, regni Galliarum Primatum honorificentissimo comitatu Magnus Carolus fiebat: dumque summum Imperatorem diù absentem, vt videant gloriosum, ac triumphalem, turmatim conueniunt vndique & viri, & mulieres, sitque ex eo passim- opulentissimus fenestrarum apparatus: en præteriens Rex, adhuc hostili concitus animo, & seuera, vti est bellatorum, fronte maiestosus, forte oculos erigit, videtque mulierem conspicua, non tamen egregia pulchritudine insignitam; & statim ab aspectu vulnus, flammamque non leuis concipit amoris. Quid plura? Vix regali palatio petito, iubet, Amasiam ad se, vti decet, asportari. Dicto prius parent ministri. Ducitur callida pellex, sentitque Imperator ex præsentia acrius vulnus, sæuius incendium. Igitur ardet, æstuat, nec expletur ab amplexu, nec fit sa-

satis à congressu. Diu, noctuque immemor sui, delicijs, vel potius mollicijs dat operam sedulò: nescit è cubiculo progredi breuis impatiens absentiæ; nulla iam exercitus cura, nulla hostium clades, nullum regni consilium, solum amandi studium. Principes, militumque proceres ab Regis conspectu procul dimittuntur: ius non dicitur: vacat aula; nihil denique regium, nihil priori Carolo dignum agitur. Iam obstrepunt Cines, queruntur aulici: maledicunt milites: tumultuant Principes, fitquè palàm in milite seditio: nec est modus, & via sanandi tanti delirium Ducis. Erat in aula Sanctus quidam Episcopus Regis ipsius à confessione, atque animæ salutari præsidio; ad hunc agminatim confugiunt homines, hunc perennibus agitant precibus, vt à vano cupidinis lethargo, turpique insania Carolum excitare velit. Episcopus orationibus, ieiunijs, pijsque multis operibus in Ciuitate præordinatis, Deum orat instanter pro Regis, Regnique totius incolumitate. Ita rebus in arduis ad eum primò leuandi sunt oculi, qui habitat in Cœlis. En silente nocte pio Antistiti cœlitus apparet Angelus, nunciatque fore, vt non prius respiscat Imperator, quàm dilecta mulier mortis pertinaci limina. Sanctus vir refert primatibus Ciuitatis oraculum, initurque consilium ex sententia Præsulis, vt iterum ad Deum precibus adeatur non sine eleemosynis, quò mulierculam illam vitali aura ad Regni totius incolumitatem priuare velit. Suscipiuntur tandem vota, breuique spatio eadem cessit ab luce. Sed heu prodigium! Mors non omnia soluit. Amor post funera viuit. Carolus maiori cupidine erga iam frigidam, iam fœtidam Amasiam flagrans nescit à mortis aspectu, vel breui horarum spatio desciscere: alloquitur, amplexatur extinctam, osculatur cadaueroſam faciem, blanditur veluti dormienti, denique longè magis insanit. Quid est hoc? fit in Ciuitate murmur; Antistes miseriam plorat: Regia vniuersa stupet. Iterum arcto celebrato ieiunio, præmissis disciplinæ flagellis orat Episcopus ad Cœlum. Fert responsum, non dimissurum Regem delirium, ni lapillus illius mulieris alligatus ginguis, auellatur. Vix poterat id executioni mandari præ Regis assidua præsentia. Tandem accessit occasio, & Antistes audacter elisit ab ore defunctæ pellicis gemmulam; factumque est, vt cubiculum de more repetens Imperator, exosus cadauer, quin aspectu territus potius, nedum delectatus, vt solebat, vestigia velox retraxerit, iusseritque humari tantopere concupitam Amasiam. Quo pacto Regni, Regisque cessit detrimentum. Apagè in gemmula illa erat maleficium amatorium ad Regis duntaxat aucupium patratum Dæmonis arte; Si enim illud naturale extitisset, indifferenter cunctos homines pellexisset. Huiusce euentus rudem historiam delibaui Romæ in quadam epistola manuscripta Iacobi Sanazarij iam tum, cùm studijs nauabam operam. Mox celebre monimentum eiusdem adinueni apud Dieteticon Polyhistoricon Iosephi Quercetani, cui lectorem remitto. Tandem rem totam apud eundem Iacobum consecutus sum primo eiusdem epistol. lib. epistol. 2. de rebus domesticis non absque animi oblectamento. Sit veritas apud Scriptorem. Sit fides apud lectorem. Philtri meminerunt quoque Vates antiqui. Virgilius namque in Pharmaceutria annuit ijs carminibus.

Effer aquam; & molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, & mascula thura,
Coniugis vt magicis sanos auertere sacris
Experiar sensus. nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab Vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circundo, &c. Vide insuper Theocrytum.

Ouidius quoque insinuauit, ni fallor, lib. Heroid. hoc metro:

Deuouet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in iecur urget acus.

quod fortassis ad Virgilij imitationem occinit, is enim citato loco habet

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit
Vno eodemque igne, sic nostro Daphnis amore.

Simili modo apud Tibullum, Propertium, Nemesianum, & alios amatorij veneficij inuenies argumenta, quorum etiam formulas descriptas apud Grillandum, ac Martinum Delrium reperies. Illud apud impios homines frequens fuit, vt pergameno virginea vterentur, confecta ex cute puelli recenter nati, & ante baptismum emortui, vel abortiui, inscripta præterea quibusdam caracterious, ac magicis verbis, quibus Petrus de Abano, Cornelius Agrippa, & alij sceleſtissimi nimium tribuunt. Consueuerunt pariter in execrandum hunc vsum abuti mulierculæ mẽstruo sanguine, virili semine, felis cerebro, hienę vtero, virga lupi, ossibus rubetæ, & maximè hippomane. iuxta illud Propertij:

Hippomanes fœtæ semina legit equæ.

Adhuc pellicula, quæ à fronte equini pulli recens editi auellitur, de qua Aristoteles etiam, Columel. & Plin. Sed missa hęc faciamus, & philtrorum rationem veram existere, sit satis astruxisse. Petis auctarium? Sume. Naturale philtrum nihil est aliud, quàm pulchritudo, venustas, & concinna forma, quibus vtique irretimur palàm: sic vxor Demetrij, visa Lamia, scorto venustissimo, suique coniugis pellice, illam in decoro vultu gestare amatorium Regis veneficium pronunciauit. Valeant inquiens calumniæ, tu in te Philtra habes. Sic quoque Venus Adonidem plorans extinctum apud Bionem

aiebat, velle se ex corporis eius venustate excerpere, & imbibere philtrum.

Ipsa ego dulce tuo mulgebo ex corpore philtrum,

E totoque bibam mansurum pectore amorem.

Rem eamdem confirmat Afranius in Vopisco apud Nonium Marcellum his metris.

Aetas, & corpus tenerum, & morigeratio
Hæc sunt venena formosarum mulierum;
Mala atas nulla delinimenta inuenit. Auctarium ne desit. Demetrius Phalereus à meretrice quadam dicebatur, χαριτοβλέφαρος, à fructice quodam', qui in philtris efficax χαριτοβλέφαρον appellatur, & hoc ob insignem, & incredibilem eius venustatem. Siquidem erat, auctore Plutarcho, in eius vita: *Forma, & pulchritudine oris adeo egregia, adeoque præstanti, vt pictorum, aut sculptorum nemo similem vnquam potuisset effingere.*

CAPVT XIII.

Cur deformes interdum amentur.

CVPIDO est profectò amor, qui oculorum lumina præstringit amantum, ne videant, obseruentque deformitatem, inuenustatè, & corporis conspicua vitia: vnde illud: si quis amat ranam, ranam dicit esse Dianam. Miseri huius euentus rationem reddit Plato Dialogo 5. de Republica, vbi docet, eum, qui verè aliquid amat, nequaquam partim amare, & partim non amare, verùm totum prorsus amare, ac proinde totum commendare, ac venerari, adeò vt, si quæ sunt vitia excusset, ac dissimulet, imò vertat etiam in lepores ac decora, quod nimirum perbellè concinit Lucretius lib. 4. vbi hæc.

Nam hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda verè.
Multimodis igitur prauas, turpesque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere;
Nigra μελίχρους est: immunda, & fœtida ἄκοσμος:
Cæsia, παλλάς: nervosa, & lignea, δορκάς:
Pumula, pumilio, χαρίτων tota, merum sal:
Magna atque immanis, κατάπληξις, plenaque honoris:
Balba, loqui non quit, ψελλίζει: muta, pudens est.
At flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον fit:
Ισχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quum viuere non quit
Præ macie: φαδινὴ verò est, iam mortua tussi.
At gemina, & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho:
Simula, σιλλὼν, ac satyra est: labiosa, φίλημα
Cætera de genere hoc longum est, si dicere coner.

Basilicè quidem hæc à Lucretio, quem exemplaria centum mentiri non sinunt. Hem! quot videmus amore turpis aniculæ insanire, aut luridæ meretriculæ flammis æstuare? Quot insuper honestissimis, ac pulcherrimis vxoribus despectis aut scortum impurum, aut fœdam ancillam deperire? Equidem id mihi persuasum habeo, reperiri pulchritudinis radium incorporeum, qui non à corporis venustate, & membrorum symmetria proficiscatur; sed ab anima ipsa incorporea, & lucidissima, capiatque violenter alterius animum; Inuisibilem hanc pulchritudinis energiam vocarunt alij salem; quò spectat Catullianum illud

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Vocarunt alij Veneres; mihi appositè magis pellexgratia vocanda esse, videretur; quando sine hac pulchritudo quæuis corporea inutilis, frigida, mortuaque videtur; cum hac fit omnium oculorum speculum, omnium animorum aucupium, omnium cupiditatum igniculus, vnde illud;

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus.

Aut verius dicamus, id potius contingere, ex depranata voluntatis actione, qua desiderium feratur ad turpes, atque inhonestas formas; quemadmodum ex depranata oris ventriculi functione appetuntur interdum res præter naturam, vti lateres, carbones, terra, acerbissima poma, insuauiores herbæ, & similia; quod in grauidarum mulierum pica, luculenter apparet. Ita quoque depranatus oculus muscas, vultus biformes, inconcinnaque multa videt; Imaginatio depranata chimæras, & phantastica idola concipit: in vertigine omnia in girum verti videntur. Non ergo mirum, si apud Gynæcophilos ac petulantes homines, in quibus nouæ semper nutriuntur libidines, amor depranatur, vnde in Acharites, & inuenustas, imo etiam in fœdas anus interdum dirigitur, quod tamen Astrologi ad peculiarem astrorum aspectum, atque horoscopum referunt.

Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

TRACTATVS TERTIVS.

De Generalitate, necessitate, & initio Veneræ mixtionis.

PRAELOQVIVM.

SOCRATICI in suis disceptationibns, vt magis conspicua fieret veritas, consueuerant adducere omnia, quæ ex vtraque parte dici poterant: Prudenter nimirum, quia vt in tertio Metaphys. Arist. ait: *Veritatem inquirentes sine dubitatione similes sunt nescientibus, quò ire debeant.* Et ideo in primo Topic. dicebat: *Potentes ad vtramque partem dubitare in singulis speculabimur verum, & falsum.* Socraticorum imitatores, & Aristotelis præceptis non contemptis, vtemur & nos in toto opere quæstionibus varijs, in quibus, rationibus hinc inde libratis, hauriemus veritatem, vndequaque perspicuam, & nullis dubitationum tenebris, aut errorum caligine obumbratam. Ordo autem, quo in præsenti tractatu incedemus is est, vt primò examinemus quæsita, quæ ad generalitatem actus Venerei; secundò quæ ad necessitatem; postremò quæ ad initium pertinent eiusdem.

CAPVT I.

An cuncta Animalia perfecta, & imperfecta, actum Veneris exerceant, vbi de spontaneo animalium ortu, eorumq. efficiente causa nonnulla delibantur.

ANIMALIA quæque vsum Veneris habere, asserit Aristoteles libro de historia Animalium; adeò vt imperfecta licet multa sint, & ex putri deducta materia, Veneri tamen, & genij voluptatibus studiosè indulgeant, vt conspicere est vel in vilissimis muscis, quæ videntur non rarò mutuo se se complexu ligare, & vnam alteram conscendere. Hæc tamen ex putri oriunda, nequaquam sibi simile generant, quia generatio est typus perfectionis. Quare, & si Veneris iucunditate non sunt defraudata, sterilia tamen prorsus ex sunt, & omni fœcunditatis excellentia denudata. Extant quoque multa eiusdem generis maiori quodam beneficio à natura insignita, quæ generant quidem, at non simile. Hæc omnia cunctis regiſtrata fas est legere apud Aristotelem primo de generatione Animalium cap. 16. cuius illa sunt verba. *Insectorum aliqua coeunt, atque ex animalibus eiusdem generis oriuntur modo eorum, quibus est sanguis, vt locustæ, cicadæ, phalangia, vespæ, formicæ; aliqua eorum quidem, & generant, sed non sui generis animal. Sed vermiculos tantum, neque ex animalibus procreantur, sed ex putrescente humido, aut sicco, vt pulices, muscæ, scarabei. Quædam nec ex animalibus nascuntur, neque coeunt, vt culices, & vermiculi, & plura eiusmodi genere.* Ex quibus deducitur, multa animantia fieri ex putri, & multa per vniuocam generationem a simili, ea tamen differentia, vt quæ habuerunt originem a putri simile generare non possint: quæ verò eiusdem speciei à similibus genita sunt, ipsa rursus alia, consimilia generare valeant. Exemplum sit: mures ex putri, necnon ex genitorum semine producuntur in vitam: iam qui ex putrida corruptione exantlati sunt, minimè generare possunt sibi similes; at qui ex genitoribus semine fuso geniti sunt, & ipsi alteros similes gignere valent. Verùm cùm sint quædam omniù imperfectorum imperfectissima, ideo hæc neque generant, neque coeunt, desunt enim ijs organa, & facultates, quibus nobile hoc opus possint efficere. Erat autem necessarium ad bonum Vniuersi, vt natura singulis animantibus, saltem perfectis, daret coeundi facultatem, alioquin, breui spatio & temporis iniuria, & fati malignitate vniuerso animantium genere destitutus fuisset mundus.

Sed ex dictis non leues exurgunt difficultates, & quidem prima; si non panca animantia ex propriæ naturæ imperfectione nequeunt sibi similia generare, cur natura instituit in ijs coitum, qui frustratorius est; nã frustra est actus ille, qui opus non relinquit, & inutilis instinctus, qui finem suum non assequitur, finis autem omnium coeuntium est generatio similis.

Huic haud contemnendæ difficultati sic primò respondeo, Venereum nempe coitum independenter ab vltimato suo fine, putà à generatione, esse per se bonum aliquod de genere iucundi, & vtilis. Quamobrem quamuis natura nequiuerit huiusmodi animantia præstare fœcunda, noluit tamen, neque erat opere pretium, spoliare perfectione illa boni, iucundi, ac delectabilis; nec par est, vt despiciat media bona, qui finem consequi nequit. Sicutinon ideirco, quòd pars aliqua terræ sit omnino sterilis, & ad fructus

ctus inepta, deest operosa natura illâ vel sole irradiare, & calefacere, vel imbre irrorare, & emollire; siquidem pluuiæ irroratio, & solis radiorum influxus sunt aliquod bonum ipsius terræ independenter à quacunque florum, herbarum, & fructuum productione. Præterquamquod ipsius coitus beneficio alleuiatur animantia illa, & melius habent secundum valetudinem: quocirca: si talem actum frustrà ob speciei conseruationem exercent, non incassum tamen propter mulcebram, ac propriam indiuidui conseruationem vsurpant. Secundò dici κατάλληλον posset, quòd in putridis animantibus cùm vitales omnes functiones reperiantur, atque adeò instrumenta singulis operibus accomodata frustra data essent à natura generationis instrumenta, nisi illa adhibuissent eo modo, quo præ imperfectione licebat, eo magis quòd actus mixtionis proprius est animalium, non modo ad generationem, sed ad ferinam voluptatem, qua expleta, mitescunt, omnemque spoliant feritatem. Igitur si ex multis illud, quod melius est natura elegit, vtique melius est, vt hæc, de quibus loquimur, animalia actum venereum exerceant, quia indè si non generant simile, saltem dissimile aliquod producunt, id quod sat est, ne penitùs frustratorius dicatur eiusmodi congressus, & si alias addas vtilitates, quas recensuimus, nihil est ex omni parte, quòd natura reprehendatur.

Secunda difficultas est, quoniam insecta quælibet, & ex putri deducta animalcula ex diluuio interiere, nullum enim illorum in Arca seruatum fuit; Igitur cuncta postmodum ex putrilagine reuixere; quomodò ergo, si vera sunt, quæ supra ex Arist. diximus, species generationum serie propagarunt? Valida sanè obiectio, sed illi satisfiet, si dicatur primò, Deum optimũ maximum, qui multa miraculosè post mundi cataclysmum ad naturam, orbemque restaurandum patrauit, vim quandam peculiarẽ singulis in qualibet specie productis animalculis indidisse, vt possent vi prolifica speciem reparare, quo facto in pristinam naturam redijsse. Vel si magis arridet, dicas, terra ab illuuione resiccata, plura id genus animalcula è terræ latibulis, vbi diù soporata absque alimento viuere possunt, emersisse ad lucem, & ad nouam quasi vitam, nam Cœli cataractis apertis, verisimile est, illa declinasse a tempestate ad antra. Insuper addam, cadauera multa insectorum, & putrium super terram remansisse, quæ mox vi solis, magnoque naturæ conatu, Deique peculiari arbitrio reuixerunt; haud enim impossibile naturæ fuit, annuente præsertim Deo, ex potentia subiectæ organicæ materiæ alteram animam educere, (quod in emortuis musciis, & ad cinerem recalefactis contendunt multi) qua recalefacta cadauera vitæ primæuæ munia, & generationis in primis obirent postea. Siquidem, vt lib. de semine dicetur abundè, viuentium semina incorruptibilia sunt, visque genitiua nunquam in mundo perit. Sed aliud modò maioris momenti inquirendum, cuinam scilicet causæ efficienti primariè referri debeant effectus, qui nõ ab Agente vniuoco præsente producuntur per se, vt in primis animalia, quæ ex putri materia deducuntur.

Adhuc longè maior difficultas est, si multa, vt diximus ex Aristotele, animantia generant quidem, sed non sui generis animal, cui nam causæ propriæ, & principali adscribi debeat hoc animal diuersæ speciei; non enim tribui potest illi viuenti, ex cuius coitione genitum est, siquidem non continetur in eius potentia, quando virtus agentium terminata est ad hunc effectum, & non alium producendum, ad hoc potius, quàm illud animal gignendum; sic videre est, quòd equus equum, leo leonem, homo hominem producunt, & non ex aduerso: quod etiam luce clarius patet in ipsis elementis, quorum ignis ignem, aqua aquam generat. Neque hoc solùm accidit in causis efficientibus; verùm etiam in materialibus: non enim, inquit Philosophus, ex quolibet fit quodlibet, sed ex determinato. Quam ergo constituemus efficientem causam huius animalculi tali ratione producti? & quam etiam illorum omnium animalium, quæ ex putri adeò copiosè proueniunt?

Multi statuerunt Cœlum, & Solem in primis, qui viderur esse Arbiter omnium Generationum, etiam ipsorum hominum, iuxta illud Philosophi, *Sol, & homo generant hominem*. At falsum hoc est, nec potest vlla ratione consistere, siquidem viuentum generatio non potest vnquam attingi per se ab Agente inanimato; sequeretur enim, quod perfectius gigneretur ab imperfecto; Quamtumuis etenim Cœlum nobilitate substantiæ, quæ ex eminentijs constituta dicebatur à Platonicis, simplicitate compositionis, luciditate corporis præstet cunctis inferioribus, quæ sub eo continentur, & quantumuis pater luminis Sol splendore, pulchritudine, velocitate motus, actione, influxu, dominio antecellat quoquo modo mundanis omnibus rebus; omni tamen paruo animante, vel ipsa formica, ambo sunt imperfectiores; tanta est animæ, & animati excellentia. Igitur Cœlum nequicquam statui potest Viuentium causa, nisi lato modo, quatenus videlicet applicat actiua passiuis, dum quorundam sensibilium educuntur animæ de potentia ipsius materiæ. Nec posset facile explicari, quomodo Cœli, & Sol imprimerent in aerem suas virtutes, per quas deindè aer ipse attingeret productionem animalium. Huiusce opinionis aliqui auctores, vt se se quoad possunt, à vi rationis defendant, recurrunt ad Intelligentiam Cœlo assistentem, dicentes, Cœlum non absolutè per se, sed virtute Intelligentiæ nobiliores quosdam effectus, vti sensibilia producere posse.

Quod

Quod etiam dicitur gratis, & irrationabiliter, quando est sententia Diui Thomæ 1. par. quæst. 110. art. 2. & 3. & alibi pluribus in locis, quòd Intelligentiæ non possunt vllam formam imprimere rebus, sed solum mouere localiter, atque operari applicando actiua passiuis; qua ratione solùm dici possunt causæ aliquarum substantiarum inferiorum. Scot. in prima dist. 37. & in secunda dist. 18. difficultatem odoratus ait, quòd quando producitur aliquis effectus non præsente causa vniuoca, attingitur illa productio immediatè à causa prima. Cui sententiæ videtur etiam subscribere Suar. disp. 18. metaph. sect. 2. & 5. vbi ait, quòd quando sunt præsentia accidentia, & deest substantia, quæ productionem substantiæ attingat, in hoc casu concurrit causa prima supplendo concursum, qui ab ipsa substantia præstari debebat. At neque Scotus, neque Suar. recte in hoc philosophantur: decet enim Philosophum in rebus naturalibus statim ad primam causam recurrere, præterquamquod sine necessitate inducunt primam causam supplentem concursum causarum secundarum.

Existimo itaque, principalem causam horum effectuum, de quibus loquimur, esse substantiam cum illis vniuocam. non quidem determinatam in indiuiduo, sed indeterminatam, & veluti in specie; ita tamen, vt non putemus, hanc indeterminatam substantiam aliquando extitisse à parte rei, & productionem inchoasse; accidentia enim, per quæ productio illorum immediatè attingitur, cùm ex se non habeant vim producendi substantiam; si producunt, id faciunt, vt instrumenta alicuius substantiæ; substantia autem hæc non poterit esse nisi illa in communi, cui effectus secundum essentiam assimilantur. Atquè ita rana, quæ generatur ex putri, producitur quidem immediatè ab illis accidentibus, quæ in putri materia recipiuntur, non in virtute ipsorum, sed in virtute ranæ in communi, cui debentur, seù, vt loquuntur alij, in virtute ipsiusmet speciei: & sic pariter cùm ex coitu quorundam animalium imperfectorum producitur animalculum diuersæ speciei, vt vermiculus, dicendum est, quòd illa accidentia productiua non egerint in virtute propria, quia, vt dictum est, accidens nequit producere substantiam: non in virtute illorum animantium, quæ coiuerùt, quoniam produxissent animal simile, & non diuersæ speciei; non in vitute Cœli, quia vt probatum est, inanimatum animatum non generat; Igitur in virtute speciei illorum vermium, quorum genitum est indiuiduum. Neque exinde existimandum est, auferri de medio causas omnes æquiuocas, iam diu communi consensu receptas: quandoquidem æquiuoca principalis causa Deus est, à quo omnes effectus produci possunt, sed non tanquam à causa vniuoca. Rursus Cœlum, Sol & astra, dici possunt causæ æquiuocæ, vel quia applicant actiua passiuis, vel quia coadiuuãt generationem, vel quia instrumentaliter concurrunt. Neque contrà nos facit id, quod aliqui dicunt, nimirum omne agens debere esse in indiuiduo constitutum ad hoc, vt verè dicatur agere, cùm actiones dicantur esse singularium. Non facit, inquam, contra hanc sententiam, quoniam sat est, vt substantia vniuoca sit singularis, & indiuidua in suo instrumento, in quo etiam sat est, vt existat, quando exercetur actio, neque requiritur, vt secundum suam entitatem existat. Quæres, qua ratione fieri possit, vt accidentia, quæ producunt ranam sint instrumenta naturæ ranæ in communi; cùm hæc in communi natura non distinguatur à rana, quæ producitur; vnde videtur necessariò deduci posse, effectum non distingui à causa principali producente, quod nimis esset absurdum dicere. Respondeo, hoc argumentum valere, si natura specifica ranæ posset solummodò esse in vno indiuiduo; tunc enim causa, & effectus essent vnum, & idem adæquatè; in nostro autè casu nullam prorsus habere vim, eo quòd asserimus, ea ipsa accidentia sic esse instrumenta naturæ communis, vt est multiplicabilis in plura indiuidua ab eo, quod producitur, distincta realiter. Quod si natura in communi ranæ sic non esset multiplicabilis, prædicta accidentia in eiusdem virtute non agerent; præterquamquòd aliud est, esse instrumentum naturæ communis, prout est in indiuiduis (distinctione vtamur) & aliud est, esse instrumentum naturæ, quæ est in indiuiduis. Primum dicimus, non secundum, quod significat actualem determinationem naturæ in ipsis indiuiduis, qua ratione valeret argumentum positum; in primo autem modo significantur sola prædicata, quæ in indiuiduis reperiuntur, non tamen vt in hoc, vel in illo determinata existunt. Argues adhuc. Instrumentum in communi debetur causæ principali in communi; ergo instrumentum in particulari debetur causæ principali in particulari, & per consequens accidentia particularia, quæ producunt ranam, non possunt esse instrumenta ranæ in communi. Obiectioni respondeo dicens, quòd instrumentum in communi nil operatur, sed ratio ipsius in communi respondet, & proportionatur causæ principali communiter sumptæ. Instrumentum verò particulare operatur quidem virtute causæ particularis, quando est præsens; at non est absurdum, quando est separatum, vt referri debeat causæ alicui principali, non existenti, vel in communi acceptæ.

Obijcies. Calor, qui concurrit ad generationem ranæ, illa absente, non est potius virtus ranæ, quàm vermis, & muris: ergo non potest agere potiùs, vt instrumentum naturę ranæ in communi, quàm vt naturæ vermis, & muris in communi. Soluitur hęc difficultas, si dicamus, calorẽ ex coniunctione cum alijs accidentibus determina-

minari, vt sit potius virtus, & instrumentum huius, & illius naturæ.

Iam ex his colligitur primò, animalia illa imperfecta, quæ coeunt, & generant, sed non sibi simile, esse tantummodo instrumenta naturæ vermium, vel si placeat magis, causæ applicantes actiua passiuis, eo modo, quo causę putrefacientes non causæ per se, & primariæ, sed instrumentales dicuntur. Colligitur secundò, omne simile à simili produci, tanquam scilicet à causa principali: & solùm à Deo, tanquam à causa vniuersali equiuoca dissimiles effectus produci, quod ex professo probauit Arist. 4. sect. probl. 14. vbi quærit, cur si ex nostro semine procreatum animal est, prolem id nostram appellare solemus, sed si ex semine ipso putrefacto, vel aliquo alio nostro excremento animalculum aliquod procreetur, nostrum id esse negemus. Inquit enim post multa de hac satis, & basilicè sic. *Quod si ex rebus nostris solo semine natum animani sit, recte quod ita prouenerit, prolem id esse nostram tãtum, putabimus. Ex semine vero ipsa, si quid aliud exitit, vt vermis, vbi vel foris putruit, vel corruptum in vtero est, vt quæ monstra appellamus, prolem id esse nostram, haud quaquam dicendum est. Cùm enim corrupto creetur semine, non insuper ex nostro creatur, sed alieno, quemadmodum quod excrementis consliterit, vt quod ex stercore. Omnia verò huiusmodi ex corrupto creari semine, hinc indicatur, quod ex non corrupto creari tale natura statuit, quale illud est, ex quo semen genitale prodierit: exempli gratia si de equa equus, si de homine homo.* Plura exactius pete ab ipso problemate, quod multis Philosophus ipse prosequitur: modò satis erunt recensita, vt pateat, ac tanquam probatum recipiatur, effectus omnes in illorũ virtute producti efficienter, quibus videlicet vniuocè assimilantur; cæteras causas esse instrumenta. Sed nimium scholasticè præter institutum locuti sumus. Ad consueta redeamus argumenta.

CAPVT II.

An Dæmones indulgeant Veneri, vbi de Incubis, & Succubis.

EX Philosophis id asserunt non pauci, & potissimum ex Academicis plerique; Plato enim in Cratylo videtur manifestis verbis edicere, Dæmones mulieribus misceri. Idem in Thimæo annuit, hominis animæ creationem à Deo immediatè esse, corporum verò fabricam à Dæmonibus per generationem componi. Franciscus Georgius Philosophiæ, ac Theologiæ peritus in primo tomo Problem. ait, non solum Dæmones corpore, præditos esse, sed habere insuper vim generandi, & semen emittere; quod à Iamblyco fortassis hausit, qui segmento 4. cap. postremo de mysterijs Ægyptiorum, improbis etiã Dæmonibus Veneris tribuit incendia. Nec desunt è Scholastica Theologorum, qui Angelos quoque, dixerunt, actus generationis exercere; hoc tamen sic accipi non debet, vt arbitremur hos, & illos obtinere potentiam naturalem, & instrumenta ad concubendum. Siquidem spiritus Angelici inter se, quicquid perperam sentiant alij, nequicquam efficere habent aliquam indiuidui, aut speciei multiplicationem. Cùm enim quilibet Angelorum ex meliori Theologorum sensu suam speciem constituat. *In perpetuis* enim, vt inquit Aristoteles, *non est multiplicatio numeralis*. Si contingeret inter ipsos alicuius coniugij vinculum, oriretur species aliqua media inter naturam vnius, & alterius; at quàm absurda sunt hæc, cùm præsertim danda esset inter Angelos distinctio sexus?

Dubitatio est, an Dæmones cum mulieribus aliquando misceantur; quod negare identidem posset multis rationibus; & primò quidem, quia Dæmones sunt substantiæ quædam incorporeæ, & à materia abiunctę: at nulla huiusmodi substantia propria vi potest aliquam formam inducere in materiam, vt in Phys. & metaphys. docet Aristoteles. Igitur Dæmones virtute propria generare nequeunt, & per consequens neque concumbere; Nam quorsum actus hic, cuius nullum remaneret opus? *frustra enim*, inquit Aristoteles primo de cœlo, *calceamentum hoc dicimus, cuius non est calceatio. Deus autem, & Natura nihil frustra faciunt.* Qua in re haud mihi probari vnquam potuit Marci illius apud Psellum de Dæmonibus opinio, qui Psello interroganti, num Dæmones pati possent. *Et valde quidem* respondit, *adeò vt nonnulli Dæmonum semen iaciant, atque inde pusilla quædam animalia oriantur. Tum ego*, subiungit Psellus, *incredibile inquam, excrementa habere, & membra genitalia. Habent quidem*, dixit Marcus, *illi membra, sed non talia; excrementum verò aliquod ex illis emanat.* Hęc inquam sententia probari nunquam potuit; quandoquidem semen est substantia viuentis corporis, & excrementum vltimæ digestionis per exactam ciborum coctionem; coctio autem functio vegetantis animę, cuius proculdubio Dæmones expertes sunt. Adde, quòd omne corpus, quod vegetatur, & nutritur, corrumpitur, vti habet Aristoteles primo de Cœlo cap. 3. Quomodo ergo Dæmon, qui naturæ incorruptibilis est, facultatem vegetatiuam habere potest? Neque enim vera credenda sunt, quæ omniscius ille Cardan. 16. lib. de variet. refert ex patre, qui cùm triginta, & amplius annos cum Dæmonijs fa-

familiaritatem habuisset, ab illis, dicere consueuerat, se accepisse quòd Dæmones oriebantur, & interibant. Adhuc ad actum generationis debita requiruntur instrumenta, qualia sunt genitalia membra: modo Dæmones & hisce instrumentis, & corpore omnino carent. Quòd si dicas ex Caiet. in 2. c. Diui Pauli Epist. ad Ephesios, Dæmones spiritus esse, aereoquodam corpore circumuestitos, quod Caietan. ita probare conatur. *Sicuti enim*, ait ille, *vegetatiuum inuenitur sine sensitiuo, & sensitiuum sine motiuo secundum locum; ita credibile est, reperiri intellectiuum sine sensitiuo cum motiuo tantùm secundum locum, & tales sunt Dæmones.* Resp. Caietanum in hoc non esse audiendum, vt docet Perer. lib. 8. in Genesim cap. 6. Demùm, si Dæmones misererentur mulieribus, vel in his generarent, vel non. Si generarent, partus inde proueniens nec humanus, nec Angelicus dici posset; patet, quia ex duobus specici diuersæ animalibus fit quoddam tertium, vtranque naturam participans, nec vsque modo visa est creatura, quę Angelicam simul, & humanam naturam retulerit. Si non generarent, ergo frustrarentur ab opere, id quod Angelis minus est conueniens. Quòd si dicas, voluptatis tantum gratia eos lasciuire, id quoque minus decet, cum isthęc voluptas sit bestiarum propria, ab omni cœlesti spiritu aliena prorsus.

Ex aduerso celebris est Genesis auctoritas cap. 6. quę forsit ingenia Theologorum: verba sunt hęc. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filios procreassent, viderunt filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Quo loco pro filijs Dei, videntur intelligi Angeli. Nonnulli veluti Philo lib. de Gigant. Lactantius Firmianus, Tertullianus, & alij putant, Angelos realiter adamasse mulieres, & illis incubuisse, assumpto corpore ficto, & aereo.

In tanta ingeniorum varietate, & opinionum diuersitate, quid erit ergo pro veritate asserendum? Porrò affirmandum est, Dæmones sub vtriusque sexus figura hominibus misceri, quos Incubos, & Succubos vocant. Incubi, qui viri partes efficiunt: Succubos, qui mulieris munera obeunt; vnde ferunt, Apollonium Tyanæum magię peritissimum sæpè lamias deprehendisse, & prodidisse; Dæmones videlicet quosdam salaces, Venereosque, qui formosas puellas simulent, pelliciantque formosos, quos, vt serpens elephantem ore, sic ille illos ore, vulua pariter exugant, ac prorsus exhauriant. Celebris est inter alias historia, tum ab aliis, tum à Boisardo lib. de Diuinat. & magicis prestigijs relata in vita eiusdem Apollonij his verbis: *Eo tempore Menippus quidam adolescens forma singulari à lamia, siue empusa phantasmate amatus est. Solent enim Stryges illæ, seu Genij mali amore formosorum æstuare, & cum ijs impudico coitu copulari, & coinquinari, vt postea turpibus pollutionibus fœdatos illos pelliciant, & deuorent. Lamiæ hoc spectrum, formam puellæ assumenti, adolescentem in ædes sumptuosas, & supellectile pretiosissima ornatas conuiuio excepérat, omnibus edulijs delicatissimis instructo; eique iam nubere cum vellet, aduenientes Apollonius Dæmonis agnouit technas, adolescentique misertus exorcismo phantasma repulit, & omnem illum apparatum oculos spectantium fallentem in nihilum redegit, hocque modo miserum iuuenem ab imminenti periculo liberauit.* Ita quoque Marsil. Ficinus lib. de vita cœlitus comparanda sentit; & hęc sententia adeò communiter ab omnibus recepta est, vt verendum sit, sicut Martinus Delrio ait, ne pertinacię, & audaciæ sit ab ea discedere. Probatio autem huius axiomatis pendebit omninò à solutione illorum, quę in contrarium adducta sunt.

Quod ergo dicitur, Dæmonem expertem esse humoris seminalis, & vitalis caloris, ac proinde Venereos actus exercere non posse, vtique ex vi rationis adductæ non ibimus inficias; veruntamen non erit negandum, quin valeat loco feminis alterius cuiusdam humoris effundere portiunculam, ita dispositam, ita paratam, & spiritibus calefactam, vt scelestis mulieribus voluptatem afferre queat. Rursus negari etiam non poterit, quin possit astu excepto semine vti alieno; vel etenim colligere valet clam ex nocturnis pollutionibus, vel insensibiliter ex hominum spermaticis vasis exhaurire, eoque postmodum ad Venerem abuti. Quare vel vno, vel altero modo sagarum mulierum libidini præsto esse poterit, quarum nefaria turma ad eam vsque familiaritatem deuenit cum cacodæmone, vt minus detreatur illi succumbere; qui, vt illas petulcas mulierculas in sua fide seruet, sibique perpetuò tributarias efficiat, enixè studet, omnibus earum cupiditatibus fauere, plenèque satisfacere, illecebris, & blanditijs ijsdem adulari, quousque miseras de repentè infernis ignibus ad æternum supplicium occulat. Proh mentis cæcitatem, cordisque stultitiam!

I nunc, atq; animam fraudi committe dolosæ.

Hoc verò negotium ita contingere, aiunt: si mulier, qua cum habet commercium, velit grauida fieri (nam aiunt, illam interrogari à Dæmone, num velit concipere); si annuat, semen prolificum aliundè aucupatur; si renuat, aliquid calidum vice seminis infundit. Dicunt etiam, quòd si mulier perdita scit, Incubum suum esse Dæmonem, hic fictitium, ac frigidum semen infundit; sin minus deludit, fraudemque obtegere conatur. Verùm si Dæmon partes mulieris agit, non tanta opus habet fraude, sufficit enim, vt præstet quid simile vasi muliebri; Cęterùm vaser ille motus concinnat impuros, libidinemque vti

placet adaptat.

Dices, constatne aliqua certa historia, mulierem aliquâ ab Incubo Dæmone concepisse? respondeo, recenseri multas à Sprengero, & Binsfeldio: a Torquemada refertur nobilis quædam Virgo Hispana; & Molina prima parte quæst. 5. artic. primo nostris temporibus similem casum euenisse, testatur.

Insuper, ecquid putatis fuisse semideos, & Heroes illos, quos iactat vana vetustas, Hercules, Sarpedones, Æneas, & alios multos? Quid Merlinum illum, quem Anglia nouit? Verè quidem natos homines ex Dæmonis, & mulierum concubitu illos fuisse, verisimile est; qui quidem perfectiores, fortiores, callidiores omnibus fuerunt, quoniam à Dæmone congenerante excellentiores causæ congestæ fuerant; & quia semen idem valdè copiosum, summèque calidum, & spirituosum adhibuerat; quod facere Dæmon nullo labore potest: nouit enim vndequaque vires naturæ, callet secreta, tenet virtutes, quibus ad arbitrium, volente Deo, potitur. Quocirca causas rectè disponendo, & qualitates attemperando potuit aliquam temperamenti symmetriam, adeò dimensam, adeò consonam, atque etiam ad æqualitatem libratam effingere, vt ab illo oriundi perfectionem omnibus numeris exuberantem retulerint. Etenim à temperie corporis optima, & ex omni parte ad iustitiam dispositâ oritur vniuersi corporis conformitas, aptitudo, formositas, agilitas, venustas, robur, & lacertus; quinimò etiam ingenium, & prudentia; vnde Diuinus Hippocrates primo de dieta scriptum reliquit: quod cùm in corpore pars ignis humidissima, & aquæ siccissima æqualiter temperantur, prudentissimum quid nascitur. Rursus ab æqualitate temperamenti virtutes, benigni mores, Genius optimus, & animi rectitudo proficiscuntur; quoniam mores animi sequuntur corporis temperaturâ, vt Aristoteles, Galen. & vniuersim Phisiognomonici probate nituntur. Profectò iusto cuidam, & ad pondus dimenso temperamento, quale ope Dæmonis haud est impossibile, multi adeò tribuerunt (vtinam etiam non nimium Ioannes Huartes in examine ingeniorum) vt affirmarent, beneficio illius admiranda quædam opera patrari posse. Quapropter cùm huiusce modi temperaturam in illis Heroibus astruxisset Angelus nequam, cuius virtute heroicas actiones quotidie agebant vsque ad admirationem, vulgus ignarum illos non homines, sed Diuis fatos existimabat; nec nimis à veritate distabant; ad illorum namque generationem causa quædam supernaturalis concurrerat, vt iure de illis dici posset: *Non mortale sonant*. Hinc Ennius de Romulo dixerat.

O Romule, Romule die ò
Qualem te patriæ custodem Dij genuerunt;
Tu produxisti nos intra luminis oras;

O Pater, o Genitor, o sanguen Dijs oriundi.

Quod idem de Gigantibus dici posset, qui etiam de multorum sententia apud Molinam prima parte quæst. 50. art. ex Angelo, & muliere congeniti sunt; quoties cunque enim semen copiosissimum, crassissimum, atque spiritibus refertissimum infunditur, proles ab que dubio maxima, & Gigantea expectari potest: & hac ratione, ne quicquam insolutum relinquatur, exponitur ab Eusebio illud Genes. *Cum autem vidissent Angeli Dei filias hominum, quòd essent speciosæ, elegerunt sibi ex illis vxores, ex quibus procreati sunt famosissimi Gigantes à sæculo.* Quamuis D. Clemens, Diuus Cyprianus, D. Athanasius, D. Augustinus, & ali multi velint, nomine filiorum Dei in loco illo Geneseos non intelligi Angelos, vel Dæmones, sed homines natos ex sancta stirpe Sethi nomine autè filiarum hominum intelligi mulieres, quæ erant de semine Caini; & non desunt, qui dicant, nomine filiorum Dei intelligendos esse filios Iudicum.

Sed, vt lector post tot serias, ac pias doctissimorum virorum opiniones, aliam percipiat vndequaque ridiculam, stolidam, & vanam ad aurium tantum oblectamentum, registrabo Masulmannorum Sacerdotum ex Alcorano figmentum. dicunt enim Angelos *Babylone in puteo profundissimo vinctos detineri; propterea quòd cum occurrissent mulieri, pulchritudine singulari præditæ, eius amore capti sunt: Mulier Angelorum amplexus admittere prius noluit, donec doceretur, quibus modis illi in Cœlum ascenderent, & in terras descenderent: illi ardore impotenti efluantes, verba quædam illam docuerunt, quibus pronunciatis, statim in Cœlum sublata est. Deus admiratus mortalem hominem ante obitum in Cœlum penetrasse, mulierem interrogauit, qua ratione id contigisset; illa rem totam ordine retexuit, & indicauit: quare Deus offensus Angelos accersuit, optionemque dedit, vt vel mundo superstite punirentur; vel post mundi consumationem supplicijs æternis afficerentur. Illi temporales pœnas elegerunt finem habituras in fine sæculi. Quare vinculis ferreis alligati, & palpebris oculorum suspensi in puteo profundissimo, frigidissimo, & obscuritate horrenda metuendo gemunt, & plangent quandiu mundus durabit, sed iudicio extremo, quod per Christum fiet liberati, tandem prioribus honoribus, & dignitatibus restituentur.* Ita inseris aliquando fas est, cum puellis ludere.

CAPVT III.

Ponitur solutio aliorum argumentorum, & conclusionis exodium.

GRAVDOLENTIS impostoris quando demum finem imposueris inique tenebrarum spiritus? Quando miseris mortalibus insidiari cacodæmon desistes? quandiù laruis, & commentitijs formis hominum credulo generi apparere Asmodee placet? Heu sæpè custos Erebi, vt incautum hominem facilius decipiat, humanam induit formam, qua ratione sæpè sub specie viri mulieribus occurrens, illas ad libidinem excitauit, & vi compressit etiam. Narrant enim Historiæ, mulieribus aliquando dormientibus, & alto sopore correptis, vim tantam intulisse, vt resistere nullo pacto potuerint, & inuitę pellaci adultero succumbere, fuerint coactæ. Quid enim Fauni illi, & Syluani, & Satyri, & Panes, quos deuota Roma pro Dijs colebat? non ne ex probabili multorum sententia Dæmones erant humano inuolucro personati, impurę libidini obtemperantes? Quid Priapus ille, cuius effigiem erecta mentula exprimebant, nisi turpidus Dæmon lasciuiæ, & Veneri fœdè inseruiens? Confirmat hoc D. Augustinus lib. de Ciuitate Dei 15. cap. 23. dum ait: *Creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse, affirmant, Syluanos, Panes, & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos sæpè extitisse mulieribus, & earum appetisse, ac peregisse concubitum, & quosdam Dæmones, quos Druidas Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare, & efficere, plures, talesque asseuerant, vt hoc negare, impudentia videatur.* Quod vt melius innotescat, alia etiam in contrarium adducta superius argumenta soluenda erunt.

Ad secundum itaque argumentum dicam, valde controuersum esse, an Angeli habeant corpus, necne; suntque auctoritates multę, quibus habere suadetur; vna est illa Caietani relata superius; altera est Lactantij certè maxima, qua vno eodemque tempore probatur, Angelos malos esse corporeos, & mulieribus interdum misceri; libro itaque secundo de diuina institutione c. 15. & refertur etiã Molina, loco nuper citato, sic habet. *Posi casum Diaboli de Cœlo missos fuisse Angelos bonos in custodiam hominum, illosque pulchritudine mulierum allectos, suasioneque Diaboli deceptos mulierum congressibus fuisse inquinatos, atque ita de Angelis Dei satellites Diaboli esse factos, detrusosque in infernum. Genuisse verò ex mulieribus neque Angelos, neque homines, sed quosdam, mediam quandam naturam habentes; hosque esse Dæmones, qui manent in terra, & qui vexant, ac decipiunt homines, in omnemque nequitiam eos perducere conantur.* Verùm hæc ad Theologos potius, quæ plenius quicunque desiderat, apud D. Tho. & Molin. citato loco requirat. Asero igitur, Dæmones omnino incorporeos, & à materia seiunctos, dum Veneris munia obituri sunt, cadauera assumere, eorumque aptis instrumentis illa eadem exercere; sæpe etiam aerea quædam corpora sibi efformare cum omnibus membris, ad actum illum impurum perpetrandum idoneis; quod adeò verum est, vt nulla egeat longiori probatione. Quare licet Dæmon molem corpoream, & pudenda per se non habeat; potest nihilominus illa sibi aliunde ascisscere, eo modo, quo dictum est, & ita solutum redditur secundum argumentum.

Cæterùm alia argumenta tunc probarent, quando ponerentur, Dæmones ex intrinseca virtute, & indito naturæ principio generare; at nos id non dicimus: solum enim ascitis partibus, & simulato corpore extrinsecè tantum coire putamus. Restat itaque, vt postremam difficultatem exoluamus, ad quam satis responsum erit, si dicatur primò ex multorum opinione, partus ex Dæmonis concubitu promanantes mediam quandam naturam inter Angelum, & hominem participare, atque hos Heroes illos esse, de quibus supra. Secundò dico illos omnes, qui ex Dæmonis congressu in lucem subeunt, nullo modo dici posse Dæmonis filios, sed illorum tantummodo, quorum semine vsus est Diabolus. Semen enim haudquaquam virtute Dæmonis, sed viri agit; vt ideò ab illo producitus dici debeat fœtus, tanquam à causa principali vniuoca, in cuius virtute semen operatur; non secus, ac semen lactucæ, exempli gratia in ipsius lactucæ virtute agit, ac germinat, non autem in virtute illius, qui illud in hortum iecit; ac proinde lactucæ frutex, qui denuò emergit, nequaquam viri serentis dici debet soboles, verùm ipsius lactucæ solùm, in cuius virtute semen pullulare fecit; id quod vi rationis educitur palàm; siquidem proles illius naturæ dici debet effectus, cui assimilatur: semper enim à simili simile procreatur; iam cùm fœtus, qui ex Dæmonis mixtione excipitur, non Dæmoni, sed homini assimiletur, filius hominis, non Dæmonis dici debet: Ex quo roboratur etiam opinio, quam supra statuimus de generatione animalium, quæ non præsente causa vniuoca ex putri deducuntur. Ecquid præterea existimatis esse, quod nefando hoc Dæmonum concubitu adeò interdum horrenda, & monstruosa producuntur, vt sæpius videre sit prolem aliam habentem cor-

nua, aliam referre capram, vel simiam, & id genus belluas luridas? Profectò nihil aliud hoc est, nisi quòd impurus Dæmon semen alicuius bruti excerpsit, quod cùm sanguine muliebri permixtum illius animalis, quoad potuit, exprompsit imaginem, non perfectam, sed adumbratam; obstitit enim semen mulieris, quod & ipsum humanam similitudinem delineare pro viribus conatum est; species verò ex dominio vnius, vel alterius prævalebit. Vide Mart. Delr. lib. 2. quæst. 15. Molin. prima par. quæst. 50. artic. citato.

Quæres, num dicendum sit, Dæmones incoeundo mulceri, aut aliquem voluptatis dulcorem haurire? Ratum habe, illos nunquam, vel tantillum delectationis experiri; & fagas mulieres, quæ succumbunt ijsdem, rarò sensum voluptatis degustare. Prima pars propositionis clara est: non enim explicari potest, qua ratione in illa materiali, & extrinseca seminis applicatione Dæmoni delectatio contingere possit; dixi materiali, & extrinseca affusione; quia non plus agit, aut demulcetur ille in iaculatione humani seminis, quàm delectetur agricola cerralia semina in fundos, & aruа iaciens; præterquamquòd miserrimus Dæmon, intimis excruciatus visceribus, omnis planè voluptatis est incapax. Secunda verò pars propositionis ex eo probatur; quia semen, quod Dæmones infundunt, actu frigidum est, vt à sagis multis mulieribus relatum esse, aiunt; vt proinde delectare nequeat; quin etiam ex earundem perditarum confessione auditum aliquando est, semen illud cacodæmonis non modo voluptatem vllam non afferre, sed horrorem potiùs, & perculsionem quandam. Quod sanè si verum est, quantò magis damnanda erit execranda illa sagarum progenies, quę nullius iucunditatis deducta illecebris, sed solummodo ex actu furinæ, ac diabolicæ voluntatis miscetur Dæmoni? At misceatur, si placet; propediem enim ab Incubis ipsis æterno supplicio cruciabuntur, & igne diro infanda expiabitur culpa.

Quæres demum, an Succubus Dæmon possit à viro concipere, & vtero gerere? Difficile admodum, ac planè impossibile crediderim; pluribus enim opus esset; nam qua ratione intra vterum non verum, & inanimatum nutriri valeat fœtus? quo sanguine? quibus spiritibus? cùm hęc proueniant ab intrinseco vitali principio, cuius ipse Dæmon expers est? Ægyptij id negarunt omnino, licet Greci nequaquam eant inficias; sed aiunt plures viros à Dijs adamatos esse, vt Hyacinthum, Hyppolitum, & alios ab Apolline: Cyparissum à Siluano, Adonidem à Venere, Endimionem à Luna, ab Aurora Tithonem, & alios ab alijs; quod misticè nihil aliud est, quàm Dæmones iuuenibus illis succubuisse. Ex his omnibus elici potest responsio ad Platonis auctoritates, in quibus maius semper reconditur mysterium, quàm verba sonent. At pro corollide non prætereundum, deliros quosdam Rabinos tradidisse, incubos ex semine Adam procreatos fuisse centum illis, ac triginta annis, quibus ab vxore abstinuit, postquàm Cain impius fratrem interemit. Rideas Hebręorum stolidam vanitatem, perditęque gentis ineptias derideas lector.

CAPVT IV.

An potuisset Natura alia ratione, quàm per Veneris congressum, generationem hominum administrare; & an sponte, siue ex patri ijdem, aliaq. perfecta animalia oriri valeant.

NATVRAM, cuius opera non modo laudibus, sed sunt Hymnis maiora, vt 7. de vsu partium, Galenus ait, duci ab Intelligentia non errante, dicebat magnus ille Philosophus; ac proinde nihil frustra facere, non deficere in necessarijs, nec diminutam, aut superfluam in rebus esse, credendum vtique est. Iam verò cùm statuerim superius, finem humani coitus esse hominis generationem; posset quis meritò dubitare, num potuisset natura, expeditiori alia via moliri huiusmodi generationem. Enimuerò si, vt quidam naturæ studiosus arbitratus est, homines vti arbores, & frutices in agris germinare possent, fruſtrà condita esset mulier, adiutorium simile sibi: nam minori admodum labore, cura, molestia, & sumptu fererentur in campis sub claro, tepidoque solis lampade, & rore Cœli. Hanc opinionem antiquiores etiam Philosophi quidam, quos redarguit Lactantius habuerunt. Terram enim folliculos quosdam veluti vteros, genitali semine turgidos concepisse, dixerunt, ijsque disruptis animalia, & hominem produxisse; quò illud Lucretij spectare videtur.

Crescebant vteri terræ radicibus apti.

Aut si homines, vt Chymicus quidam nimis credulus existimauit, possent causis quibusdam attemperatis, & ad humanam symmetriam compositis nutriri, & coalescere extra mulierem vterum (is fuit Paracelsus ille, tam ingeniosus, quàm impius, qui ex humano quidem semine, sed in ampulla vitrea coniecto, & aliquandiu sub equino fimo detento homunculum produci posse putauit, vel somnianit potius). Cui sanè stultissimæ opinioni non erubuit, suffragium ferre recutitus Amatus Lusitanus in centuriis, afferens testem Iulium Camillum; forte naturа

vc

Digitized by Google

vt superfina, ac dispendiosa nimis insimulari posset, eò quòd turpem mulieris concubitum tanto maiori detrimento commenta fuissent. At verò quam ridicula sint hæc, iudicet vel is, qui nunquam Philosophiæ limina calcauit, aut musarum pulsauit fores: redolent enim omnino Poetarum fabellas, cuiusmodi in primis est, quæ de Pirrha, & Deucalione legitur apud Ouid. primo metamorphos. ij enim, vt aiunt, post diluuium humanum genus, quod perierat reparaturi, lapides à tergo iecere, qui mox in homines abiere. vndè Ouidius.

Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt,
Et iussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa, quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?
Ponere duritiem cœpere, suumque rigorem,
Mollirique mora, mollitaq. ducere formam:
Mox vbi creuerunt, naturaque mitior illis
Contigit vt quædam, sic non manifesta videri
Forma potest hominis, sed vti de marmore cœpta
Non exacta satis, rudibusq; simillima signis,
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit versa est in corporis vsum:
Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa,
Quæ modo vena fuit, sub eodem nomine mansit,
Inque breui spatio superorum numine saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum,
Et de fœmineo reparata est fœmina iactu.
Indegenus durum sumus, experiensque laborum.

Lucianus primo verarum historiarum non sine lectoris cachinno narrat, in regione illa lunari, hominum genus reperiri, qui dicuntur arborei, hosque nasci ex testiculo præciso, & humi plantantium more defosso.

Has igitur fabulas, quæ supra dicebamus, redolent, & meræ sunt nugæ, variaque Chymicorum commenta, qui ea, qua sunt phantasia corrupta, fieri posse, persuadent sibi, quæcunque noctu imaginantur. Quid enim? numquid fuisset honestum, hominem, Dei anulum, rationalem creaturam, diuino simile Archetypo, humi nasci, tanquam imperfectissimum fruticem? Decens ne fuisset, intellectiuam animam, cœlestem spiritum, purissimam auram in duram, & sordidam terram infundi? & ex ea animatum corpusculum in cœno nutriri, stercore foueri, ac putrilagine augeri? Quòd si homo è sanguine coalescit: sanguis autem non nisi in habentibus principium vitæ sensitiuæ reperitur; quonam pacto potuisset coagulari à terra, non modo vitalis exorte principii, sed omnium & mixtorum, & elementorum impurissima, frigidissima, imperfectissima? Scio, fuisse Ægyptiorum placitum, visibilis Solis agente vi animalia cuncta ex terræ visceribus emanasse primitùs. Cui opinioni subscripsere & Anaxagoras, & Archelaus cognomento Physicus, vt refert Rhodiginus. At mirum est, Anicennam, virum alioquin exculti ingenij, & iudicij præditi, opere, quod de diluuijs egit, minus erubuisse asserere, post immensas terrarum inundationes, humano semine nullo, cadaueribus tabidis tantùm, seminij vbertatem præstante Cœlestium corporum affluentia, hominem reparari potuisse, ac de facto reparatum fuisse; ac proinde ad generationis necessitatem haudquaquam vuluam requiri, sed ad meliorem formationem. Id quod Cardanum recipere non puduit; vt inde is meritò à Iulio Scaligero impij nomine malè audiat. Deridet Auerroes hanc Anicennæ opinionem, illamque pluribus destruit 8. Physic vbi ait. *Hominem ex terra generari, possibile arbitratur Auicenna. Cæterum absurdius hac infausta, & veritatis nescia censeri debet, nisi Mosaico intellecta sensu.* Sed vtinam eidem censuræ non subiaceret in hoc nostro sæculo Andreas Cesalpinus, vir alioquin solidè doctrinæ; is enim quinto quæstionum Peripateticarum quæst. prima ex Aristotelis mente cuncta animalia, quæ ex semine proficiscuntur, eadem, atque etiam hominem ex putri materia oriri posse, existimauit; ideoque vulgatam illam Philosophi sententiam, *Sol, & homo generant hominem*, disiunctiuè accipiendam esse, tradit; ita vt, & homo per se, & sol per se hominem generare valeat. Nititur insuper suam fulcire sententiam ductilibus quibusdam auctoritatibus, nec non etiam rationibus, quarum potissima videtur illa; quòd cùm species sint æternæ, non possint pendere ab eo, quod modò est, modò non est, nempè ab indiuiduis: quandoquidem, vt ille ait, contingere posset, vt omnes in omni regione canes corumperentur, vel morbo, vel interneccione facta ab hominibus; quamobrem omnibus extinctis canibus species canina periret, nisi eorum generatio reparari posset ab agente æquiuoco, nempe sole.

Non est mihi profectò consilium, hanc opinionem, vt falsam, & parum philosophicam pluribus destruere; at quantùm facit ad meum institutum, non possum in primis non subsannare auctorem, eò, quòd putarit axioma illud: *Sol, & homo generant hominem*, in sensu diuiso capiendum esse; nam eorum, quæ in aliqua causalitate subordinantur ad inuicem, non potest vnum absque altero effectum producere: non enim materia per se, aut forma sola efficere valet compositum, cùm sint ambæ simul ordinatæ ad illud producendum; sicuti cùm dicit Aristotel. in lib. de Generat. Animal. quòd principia generationis sunt mas, & fœmina, non intelligit, quòd solus mas, aut sola fœmina per se prolem producere

valeat; ergo cùm homo, vt causa particularis vniuoca, & sol vt causa æquiuoca vniuersalis ordinentur à natura ad hominis generationem, non poterit vna absque altera illum producere; quamobrem sicuti nequit homo absque Solis concursu hominem producere; nam Cœli motu cessante, & solis in primis influxu, naturales sublunarium corporum actiones, & maximè generationes cessarent, vt cum D. Thoma vniuersa censet Philosophantium Academia; ita etiam nequit & ipse Sol hominem generare, nisi mediante virtute genetrice, quæ ipsi homini, eiusque semini inest. Nullo igitur modo in sensu diuiso illa sententia veritatem habet; quod confirmari potest ex Platone in Theætheto, vbi per auream Homeri catenam 8. Iliadum relatam, nihil aliud significari existimat, nisi nexum inferioris huius mundi cum cœlesti, ac maximè cum Sole; si cui placeat verba illius audire, hæc sunt prorsus. *Nihil aliud per catenam quàm solem Homerus intelligit; quia quousque Solis circuitus perfuerat, omnia tam Deorum, quàm hominum sunt, atque seruantur. Si autem hoc quasi ligatum staret, confestim omnia dissoluerentur, euenireteq; quod dicitur, sursum deorsum omnia.*

Ad rationem autem illam de specierum æternitate, atque de vniuersali canicidio dico primò, quòd Aristoteles, qui mundum fecit æternum, æternas etiam debuit censere rerum species: atqui hoc ex veritate, orthodoxa fide confirmata, falsum est, suntque solùm species incorruptibiles, quatenus perpetua indiuiduorum successione conseruantur. Cæterùm perire posse aliquam speciem, quis dubitet? Si vnicus namque fœnix reperiretur, vt vulgò circumfertur, & ille interficeretur, vtique species illa cessaret, nec posset à Cœlo, nisi peculiari Dei concursu reparari; neque propterea orbis perfectioni derogaretur, aut naturæ vniuersali; quæ nimirum si vna species perit, aliam de nouo producere posset. Dico secundò, quòd canes in vniuerso orbe nequaquam omnes occidi possent: nam alij fuga, alij morsu, alij alio modo saluarentur; sed posito quòd necarentur omnes, non tamen canum species periret; siquidem supereſſent canes syluestres, lupi videlicet, vulpesque, in quibus ipsa species seruaretur; & addo insuper, tractu temporis syluestres hos canes cicures euasuros, & sic etiam restauraretur domesticorum canum cœtus: siquidem verò verius est, quòd sicuti syluestres plantæ cultura, & hortorum solo ciuiles euadunt, atque suaues, ita & pariter syluestria, efferaque animalia ciciuriunt tandem, ac domestica euadunt in ciuitatibus nutrita, nam vt vates.

Longa dies homini docuit parere leones.

Hoc vnum contra Cæsalpinum, & alios tandem reticere non possum. Si possunt homines, & perfecta animalia absque semine reproduci à Sole, & Cœlo, cur Deus plasmator omnipotens in diluuio illo vniuersali Arcam fabricari, voluit, in qua cuiusque speciei animalium mas, & fœmina seruarentur? Deus, & natura nihil frustra faciunt; igitur non erat opus tanto labore machinam illam immensam struere, vt caperet omnis generis animalia. Cuncta quippe animalia perire poterant, quoniam peracta illuuione Sol abundius reproducere potuisset omnia. Patet hoc à signo manifesto, quoniam ideo species insectorum, & vilium animalculorum in Arca non fuerunt repositæ, quia illæ poterant vi Solis abundè reproduci. Certè si vi Solis perfecta produci possent animalia, & homo ipse; aliquando producta fuissent illa, & hic. Sed quis vnquam vidit? Ignara vetustas Ogygem, & Inachum ex eorum numero fuisse, qui spontè è terra proruperunt; credidit fabulosè nimis. Quin Tagetem illum celeberrimum apud Hetruscos Aruspicem simili modo è gleba sponte natum, seueriores quoque Scriptores monumẽto dedere, inter quos ita Cicero, secundo de Diuinat. *Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repente, & eum affatus esse, qui arabat, &c.*

Quod pariter 15. Metamorphos. lepido carmine restatus est Ouidius:

Haud aliter stupuit, quàm cùm Tyrrhenus arator
Fatalem glebam medijs aspexit in aruis
Sponte sua primùm, nulloque agitante moueri
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis;
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem, casus aperire futuros.

Dices Auicennæ testimonio lib. de diluuio, vitulum aliquando in nubibus genitum cum imbribus decidisse. At, vel hoc est falsum, vel prodigiosè contigit, quia scilicet Dæmonum opera fuerit eò vitulus aliquis delatus, aut magna ventorum tempestate, seu ecnephia inter nubes absconditus, vt Conimbricenses in 2. de Cœl. cap 3. quæst. 6. artic. 2. arbitrantur. Quid opus est longiori verborum serie? Vix pauca illa viliſſima, & fœda animalcula, quæ fiunt ex putri materia, adduci plerique possunt, vt credant, absque coitu à causa putrefaciente, seu ab agente instrumentali æquiuoco progigni. Nec dicat quispiam, perfecta multa animalia post diluuium à Cœlesti virtute reproducta fuisse, siquidem in Insulis à continenti disiunctiſſimis, illa reperiuntur, quæ proculdubio neque propagari potuerunt ab ijs, quæ in ipsa mundi creatione producta fuere: illa enim, paucis exceptis, omnia cataclysmo perierunt; neque natando

po-

potuerunt eò peruenire ob immensam pelagi intercapedinem; neque tandem eò nauibus delata fuere, siquidè eorum immania sunt non pauca, vti Leones, Pardi, Lupi, Tygres. Etenim D. Augustin. 16. de Ciuitate hunc nodum ita extricat: *Bestiæ, quæ non sicuti ranæ nascuntur ex terra, sed sola commixtione maris, & fœminæ propagantur, credi possunt post diluuium ad Insulas natando transisse, sed proximas. Sunt autem quædam tam longè positæ à continentibus terris, vt ad eas nulla videatur natare potuisse bestiarum. Quòd si homines eas captas secum aduexerunt, & eo modo, vbi habitabant, eorum genera instituerunt, venandi studio fieri potuisse, incredibile non est, quamuis iussu Dei, siue permissu etiam, opera Angelorum negandum non sit, potuisse transferri.* Censendum igitur saniori iudicio erit, homines non potuisse aptiori aliqua ratione produci, quàm viri, mulieri sq. aphrodisiasmo.

A

B

CAPVT V.

An Vipera, Mustela, Cornix, pisces, & alia quæpiam ore concipiant, vt summi etiam auctores affirmare videntur.

C

QVI multi opinati sunt, fieri posse, conceptionem per os, qua ratione concipere cornices dixerunt nonnulli, itemque mustelas, quas etiam per os aiunt similiter parere. Id ipsum de piscibus vulgo creditum est semper: quare quinto de historia animalium capite quinto Zologus aiebat. *Piscium, qua parientium coitus minus patet: quamobrem complures fœminas proiiscum maris vorando impleri, crediderunt. Id enim fieri sæpius cernitur; nam tempore coitus fœminæ mares sequentes id faciunt, Ventremq; eorum suis percutiunt rostris, quò etiam fit, vt mares semen & celerius fundant, & largius.* Verùm quàm futilis, & ab omni veritate aliena hæc quoque sententia dicenda sit, facilè ab Aristotele possum addiscere, qui libro de generatione animalium 1. cap. 5. & 6. fortissimis rationibus ostendit, id nullo modo fieri posse, quarum illa principalior est, quòd videlicet omnis minima alteratio apta est corrúpere semen, & vim eiusdem prolificam impedire; modò si semen per os ingrederetur, consumeretur digestione, vel saltem plasticam facultatem deperderet. Nam talis est optimi seminis fragilissima natura, vt dicat Aristoteles in problemat. eos steriles esse, qui longum nimis penem obtinent, ex eo nimirùm, quòd semen per longum adeò meatum transcurrens spiritibus demadari, contingat. Quod si verum est, quid accidere putamus esset, si per os reciperetur? Adductæ instantiæ falsissimæ sunt; coturnices enim, & columbæ, licèt se rostris contrectent, ex hoc tamen non concipiunt, sed hoc est veluti suauiatio quædam, & præludium futuri congressus. Id ex Arist. audiendum est sexto de histor. animalium cap. 2. vbi sic. *Peculiare columbis illud etiam est, vt in coitu, nisi ante mutuo osculentur, mas non ascendat, sed iunior sit, an senior interest. Senior enim primum coitum osculo exorditur, sequentem & sine osculo agit. At iunior quoties libet coire, toties osculatur. Igitur hic ritus columbarum proprius est.* Quò pertinet illud Ouidij.

D

Oscula mox iunges, cupidas imitata columbas.

Mendacium similitèr est illud Anaxagoræ à vulgo receptum, quòd videlicet cornus ore coeat, quo forte consilio L. florus in Historia Valerij Coruini coruum saturam auem nunc upat; militant enim eædem rationes, cuius rei veritas vel Martiali detecta percrebuit; vnde bellè satis concinit.

Corue salutator quare fellator haberis?
In caput intrauit mentula nulla tuum.

Similis error, cùm circà pisces aliquot committeretur, coactus fuit Aristotel. 3. de generat. animal. cap. 5. falsitatem aperire, quare ait. *Facit enim celeritas pisciuum coitus, vt eius opinionis auctores decipiantur: tanta enim celeritate rem veneream peragunt, vt etiam piscatores complures lateant; nemo enim eorum aliquid tale cognitionis gratia obseruat. veruntamen coitus visus est.* Et paulò inferius. *Sed piscium abundantia celerrima est, Itaque cùm eam non cernant, captu, siue voratu feminis, & ouorum, quem exploratum habent, mouentur vel piscatores, vt fluitam illam, & vulgarem rationem de conceptione pisciuum afferant, quam & fabulator Herodotus scribit, quasi feminis deuoratu pisces impleantur, nec vident id fieri non posse; meatus enim, qui per os intrò tendit in ventriculum fertur, non in vuluam, quodque ventriculum subierit, alimentum id effici, necesse est.* Sed cùm in generatione quorundam animum eodem modo vetustas deciperetur, hunc errorem quoque Aristoteles reuelare voluit, inde 6. cap. præfati lib. subiungit. *Similis error in generatione quoque animum cepit, sunt enim, qui coruos, & ibin ore coire, opinentur, inter quadrupedes mustelam ore parere; hæc enim & Anaxagoras, & alij quidam naturales auctores scribunt simpliciter valde, & inconsideratè.* Et infra. *Mustelam etiam modo cæterarum quadrupedum vuluam habere, verum est, ex qua quonam pacto fœtus ad os deueniat? sed quia mustela paruos admodum parit, vt cætera fidipedes, de quibus postea dicemus & sæpè catulos suos ore transfert, fecit, vt ita opinarentur.*

Si-

Simili modo explodenda est vetus, vtinam non recens etiam, opinio multorum asserentium, viperam ore coire; qua in re eorum ignorantiæ commenta est lepidam illam fabellam, qua dicunt, viperam fœminam, ore excipientem semen maris, tanta voluptate mulceri, vt furore percita maris caput, ore prehensum, laniet, obtruncet, ac tandem consortem necet; verùm naturali instinctu prolem inde conceptam, patris mortem vindicaturam ilia matris abrumpere, & vi prosilire foras; vnde etiam matris interitus. Id quod Symposius Poeta antiquissimus illo enigmate consignauit.

Non possum nasci, si non occidero matrem:
Occidi matrem, sed mi manet exitus idem
Id mea mors patitur, quod iã mea fecit origo.

Hanc fabulosã historiam, carminibus exaratam apud Aurelium Clementem, regiſtrare placet.

Scilicet exemplis vti; sic vipera, vt aiunt,
Dentibus emoritur fusa per viscera prolis,
Auctor morte sua, non sexu fertilis, aut de
Concubitu distenta vterum: sed quum caleti igni
Percita fœmineo, moriturum obscœna maritum
Ore sitit patulo, caput inserit ille trilingue
Coniugis in fauces, atque oscula feruidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta voluptatis vi saucia mordicus haustum
Frangit amatoris blãda inter fœdera guttur,
Infusasque bibit, charo pereunte, saliuas
His pater illecebris consumitur, ac genitricem
Clausa necat soboles; nam postquam semine adulta.
Incipiunt calidis corpuscula parua latebris
Serpere, motatque vterum vibrata ferire,
Æstuat interno feritatis crimine mater,
Carnificemque gemit damnati conscia sexus
Progeniem, septi rumpentem obstacula partus.
Nam quia nascendi nullus patet exitus, aluus,
Fœtibus in lucem nitentibus, excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit Grex ille dolorum,
Ingressum vitæ vix eluctatus, & ortum
Per scelus exculpens lambunt natale cadauer
Reptantes catuli, prolesque dum nascitur orba,
Haud experta diem, misera nisi posthuma matri.

Id multò ante Nicander in Theriacis expresserat, fabulosè tamen; Ideoque Iacobus Greuinus in lib. de venenis historiam vti commenti A tiam alto silentio præterijt. Et in hac opinione hallucinati sunt viri alicuius peritiæ; & in primis cum Herodoto præfato loco Plinius ille Polyhistor, multarumque rerum inuestigator, qui lib. 10. cap. 62. non erubuit rem hanc à veritate, & ratione longè discrepantem, vt veram, historiam recensere. Contrà quem, & alios ratio militat allata superius, Aristotelis auctoritas, nec non experientia ipsa, qua compertum est, viperam circumplexu coire, fœminam vulnam habere, parere, & catulos suos lambere superstitem; de qua re Baldus Angelus Abbatius plenè scribit lib. de admirabili vipere natura.

Dices fortè, non ne poterat prudentius natura operari, vt mulier absque viri mixtione pareret in se ipsa, eo modo, quo dixerunt aliqui thrum cum seipsum inire? Respondeo, haud potuisse, quia nemo agit in seipsum; quod significauit Aristoteles in lib. de animalibus, vbi ait, fœminam non generare per se, quia indiget principio motus, quod est mas. Nam sicut non potest fieri compositum absque materia, & forma; ita fieri nequit generatio absque mare, & fœmina; mas enim, vt formam, mulier vt materiam se habet: quod satis clarè idem didascalos Aristoteles docuit in ijsdem libris de generatione animalium, vbi sic ait. *Mas est principium motus in generatione, fœmina verò est sicut materia;* & ibidem clarius demonstraturus afferens maris, & fœminæ definitionem. *Mas*, inquit, *est illud, quod potest generare in alio. fœmina verò, quæ generat ab illo.* Quod verò dicitur de trocho, falsum omninò putandum est, nec posset explicari quomodo, quoue discrimine seipsum iniret; quod etiam vt absurdum, & irrationabile damnat, & confutat Aristotel. 3. ipso de generat. animal. cap. 6. ijs verbis. *Quinetiam de trocho, & hyæna stulte, magnoque errore narratur.*

Cæterùm de apum generatione, quam obijcere quis posset, quicquid sit, an videlicet absque coitu propagẽtur, necne, extant opiniones variæ, quas apud Arist. 5. de histor. Animal. cap. 21. quisq; legere potest; & nos ex professo infrà. Prudenter igitur, commodè, eleganter, & vndique basilicè natura parens hominum generationi per mixtionem genialem consulit; vt ideò concludendum sit cum Alexandro Aphrodisiensi, dicente in præfatione problematum. *Qui quærit, vtrum natura, & ratio prouida rebus oriendis, occidendisque consuluit, decernatque ordinem, motum, speciem, positum, colorem, cætera generis eiusdem, hic porrò criminis deterrimi reus est, grauissimisque pœnis obnoxius.*

CAPVT VI.

An verum sit, Perdices fœminas absque coitu maris concipere, vt videtur dixisse Aristoteles Zoographus: vbi etiam de ouis hypenemijs, atque murium incredibili fœcunditate.

FVgatis errorum tenebris, qui veritatem inficiebant, varijsque opinionibus reijectis de piscium, insectorum, auium, viperæ, & mustelæ generatione, par est, vt similiter examinemus, an sit veritati consonum, perdices impleri, seu concipere absque coitu maris, solo fere afflatu murmurátis auræ. Profectò id videtur ab Aristotele luculentis verbis, & apertis, vt aiunt, fidibus significatum 5. de Histor. animal. cap. 5. cuius hic est realis contextus. *Perdices, si aduersa maribus fleterint, ventusque indè afflet, vbi mares flant, concipiunt, & maritantur. Plerumque etiam voce marium vtero ingraue sciunt, sic fiunt, ac libidine turgent; volatu quoque supernè marium efficiem ideo potest, videlicet dum mas ipse in fœminam fœtificum spiritum demittit.* Et lib. 6. cap. 2. eandem sententiam hisce verbis repetit: *Nam*, inquit, *si contrà mare fleterit fœmina, aurà ab eo flante fit pregnans.* Possibilem hunc euentum suadere possent aliorum animalium immaritatæ conceptiones; nam ex piscibus, quæ dicuntur channæ, & rubelliones communiter multiplicari creduntur, nulla vi genitali extrinsecus transfusa, sed plantarum more ex se se propaginem ferentes, quod lib. de generat. animal. Aristoteles quodammodo annuere videtur ijs verbis. *Si quod autem genus est, quod fœmina sit, & marem distinctum non habeat, id ex se ipso animal generare potest. quod et si non dum fide digna exploratum habemus: tamen facit, vt in genere piscium dubitetur; eorum enim, quos rubros, siue rubelliones vocant, mas nullus adhuc visus est, sed fœminæ omnes fetu plenæ reperiuntur. Verum de his non dum compertum habemus, quod fidem faciat satis: quod autem nec mas, neque fœmina sit, in genere quoque piscium est, vt anguillæ, & genus mugilum quoddam in fluuijs lutulentis. At verò in quibus sexus maris, & fœminæ distinctus habetur, fieri non potest, vt fœmina ipsa per se generet perfectè &c.* Opinionem cõfirmat Theophilactus Simocata referente Ioannem Eusebio Norimbergio e societate Iesu in lib. 6. suæ naturalis historiæ maximæ peregrinæ historiæ, vbi hæc registrata legimus. *Multa inter aues genera non opus habent masculorum copulatione ad conceptionem, sed alia quidem, quæ ventosa sunt, non pariunt; vultures autem, vt sine marium coniunctione pariant, naturæ ferunt leges. Vulturem itaque videre non est masculum, sed omnem sexum ijs intercluisit natura fœminæ; quod cùm sciant vultures, orbitatem veritiliberorum, in conceptionem omne genus incumbit &c.* & his Ælianus quoque subscribit. Hinc ex Cyrilli Alexandrini Iambis apud Guglielmum Sirletum.

Quis vultures educit absque femine
Partu, marito non subacta fœmina?

Verùm enimverò si quis verborum Aristotelis vim attentè speculetur, ac pondus, inueniet proculdubio, eius verba diuersam admodum continere sententiam. Pro cuius veritatis intelligentia, duo maximè supponenda sunt. Primum quidem, quòd perdices, auium sunt calidissimæ, nec non feruido libidinis humore æstiuis temporibus affluenter turgent; id quod Aristoteles ipse 9. de hist. animal. cap. 8. clarissimis verbis insinuauit, quæ illa sunt prorsus. *Sed cum diffugerit fœmina, vt incubet, mares tumultuant, clamitant, pugnamque inter se conserunt, quos cœlibes vocant; qui autem victus in pugna fuerit, sequitur victoris venerem patiens; nec ab alio, nisi a suo victore subigitur.* Vide caput ipsum 8. vbi plura. Mox inferùs addit hæc. *Sæpè & fœmina incubans exurgit, cùm marem fœminæ venatrici attendere senserit, occurrensque seipsam præbet libidini maris, vt satiatus negligat venatricem; vsqueadeò tum perdices, tum etiam coturnices copia libidinis gaudent, vt in cucupantes corruant, & sæpenumerò capitibus eorum resident.* Addè ex Clearco, vt refert Athenæus Dipnosophistarum 9. *Manifestius autem quæ sit harum auium libido, cognoscitur, si illis è regione speculum apposueris; namque ob simulacrum illuc accedentes capiuntur, semenque emittunt.* Secundò supponendum est, vim genitalem, seu λόγον σπερματικὸν, vt alibi probatur, consistere in spiritibus seminis; humoremque illum viscidum, & lentum esse potius vehiculum, & spolium quoddam, licèt & ipsum generationi aliquo modo conferens. His positis, si quis exactè Aristotelis verba ruminabitur, ea nihil aliud continere, sentiet, quàm quòd interdum accidat, vt perdices concipiant absq; proximo maris congressu, seu contactu, & incubatu; excipiendo videlicet spiritus genitales protinus emicantes à mare. Examinemus, si placet, singula Aristotelicæ orationis verba. *Opus est, vt perdices aduersa maribus flent. (aduersa)* quoniam sic locatum est à natura vas genitale ipsarum perdicum, per quod spirituum afflatum recipere habent; nequicquam enim proficerent, si auersæ starent, vel si ore tantum spiritus haurirent; quare inguen totum vergere debent, vt in genitalem sinum attrahant spiritus fœcundantes. *(maribus)* vt significetur, eorum præsentiam apprimè necessariam esse; alioquin haudquaquam futurum fore, vt impleantur; defice-

ret enim principium motus, ex cuius defectu generatio nulla haberi potest. (*Ventusque afflet ab illa parte, vbi mares consistunt.*) Ex quo indicatur, opus esse Zephiro quodã tepido, ac benigno, qui spiritus emicantes à mare deducat ad fœminæ ipsius genitale cõceptaculum. Cùm enim intercedat aliqua loci intercapedo, frustrà masculus prolificos spiritus suppeditaret, nisi insuper esset, qui applicaret eosdẽ; siquidẽ ad quamlibet actionã requiritur approximatio, vt conditio sine qua non. Quod si fortè ventus cõtraria parte afflaret, frustrà extruderentur à mare halitus seminales, frustrà suum vas pararet fœmina. (*Plerumque etiam voce marium ingraueſcunt vtero*) quoniam scilicet audita voce maris incenduntur, & venerem gestientes explere, aptantur, præparanturque ad calorem ipsius maris. (*Sigeſſiunt ac libidine turgent*) quo denotatur, non semper fœminas voce marium fœcundari, sed tantummodo cùm libidinis humore feruescentes promunt vndique, atque eminus efflant spiritus geniales, auraſque Venereas; verba enim ista ad mares potius, quàm ad feminas referenda esse arbitror; licet vtrisque competere valeant. Cætera verba maiori explicatione non egent, quoniam ex se apertissima sunt, & conspicuè sonant. Multò plura ad hæc facientia dicentur inferius, quibus veritas huius propositionis eluceſcet magis.

Sed quid dicendum erit de genere gallinaceo, quod nullo maris afflatu ouа illa, hypenemia dicta, & apud Platonem anemidia, hoc est subuentanea concipere potest, sola Fauonij ventilatione, ex quo etiam Zephiria nuncupantur? De quibus etiam Aristotel. lib. 6. de Hist. Animal. cap. 2. ita scripsit. *Sunt, qui hypenemia, hoc est subuentaneos illos partus, Zephiria nominent, eò quòd verno tempore aues flatus illos fœcundos ex Fauonio recipere videantur, sed idem faciunt etiam si digito in genitale palpentur.*

Sanè id ex eo contingit, quòd cùm ad perfectam generationem viuentium requiratur necessariò vtriusque seminis, maris, & fœminæ videlicet concursus; deficiente semine maris, illud fœminæ operatur, quod potest; at perfectum efformare nequit, vnde in gallinis gignuntur ouа quædam subuentanea, quæ sunt rudimenta solùm generationis, & quæ, vt ait Aristotel. 6. illo de Histor. Animal. citato capite: *Sunt sterilia, minora, ac minus iucundi saporis, & magis humida.* Et non nisi ex coitu maris reddi possunt fœcunda, si tamen non sint adhuc candida membrana inuoluta, & circumtecta, id quod Aristot. edocuit idem his verbis. *Redditur certè ouum subuentaneum illud fœcundum, & quod iam conceptum per coitum est, transit in genus diuersum, si prius coeat, quæ vel subuentaneum, vel semine maris diuersi conceptum fert, quàm ouum ipsum à lutea in candidam ambientem partem proficiat. Ita enim fit, vt subuentanea ouа fœcunda reddantur, & quæ incboata à mare priore sunt, specie posteriori prouenient. At si iam candidum acceperunt humorem, fieri non potest, vt vel subuentanea in fœcunda mutentur, vel quæ per coitum concepta gestantur, transeant in genus maris, qui secundus coiuerit.* Simili quodam modo euenire testatur idem Aristotel. in mulieribus, quæ molam concipiunt; identidem enim ex solo muliebri semine illa coaleſcit: hinc dicebat ille. *Ita enim fortasse effectis mulieribus, si non ex vtrisque commixtum semen, sed ex altero tantùm tanquam subuentaneum fuerit admissum, quæ vocatur mola existit.* Quòd licet hæc sententia à plerisque minus recipiatur, mihi tamen non displiceat, & in hoc, quantùm ad rem præsentem attinet, Auicennæ adhærere placet, qui 10. de animalibus 21. tertij tractatus 2. capite 21. hanc opinionem exarauit, nec modò magnifacio paululum ab Hippocratis, & Galeni doctrina recedere; Verùm hæc fusius in Nipianthropeia.

Dices: Aristoteles libris ipsis de histor. animal. in fine 6. ait, mures sale absque coitu impleri; quin ibidem rem longè mirabiliorem habet, aliquando scilicet, mure fœmina reseciſa, inuentos fuisse intra eius vterũ fœtus fœmininos prægnantes: hæc sunt eius verba. *Terræ Persicæ parte quadam, mure fœmina reseciſa, fœtus fœminini prægnantes comperiuntur*; quibus verbis annuitur, non id aliquando fortuitò accidisse, verùm quotieſcunque mus fœmina pregnans aperitur; ergo absque commixtione Venerea fieri potest generatio. Respondeo, Aristotelem id solummodo referre ex aliorum dictis, non autem proprio marte asserere, vt ex verbis ipsius attentè consideratis facilè colligi potest. Crediderim sanè, salem murium fœcunditatem coadiuuare eo modo, quo fœcundari solent oues, & in Venerem reddi procliuiores ex vsu salsitorum. Quare Aristotel. 6. de Histor. Animal. cap. 19. loquens de ouibus scriptum reliquit. *Quæ aquam salsiusculam bibunt, maturius coeunt.* Nequaquam autem adduci potero, vt credam, mures solo sale, nullo consortio concipere. Illud verò de prægnantibus intra vterum musculis aut portentosum, aut fabulosum censendum. Qui enim fieri potest, vt fœtus in vtero, vbi nullas proprias edit actiones concipere valeat? quo semine? non ne vis genitiua in ipsis perfectis animantibus deest, aut silet in infantia? Nonne Generationis organa, vt pote vterus, ac testes ante pubertatem otiosa, atque inepta existunt? Si nullum penè vitæ munus præter nutritionem embryon intrà vterum exercet, quomodo poterit conceptionis officium præstare omnibus præclarius, ad quod cæteræ omnes facultates concurrere necessariò debent? si ante statum tempus vel perfectissima animalium genera neque concipiunt, neque coeunt, qua ratione mures fœminæ omnium ferè imperfectissimæ, & quasi dixerim peripsema-

Digitized by Google

pſemata, antequam viuant ipſæ, vitam alijs dabunt? Nollem profecto, Ariſtotelem eam retuliſſe hiſtoriam, nimis aphiloſopham, tantoque indignam naturæ ſymmiſta.

Verùm quid rurſus ad illud Agrippæ dicendum erit? is enim aſſerit, quòd felis, ſiue catus adeò gaudet nepeta herba, quæ ſpecies calaminthe eſt apud Dioſcoridem, vt ad eius affricationem concipiat, & defectum maſculi ſuppleat? Et hoc etiam vanum, & prorſus fictitium autumo; nam quòd huiuſmodi olere gaudeat felis, & ſit illi arcanâ quadam ſympathiâ conſimile, fieri vtique poteſt; ſed quod ex illa concipiat quis poteſt hoc certa ſcientia edicere? Cùm præſertim teſte Gal. de ſimpl. medicam. facultate hæc ipſa herba, ſeu pota, ſeu admota conceptum interimat, & eijciat. Omninò igitur aſſeuerandum eſt, hominum generationem, ſicuti, & cæterorum animantium perfectorum nonniſi per geniales conplexus, & prolifici ſeminis mixtionem patrari poſſe.

Quod ſi quæras quomodò ſpiritus illi, qui e mare poſiliunt, & perdicem fœminam impleri faciunt, ab aere, & ambiente extrinſeco non corrumpantur. Dico, id prouenire, tum ex ingenti, & forti ipſorum ſpiritnum caliditate, quæ ſeruari poteſt, & aliquandiu perdurare; tum etiam ex tempore æſtiuo, & placido, lenique Zephyri calore, quibus fragilis natura ſpirituum fouetur, ac diſſipari non permittitur. Præclarum vtique generationis modum hunc dixerim, omnibuſque mirabiliorem, quem non impurus contactus, non fœdatio ſeminis conſpurcat, ſed ſola ſpirituum exoſculatio, & genialium vaporum congreſſus honeſtiſſimè complet. Vtinam ſic omnis generatio perficeretur? Sed plura de his inferius.

CAPVT VII.

An veriſimile ſit, quaſdam equas, libidinis æſtro percitas abſque maſculo, ſolo vento, concipere.

GVARRO primo de re ruſtica conatus eſt pro vero affirmare in Luſitania apud Vlyſſiponam circa montem quendam equas eſſe, quæ Zephiri inſpiratu ſolùm, nullo accedente maſculino ſemine concipiant. Verba illius ſunt. *In fœtura res incredibilis eſt in Hiſpania, ſed eſt vera, quod in Luſitania ad occaſum in ea regione, vbi eſt oppidum Olyſipo monte Tago, quadam e vento certo tempore concipiunt aquæ, vt hic Gallinæ quoque ſolent, quarum oua ὑπήνεμια appellant, ſed ex his equi, qui nati ſunt pulli, non plus triennium viuunt.* Inde Silius quoque Italicus lib. 3. publicam ſecutus famam cecinit.

Hic adeò cùm ver placidum, flatuſque tepeſcit
Concubitus ſeruans tacitos grex præſtat equarum
&
Sed non multâ dies generi, properatque ſenectus,
Septimaque bis ſtabulis longiſſima ducitur ætas.

Inconiugatæ huius fœcunditatis argumentum adhuc ſumi poteſt ex rei euentu, nam Reſendius quidam (haud noui hunc virum) apud Io. Euſebium Nierembergium lib. primo de miraculoſis naturis in Europa ita narrat. *Sed quanquam de conceptu ex vento diſputandum à me negaui, referam tamen, quod inquirendæ rei gratia percunctanti mihi indicatum eſt. Diuerti ab hinc ſeptennium apud Colonum Agri Beneuentani Iuxta Tagum, & cùm ab illo quærerem, ecquid de huiuſmodi conceptu aut ſciret ipſe, aut ab alijs auditum meminiſſet, reſpondit, neque ſe, neque vicinos, qui equarias haberent de ea vnquam re fuiſſe ſollicitos, tantum vt equire fœminas animaduerterent, admitti eas curare; ſe tamen cùm pulcram equam haberet, cupereſque beni vendibilem in proximas nundinas efficere ante binnitum in inſula, quæ in medio Tago eſt, ſolum incluſiſſe, vt abundantia pabuli ſaginaretur. Poſt menſes duos reperiſſe grauidam, miratumque eo, quòd illuc nunquam acceſſiſſet admiſſarius, euentumque expectaſſe; ſeptem fere iam menſes cùm tuliſſet vterum, enixa non quidem animal, ſed concreti ſanguinis informen materiam, abortumque ſuſpicatum.*

Hactenus ille. Cuius etiam opinionis Ælianus lib. 4. de Hiſt. animalium mentionem facit: quin Iulius Solinus cap. 46. vbi de Cappadocia confirmat ijs verbis. *Edunt equæ ex ventis conceptos, ſed hi nunquam vltra triennium ævum viuunt.* Nec ipſe Virgilius eandem ſilentio præterijt; quin 3. Georg. pluribus exarauit ijs carminibus.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum,
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumpſere quadrigæ.
Illas ducit Amor trans Gargara, transque ſonantem
Aſcanium, ſuperant montes, & flumina tranant,
Continuòque auidis, vbi ſubdita flamma medullis
Vere magis, quia vere redit calor oſſibus, illa
Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtant rupibus altis,
Exceptantque leues auras, & ſæpe ſine vllis

Coniugijs, vento grauidæ (mirabile dictu)
Saxa per, & scopulos, & depressas conualles
Diffugiunt non Eure tuos, neque solis ad ortus
In Boream, Caurumque, aut vnde nigerrimus Auster
Nascitur, & pluuio contristat frigore Cœlum.
Hinc demum Hyppomanes &c. Hanc eandem sententiam edixerat multò ante Homerus, à quo fortasse mutuatus est ipse Maro; sic enim 20. Iliad. habet, loquens de Dardano.

Huius mille equæ paludem circa pastebantur,
Fœminæ pullis latæ teneris.
Has Boreas amauit pascentes,
Equo autem similis dormiuit nigros crines habenti,
Hæ autem grauidæ pepererunt duodecim pullos.

Hos pullos insuper addunt, fuisse velocissimi cursus, & volucres quasi æquare pernicibus pedibus. Id quod Homerus idem eodem loco haud prætermisit:

Hæ autem aliquando quidem saltabant in fertili agro;
Summitate in culmorum fructuum currebant, neque frangebant:
Hæ autem quando saltabant in lata dorsa maris,
Summitate in littoris maris albentis currebant.

Verùm hanc sententiam & falsam, & poeticam potius existimo, Philosophorum auribus nimium dissonam. Compertum enim apud omnes est, quemlibet conceptum non nisi maris in primis, & fœminæ seminibus coalescere. Porrò si incorruptæ veritatis est illud axioma apud Philosophos; naturam non multiplicare entia sine necessitate, quomodo id constare poterit, si equa, nullo congrediente mare, concipere potest? Nempè facilius multò, & expeditius erat hiulca ora Pauonio, Eurisque placidis admouere spirantibus, quàm equo succumbere; potuissent enim sæpius, & ad libitum à Zephiris grauidæ fieri: quorsum ergo mares equi à natura efficti sunt? Cur distinctio sexus? Nec potest aliquis explicare, qua ratione ventus vim prolificam obtinere valeat, & cur potius in equabus, quàm in cæteris animantium fœminis hanc virtutem imprimere valeat. Vtique non est maior ratio, cur Ceruæ, Asinæ, & Vaccæ eodem libidinis furore turgentes afflatu Boreæ pariter concipere non debeant; quòd si oua hypenemia, de quibus superiori capite locuti sumus, Zephiro spirante concepta ad generationem ineptissima sunt, nisi masculino semine respergantur. Quomodo equæ non ouiparæ, sed viuiparæ, necnon de genere perfectorum; (generosum enim equorum genus) poterunt concipere pullum, vndequaque perfectum nullo communicante mare? Dato etiam, quòd proprio pollutę semine ob motum concitatiorem, & libidinis feruescentiam rudimentum quoddam informis conceptus in vtero inchoarent, quæ ratione perfici absque masculini seminis virtute id vnquam posset? Enimuerò istheç masculini seminis necessitas absque quò aliunde deducatur, apparet in ouis subuentaneis (Græcis αὐτόματα dicuntur) quę sicut ex se inutilia sunt ad pullos educendos, ita semine respersa, absque gallinę alia incubatione, & virtute prolifica aptissima redduntur ad generationem, sicuti Cardanus, & Ioan. Baptista à Porta in Magia naturali testantur, ac modum edocent. Id quod nec ipse Aristot. intactum reliquit: citato enim supra loco de Historia Animalium sic habet. *Incubitu auium fœtum excludi, naturæ ratio est, non tamen ita solùm oua aperiuntur, sed etiam sponte in terra, vt in Aegypto obruta simo pulliciem procreant; & Syracusijs potator quidam, ouis sub floria in terra positis, tandiu potabat, donec oua ederent fœtum, &c.*

Ælianus, qui huiusce futilis opinionis auctorem Aristotelem fecit, proculdubio toto errat Cœlo, & Aristotelis verba vel non intellexit, vel in diuersum sensum deducere conatus est. Hic enim sexto illo de Historia Animalium cap. 18. hęc prorsus habet. *Incenduntur libidine ex fœminis equæ potissimum, mox vaccæ; equæ itaque equiunt, vnde vocabulum id ab hoc vno animali maledicto trahitur in mulieres libidinosas, necnon euentari per id tempus equæ dicuntur, quapropter in Creta Insula equos admissarios minimè à fœminis semouendos censent. Cùm verò ita affectæ fuerint, currunt relictæ societate. Simile vitium est, quod subare in suibus dicitur. Currunt non Orientem, aut Occidentem versus, sed ex aduerso Aquilonis, aut Austri, nec appropinquare quendam patiuntur, donec vel defatigatæ defistant, vel ad marem deueniant; tunc aliquid emittunt, &c.* Iam quis adeò incapax est rationis, qui si rectè verba Aristotelis perpenderit, non intelligat; eum solùm velle, equas libidine motas, non verè concipere; sed euentari, hoc est flatibus quibusdam impleri? Vi huius verbi considerata (euentari); Perpendatur etiam id, quod subiungit; nempè, non desistere equas, donec vel defatigatę sint, vel ad marem deueniant. Igitur non à vento, sed à superueniente mare concipiunt. Sed cur ad Boream aperto ore cursitant equę? vt libidinis nimirum ardorem quodammodo diffłet, ac refrigerent; atque adeò solatium aliquod æstro, & furori inueniant, qui earum viscera exurit. Atque hac eadem ratione reijciendus est idem Ælianus, qui de vulturibus similem pro-

Digitized by Google

protulit opinionem, ait enim, quòd, cùm in ea specie omnes sint fœminæ, ne pereat species, adueriæ austro volant, vel si auster non spiret, ad eurum ventum oris hiatu se pandunt, & sic spiritus venti influens ipsas implet. Profectò sunt hæc ridicula, nec adeò in multis verax est Ælianus, quin in quibusdam quoquè sit mendax. At philosopho indignum est, ea pro veris astruere, quæ naturæ ipsi palam repugnent. Legitur in vita Æsopi quòd cùm Nectenabo Ægiptiorum Rex illi dixisset, *Sunt mihi fœminæ hic equæ, quæ cùm audierint eos, qui in Babylone sunt, equos hinnientes, confestim concipiunt; si tibi ad hoc est doctrina, ostende.* Æsopus responsionem distulit in sequentem diem *Interim selem iubet pueris comprehendi, & captum publicè circumduci verberando. Ægyptij autem illud animal colentes, sic maltractari ipsum videntes concurrerunt, & selem e manu verberantium eripuerunt, ac rem renunciant celeriter Regi, qui vocato Æsopo, nesciebas, inquit, Æsope, tanquam Deum à nobis coli selem? quare igitur hoc fecisti? & ille: Lycerum (Babylonis hic rex erat) Regem iniuria afficit, o Rex, præterita nocte hic felis: gallum enim eius occidit pugnacem, & generosum, præterea & horas ei noctis nunciantem. Et Rex, non pudet te mentiri, Æsope? quonam modo vna nocte felis ab Ægipto tuit in Babylonem; Tum ille subridendo, inquit, & quomodo, o rex, Babylone equi hinnientibus hic equæ fœmina concipiunt.* Sic ergo vanam opinionem delusit Æsopus. Sed quantò hunc magis illusurum credimus Ælianо, & aliis, qui nihil minus commentitiam vanam, & mythologicam veritiunt historiam exarare. Sit hoc parergon, o lector, in animi tui mulcebram adauctum.

CAPVT VI.

Posse etiam homines concipi spiritibus tantùm seminalibus à viro, & mulierem missis absq; vlla genituræ effusione, vt supradictum est de perdicibus.

MARINVS Leopardus Vissensis, vir profectò dignissimus fide, nec non de philosophia, ac medicina optimè meritus, cùm consultationis gratia ad nobilem ægrotantem conuenissemus, cœpit varia physiologica, & pathologica agitare problemata, vtique non vulgaria, sicuti non vulgare erat eius ingenium, atque inter alia multa, hæc retulit. Virum quendam sibi facie, & moribus notum in patrijs finibus consuevisse interdum œstro libidinis percitum geniali desiderio fauere, & obtemperare; cui tamen cùm indulgebat, ea mulcebatur, atque perfundebatur Veneris dulcedine, vt impotens voluptatis, sensibus ferè omnibus destitutus humi concideret; & quod erat magis admiratione dignum, seminis nihil effundebat. Cæterùm tanta voluptatis vi deuictum hunc hominem post vnam Venerem per mensem libidinis incitamentis, & carnis igniculis vacare consueuisse, subjunxit. Cùm autem, dicebat, bonus vir virginem, plenam nubilibus annis cõsanguineam domi haberet, cuius erat in domesticis vsus, hanc pro facinus, subagitauit, quod cùm fecisset sæpius: tandem illa concepit vtero. Tanti sceleris, vt retulit, percrebuit fama, peruenitque ad præsulis aures, vnde corruptor vinculis, & carceribus paulò post traditus fuit, qui tamen audacter negat, & fronte peruicaci asserit, se genituræ expertem esse, ac proinde nequaquã de se Virginem concepisse, verùm aliunde adhibuisse virum. Defectus autem seminis huiusmodi testes probatos affert, & insuper experientiam allaturum se, pollicetur.

Pro tanto euentu consulitur Medicorum Romanum Collegium, atque etiam Bononiense, & Mediolanense; quæ vnanimi conspiratu; & responsum, vti oraculum de cortina dedere: *fieri neutiquam potuisse, vt mulier conceperit à viro, qui nullam effundit genituram.* Vir ergo doctissimus meam in hoc sententiam dum requirit, opinionemque audire expectat, continuò effatus sum, hanc rem non esse temerè negandam, eiusque euentum naturalem esse potuisse; mox ita ratiocinatus sum.

Aristoteles in problematibus, & alibi passim delectationis causam in spiritus reijcit; hinc asserit, pueros absque vlla seminis fusione delectari aliquatenus posse, quia spiritibus non sunt denudati. *Voluptas*, inquit Aristoteles, *quæ per coitum sentitur; non solum semine exeunte accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur; quod patet tum in adolescentibus, qui non dum emittere queunt, propeque ætatem sunt &c.* Quare nil mirum, ipse aiebam, si vir ille, cùm esset aliquin optima corporis constitutione præditus, nec non habitu calidissimo, ac propterea multorum spirituum feracissimo, tantum voluptatis hauriret: quandoquidem ingens inerat ei prurientium spirituum copia, quorum acies, & feruor igneus à materia seminali non refrangebatur. Benè quidem, ille ait, arridens, sed quomodo ab hoc virago illa concipere potuit? Protinus responsionem his verbis prosecutus sum,

Virtus actiua seminis in spiritibus proculdubio cosistit, quibus natura tanquam efficacibus instrumentis in suis functionibus vtitur, eò quòd vniuersa naturæ opera efficiuntur calore, vt philosophi omnes palàm profitentur; quò fit, vt in semine duæ partes considerari debeant, materialis, & formalis, seu materia, & facultas; facul-

cultas quippe in ſpiritibus, æthereo calore præditis reſidet; materia eſt lentus ille humor & fluxile excrementum, quibus vtitur natura tantummodo tanquam vehiculo ad ſpiritum intrà vterũ deferendos; ſunt enim ſpiritus adeò fragiles, tenuiſque ſubſtantiæ, vt leui quapiam occaſione corrumpantur; cui defectui occurrens natura, forti quodam, ac tenaci inuolucro prouidit illis, quatenus ita obtecti ab extrinſecis defenderentur iniurijs, quouſque in vteri capacitatem illaberentur. Dixi tenaci quodam inuolucro, quoniam quotieſcunque ſeminis ipſius materia fluida n mis eſt, & aquoſa, ſpiritus inibi non ſeruantur, ſed læduntur potius; at obducti craſſo indumento ſeruantur diù. Hinc Ariſtoteles in lib. de Animal. aiebat ſæpe, ſemen optimum eſſe illud, quod craſſum, & denſum, ita vt ſundum aquæ petat. Iam verò pars hæc materialis ſeminis haud neceſſariò concurrit ad generationem, ſed ex probabili multorum ſententia; & potiſſimum Ariſtotelis de generatione Animal. vbi ſpiritus ad conceptus opificium diſtracti ſunt, excidit extra uterum, aut ſaltem ex Galeni arbitrio tanquam rudis materia cum ſanguine muliebri paritur, nil plus præſtans, quàm ſanguis ipſe. Si igitur ſpiritus intrà vterum tutò immitti poſſent ſine hac materia, generatio, nemini dubium, perfecta ſuccederet. Modò cùm in viro, de quo ſermo eſt, ſpiritus forent & caliditſimi, & copioſiſſimi, atque adeò non ita ad patiendum faciles, id quod manifeſtum ſit ex illa intenſiſſima ſenſuum voluptatis, & libidinis per longum ſpatium extinctione; non mirum, ſi abſque tali indumento, & vehiculo in vterum transfundi potuere, à quibus poſtmodum efficta eſt conceptio. Arriſit valde his rationibus Leopardus, quas perpetuæ veritatis eſſe affirmauit, dixitque, mecum multo ante conueniſſe in ſententia, atque adeò temerè negari euentum.

Hanc ſententiam, vt recentem, ingenioſam, pariterque doctam lubet pluribus proſequi, vt ſuis fulcita cùm rationibus, tum etiam authoritatibus libentius recipiatur.

Porrò cùm dicit Hippocrates in lib. de genitura, ſemen à toto corpore ſecerni, non intelligendum ita eſt, vt putemus, materiam ſeminis à toto, & ſingulis partibus deſtillare; nam præterquam quòd primo de generat. Animal. Ariſtot. pluribus rationibus confutat, ſequeretur inſuper ex Fernelio, vt vnico concubitu vniuerſum corpus in ſemen quaſi liquefactum diffunderetur. Verùm intelligi debet, quòd ſeminis facultas de toto corpore, ac ſingulis particulis decidat, ita vt ad fœtus procreationem hæc facultas primariò neceſſaria ſit, tanquam cauſa efficiens principalis; materia verò, ceu ſpolium quoddam habeat duntaxat vim patiendi. Quod cùm Fernelius eo, quo ſolet, ſcientiæ candore mirabiliter explicauerit, adeò vt vix luculentius dici valeat, ipſius verba ad vnguem regiſtranda opere pretium cenſeo. *Cæterum quæ in fœcundo ſemine facultas conſiſtit, ea eſt, quæ per ſe agit, omniſque motionis eſt principium: ſemini autem corpore, & materia vis ea tamquam inſtrumento vtitur, quemadmodum anima, vt apprehendat manum, & faber ſecurim adhibeat, vt ex ligno lectum arte conſtruat. vt igitur anima manum, hæc deinde materiam ex qua, quippiam efficit, mouet, ac impellit, ita in his animantibus, quæ ſemen profundunt, hoc quidem proximè mouet, & agit, ſed à propria quadam vi, & energia, quam gerit incitatum. In quibus ergò quippiam conſtitui ſolet ſecreto, profuſoque ſemine: (non enim omnia, vt dixi, emittunt) non id quidem tanquam efficiens primarium, & inſtitum generat, ſed id quod primum mouet. Virtus enim, quæ in ſeminis materia coercetur, vitam impertit, & partes conformat, ſumma illius facultas non ex mole, ſed ex viribus ſpectanda. Cùm itaque duo in ſemine comprehenſa teneantur, materia, & facultas; illa, quæ patiendi vim habet, non ab omnibus corporis partibus, à quibuſdam tamen neceſſariò ſecernitur; hæc verò, quæ prorſus eſt efficies, ab vnaquaque vel minima demigrat, quod nonnulli hac verborum interpretatione explicant; ſemen non mole, ſed viribus à toto deſtuere. Cæterum qua via, quaue ratione ex toto deceſſio fiat, vtquè ex duobus illis vnum ſemen conflet, aperiendum. Seminis craſſior materia cùm ſolidis partibus appoſita erat, ab eis generandi vim non conquærebat, ſed præparationem duntaxat, & patiendi conſtitutionem, ob quam facile poſſet in illarum ſubſtantiam conuerti; ea verò cùm ad teſtes rapitur vim ſuas etiam tum retinet, & præparationem habet, ex qua poterit aliquando in partium ſuæ naturæ materiam ſuffici, atque ſubſtitui. Seminis materia, quanquam vaſorum, tefliumque vi exquiſitè adeò coquatur, vt craſſior, albiorque euadat, nequaquam tamen ſemen inde abſolutam fœcunditatis naturam conſequi poteſt, niſi magna vbertate ſpiritus influant, eiquè materiæ penitus confundantur. Quandoquidem horum cauſa arteria ab aorta deductionem habens in teſtes, ſeminis vaſa comitata; ex quo intelligi poteſt, per ea vaſa materiam, per arterias verò formam, & facultatem ſemini conferri. Per has quidem ſpiritus vitalis, per venas naturalis à iecore, per neruos animalis à cerebro, & ſpinæ medullas illabitur in teſtes. A cæteris autem particulis, & ab vniuerſo corpore credibile eſt non nihil ſpiritus, atque facultatis de repente in teſtes irruere, idque valida agitatione corporis, & perturbatione, quæ in ipſo ſit coitu, cuius hoc eſt indicium, quòd titillatio vehemens tum corpus vniuerſum eximia voluptate afficit.*

His ita nunc conſtitutis, vti iactis fundamentis

tis (nam de seminis à toto prouentu ex professo opportuno loco, videlicet operis libro 5. agetur) quæro ego, cur non possit natura seminis tantummodò facultatem ad conceptionem adhibere absque vlla mole, & materia? Siquidem facultas per se est vnicum principium motionis, vt probatum est; quare per se independenter à quocunque alio generationem, atque fœtus efformationem efficere poterit. Quòd si perdicibus concessum à natura fuit, vt sola tantum vtantur facultate, dum generant, ita ut absque vlla materia spiritus prolificos emittant, vel etiã per locum parum distantem, vt supra relatum fuit; cur etiam hominibus id accidere posse negabimus? Nec dici poteſt, perdices hoc priuilegium habuisse, quia maximæ sunt caliditatis, ac spiritibus exæstuantes; nam vt Philosophi est sententia, homo omnium animantium proportione corporis calidissimus est, semen copiosius obtinet, spiritus viuaciores habet, præterquam quòd nonè longinquo, vt perdices, virtutem spirituum indere debet, sed proximè coniunctus, intimè communicans, genitali instrumento pœnitius intruso, ex quo spiritus ipsi loci caliditate seruari satis possunt. Insuper nonne habemus ex Aristotele primo de generatione Animalium capite 19. in quibusdam animantibus fieri conceptionem, non quidem à semine, quod à mare infundatur, sed à vapore, & spiritu, qui recipitur ab ipsa fœmina, quæ ad eundem recipiendum sunm immittit instrumentum: Aristotelis verba hæc sunt. *Patet igitur, nihil seorni à maris semine, esse necesse, neque si quid accedit, iccirco ex eo, vt insito esse, quod gignitur, sed vt ex eo, quod mouerit, & forma, vtque à medicina, qui sanatus est: facta etiam ratione consentiunt, hinc enim mares nonnulli per coitum, nec membrum quidem villum in fœminam indere vi suntur, sed contrà fœmina in marem, vt in quibusdam infœlis sit; quod enim in ijs, quæ indunt, efficitur semine in fœmina, idem in mare ipso vapor, virtusque efficit, fœmina admouente suam particulam, quæ seminis capax est.* Quòd si hac ratione conceptio tardius habeatur, vt subiungit Arist. id prouenit ex paucitate spirituum insectorum, & ex eo, quòd spiritus paulatim, & successiuè communicantur. Sed in gallinaceo genere liquidnis adhuc seminis irradiatiua virtus elucescit; quando facultas fœcundandi gallinæ ouum, non est intrà ipsum ouum, neque reside- in chalaza, vt multi perperam autumant, sed consistit in semine Galli, quod prope gallinæ ipsius podicem in peculiari meatu conseruatur; vnde mox irradians vterum, & ouum fœcundat, perduratque vis ista eo in loco per annum; Hanc præclaram obseruationem acceptam referre conuenit Hieronymo Fabricio ab Aquapendente, viro nostri sæculi solertissimo, deque re medica optimè merito, qui in præclaro illo, atque doctissimo libro de formatione oui, & pulli capite secundo sententiam his verbis exarat. *Differunt enim, quæ ex ouo, ab ijs, quæ ex semine fiunt ex eo, quod Ouipara materiam, ex qua corporatur pullus distinctam, & separatam habent ab Agente; Viuipara autem simul & causam efficientem, & materialem habent adiunctam & concorporatam. Agens enim in ouiparis semen galli est in pennato, quod in ouo neque est, neque esse potest. Materia verò est chalaza, ex qua corporatur fœtus; ambo hæc inuicem distant per multum spacium: Nam chalaza vitello iam formato, & in secundum vterum cadenti accedit, & ouo interno adiungitur; contrà Galli semen propè podicem consistit, & per longissimum spatium à chalaza distat; sua tamen facultate irradiante & vterum, & totum fœcundat ouum.* & paulò infrà subjungit. *Nam in hoc materia chalaza est, quæ in ouo intus est, & antequam ouum perficiatur, & vitellus albumen assumat gignitur, & ouo apponitur. Semen autem Galli ad podicem immittitur, & in vesicæ reponitur, & conseruatur, quousque pullus conformetur: immo verò per totum integrum anni tempus inibi seruatur, postea quàm semel admisso Gallo, oua omnia per totum illud anni tempus fœcunda redduntur.* Roboratur maximè hæc mea opinio, quoniam, teste Hippocrate, & Auicenna, & cum his recentioribus multis, Atretæ, seu imperforatæ mulieres concipere possunt, quemadmodum Riolanus filius lib. 2. Anthropographiæ capite 31. de his tres enarrat historias. Iam si velatæ iccircò dicuntur mulieres huiusmodi, eo quòd ante vteri interius osculũ, membrana quædam obtendatur; quomodo poterit virile semen intra ipsius vteri sinũ insundi? Nec est, quòd dicatur, vteri sympathiam cum semine, & validam ejusdem virtutem tractricem exigere posse semen, ita vt per membranam illam quasi transcolentur; nam irrita est attractio, vbi interseptum quodpiam opponitur, frustraque exuget vterus, dum inter ipsum, ac semen vallum interponatur. Quòd verò Auicennas difficultatem hanc odoratus habet 21. tertij tract. 4. capite primo, videlicet illas tantum Atretas utero concipere posse, quæ membranam illam tenuem, ac raræ texturæ obtineant, est insuper improbabile; siquidem semen, quod fœcunditate præpollet, est corpulentum, grandinosum, compactum; quamobrem illam membranam, etiamsi uti aranea subtilis existeret, permeare, ac penetrare nequaquam poterit. Cæterùm nihil magis plausibilis accedit Ioannis Heucheri sententia, qui secundo de steril. cap. de clausura ceruicis pudendi, ut se ab hoc nodo extricaret, commentus est fugam, videlicet quòd solæ illæ mulieres Atretæ concipere ualeant, quibus membrana illa uteri interni, osculum intersepiens, erit in medio perforata, ita ut semini haud

haudquaquam denegari possit aditus. Verùm huiusmodi foramen, nec ipse fortè uidit, nec alius quispiam obseruauit, ideoque est imaginarium; nec uideo, cur natura illud in omnibus Artretis efficere non debuisset, si de conceptione erat sollicita.

Probabilius igitur asseuerandum, conceptionem apud Atretas fieri à spiritibus tantummodò in semine, & à semine micantibus, quibus nimirum nihil resistit, omnia patent, & crassa etiam mebrana est peruia; nam vero verius est, quòd spiritus ea, qua est natura ignea, ad omnia accedit, omnia mouet, cuncta viuificat, omnem subit cauitatem, membra vniuersa penetrat. Addo insuper, quòd dum in Venereo pruritu, ac geniali voluptate pudendum attenditur, verisimile est membranam etiam illam rarefieri quodammodo, ac dilatari; adeò vt nullo labore feruidi seminis spiritus permadere eandem valeant.

Dices: decantata sententia est, sæpè in physicis repetita, naturam in suis effectibus, & operationibus superfluam non esse, nec entia multiplicare sine necessitate; Quorsum igitur materiale spolium in semine condidit; si spiritibus tantùm facultas sufficiens erat ad generationis opificium? Natura in suis operibus (& soluitur difficultas) semper id, quod melius est, facit; nam verum quidem est, quòd frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, sed adiungi debent alia verba, *& aquè benè*. Iam natura non æquè benè spiritibus, & sola facultate in generatione vteretur; & hoc ex duplici causa. Prima quidem, quoniam spiritus non ita bene seruarentur absque indumento, ac de facili dissiparentur; tanta est enim eorum tenuitas, vt leui quacunque causa afficiantur, & ex modico contrario corrumpantur; vt igitur prouida natura rerum successioni, quæ ex hoc principio deducenda erat, omnimode consuleret, obtexit humido, tenacique inuolucro, quo externæ omnes injuriæ protinus arcerentur.

Secunda ratio est, quoniam hoc idem spolium, & materia vnà cum sanguine materiam conceptionis præstant; vnde Galen. primo de semine contrà Aristotelem, & Peripateticos asseuerat, materialem seminis partem haud quaquam foras in halitum reijci; quoniam, vt ille ait, communissima animalium organa, vt venæ, arteriæ, nerui, non quidem à sanguine, sed à semine coalescunt: quando partes illæ exangues, sunt; sanguis autem neque est viscosus, neque albus, neque crassus, cuiusmodi est talium organorum natura; Non quòd proinde necessaria fuerit ex Galeno pars materialis; sed quia vtilis valde est, & subiectum operanti magis proximum. Etenim si organa illa, putà arteriæ, venæ, nerui, & alia requirunt, vt producantur, materiam albam, crassam, & viscosam, cuiusmodi A semen est, frustrà natura, & imprudenter pararet eadem ex sanguine, ex rubro faciens album, ex fluuido crassum, ex tenui viscosum; quoniam minori labore ex semine ipso coagulare posset. Et sic verum est, naturam haud multiplicare sua entia absque necessitate. Verùm enimuerò, si fortè seminis portio materialis aut non concurreret (vt in casu nostro) aut aliquo modo excideret ab vtero post aliquod temporis spatium, in tali casu natura sua industria alteraret sanguinem, illumque ita appararet, vt organis illis efficiendis proximè aptus redderetur. En igitur quomodo materia seminis ad generationem conducat necessitate potius contingenti, quàm absoluta.

B Sæpius in patria medicinam faciens, nobilem quandam mulierem curaui ex renum dolore, cuius causam dum exactè à coniuge perquisiui, dixit ille, vxorem in commixtione Venerea maximè incendi, & immensum experiri pruritum, nunquam tamen concubitus actum explere, licet non mediocri delectatione leniretur; adeò vt aliquandò voluptatis furorem conciperet absque vlla genitura fusione: quæ nihilominus mulier pluribus erat fœcunda filijs, & pulchræ prolis pulchra parens. Iam si de sententia Galeni lib. de semine, & alibi, & multò ante Hippocratis, & medicorum omnium muliebre semen (quicquid contendat Aristoteles) ad generationem C concurrit necessariò, ita tamen, vt dicat Auicen. lib. 3. fen. 20. tract. primo cap. 44. *Si mulier non emittit sperma, non fit filius*. qua ratione isthæc mulier cùm genituram non funderet, concipere poterat? Profectò dicendum est, quòd hęc ipsa mulier falacis nimium naturæ, tametsi, vel ex angustia meatuum, vel ex eorundem obstructione genituram effundere nequibat; spiritibus tamen prolificis nequicquam transitus intercipiebatur: quin ex parua resistentia eorum confluxus maior longè efficiebatur, necnon ex attritione, & motu vehementi, calidiores, viuaciores, & magis titillantes fiebant; vnde in muliere sensus voluptatis acrior, furor genij concitatior, & libido feruentior emicabant. D Qui quidem spiritus copiosè ad vterum confluentes conceptionis opificio affatim deseruire poterant: sicuti abundè deseruisse, apertè colligitur ex conceptibus non semel exantlatis. Adde, quòd cùm in mulieribus intus, & per breuem meatum spiritus, & genitura emittantur, spiritus ipsi non sic de facili, vt in viris extra fundentibus, & per meatus etiam longiores, dissipantur, & corrumpuntur; verùm ad ipsam conceptionis sedem incolumes deueniunt.

Hinc ego ingeniosè colligo, Aristotelem, qui negat, mulierem in generatione genituram præstare longè à veritate aberrare; Hippocratem verò, Galenum, & omnes alios, siue Græcos, siue Arabes medicos decipi & ipsos, si putent mu-

mulieres in actu conceptionis materialem genituram necessariò commodare debere; sat est enim, vt spiritibus genitiuis tantummodo opus elaborent; & ideò non temere asserendum est, mulierem, nisi fundat semen suum, conceptum haberi non posse: nam sum ego huius opinionis, & frequenti comprobatur experientia, haud rarò mulierem concipere absque seminis humore, & genituræ fluida illa, & materiali emissione; sicuti è contrario eandem concipere vtero nullo vnquam tempore posse, nisi saltem spiritus, in quibus gignendi facultas residet, sufficienter concurrant; si enim exempli gratia, mulier aliqua seminis laboraret stillicidio, cuius copia in concubitu ad vterum prolaberetur, absque quo spiritus influerent; profectò nulla hinc haberetur conceptio; siquidem semen illud foret penitus inutile, & non nisi homonymè, seu æquiuocè appellari posset semen, eò quòd seminali facultate esset denudatum.

Et quidem hæc genitalium spirituum efficacissima virtus, ac dynamis non modo apparet in animalibus, verùm etiam in plantis, & alijs vegetatiuis, quorum fœminæ vt fœcundentur, & luxurient, præsentiâ requirũt maris, à quo cõmunicari creditur veluti per ἀλλοιωτικὴν, καὶ ἀναβλητικὴν insensibilis quædam fœcunditatis vis. Num quid præclarum non est illud Plinij exemplum 13. natural. histor. cap. 4. quòd videlicet palmæ fœminæ steriles euadant, nisi iuxta mares conserantur, à quibus fructificandi facultatem recipiant? adeò vt si plures fœminæ palmæ reperiantur in sylua, vnico tantum existente mare, omnes ad hunc naturali propensione inclinentur, veluti suum coniugem amplexurę; vnde factum esse, vt Agricolæ ad hoc, vt illæ vberrimos vndique pandant fructus, masculinæ palmæ floccos, & lanas inijciant super. *adeòque*, inquit Plinius *est veneris intellectus, vt coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore, & lanugine; interim verò tantum puluere insperso fœminis*. Dicam amplius ex Diophane Græco auctore, vt refert Pierius etiam libro 50. Agricolas, vt steriles fœminæ fœcundentur, consueuisse manibus mares palmas attrectare aliquandiu, mox ad fœminam redire, illamque manibus ijsdem tangentes fœcundam reddere. Quid si vlterius dicam, palmas, marem, & fœminam etiam loci pluribus distinctas parasangis, fœcundari, si plantarum cacumine saltem altera alteram contueri potest? Refert Iouianus Pontanus, duas celebres extitisse palmas, marem quidem Brundusij, fœminam Hydrunti, diuque steriles permansisse, donec, frontibus ex augmento sublimè eleuatis, altera alteram inspicere cœpit, quo tempore, vi prolifica eminus communicata, fœcundos edidere fructus. Placet ipsa appingere carmina.

Brundusij latis longè viret arduа terris.

Arbor, Idumæis vsque petita locis:
Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma,
Illa virum referens, hæc muliebre decus.
Non vno creuere solo, distantibus agris,
Nulla loci facies, nec socialis amor.
Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor
Vtraque frondosis, & sine fruge comis.
At postquam patulos suderunt bracchia ramos,
Cœpere, & Cœlo liberiore frui
Frondosique apices se conspexere, virique
Illa sui vultus, coniugis ille sui
Hausere & blandis venis sitientibus ignem,
Optatos fœtus sponte tulere sua.
Ornarunt ramos gemmis (mirabile dictu)
Impleuere suos melle liquente fauos.

Hæc interim dum refero, caue lector, ne Pontani figmentum, & lepidam poetarum fabellam existimes; ista enim inter palmas præcipuè communicata eminus fœcunditas probatur & Ammiano Marcellino, quem petere licebit, & Diuo Ambrosio 3. Hexaemeri his penè verbis: *est etiam quod mireris; nam ipsis sexus pomis ineſt, ineſt arboribus sexus discretio: quippe palmam videas, dactilos quæ promit, plerumque ramos proclinantem suos, se seque submittentem, ac concupiscentia, & amplexus speciem quodammodo arbori prætendentem, quam marem palmam nuncupant rusticorum pueri. Palmam igitur illam fœminam intelligunt, quæ sexum subiectionis specie confiteatur. Quo sanè argumento agricolationis periti ramis eius dactylorum, vel masculæ palmæ semina præstruentes veluti perfunctionis sensum infundunt, ac expetiti concubitus exhibent gratiam. Quo affecta munere surrigitur denuo, ac planè hilarior comam protollere, animaduertitur.* Neque dicas, ex hoc sequi, etiam eunuchos maximè delectari debere, eorumque insuper sterili coitu concepturas esse mulieres, quibus adhæreant; nam eunuchis eadem ipsa ratione, qua intercipitur semen, impeditur etiam spirituum exitus; præterquamquòd eunuchi etiam spiritibus destituuntur, & frigidi non parum euadunt, vt manifestum sit ex eorum languore, vocis tenuitate, mento depili, & vniuersi corporis imbecillitate, atque floccitie; quare fieri potest, vt hi quadantenus delectentur, eo quòd spiritus non deficiant penitus; at generare nulla ratione valebunt, quia generatio spirituum affluentiam, ac robur facultatis desiderant. Cæterùm concepisse aliquando mulierem absque viri genitura, spiritibus tantummodo, memini me legisse apud classicum auctorem, nominis autem sum oblitus, nec in præsentiarum in mentem venit; sed auctorum instar omnium sunto rationes.

CAPVT VII.

An Auerroi illa puella in balneo, in quod semen viri deciderat, concipere potuerit.

DOctissimos etiam viros aliquando decipi, docet rerum quotidianus vsus: nec mirum, quoniam, vt sapientissimus Galen. ait, *Nunquam errare, captum excedit humanum*. Quis enim putasset, Auerroem, virum tantæ doctrinæ, ac sapientiæ, tanti iudicij, atque ingenij, philosophiæ, & medicinæ eruditissimum hallucinari potuisse in re, adeò manifestè erronea? 2. collect. cap. 10. auctor iste refert, à vicina quadam vetula audiuisse, mulierem quandam in ætatis flore constitutam in balneo, in quo viri semen erat effusum, concepisse, nec refert solum; verùm contingere id potuisse, videtur annuere; quod quàm impossibile sit, & ab omni ratione alienum, ex ipsomet Auerroe licebit addiscere, qui quidem eo prorsus loco, sibi apertè contradicit; Nam dic mihi, cedo, Auerroes, non ne ex tua sententia semen, si pauxillùm ab aere tangatur, statim corrumpitur, & nihilominus aer saltem in primis qualitatibus cum semine aliquo modo coincidit? quo pacto igitur in aqua incorruptum seruari potuit, cuius quippe qualitates magis è diametro aduersantur; Si virtus prolifica seminis, te docente, in spiritibus consistit, spiritus autem purissimæ, ac leuissimę substantię existunt; qui potuerunt in frigido saltem potentiali conseruari? Quòd si Aristoteles, quem tu profiteris, primo de generatione Animal. cap. 6. vult, ea omnia animalia infœcunda esse, quę prelongum obtinent mutonem, eò quòd spiritus per longum ductum refrigerari, ac dissipari contingat; qua ratione potuerunt iucolumes diù in aqua persistere? Cum Aristotele conuenit Auicen. lib. 3. Fen. 20. tract. 1. cap. 23. hisce verbis. *Et cum prolongatur virga valde, prolongatur spatium motus spermatis; quare venit admatricem calore eius innato iam fracto, non ergo generat secundum plurimum*. Quomodo igitur, Auerroes, in balneo spiritalem calorem non fractum, sed sospitem seruatum autumas? Insuper si ex eodem Aristotele 3. de hist. animal. cap. 22. semen, quod fœcundum est, in aqua subsidet, quod autem infœcundum est, diffunditur, atque exolescit. Quero ego, an semen in balneo profusum fœcundum, an infœcundum fuerit? si fœcundum igitur fundum petierat, & per consequens recipi non potuit à muliebri matrice. Si infœcundum, quomodo ab illo concepit? Non est tibi, Auerroes, asylum, quò confugias; verùm dato etiam, quòd spiritus in aqua incorrupti, & in virtutis robore permansissent, & semen fœcundum foret, nec subsediſſet; qua vi, quaue ratione tam è longinquo trahi potuit ab vtero? enimuerò, licet sit matrix seminis auida, & in parua aliqua distantia penes se illud exugere valeat; non tamen eminus vim suam exerere potest (quicquid alij in contrarium effutiant) vt semen extra positum, absorbere queat. Eodem modo redarguendus est Albertus Magnus, de formatione hominis cap. primo, qui similem quendam casum recenset. Nec parum apud sapientiores propriç existimationis iacturam fecit Amatus Lusitanus, qui centuria 4. curationum medicinalium Auerroi assentiens, mulierem quandam in balneo potuisse concipere, tradit; verùm illud Lucretij cadit in istos.

Magnopere a vera lapsi ratione videntur.

Cęterum Auerroes nullam aliam opinioni suę rationem adiungere sciuit, prętерquam id potuisse contingere propter vteri attrahendi facultatem ingentem, summamque aniditatem ergà semen: quod posset ex Aristotele persuadere, qui 2. de Generat. animal. cap. 4. videtur significare, haud quaquam necessarium esse, vt semen intra vterum iaciatur, quin nusquam, nisi solùm ante os vteri profundi, testatur; indeq. postmodum facultate valida ipsius attractrice introduci; verba Aristotelis hęc sunt. *In qua quidem profusione voluptas & maris, & fœminæ contingere solet, semen etiam maris melius dirigitur, & iuuatur. Profusio autem non intus fit, vt quidam volunt, os enim vteri arguſum est, sed ante, quò fœmina mittit vaporem illum nonnullarum recrementum, eòdem enim mas etiam mittit, quod suderit, & aut ibidem manet semen emissum, aut intus ab vtero trahitur, si calidus est, & modicè temperatus, cuius rei indicium, quòd locus, qui modò madebat, reliccatus mox sentiatur. Animalibus etiam, quorum præcordijs vulua iungitur, vt auibus, & piscibus, qui animal pariunt, ne semen illuc trahatur, sed profusum deueniat ipsum, impossibile est. Trahit genituram hic locus suo calore: mensiruorum etiam decessio, & confluuium fomitem in ea parte caloris parat. Itaque vt vasa non illita calido diluta humore aquam in se trahunt ore inuerso, ita attrahitur.* Quam eandem sententiam 10. de historia Animalium capite tertio sic repetit; *Quemadmodum in ijs, quibus in somnis prorsus id accidit, conspici facilè potest; Tunc siquidem locus is humectatus eandem curationem requirit, ac si cui viro coiuisset, eo quòd in hanc partem profundunt, in quam etiam vir, & non intra vterum. Quando enim huc profuderint, inde vteri spiritu non secus, ac nares semen trahunt.* Rursus Oribasius inter veteres non vulgaris, hanc eandem vteri facultatem trahendi, etiam in distans maiori quadam energia expressit hisce verbis

bis lib 6. Aphor. 23. *Nam duo orificia habet vterus, vnum interius, alterum externum, quod ingreditur viri vretrum. Nam in illud interius non ingreditur, sed matrix trahit ad se semen quemadmodum ventosa.* Et idem auctor alibi adhuc clarius idem expressit sic. *Quemadmodum e profundis cuniculis ceruus serpentē narium inspiratu allicit, sic vterus viri semen e sua ceruice.* Verūm enimuerò licet cōtrarium sentiat Galenus fortioribus rationibus innixus, etiam si Aristotelis, & Oribasij sententia vera esset, Auerrois tamen opinio nulla ratione constare posset, quia quamuis non sit necessarium, semen in finum vteri profundi; necessariò tamen iactari debet in os vteri internum, à quo postmodum à facultate vteri ad intima penetralia deducatur.

Dicet fortè Auerroes, os vteri internum in eo casu descendisse ad os vuluæ externum, & sic potuisse illud seminis ebibere. Sed hoc etiam distat à veritate; quia nisi externum os ore hiuleo patefcat, internum os vteri exugere, & ad se trahere nequaquam potest. Præterquamquòd cùm Auerrois isthæc mulier nequicquam delectaretur, vterus non descenderat; tunc enim fohùm, cùm voluptate mulcetur, declinat, ac si obuiam eat rei concupitæ. Quare licet Aristoteles 2. illo de generat. animal. cap. 4. dicat, mulierem posse concipere, *Si locus turgeat, & vuluæ descendat propius*, absque voluptate, quæ fusionem propriſ seminis consequitur; nihilominùs, vt ipsemet illicò subiungit, *Magna ex parte sic accidit, vt cum profusione fœminæ agatur*; fœmina verò non profundit nisi, vt Fernelius ait de hominis procreatione, quandò in Venerea commixtione sentit, vterum gestire, & seminis cupiditate totum volui in partes obscœnas, vt ei obuius ore, quasi manu excipiat, aut potius arripiat.

Sed aliquis fortè, qui iurauerit in verba Auerrois, afferet id, quod D. Thomas quolibet. 6. art. 8. quærens, an posset mulier concipere non corrupta virginitate, refert his verbis. *Sicut dicitur accidisse cuidam puellæ iam pubescenti, quam propter pudoris custodiam in lecto suo Pater habebat, qui cùm in somno pollueretur semen eius ad matricem filiæ descendit, & inde puella concepit.* Profectò vana est historia, nec D. Thomas nisi ex aliorum opinione retulisset, & longè maiores difficultates, quàm prima Auerrois continet; siquidem quo pacto, cùm hymen in hac puella fractus non esset (posito interim cum veteribus, quod in virginibus hymenis membrana reperiatur, de qua suo loco abunde dicemus) potuit in vteri conceptaculum attrahi semen? Dices forsitàn per poros, eo modo, quo sanguis exudat menstruus. Sunt nugæ: nec mihi persuaderet quispiam; non desunt vasris ingenijs sophistica commenta, quibus obtegant scelcritatis vitia. Simile quid Romæ euenisse, mihi relatum est ab insigni eiusdem Ciuitatis obstetrice; dicebat enim, quòd, cùm vnicè diligerentur iuuicem soror, & coniux cuiusdam viri, non sine libidinis sensu, vt proinde dormirent sæpius insimul; factum est, vt cùm ali quando vxor recens à mixtione coniugis accessisset, atque adeò semine adhuc respersum vas genitale tulisset, nec non statim lasciuiens viraginem illam amplexaretur arctissimo vinculo, soror viri conceperit e semine fratris, quod sponte auida huius matrix exugens elicuerat illius e pudendo. Cuius euentus proculdubio quamsimillima est Amati Lusitani Historia centuria 7. curatione 18. vbi habet. *Turca quadam mulier cùm marito, qui longum iter parabat, recentèr congressa, nulla mora interposita in vicinas ades se contulit, vbi alteram mulierem à se adamatam comprimens illam grauidā reddidit.* Has mulierculārum fabellas, amabo vos, deridete; etenim vtraque bona mulier aliundè fortè conceperat, sed viros nebulones callidè ambę illudebant; nec vt probatum est supra, huiusmodi euentus contingentes, vel possibiles sunt; vt propterea mirari subeat Amatum, qui tantam ineptiam suis curationibus interserere non erubuerit. Ita mihi quoque vidua quædam olim, insulsè nimis, persuadere conabatur, grauidam se esse factam nullo prorsus viri consortio, nulloque Veneris dulcore, sed solùm, quia confederat, aluum exonerandi gratia, in latrina, quam paulò ante affinis suuenis, hymenęum manibus celebrando polluerat; o commentum futile! o verè anicularum fabellam!

Sed quid ad illud dicendum, quod scribit Plinius lib. 30. cap. 27. ijs verbis. *Tarquinio Prisco regnante tradunt, repente in eius foro apparuisse genitale e cinere masculini sexus, eamque, quæ insiderat ibi Tanaquillis Reginæ ancillam. Ocrisiam captiuam consurrexisse grauidam.* Certè id portentum fuit, vel aliqua Dæmonis illusio, qui in eo prodigio, si verum est, quòd grauida tunc fieret, potuit clam semen intra vterum aliunde exceptum infundere; quod etiam non corrupto virginali clausiro, ope Dæmonis, posse accidere, & realiter euenisse aliquandò, auctor est Martinus Delrio 2. disquisitionum magicarum 25. Simili prorsus modo fraudolentam impostūram illam Hebręorum Talmutistarum fuisse, existimandum est, qui Benzyram, virum alioquin doctissimum, ex Hieremiæ Prophetæ filia natum dicitarunt, conceptum ab ea in balneo, in quo viri nequam, & idolatræ semen profuderant. Historia, vt falsa, & inhonesta reticenda potius est. Quomodo tamen etiam incorrupta virginitate possit mulier aliquando naturaliter concipere: vide libro quarto huius operis.

CAPVT VIII.

De Apum præclara generatione, & regeneratione.

IAM diù agitatur quæstio, num apes per Venereum complexum generentur, an alio modo producantur; nec vsque adhuc lata est sententia, sed sub Iudice lis est; nam summus Philosophiæ Dynastes 5. de Histor. animal. cap. 21. quid pro veritate sit statuendum, ambigit, solùmque varias hinc inde refert opiniones; maior tamen naturalium scriptorum pars asserere videtur, apes nequaquam Venere propagari, sed cælibatus adeò extare amicas, vt odio peculiari prosequantur libidinosos, & qui præsertim recenter fuerint commixti, quasi naturali instinctu pollutos, ac semine fœdos protinus odorentur. Nec propterea existimandum est, ciuile hoc genus e putri materia, vt muscas, & cætera insecta prouenire; nimium enim tam ingenui, tamque politici animalculi vile foret, & abiectum principium; verùm aliunde fœturam asportare, vt plerique sentiunt, arbitrandum; quod quo pacto contingat, nondum assecuti sunt naturæ speculatores; *Alij enim*, inquit Aristo tel. citato capite, *eas parere, & coire negant, sed deportare fœturam existimant, nec vndè portent, constat inter omnes, sed alij ex flore cerinthi, alij ex flore arundinis, alij ex flore oleæ aiunt; argumentumque afferunt, quòd cùm oliuarum prouentus fit, tunc plura examina prodeant.* Quicquid sit; præclarum dixerim propagationis apicularum principium, quando nullo conspurcantur Veneris concubitu, sed virgines matres existunt: fœtæ sunt æquè puræ, ac steriles; nec sobolem suam norunt, vt peractæ libidinis monumentum. Hinc meritò 4. Georg. exclamat Virgilius.

Ergo ipsas, quamuis angustus terminus æui
Excipiat, (neque enim plus septima ducitur æstas)
At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.

Vocat poeta genus immortale; fortè quia non modò in sobole, vt diximus absque corruptione perpetuantur; sed etiam quoniam, teste Plin. 11. natural Historiæ. cap. 20. apes extinctæ si hyemali tempore occlusæ seruentur, & vere nouo Solis exponantur radijs, nec non ficus foueantur cinere, ad vitam denuò remeant; addunt alij, apes extinctas oleo, aceto reuiuiscere. Id planè si verum est, quàm fœlix, quàm eximium melliferarum genus? Verùm de apum regeneratione, si depereant, agendum est modò. Plinius citato capite regenerari apes, si depereant, ait, integris bouum intestinis vnà cum stercore sepultis. At Virgilius peculiari modo, Aristæo pastori diuinitus indicato, ex iuuenco natibus, & oris obturatis, ictibusque fœso, mox suspenso regenerari, testatur. Apponam libenter carmina ex Georgicis.

Exiguus primùm, atque ipsos contractus ad vsus
Eligitur locus; hunc angustique imbrice tecti,
Parietibusque premunt arctis, & quatuor addunt,
Quatuor à ventis obliqua luce fenestras.
Tum vitulus bima suruans iam cornua fronte
Quæritur; huic geminæ nares, & spiritus oris
Multa reluctanti obstruitur, plagisque perempto
Tunsa per integram soluuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, & ramea costis
Subijciunt fragmenta thymum, casiasque virentes.
Hoc geritur, Zephiris primùm impellentibus vndas,
Ante nouis rubeant, quam prata coloribus, ante
Garrulla quàm tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Aestuat, & visenda modis animalia miris
Trunca pedum primò, mox & stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis, magis aera carpunt,
Donec, vt æstiuis effusas nubibus imber,
Erupère, aut vt neruo pulsante sagittæ
Prima leues ineunt, si quando prælia Parthi.

Ouidius quoque lib. metamorphos. rem ipsam carmine delibauit. Atqui apum generatio, nec humanæ generationi, nec regenerationi vllo modo præstat. Non quidem generationi; quia licet hæc per Veneris habeatur contactûs; is nihilominus cohonestatur legitimo sacramento, quo omnis clarificatur impuritas. Non regenerationi, quoniam in primis alieno reuiuiscunt interitu, vt nouam experiantur mortem, & ex putri cadauere lucis repetunt auram. At humanum genus resurget tandem, vt perennem traducat vitam: vtinam omnes beatam.

CA-

CAPVT IX.

An verum sit Phœnicem, & Semendam auem rogo regenerari; vbi item de Ranæ Gyrinæ, Bombycis, & Conchæ miro ortu, & interitu.

AT cur saltem non datum est hominibus à natura, perinde ac Phœnici, senio renouari, & suam interitu speciem perpetuò propagare, absque quo fœdis coinquinaretur Veneris amplexibus; ita vt moriens nascereturque, senescens iuuenesceret, & in ipso mortis limine limen vitæ ingrederetur? Id proculdubio præstantius foret, quàm impuro congressu simile sibi, molestanta, tanto labore, ac vitæ detrimento progignere; vt inde meritò Lactantius Firmianus exclamet in sua Phœnice,

Hæc fortunatæ sortis, fatique volucris,
Cui de se nasci præstitit ipse Deus:
Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum, sit magè fœlix:
Fœlix, quæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus est; sola est in morte voluptas,
Vt possit nasci, hæc appetit ante mori.
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres:
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.
Ipsa quidem, sed non eadem, quin & ipsa, nec ipsa est,
Æternam vitam mortis adepta bono.

Et Claudianus in Epigram. de Phœnice

Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit,
Sed pater est, prolesq. sui, nulloq. creante
Emeritos artus fœcunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam,

Sortis eiusdem esse alteram auem, quę, Cardano teste decimo de subtilitate, Semenda nuncupatur, facilè suadetur, si verum est, quòd, fato imminente, festiuè canit more suauis oloris; mox sarmentorum congregat fasciculos, indeque concinnatam struem alarum remigio accendit, vbi tandem ardens renouatur, moriens reuiuiscit.

Quàm præclarè igitur nobiscum, & benè actum dici posset, si tali ratione speciei propagationem & nos prosequeremur? Non enim tantę libidinis insultaret æstus: Veneris non tantus exureret ardor, concupiscentię immanis furor nec tantùm angeret.

Verùm enim verò asseuerandum est, sagacem, prouidamque naturam aptissimè per viri, & mulieris coniunctionem hominum generationi prę-

A stò fuisse, ut meritò Galen. unà cum classicis Philosophis idcirco dixerit: opus naturę, opus esse Intelligentię. Nam quis non uidet, quanto ordine, quali industria, quibus ingenijs suos moliatur effectus, mox regat, gubernioque protegat, ac si diuino quodam intellectu prædita esset? Quare Seneca non immeritò in sublimiori quodam loco naturam collocans, nil aliud illam esse, aiebat, quàm Deum, ac diuinam rationem toti mundo, & partibus eius insertam. Quod autem de Phœnice fertur (& potest idem de Semenda cen[illegible]ri) Philosophi omnes, & melioris notæ historici fabulosum potius, & poeticum arbitrantur figmentum. Quare vel Plinius ille; qui vana, & anilia commenta sæpè pro historijs

B adducit lib. 10. capite secundo, vbi de Phœnice verba facit, ait, *Aethiopes, atque Indi discolores maximè, & incnarrabiles ferunt aues, & ante omnes nobilem Arabia Phœnicem, haud scio, an fabulosè vnum in toto orbe, &c.* Vnum Iulium Solinum mirari non desinam, qui suæ historiæ capite 35. vbi de Arabia, eiusque memorabilibus rebus exarat monumentum, Phœnicis, vti verissimæ auis comminiscitur, additque insuper notas his propè verbis. *Apud eosdem nascitur auis Phœnix, Aquilæ magnitudine, capite honorato in conum plumis astantibus, cristatis faucibus, circa colla fulgore aureo, posteriore parte purpureus, absque cauda, in qua roseis pennis cæruleus interscribitur nitor.*

C *Probatum est, quinquaginta, & quingentis eum durare annis. Rogos suos struit cinnamis, quos propè Pachaiam concinnat in Solis vrbem, struę altaribus superposita.* Tertullian. in libro de resurrectione carnis & ipse rem probare videtur his verbis. *Accipe huius spei plenissimum, ac firmissimum specimen; siquidem animalis res est, & vitæ obnoxia, & morti; illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate formosum, de posteritate monstruosum, qui semet ipsum libenter funerans renouat, natali die decedens, atque succedens iterum Phœnix, &c.*

D Dicas tamen & Tertullianum, & alios Sanctos Patres, qui Phœnicem in exemplum adduxerunt, omnes loqui ex suppositione, posito videlicet, quòd huiusmodi auis, vt circunfertur, rogo reuiuiscere et. Atqui dato etiam, quòd istæc auis in rerum natura reperiretur, vt vel Cornelius Tacitus visam aliquando esse, testari videtur: profectò deteriorem nimis conditionem, quàm homo ipse in sua propagatione obtineret; siquidem, qui per Venerem genitus extat fœtus, verè a patre est, a quo sua proles conspicitur, excipitur, amplexatur, seseque in illa ad immortalitatem diffusum intuetur, & gaudet, & rursus propagando mulcetur, delectatur. Exadversò Phœnix, præterquamquòd quæ denuò oriretur, extinctæ iam non existeret proles, nunquam propaginem videret, & soboiem,

cu-

cuius amore rationale, & irrationale animal fœlicitatur. Adhuc cùm propriæ lucis occasu, ac dulcis vitæ interitu naturam produ-ret suã, misera nimis, ac dolorosa dicenda foret huiusmodi regeneratio. Nec putetis, in illo mortis incendio fore, vt voluptati deliniretur. vt Lactantius cecinit: Corruptioni enim, & morti dolor, & angor perpetuò sunt annexi, & mors ab igne est vtique omnium calamitosa. Veruntamen hæc, vt inania meritò a Pierio Valeriano relinquuntur Poetis, in suis enim hieroglyphicis ait; *Hæc, quæ dicuntur de Phœnice ex auditu solum referri, neminem autem vllo vnquam tempore probasse visione; licet Q. Plantio, & Sex. Papinio Consulibus in Aegyptum volasse feratur, quæ mox Claudio Censore Romam delata fuerit.* Nos igitur nostra potiemur generatione per Veneris illecebras, & Phœnici suum rogum relinquemus, cuius odoratum incendium decantatum videre poteris apud Ouid. 15. Metamorphoseos.

A

B

At modò Ranæ gyrinæ ortus, interitusque παλιβρομος, siue alternatiuus, haud multis compertus examinetur. Plato in Theæteto præbuit ingeniosis ansam indagandæ huiusce animalculi naturæ obscuro quodam adagio, quod est. *Nos illum ob sapientiam admirabamur, at ille nihilò magis antecellebat prudentia, quàm Rana gyrina.* Primus omnium locum hunc explicauit Cælius Caleagninus, si Tricelio credimus, cuius operæpretium censeo ipsamet verba ex libro 3. annotation. regiſtrare, quæ sunt. *Gyrinos enim informes ranas, & minores putat, de quibus Suidas: γυροὶ νοτ οἱ μικροὶ βάτραχοι. Ἀριστοφάνης. οἷον πατέρες βοῶσι γυρίνων. hoc est: gyrini sunt paruæ ranæ. Aristophanes. sicut Patres clamant gyrinorum. Et Plinius libro nono natural. historiæ à Suida paulò diuersa memorat: ranæ, inquit, superueniunt prioribus pedibus alas fœminæ, mare apprehendente, posterioribus clunes, pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant, oculis tum, & cauda insignes, mox pedes figurantur, cauda scindente se in posteriores, mirumque semestri vita resoluuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis venascuntur, quæ fuere natæ; perinde occulta natione cùm omnibus annis eueniat, hinc scilicet Platonici prouerbij seminarium: quisquis enim gyrina rana nihilò plus sapit, quæ manca est, nec dum planè rana, dubio procul nihil sapere dicitur.* Hactenus Caleagninus. De gyrinis aliqua plura scribit Gaspar Schuuenchfeld in Theriotropheo Sileſiæ lib. tertio de Reptilibus. Sanè si vera sunt hæc, præclaram dixerim abiecti animalculi generationem, cuius dum vita ſilet, resurrectio præparatur: cuius mors est somnus leuis; vita vigilia breuis: cuius obitus est resolutio, vita renouatio: cuius ortus est suauis interitus absque dolore: cuius dies termina mortem; cuius mors inchoat dies; mors à vita fit solemnis; vita à morte fit perennis: cuius demum interitus accidit horrida hyeme, hoc est, miseriæ, & senectæ optato tempore: vita verno Cœlo; quando scilicet fœlix status est, ætasque floret, id quod à Boetio metro primo libri primi inter præcipuas recensetur fœlicitates. ait enim.

C

Mors hominum fœlix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpè vocata venit.

Insuper ecquis non admiretur Bombycis generationem, ex paruo scilicet semine, muliebri pectore calefacto breuem, sed nunquam otiosam vitam deducentis, cuius in posſliminio sepulcralem sibi domum fabricat, vbi pristinam relinquens auram vitalem, seu potius senectutis grauamen, iuuentæ florem nanciscitur, lucemque clariorem; & quod fortè melius, vitæ aliam resumens formam in volucrem abit? Inde meritò primo Bombycis Vida.

Ite animæ egregiæ, fortunataque laborum
Vltrò in fata alacres, vobis namque altera fato
Corpora debentur, vobis miserata priorem
Eripiet formam Venus, atque ad dulcia reddet
Lumina, & aereas rursum reuocabit in auras.

Vtinam vtinam talis foret apud humanum genus ortus, interitusque conditio: At quid aio? oppidò melioris conditionis est illius mors, & vita: resurget enim ab vnica morte, si benè moriatur, ad perpetuam, omnibusque numeris beatam vitam.

D

De conchis illud glorioſum, ac præclarum legitur apud Aristotelem. *Sed quanquam testa intecta grauida dicimus, tamen nullum eorum vel coitum, vel partum videmus.* Sed interim silentio non est inuoluenda Guaguini historia, referente Martino Delrio 2. Disquisit. magic. quæst. 29. sect. 2. is enim in descriptione Moscouiæ narrat, populos quosdam in Lucomoria regione Russiæ habitantes quotannis vigesimaseptima mensis Nouembris die, vt solent hirundines, & ranæ, sic & ipsos præ frigoris brumalis magnitudine mori: postea, redeunte verè, vigesimaquarta Aprilis die denuò reuiuiscere; quin etiam addit, eosdem, cùm sibi mortem imminere sentiunt, merces suas certis in locis deponere, quas Gruſſentij, & Serpono vutzij, vicini populi, suis mercibus interim æqualentibus eodem loco relictis auferunt. Illi reuiuiscentes eas merces, si iustæ videantur pro suis accipiunt, sin minus eaſdem repetunt, vnde lites, & bella sæpissimè inter eos oriri dicunt. Ad rem venio; nam hæc fabulosa crediderim.

Gyriuæ ranæ primus ortus, & interitus est vti-

vtique naturalis; at eandem in cœnosam materiam semel resolutam post menses ad nouam vitam expergefieri, falsum credite; nam à priuatione ad habitum vi naturæ non est regressus; nec brutorum anima separabilis est à corpore, quod informat; sed vnà cum corpore succumbit fato. Fieri quidem potest, nec repugnat, vt in luto illo, vdaque argilla, in quam Gyrini prior resoluta est, remaneat aliquod alterius ranæ femininum, seu potius dispositio materialis, quæ vere nouo, suauj, ac tepido imbre irrorata, Sole supplente vim seminalem (vt supra de putrium animalculorum post diluuium regeneratione dicebamus) nouam propalet ranam; at prorsus eandem ex luto reuiuiscere, est omninò impossibile, si vera sunt philosophiæ dogmata. De Bombyce pariter illud dicendum erit, quòd scilicet nimis fragilis est eius conditio, valdè ignobilis generatio, apprimè infœlix degeneratio; dum scilicet priore abeunte corpusculo, aliud veluti ex putredine exoritur pennatum animalculum. De concha tandem illud effatum volo; generationem omnium testa intectorum spontaneam esse; ideoque nimis fugacem, & apprimè nugacem, quando putredinis cuiusdam est soboles, ciusdemque mancipium.

CAPVT X.

An in statu innocentiæ futura fuisset hominum generatio per Veneream commixtionem.

HOMINES, nisi Adam peccasset, in Paradiso voluptatis generationi operam daturos fuisse, vti nunc per geniales complexus, est adeò vera sententia, ijsque rationibus, & auctoritatibus fulcita, vt Ludouicus Molina libro de opere sex dierum contrariam minus tutam in fide existimet. Vt autem veritatis fulgor eluceat magis, non erit ab re falsam aliorum opinionem recensere prius, qua vti caligine obtenebrante discussa, veracis opinionis radius vndique resplendeat. Gregorius itaque Nissenus libro de creatione hominis capite 18. asserit, in Paradiso voluptatis nullas futuras fuisse nuptias, nullamque prorsus maris, & fœminæ Veneream coniunctionem; speciei autem propagationem Protoparentes, & alios facturos fuisse per simplicem quendam, & perfectissimum actum, quem assequi mens humana nequit, eo prorsus modo, quo Angeli seipsos multiplicauerunt. Hanc eandem opinionem habuit Damascenus libro 2. fidei orthodoxæ capite 30. vt referunt Pererius in Genesi, & Molina præcitato loco, quod idem sensisse addunt, Euthimium, Chrysostomum, & Procopium Gazeum.

Sed pace tantorum virorum dixerim, falsa est opinio, Philosophis, & magis Theologis indigna, & illud in primis Nysseni penitus imaginarium videtur. Quo enim vnquam actu Angeli seipsos multiplicarunt? Quando in ijs propagatio contigit? Cur non etiam contingat hodie? Qualis hic actus naturæ, an intellectus? Arbitrij, an instinctus? Cur insuper nequeat excogitari actus ille, quo sese homines propagassent? Iam enim vniuersa bona, quibus natura humana in Paradiso terrestri affluenter potita esset, satis, superque cognita sunt; perennis vita, pax animi, salus corporis, cordis lætitia, rationis imperium, sensuum famulatio, rerum omnium cognitio, & omnes etiam actiones, in quibus sese exercuissent. Cur ergo resciri non potest actus ille perfectissimus, qui humanæ generationi destinatus eo loci fuerat? Nec dicendum, in statu illo Virginitatem, ceu decus quoddam, Paradisi proprium futurum fuisse, eo quòd, vt inquit D. Hieronymus: *Nuptiæ terram replent, virginitas Paradisum.* Quandoquidem, vt loquitur D. August. 9. super Genesi capite tertio, *non video, quid prohibere potuerit, vt essent etiam in Paradiso honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus, hoc Deo præstante, iussèque viuentibus, eique obedienter, sanctèque seruientibus, vt sine illo inquieto ardore libidinis, sine vllo labore, ac dolore pariendi fœtus ex eorum semine generarentur.* Preterea illud D. Hieronymi non intelligitur de Paradiso terrestri, verum de ipso Empyreo, in quo proculdubio nullum adest coniugium, sola fulget Virginitas iuxta illud.

Qui pascis inter lilia
Septus choreis virginum,
Sponsas decorans gloria,
Sponsisque reddens præmia. & rursus:
Quocunque pergis, Virgines
Sequuntur, &c.

Melior igitur, & rationi magis consona censenda est opinio Magistri Sententiarum in secunda distinct. 20. D. Thomæ prima par. quæst. 98. ex Diuo Augustino multis in locis, & præsertim 14. de Ciuitate Dei capite 26. vbi pulcherrima ad hoc propositum leguntur, & 9. super Gen. citato; Durandi, Pererij, Molinæ, & communiter omnium Doctorum, qui futuras fuisse in Paradiso voluptatis nuptias, tam verum existimant, quàm quòd verissimum; ea tamen distinctione, vt nulla tunc in actu coniugali futura fuisset inordinatio, nulla sensualitas effrænata, vt proinde actus hic generationis ab omni impuro libidinis ardore, & concupiscentiæ fomite fuisset alienus, eundemque tunc solùm exercuissent, cùm liberis operam dare voluissent.

Rationes autem, quibus innixa hæc sententia

tia confirmatur, plures esse possunt; & quidem A
prima; quoniam sicuti Angeli naturæ dona per
peccatum non amiserunt, nec receperunt; ita
etiam neque hominibus propter peccatum na-
turalia vel tradita sunt, vel ablata: sed naturale
est hominibus, vt se per connubia, & commix-
tionem propagent; id igitur, si in statu innocen-
tiæ perseuerassent, proculdubio habuissent, vt
modò habent. Secunda ratio est, quia in hunc,
& non in alium finem ante peccatum creata
mulier fuit, vt esset Adamo auxiliatrix, non ad
aliud, vt inquit D. Augustinus, quàm ad filio-
rum propagationem; quod patet, quoniam an-
te peccatū coniugio matrimonij iuncti sunt, vt
constat ex ijs verbis Genesis. *Hoc nunc os de*
ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem B
relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

Præterea si hoc non esset, quorsùm facta esset
distinctio maris, & fœminæ? Si Deus, & Natu-
ra, vt Philosophi concinunt, nihil frustrà fa-
ciunt, ad quem finem habuissent homines in-
strumenta generationis, hoc est genitalia? Rur-
sus quare dixisset Deus. *Crescite, & multiplica-*
mini, & replete terram. Nec dicat Dama-
scenus in præcitato loco, quòd ideò creauit
Deus mulierem, quoniam præscientia sua præ-
uiderat hominem peccaturum; & proinde ante
prouidit, ne hominum generatio laberetur in
corruptionem: alioquin si in statu innocentiæ
se se ij conseruassent, alia via, & alio modo, qui C
Deo non defit, multiplicati homines essent.
Nempè Demascenus inanem sibi finxit specula-
tionem, dum putat ex præscientia peccati geni-
tam esse fœminam; quis enim non videt, hæc
illum afferre, vt se tueatur à vi rationum, qui-
bus conuellitur? Ac si Deus determinasset suam
voluntatem ex præscientia peccati ad produ-
cendam fœminam, quam secùs nunquam es-
formasset; nec non eadem peccati prænotio
fuerit in causa, cur Deus homines hoc po-
tius modo, forma, ac structura, quàm alia
ratione creauerit. Esto igitur apotelesma verum, & indubitatum: in statu innocentiæ futurum fuisse ample-
xum, & initum genitalem, vt
modo fit, per vtriusque se-
xus naturalia instrumenta
absque vllo tamen fo-
mitis impetu, & mo-
tu inordinato.

CAPVT XI.

Vtrum in statu Innocentiæ apud illa paradisi Tempe omnes planè viri, & mulieres indifferenter generationi dedissent operam.

NEMINEM cælibem vitam
acturum fuisse in statu innocen-
tiæ apud fœlicissimam illam ter-
restris Paradisi regionem, sapien-
tissimorum Doctorum auctori-
tate, & rationibus ipsis probari
potest. Auctoritas in primis est Pererij libro to-
ties nuncupato, & aliorum, quos recensere,
opere pretium non est. Rationes autem, vt
opinor, huiusmodi esse possent. Primò namquè
cælibatus futurus fuisset ex omni parte inutilis,
quare non fuisset adhibendus. Assumptum pro-
batur ex eo, quòd nullus tunc extitisset fœdus
corporis fomes, nulla concupiscentiæ, aut libidi-
nis immoderata cupiditas: hæc etenim soboles
peccati sunt, ideo haud fuisset opus, turpè, & ef-
frænatum genium infringere cælibatu. Præterea
in commixtione non modo nullum adfuisset cri-
men, sed meritum potius, & hoc non paruum
ex propagatione diuinarum imaginum; igitur
virginitatem seruare, fuisset opus inutile po-
tius, & otiosum. Quin etiam, qui illam reseruā-
re contendisset inobediens potiùs extitisset ver-
bo Domini dicentis: *Crescite, & multiplicami-*
ni, & replete terram. Eò magis quòd eò tem-
poris cuncti homines, quoad formalem ratio-
nem virginitatis fuissent virgines; Vt enim ali-
bi dicetur, Virginitas duo includit, materialem
illam corporis integritatem, & fœdæ cupiditā-
tis; atque inordinati fomitis priuationem, ex
qua cælibes dici potuissent, licet fœcundissi-
mam prolem edidissent.

Insuper in statu innocentiæ nequicquam ho-
mines meruissent ex continentia; fuisset ergò
frustratoria; neque vir, aut mulier, de quibus D
dictum fuerat: *Erunt duo in carne vna*, abs-
que nota quadam criminis potuissent à coniu-
gio separari, & consortio hauquaquam vti; di-
xerat enim Deus, *Et adhærebit vxori suæ*, quan-
doquidem hoc diuinum præceptum: *Erunt duo*
in carne vna, ex Theologorum doctrina, qua-
tuor sensus habere potest. Primum, vt coniun-
gerentur ad vnam vitam communem, & ex-
ternam, corporalemque agendam. Secundum,
vt commiscerentur in copula carnali, propter
quā dicebat Paulus Apostolus primo ad Corint.
6. *Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur.*
Tertiū fuissent duo in carne vna, propter vnius
carnis, ideſt prolis generationem. Quartum
de-

Digitized by Google

denique propter mutuam vtriusque coniugis potestatem; vt enim dicebat idem Paulus ad Corinth. præsignato loco: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Igitur ex omni iure commiscerí debuissent; nec est vlla ratio, ob quam hoc sanguinis vinculo defraudarentur, eò magis, quòd inde maior Dei gloria resultasset.

Denique aio, quòd cùm opus naturæ naturalissimum sit, teste Aristotele, generare sibi simile; cùmque in statu Innocentiæ cuncta naturæ opera omni perfectione maiori exercuissent homines, absque vlla dubitatione actus hic generationis, ac tecnogoniæ omnium maximè fuisset celebratus. Vt ideò (& esto Corollarium) non minus prudenter, quàm doctè D. Thomas edixerit prima parte quæst. 98. quòd cùm nulla tunc futura esset inordinatio in coniugali actu, summaque fieret cum tranquillitate, nihilque proinde à diuino amore, & contemplatione auocaret; & insuper ordinaretur ad tantum bonum, quantum est generis humani propagatio; præsertim in eo statu, in quo homines omnes nascerentur iusti, consequenter laudabilem non futuram fuisse virginitatem, nec præponendam matrimonio, vt post lapsum primorum parentum iure præponi debet.

Verùm dices. Aliqua naturæ opera determinantur ab arbitrio voluntatis, cui inferiores potentiæ subiacent. In illo igitur innocentiæ statu, quando extitisset voluntas in robore suo, necnon sensuum facultates nulla discrepantia tributariæ, potuissent homines ad libitum velle, & nolle actus generationis perficere. Cur ergo non potuisset aliquis esse, qui ab omni generationis, ac Pedurgiæ operatione abstinuisset? Belluarum enim videtur, indifferenter naturali instinctu suadente, statò quodam tempore vacare genio. Respondeo, verissimum id esse; at tunc temporis nullam futuram fuisse rationem, ob quam voluntas, & arbitrium coniunctionem reclinassent. Siquidem actus ipse erat honestissimus, nulla prorsus turpitudine pollutus, Deo acceptus, homini gratus, naturæ proprius, creaturæ vtilis, Paradiso, in quo erant, apprimè conueniens. Amabo vos, si quis hodie nollet comedere, aut bibere, quod est opus naturæ conseruatiuum, vtique vel insanus, vel sinceræ mentis ratione deficiens iudicaretur. Ita omnino in perfectissimo illo statu penès locum, omni fœlicitatis genere affluentem, abstinentia è mulierum consortio nonnisi ex mentis præstricto lumine contigisset; mentis autem deprauatio in Paradiso contingere nequaquam potuisset; quoniam solùm post peccatum ad pœnam irruerunt noxæ corporis, mentis caligines, & humorum deprauatio, quorum consectariæ extant opiniones deliræ, & insanæ iudicia. Patet ergo, quomodo in perfectissimo, & fœlicissimo simul innocentiæ statu futurum fuisset, vt cuncti homines circa sobolis procreationem occuparentur, necnon vt cælibatus omni ex parte infructuosus extitisset; & quamuis amœnissima illa regio citissimè numerosa prole repleta fuisset; eo quòd, nemine pereunte, quotidie noua soboles cerneretur: id tamen in causa fuisset, vt eò citius cœlestes replerentur sedes, ad quas tandem homines transferendi erant.

CAPVT XII.

An homines, & bruta statim creata generationis obierint munus.

HOMINEM in terrestris aulæ Paradisi Venerem non nouisse, melior Theologorum schola rationabiliter asseuerat, & nos infrà docebimus. Siquidem rationalis homo ad imaginem, & similitudinem Dei creatus, discursu, & intellectu præditus iam dum cùm in honore erat, & intelligebat, minus conueniebat, vt statim in lucis auras productus generationis actum exhiberet, corpori seduló, & non animo indulgens; cuius protectò spirituales potentias Deum potius Archetipum vniuersi primariò intelligere, & contemplari, voluntate diligere, ac memoria Protoplastæ beneficium reminisci, par erat. Cur enim in illo tranquillitatis cumulo, in quo nulla prorsus vrebat libidinis, concupiscentia, nullus genialis fomes, nullus Veneris inordinatus angebat appetitus, debuisset homo ita citius se Veneris commixtioni applicare. Cùm præsertim nouam in lucem recentèr editus potuisset iucundius mille opera Domini excelsa mirari, & admirari: lucis candorem, solis iubar, æthereos orbes, motum sphærarum, & harmoniam, astra micantia, elementa, viridia telluris nemora, amœnissima tempe; tot plantas, & herbas, tot feras, & aues, quorum omnium ipse Rex dominabatur. *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Enimuerò de sententia Epitecti, & Arriani, e Stoicorum secta, Deus optimus maximus introduxit hominem in hunc mundum, vt sui, suorumque operum esset contemplator. Inde 2. de Natura Deorum Tullius aiebat. *Sunt in terra homines non vt incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cœlestium, quorum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.* At bruta, quæ nullam præter generationem excellentiorem obtinent operatio-

nem, intellectu, & ratione penitus orbata, verisimile est, quòd statim producta, pruriente naturæ ignic ulo sint commixta, & generationi cum primis operam dederint; non enim, vt homo ipse distrahi ad rerum contemplationem, & loci pulchritudinem potuere; id quod herculeo argumento sic probari posset: Illud naturæ opus primariò bruta exercuerunt, quòd magis illis erat secundùm naturam: sed hoc erat opus generationis; igitur hoc primò exercuerunt. Minor patet ex Aristotele, Platone, Aetio, & omnibus passim, qui asserunt naturalissimum opus naturæ esse, generare sibi simile; nec magis consonum videtur, quòd bruta prius comederint, biberint, dormierint, aliaquè naturæ obierint munia: tantò magis quòd in ipso mundi principio ad bonum vniuersi, & ad speciei propagationem necesse erat, vt fieret primariò generatio; cùm id præsertim præcepisset illis Deus ijs verbis, *Crescite, & fructificate.* Cui quidem præcepto verisimile est, bruta confestim obtemperasse.

A

B

At illud fortius argumentum esse posset aduersus hanc meam sententiam. Generatio non potest fieri absque semine: semen est excrementum vltimæ digestionis; animalia statim à Deo producta non dum digestionis officio functa erant vllo; igitur hoc vltimæ digestionis excremento carebant. Ergò non poterant generare, neque ad huiusc emodi actum à viseminis pruriente impellebantur; quare & prius comestionem, quàm generationem adhibuerint necesse est. Respondeo tamen, excrementa penès philosophos alia esse vtilia, alia inutilia: vtilia, e quorum censu semen est, credendum est cunctis animantibus à principio indita esse à Deo; siquidem excrementa hæc faciunt ad complementum integritatis totius corporis. Igitur cùm Deus ab initio creaturas omnes, & in primis animantia omni perfectione perfectissima produxerit, consequens est, vt tali etiam fœcunditatis humore refertissima ediderit; quod vlterius euidentèr probatur. Nam si Deus produxit herbas, & plantas cum seminibus ipsis, quare nõ etiam animalia? Quòd produxerit herbas, & plantas cũ seminibus suis discite ex sacra Genesi, vbi hæc leguntur. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxtà genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram, & factum est ita.* Vide Pererium in Genesim super his verbis. Quinetiam addo, debuisse Deum necessariò (id sano modo intelligas) semen animantibus adiungere, quandoquidem sequeretur absurdum illud, quod animalia statim producta fuissent infœcunda, ac sterilia, nec potuissent generationis opera exequi; at proprium perfectorum animalium est, producere sibi simile, vt Philosophi omnes censuere, & in primis Aristotel. 4. meteor. & per consequens, quòd viuentia à Deo creata nõ fuissent perfecta,

C

D

quod absit tamen, vt dicamus, perfecta enim, sunt opera domini. Neque dicas futurum fuisse, vt statim assumpto cibo excrementum hoc vtile coadunarent, ex quo postmodum semen conficeretur; valeret enim superius allatum absurdum de imperfecta eorundem creatione, cùm par sit in sententia omnium Theologorum, & Philosophorum affirmare, à Deo tam perfecta, quàm quæ perfectissima, fuisse producta animalia.

Dices: Natura cùm statim producit aliquod viuens, absque semine illud producit; vnde videmus, quæ de nouo germinant, plantas, diù semine carere; & animalia, atque homines vsque ad statum quoddam tempus, & ipsius naturæ incrementum ad generationem ineptos esse. Respondeo, nullam esse inter Deum, & naturam comparationem: finiti enim ad infinitum nulla proportio. Rursus natura in suis operibus procedit à potentia ad actum; quare non statim dat fœtum omnibus numeris perfectum, sed à principio paruum, exilem, rudem, & qui post editionem augescat. Deus autem ab omni penitus potentia remotissimus solo actu, actus ipse, operans producit effectus vndequaque completos. Quamobrem non est par ratio. Asseramus ergo, hominem rationis compotem, diuinæque participem auræ statim creatum in plasmatorem suum mentis aciem direxisse, mundique spectasse nouam lucem, mirumque decus; bruta verò illicò naturæ paruisse, ac genio, orbata meliori munere.

CAPVT XIII.

Quando institutus fuerit actus generationis, & an primi Parentes in Paradiso terrestri liberis operam dederint.

POSTQVAM Deus formauit Euam in adiutorium viri, adduxit eam ad Adam, illiq; in sociam tradidit, & vxorem, ambos indissolubili matrimonij vinculo coniungens, mox dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram;* quibus verbis, vt communis est omnium Doctorum sententia, & verba ipsa sonant, iniuncta fuit hominibus virtus generandi; & actus coniugij ordinatus fuit; & hac eadem ratione in quinta die operis, antea tradita fuerat piscibus, & cæteris animantibus vis prolifica, eorumque instituta coniunctio præcepto illo affirmatiuo, ijsdem verbis prolato. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Patet itaque, quando fuerit instituta inter virum, & mulierem Venerea mixtio, necnon inter cætera cuncta animantia, quibus omnibus, dum æternus Protoplasta benedi-

Digitized by Google

dixit, tum fœtificandi desiderium inseruit. Sed quæres, cur pari modo non benedixerit plantis Deus, illisque præceptum idem non inculcauerit: *Crescite, & multiplicamini*. Nodum exoluit Rupertus libro primo de Trinitate capite 52. vt refert Pierius primo in Genesim: inquit enim: *Herbas virentes, siue lignum pomiferum eadem terra, quæ germinat, vel produxit, multiplicat, & semen illis ipsa importat, & cadentia recipit, etiam si fœcundis manus fortè desit; & ideò multiplicandæ posteritati solum, in quo sunt ipsa, sufficit. Verum reptilibus, siue volatilibus, si nullus fuisset appetitus, non ipsa crescerent, aut multiplicarentur, & non fletisset eorum genus. Cùm ergo initium existendi accepissent, oportuit eiusdem creatoris imperio naturalem illis medullitus inseri amorem, vel appetitum, vt masculus ardens ad semen ingerendum, fœmina nihilominus auida foret ad recipiendum; Hoc illis benedictio contulit, & ob hoc necessaria fuit.*

Maior dubitatio est, an illi primæui nostri parentes apud illa Paradisi fœlicissima tempe geniales complexus, Venerisque congressus adhibuerint? & quidem non videtur, negari posse; quandoquidem in atrio illo terrestris beatitudinis vir, & mulier coniuncti sunt matrimonio, & fœcunditatis benedictionem receperunt ipsimet verbis iam recensitis; *Crescite, & multiplicamini*, & quæ sequuntur. Præterea amœnissima illa fœlicitatis regio dicebatur Paradisus voluptatis; igitur inter alias ingentes voluptates, hæc ipsa Veneris deesse non debuit; eò magis, quia, vt Magister Sententiarum, D. Aug. D. Tho. & alij censent, eò loci futura fuisset coitus voluptas, regulata quidem, sed longè perfectior, & intensior, quàm in præsentiarum degustetur, vt nos alibi pluribus demonstrabimus. Nec dulciorè incunditatem in Paradiso Patres primogeniti delibare poterant, quàm eam, quæ ex mutua dilectionis amplexione hausissent.

At nihilominus contraria sententia, vt verior est recipienda, & probanda magis. Nam in primis extat Moysis auctoritas quarto Geneseos, vbi describit apertè, Adam, postquam e Paradiso expulsus fuit, cognouisse vxorem suam; verba sunt: *Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit Cain.* Præterea hæc etiam est communis omnium opinio; nempè primos parentes in Paradiso terrestrium delitiarum virgines extitisse. At cur, dices, non coniuncti sunt? Quoniam expectabant, vt aiunt, peculiarem Dei præceptionem ad prolem conserendam. Insuper parum in Paradiso commorati sunt: dicunt enim alij, per vnius diei spatium ibi permansisse: alij quadraginta dierum spatio ibidem vitam transegisse; Pererius verò libro sexto in Genesim existimauit, probabili ductus ratione, per octo tantum dies illius loci fœlicitate potitos; & ad hoc credendum inducitur ex eo, quòd cùm eadem die, qua creatus fuit, electus etiam fuerit; non eadem numero, sed eadem feria; ideo arbitratur, expulsos esse octaua à creatione. Retulit quidam, & refert Pererius libro septimo in Genes. Methodio martiri cùm propter fidei confessionem in carcere detineretur, reuelatum fuisse, primos homines, cùm electi sunt e Paradiso, fuisse Virgines, & postea per quindecim annorum intercapedinem carnali copula abstinuisse, toto hoc tempore lugentes inobedientiæ peccatum: decimoquinto autem anno post casum genuisse Cain, & sororem nomine Calmanar: rursus quindecim annos vacasse, & deinde iterum generationi operam dedisse, necnon produxisse Abel, & sororem Delboram. Sed Pererius stat meritò indignabundus in huius inuentionis auctorem; verè enim, *oreflis somnium redolent*, quæ nouus iste Palephatus, vti vera persuadere nititur. Quicquid verè fuerit de præciso tempore, quo permanserunt in delicijs, certum est, illud breuissimum fuisse, nec miseros Parentes satis temporis nactos esse à contemplatione diuini operis excellentiæ, vt potuissent, & liberis, & geniali voluptati nauare operam. Rationibus autem in contrarium deductis sic respondèdo satisfiet. Nam quoad primam, licet in Paradiso stabili coniugio iuncti essent, & præceptum multiplicationis recepissent, inferri tamen ex eo non debet, eos statim in Venerem irruisse ob rationes superius deductas. Quoad secundam verò nego negat, quin in Paradiso illo voluptatis isthæc etiam voluptas plenè degustata fuisset. Sed perditi homines & hac, & alijs delicijs se se ex inobedientia dispoliauerunt, nec satis diù penès illius loci amœnitatem immorati sunt, vt huius insimul iucunditatis ibidem participes fieri potuerint. Atque his illorum pariter sacrilega lingua conuellatur, qui dixerunt, protoparentes nostros in illo deliciarum viridario Venere abusos fuisse.

Finis Primi Libri Geneanthropeiæ Io. Benedicti Sinibaldi.

SYLLABVS
TRACTATVVM, ET CAPITVM,
quæ in præcedente primo libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De Nomine, Definitione, & finali causa Veneris. pag. 1.
Cap. I. *De Veneris Nomine, ac Pseudonumine. col. 3.*
Cap. II. *De Duplici Venere, 7.*
Cap. III. *Quid sit Aphrodision. 9.*
Cap. IV. *Quenam sit causa finalis Venerei congressus. 11.*

TRACTATVS SECVNDVS.

De Amore Veneris, affectibus q. Eroticis pag. 15.
Cap. I. *Quid sit Amor Veneris. col. 16.*
Cap. II. *Qualis sit Amor Veneris. 17.*
Cap. III. *Per quam corporis partem inuadat Amor Veneris. 18.*
Cap. IV. *Quæ sint Amoris Aphrodisæi artes, & proprietates genuinæ. 20.*
Cap. V. *Quæ mala, & vitia comitentur Amorẽ. 21*
Cap. VI. *Quæ sint Amoris præsentis indicia. ibid.*
Cap. VII. *Quos magis adoriatur amor. 24.*
Cap. VIII. *Quibus rebus augeatur amor. ibid.*
Cap. IX. *Multarum etiam vtilitatum originem, auctoremq. bonorum amorem esse. 25.*
Cap. X. *An sit Amor herbis, pharmacis, amuletis, alijsue rationibus medicabilis; vbi Ouidij Eroiatria vana ostenditur. 28.*
Cap. XI. *Quæ sint in Amore alterutrius odij, vel concordiæ causæ. 33.*
Cap. XII. *De Philtro, siue amoris illicio. 36.*
Cap. XIII. *Cur deformes interdum amentur. 39*

TRACTATVS TERTIVS.

De generalitate, necessitate, & initio Venereæ mixtionis. pag. 41.
Cap. I. *An cuncta animalia perfecta, & imperfecta actum Veneris exerceant; vbi de spontaneo animalium ortu, eorumque efficiente causa nonnulla delibantur. 41.*
Cap. II. *An Dæmones indulgeant Veneri, vbi de Incubis, & Succubis. 47.*
Cap. III. *Ponitur solutio aliorum argumentorum, & conclusionis exodium. 53.*
Cap. IV. *An potuisset natura alia ratione, quàm per Veneris congressum generationem hominum administrare, & an sponte, siue ex putrẽ ijdem, aliaque perfecta animalia oriri valeant. 56.*
Cap. V. *An Vipera, Mustela, Cornix, pisces, & alia quæpiam ore concipiant, vt summi etiam auctores affirmare videntur. 61.*
Cap. VI. *An verum sit, Perdices fœminas absq; coitu maris concipere, vt videtur dixisse Aristoteles Zoographus: vbi etiam de ouis hypenemijs, atque murium incredibili fœcunditate. 65*
Cap. VII. *An verisimile sit, quasdam equas, libidinis æstro percitas absque masculo, solo vento, concipere. 69.*
Cap. VI. *Posse etiam homines concipi spiritibus, tantùm seminalibus a viro, & muliere emissis absque vlla genituræ effusione, vt supradictum est de perdicibus. 73.*
Cap. VII. *An Auerrois illa puella in balneo, in quod semen viri deciderat, concipere potuerit. 83.*
Cap. VIII. *De Apum præclara generatione, & regeneratione. 87.*
Caput. IX. *An verum sit, Phœnicem, & Semendam auem rogo regenerari; vbi item de Ranæ Gyrinæ, Bombycis, & Conchæ mixo ortu, & interitu. 89.*
Cap. X. *An in statu innocentiæ futura fuisset hominum generatio per Veneream commixtionem. 93.*
Cap. XI. *Vtrum in statu innocentiæ apud illa paradisi Tempe omnes planè viri, & mulieres indifferenter generationi dedissent operam. 96*
Cap. XII. *An homines, & bruta statim creata generationi obierint munus. 98.*
Cap. XIII. *Quando institutus fuerit actus generationis, & an primi parentes in paradiso terrestri liberis operam dederint. 100.*

Digitized by Google

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER SECVNDVS.

De Principijs Generationis humanæ, viro nempe, & muliere, eorumque ad Venerem aptitudine, atq; coniugio.

Ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſs. D.

D. FAVSTVM POLVM ARCHIEPISCOPVM Amaſiæ, & Pontificiæ Domus Præfectum vigilantiſs.

INGRATI animi vitio non immeritò inſimulari poſſem, Illuſtriſſime, & Reuerendiſsime Præſul, ſi quę altamente officia erga me tua dudum ſeruantur, aliquando, cùm licet, non patefacerem, & viuis etiam characteribus non exprimerem; ſiquidem, auctore Seneca, ingratus non eſt, qui beneficium non reddit, ſed qui ſe accepiſſe, non fatetur. Enimuerò ſub tuo patrocinio Romę hactenus vixi, & reliquam adhuc ętatem fortè melioribus auſpicijs traducere confido. Quandocunque enim rerum mearum occaſio tulit, ad benignitatis tuę Aſylum protinus confugi, meque hilari fronte excepiſti ſemper, ſtudijſque meis fauere non ęgrè curaſti; Si verò ex voto omnia non ſum conſecutus, id fortunę meę duntaxat iniquitati, aut exilibus meritis acceptum refero. Prodit iam in hoc Orbis emporium prima quędam ſtudiorum meorum ſeges, quam tibi etiam, Antiſtes Illuſtriſſime, delibandam offero, vt ſi bene quicquam gutturi tuo ſapiat, aliquando tanquam poſt

poſtcæniũm, & ſeras, vt ille ait, epidipnidas apponere non graueris Vrbano Pontifici Glorioſiſſimo, qui, vt noſti, antequam Pontifex renunciaretur, primis adoleſcentię meę ſtudijs, cùm in Spoletano Seminario conuictorem agebam, benigniſsimè fauit, & nuper in hoc Almo Vrbis Athenæo Medicinæ Practicæ me inter alios nuncupauit. Agnoſceret fortè Vrbaniſsimus Princeps in hiſce primitijs, nec deſpiceret, antiqua illa meæ pubertatis ſemina ſub fulgentiſsimi eiuſdem Solis influxu haud inauſpicatò iacta, ac tanquam indè exortas, ſibique propterea debitas fruges deguſtare ſaltem ore ſummo nequaquam dedignaretur; eo modo, quo immortales Dij, vbi vel balzama, vel Hecatombes victimæ deſunt, adoreum deſpicere non ſolent. Cæterùm id mihi optandum amplius relinquitur, vt emeritæ virtuti tuæ debitum præmium quamprimum referatur; tot namque labores in Pontificiæ Domus, in qua Maiorem agis, regimine ſuſtinuiſti, tam accuratè cuncta ſemper ordinaſti, tam ſedulò grauiſſima Aulæ munia expleuiſti, vt iure merito poſt alios honores Archiepiſcopatus Amaſiæ dignitate fuerisinſignitus, nec multo poſt apud Mariam Auſtriacam tunc Reginam Vngariæ, modo Auguſtiſſimam Imperatricem, Eccleſiaſticam Ditionem peragrantem Apoſtolici Nuncij munere functus fueris glorioſiſſimè. Et quoniam æquam laboribus mercedem non denegant ſupremi, & æquiſſimi Principes, eſt adhuc, quæ fidei tuæ, diuturniſque laboribus proximè debeatur dignitas; quam vt fœliciùs conſequaris, integram a vero Numine tibi valetudinem deprecor, ſine qua neque honores, neque opes ampliſſimæ quicquam beare mortales poſſunt. Vale.

GENEANTHROPEIÆ SIVE DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER SECVNDVS.

De principijs generationis humanæ, viro nempè, & muliere, eorumque ad Venerem aptitudine, atque coniugio.

PROEMIVM.

PRINCIPIA generationis esse marem, & fœminam, secundo de generatione animalium ediserit Aristoteles. Cùm enim in qualibet actione duo requirantur necessariò, subiectum, seu materia, & efficiens; mas efficientis munere fungitur; fœmina etiam ipsa efficienter, minus tamen principaliter concurrit, materiam autem generationis primariò præstat. Cognitio autem horum principiorum vsqueadeò præmittenda videtur, vt sine illis reliqua intelligi nequeant, & prorsus ignorari, necesse sit. Siquidem ex Aristotele primo Physic. tex. primo. *Tunc putamus cognoscere vnumquodque, cùm causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa.* Supra declarauimus; naturam necessariò, & congruè hominum generationem instituisse per maris, & fœminæ coniunctionem; igitur de his, vti generationis principijs in hoc secundo libro agendum erit, omissis interim inutilibus quæstiunculis, quæ circa virum, & mulierem poeticè magis, quàm philosophicè agitari possent.

TRACTATVS PRIMVS.

De ratione sexus.

PRAELOQVIVM.

AN omnibus rebus reperiri sexum affirmarunt plerique; sed in primis Dioscorides, Plinius, ac Theophrastus, & alij omnibus herbis, plantis, lapidibus, metallis etiam sexum delineant. Imò Ægyptij vel ipsis Zodiaci signis, & figuris sexum non denegarunt: aiunt enim, quod nisi penès illa fiat coniunctio sexus, nulla apud nos fit generatio. Verùm quicquid sit de istis, illud ratum habere debemus, in cunctis animalium perfectorum speciebus vtrumque sexum reperiri; in imperfectis verò non necessariò distinguiquod expressum legimus apud Aristotelem quarto de historia animalium capite vndecimo his verbis. *Sexus autem masculinus, fœmininusque non in omnibus animantibus est: sunt enim quibus id deest, ac similitudine quadam & parere dicantur, & ferre vterum: sexus ergo diserimen in animalibus, quæ vita flabilem viuunt, aut omnino in ijs, qui testa integuntur, nullum omnino est.* Distinxit ergo & in hominibus sexum artifex infinitus Deus; cùm producto primo parente e limo dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adiutorium simile sibi.* Quare, iniecto extatico sopore in Adamum, tulit vnam e costis, & carne circumuestiuit, mox obtulit illi, qui statim dixit: *hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.* Sed cur Deus dixerit, non esse bonum hominem esse solum, hæ sunt rationes; prima quidem; quoniam est ille animal sociabile, vt hac sola societate maximè, Tullio teste, præstet belluis. Secunda quia ex homine absque muliere non resultasset bonum, nimirum proles: bonum etenim est sui diffusiuum; nequaquam autem diffundi potuisset, nisi adiutorium illi congenitum foret, mulier videlicet. Quocirca (& est tertia ratio) ipsemet homo expers extitisset maximi boni, quod est producere sibi simile, & suam

suam imaginem exerere in prolem, qua ratione diuino enti maximè assimilatur. Vnde Aristoteles 2. de Anima tex. 34. sapientissimè aiebat *naturalissimum enim operum, quæ in viuentibus quæcumque perfecta, & non mutilata sunt, aut generationem spontaneam habent, est facere aliud, quale ipsum, animal quidem animal, plantam autem plantam, vt ipso semper, & diuino participent secundum quod possunt.* Multa igitur ad sexum spectantia in primo hoc tractatu iucundo stylo, vti reliqua pertractare decreui, quatenus nihil ad operis perfectionem vllo modo desit, & lectoris auido ingenio plenè satisfiat.

CAPVT I.

De hominis eminenti perfectione, ac diuina propemodum excellentia.

TANTA est hominis excellentia, ea perfectio, vt qui vellet eas adamussim describere, opus haberet maximum implere volumen; siquidem hominis præstantia vndequaq; relucet. Enimuerò si respiciamus corpus, quàm concinna fabrica? quàm nobile ædificium? quàm consona symmetria? confluxus vnus, conspiratio vna, consentientia omnia, dicebat Hippocrates. Et quidem quis non admiretur in eo excelsum opificium, diuino sanè consilio patratum? Quis, nisi cæcus Tyresias, non videat etiam cùm stupore membrorum structuram, venarum texturam, humorum mixturam? quis non iudicet, eum diuinum opificem, qui tot organa perfecit, disposuit perfecta, connexit disposita? Discat, qui nescit, ex anatome viscera, & fibras, neruos, ac tendones, membranas, & cartilagines, carnes, venas, arterias, ossa, periostia, spiritus, & sanguinem. Aspiciat, si placet, in ædificij summitate caput, ceu turrem cum suis custodibus, qui sunt vigiles oculi; & hic mihi in mentem veniunt Alexandri Aphrodisæi, aut si mauis Tralliani verba quædam lib. 2. problematum registrata, quæ sunt. *Considerandum porrò mihi aliud diuinum opus; cùm enim animam à corpore cælesti, & diuino demissam terrestri corpore claudere oporteret, descensum ipsi excogitauit per corporis figuram, constructionem, & colorem. Ipsum enim caput rotundum formauit, tanquam paruum quoddam cœlum: Cerebrum verò purum, ac perlucidum construxit largitus spiracula septem, velut fenestras pro planetarum numero; Denique superposuit toti corpori, quia Cœlum eminet rebus omnibus, generationi, & corruptioni obnoxijs.* vide problema 68. Cor ipsum intueatur, vti regem in medio Ciuitatis: præcordia, vt famulos; hepar, & ventriculum, ceu dapsiles dispensatores: cæteros artus, vti subditos, & mancipia. Nam tametsi ex sanguine menstruo, & semine, vt Galen. 3. de vsu partium loquitur. *Immortale animal, aut impatibile, aut semper mobile, aut splendidum, & pulchrum, æquè ac sol est, non potuerit constitui, in ipsa tamen vilitate materiæ conditoris ars splendescit. Attonitum enim facit idiotam quidem materia; artificem autem pulchritudo artificij; etenim Sol, & Luna diuina quidem, & cœlestia sunt corpora: nos autem terræ statuæ; opificis tamen industria in vtroque æqualis.*

At si animum contemplemur, quid illo diuinius? *Mente*, dicebat Tullius 3. officiorum *nihil homini dedit Deus ipse diuinius.*

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Desuper enim accedit, immediatè productus, & inspiratus à Deo ad corpus informandum.

Hic clausit membris animos,
Celsa sede petitos. Boetius canebat.

Quid plura dicam? Præ animi excellentia, seu diuinitate quadam confusi ferè omnes Philosophi, quid statuerent de illo, prorsus hærebant. Zeno *ignem* esse, arbitratus est: Xenocrates, *numerum*: Plato, *substantiam intellectiuam*: Aristoxenus, *intentionem armonicam*: Euripides, *Deum*: Pytagoras *numerum seipsum cientem*: Thales, *naturam irrequietam*: Aristoteles vocauit *Entelechiam*.

Quòd si demum hominem consideremus, vt ex his duabus partibus compositum quoddam, iure dici potest cum Plotino, hunc esse *quoddam vniuersum*: cum Trismegisto, *magnum mundi miraculum*, & cum omnibus Philosophis, *microcosmon*: & iure quidem, quando reperiuntur in eo harmonia quadam conuenientia omnia, quæcunque in megalocosmo spectare licet. Etenim humores re ipsa comparantur elementis, caput Cælo, mens soli, duo lumina duobus polis, cerebrum cardini, cogitatio motui perenni, cor ipsum centro. Rursus respondent labores ventis, fletus pluuiæ, nubibus perturbationes, risus serenitati. Pubertas concinit veri, iuuentus æstati, virilitas autumno, senium hyemi, Dextra Orienti, sinistra Occidenti; collum Meridiei, crura Septentrioni. Tandem homo continet eminenter gradus, & virtutes mundi elementaris: vegetat cum plantis, sentit cum brutis, intelligit cum Angelis. Sed age paulò maiora canamus. Homo, dicebat Aristoteles quarto de partibus animalium capite decimo. *Animalium omnium erectus est, quoniam eius natura, atque substantia diuina est, officium autem diuini est intelligere; atque sapere.* Inde Boetius metro 5. lib. 5.

Vnica gens hominum celsum leuat altius
cacumen,
Atq; leuis recto stat corpore, despicitq terras.

Et

Et Ouidius

Pronaque cum spectent, &c.

Hic adhuc idem absolutissimus homo cœlesti insuper mundo, & orbibus æthereis, quos ore sublimi intuetur, affabrè conuenit; vt propterea verificetur in eo illud Platonis: omnia in omnibus reperiri, in cœlo terrena; sed modo cœlesti, in terra cœlestia, sed modo terreno. Attendite consonantiam. Quod Solem regit, & mouet immortale est: immortale etiam, quod animam rationalem, & corpus hominis regit, & mouet. Sicuti Solares spiritus illabentes in terram, huius particulas omnes & vegetat, & fouet; ita prorsus humani spiritus per vniuersum corpus distributi, singulas huius partes, & membra & vegetat, & fouet. Crescente lunari radio, crescunt etiam aquarum motus: crescente quoque spiritu animali, corporum, & humorum crescunt motus. Vt Iouis virtus in Cœlo rebus terræ non parùm est benefica; sic naturalis in homine facultas corporis functionibus mirificè propitiatur. Vt sol percurrens quatuor Zodiaci cardines, res naturæ variè afficit, ac mutat: Sic natiuus calor per quatuor ætatum tempora progrediens res animi, & corporis diuersimodè afficit, atque immutat. Vt solis motu, & spiritu mundus carere nequit; ita, & motu, & spiritu vitali cordis corpus carere non potest. Sicut Planetarum motus, & varius est, & multiformis: ita humorum corporis motus varius est, ac multiformis. Vt ignes ætherei elementis, ceu instrumentis, vtuntur; sic humanus animus spiritibus, & sensibus, vt suis vtitur instrumentis; Vt lunæ corpus, vel facies per tempora mutatur: sic etiam corpus hominis per certas immutatur ætates; Cœlum finem habebit, & transibit: humanum etiam corpus interibit. Sed longum foret omnem conuenientiam prosequi. Vide plenius Mizaldum de harmonia corporum cœlestium, & humanorum; vt meritò hinc de homine dici possit cum psalmographo. *Minuisti eum paululominus ab angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Sat erit in eiusdem gloriam tanquam breui epilogo dixisse, hominem ad imaginem & similitudinem Dei productum esse, vt sicut reperiuntur in Deo tres personæ in vna essentia: ita in homine tres potentiæ in vnica insunt anima; Demum addamus, hominem mundi epitomen, & ornamentum esse, sine quo megalocosmos, ideſt, magnus mundus vndequaque perfectus, & absolutus dici non posset. Hinc Ouid. 1. metamorphoseos,

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

A Dicamus tandem cum Cicerone 1. de legib. *Hoc animal prouidum, sagax, multiplex, memor, plenum rationis, quem vocamus hominem præclara quadam conditione à supremo Deo esse generatum.*

Erubescant inde hominum naturæ calumniatores, blaterantes, humano soli generi illam fuisse nouercam, quòd nudum, imbelle, imbecille, inerme, & omni ex parte egenum produxerit. Nempè eos magnus naturæ indagator redarguit Aristoteles 4. de partibus animalium cap. 10. vbi hæc appositè leguntur. *Qui autem hominem non benè, sed deterrimè omnium animalium conflare aiunt; nudum enim, atq; inermem creatū referunt, non rectè ij sentiunt: cætera enim animalia vnum auxilium habent, idque nullo pacto possunt permutare, sed quasi calceata semper dormire, ac omnia agere, nec vestitum vnquam deponere pleniorem, neque arma mutare, quæ semel acceperint, necesse est. At homini multa habere auxilia licet, eaque subinde mutare. Arma etiam, quæ velit, & vbi velit, capere potest; manus enim, & vnguis est, & vngula, & cornu, & hasta, & ensis, & quoduis aliud genus armorum, aut instrumentorum, quippè quæ omnia hæc sint. quoniam omnia, & sumere potest, & tenere.* Ideoque summo etiam iure Sallustius de bello Iugurt. scribebat. *falsò queritur de natura sua genus humanum, quòd imbecilla, atque æui breuis, sorte potius, quàm virtute regatur; nam contra reputando, neque maius aliquod, neque præstabilius inuenias, magisque naturæ industriam hominum, quàm vim, aut tempus deesse.* Si quæras, cur solus homo factus dicatur ad similitudinem Dei, cùm cæteræ insuper creaturæ creatoris aliquam similitudinem ferant? Ideò est, quia maiorem gestat homo Archetipi similitudinem; cùm enim de se dicat protoplastes Deus. *Ego sum via, veritas, & vita,* quibus verbis gradus essentiæ, vitæ, & sapientiæ describuntur; quædam creaturę participant solum essentiam, vti inanimata: quędam essentiam, & vitam; vti plantę, necnon bruta: quędam essentiam, vitam, & sapientiam, cuiusmodi est homo; idcircò antonomasticè as Dei similitudinem habere dicitur. Quo consilio appellatus à multis fuit Dei anulus, & numisma. Vtinam, vtinam ille à Deo, cæloque deuius terrena hęc non respiceret, quorum contagio vis illa diuina caligat, stupet, alisque nudatur, quarum flabello, (sapientię scilicet, & virtutis) erhera scandit: Ideoque Boetius metro primo libro 4.

Sunt etenim pennæ volucris mihi,
Quæ celsa conscendant poli,
Quas sibi cum velox mens induit,
Terras peruia despicit.

Etenim Zoroaster ex doctrina Chaldæorum dicere solebat, alatam esse hominis animam; fractis verò alis, ac gradu deiectam in elementa ferri præcipitem, tum illis succrescentibus in gradum

dum reponi; & ad superos revolare. Vide Rhodiginum lib. 17. vbi ad hęc multa.

CAPVT II.

An Vir, & Mulier accidentaliter tantùm, & per sexum differant.

VIRILEM, fœmineumque sexum genitalibus mẽbris distingui, natura voluit: Viris enim colem, mulieribus vas conceptionis tribuit, quibus alter ab altera distingueretur: neque alia prorsus specifica intercedit differentia, nisi hæc, quòd vir destinatus à natura est ad agendum, ad patiendum verò mulier. Consuevit enim natura sagax in quolibet genere agens, & patiens coniugare, vt agendo, & patiendo ad bonum vniuersi, & propriæ naturæ perpetuitatem similes effectus gignere valeat; vt proindè Platonis opinio nullo pacto audienda sit, qui 6. de legibus ait, fœminam aliud genus hominum esse, & differens, nobisque insuper natura occultius, & versutius propter imbecillitatem, atque ita minus ordinari posse; nisi fortè Plato velit, vt videntur sonare eius verba, mulierem esse genus hominum differens à viris, non quidem specie, sed sexu, & moribus; patet, vel ex eo, quod ait, esse genus hominum diuersum; homo autem non constituit genus, sed speciem: & hic est vulgaris loquendi modus, quando scilicet accidentiariam aliquam differentiam significare volumus, vt dicamus aliquem ab aliquo differentem esse, & alterius generis; putà circa mores, & corporis, animique qualitates. Quòd si dicatur ex Aristotele in lib. 4. de generatione animalium: fœmina naturaliter est contraria mari, igitur diuersæ speciei esse debet; siquidem quæ sunt sub eadem specie, non sunt contraria. Respondeas primò quidem, eundem Aristotelem alibi dixisse, inesse homini cum muliere maximam familiaritatem secundùm naturam. Secundò addas, nullam speciem quantumuis differentem alteri essentialiter contrariam esse; substantiæ enim nihil est contrarium; philosophum autem non sentire de contrarietate naturæ; verùm de contrarietate morum, & sexus; qua ratione mulier nimium cerrè distat à viro. Aristotelis enim verba hæc sunt. *Contrarium autem maris fœmina est, videlicet qua alterum mas, alterum fœmina est.* Namquè vir fortis est, mulier imbecillis; vir calidus, mulier frigida: perfectus vir, imperfecta mulier; vir sagax, & prudens; mulier vana, & imprudens: vir doctus, indocta mulier: vir sibi constans, mulier leuis; & varia: vnde Poeta.

Varium, & mutabile semper fœmina.

Vir tandem bonus; mulier callida, & versuta; hinc Propertius eleg. 2.

Sed vobis facile est verba, & componere fraudes:

Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Quod etiam non prætermit Aristoteles, qui dixit, mulierem melioris pietatis esse, quàm virum, sed maioris inuidiæ, & vafriorem viro. Et ille, qui mentiri non potest, sapientissimus Salomon Ecclesiast. cap. 15. eandem veritatem testatur ea parabola. *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris.* Venit in mentem pulcherrimum illud Claudiani epigramma, si rectè memini.

Cuncta sub astrigero regnantia crimina Cœlo
Nutrit in æternos fœmina nata dolor.

Et infrà.

Aere quot volucres instat, quot littora cœtus.
Tot mala, tot fraudes mens muliebris habet.

Vt meritò hinc suauissimus Menander dicat, Prometheum illum ad saxum torqueri, non quod æthereum ignem clam furatus sit; sed quia grauius malum inuenerit, putà fœminam, omnium humanarum calamitatum originem, & orbis exitium: hi sunt lepidi versus.

Ergo immerentem dictitant Prometheum
Pendere ficum Caucasi de rupibus?
Repertus ignis huic, aliud nihil boni;
Sed quod Deos odisse cunctos, credidi,
Inuenit idem fœminas, ò Dij boni,
Genus scelestum!

Hac igitur de causa potest mulier modo quodam dici animal ab homine diuersum, ac differens; verè autem non nisi per sexum distinguitur; Sed quæres, quid sit formaliter, esse distinctum sexu tantùm? nihil profectò aliud, quàm duas eiusdem speciei personas esse inuicem per organa generationis diuersa ordinatas, vnam ad agendum, alteram ad patiendum. Dixi eiusdem speciei, quia alioquin non fieret vnum per se, si diuersi generis coniungerentur; vel saltem resultaret tertia quędam natura differens ab vtraque, vt euenit in commixtione asini, & æquæ, ex quibus oritur mula, media quædam ab illis natura. Quo etiam euentu datus est locus illi prouerbio: *Quid noui affert Africa?* In hac enim regione teste Aristotele 8 de historia animalium cap. 28. magna est aquæ penuria, vt proinde plura diuersæ speciei animalia necesse habeant in vnum locum ad bibendum conuenire, qua occasione voluptatis illicio tracta coniunguntur etiam, & genialiter misceantur; ex quo tertium quoddam animal mediæ naturę concipitur, spectatoribus nouum. Dices ex Aristotele, mulier est sicut materia, vir sicuti forma; igitur sicuti forma plusquam specie differt à materia, sic quoque dicenda videtur mulier à viro differre. Soluetur dubitatio, si dixerim, Aristotelem dixisse, mulierem esse sicuti materiam, & virum, vt formam

Digitized by Google

mam, quatenus vir, & mulier ad agendum, & patiendum inuicem ordinatæ sunt, perinde ac forma, & materia institutę sunt à natura ad vnum compositum; nequicquam autem opinatur Philosophus, habere penitus eandem naturam cum illis, vtitur enim similitudine, in qua non est necesse, vt omnia ad vnguem conformentur assimilato; quod manifestissimè etiam probatur verbis Aristotelis 1. de generatione animal. cap. vltimo. vbi ait: *Et quanquam diuersa sunt animalia mas, & fœmina, tamen specie idem sunt, verbi gratia homo vtrumque.*

CAPVT III.

An fœmina sit mas læsus, occasionatus, & monstrum Naturæ, vt videtur significare Aristoteles.

VIDEO Peripateticorum audacem turbam, fortè etiam Archisophon ipsum Aristotelem nimis mordicùs in fœminęum sexum, sęquire, & audio palam effutientę, mulierem esse naturę παράβασιν marem lęsum, occasionatum, atque etiam monstrum naturę ipsius, siue dicas πάρεργον, à quo forsan didicit Marullus occinere in epigram.

Nec nisi naturæ fœmina crimen erat.

Tales autem nomenclaturas fœminæ legere est apud Aristotelem 2. de generatione animal. cap. 3. & 4. de generatione eorundem cap. 2. & alibi. Horum verò nominum Assertores nituntur probare opinionem hoc, vel simili modo. Omne occasione natum est monstrum, vt est in 2. physf. sed mulier occasionaliter producitur; ergo est monstrum. Minor videtur esse certa: quandoquidem si vir muliere, & communiter mas fœmina perfectior existit, natura autem ex eodem Aristotele de iuuentute, & senectute ex possibilibus semper facit, quod melius est; sequitur, vt quotiescunque gignitur fœmina, frustretur à suo fine natura, ex mala dispositione materiæ, ob quam uirum, & marem, quem producere intendebat, perficere nequiuit; ideoque videtur non absque ratione Aristoteles nuncupasse fœminam, & læsum marem, & occasionatum. Et quidem hæc eadem ratio est, cur antiquitus Deo nullum animal fœminini generis in holocaustum offerretur. Quia videlicet vt habet D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. fœmina est animal imperfectum. Atqui ex alia parte quis ausit affirmare, mulierem esse monstrum? siquidem à Deo producta illa est: absurdum est autem cogitare, Deum Protoplastam infinitum producere monstrum, & imperfectum quicquam. Præterea si monstrum, vt habetur in Physicis illud est, quod minus intenditur à natura, quodque rarissimè contingit; vtique mulier, eo quòd à natura de generatione sollicita non minus, quam vir desideretur, cùm absque muliere fieri omninò nequeat generatio, vt satis probatum est; & quia non rarò, sed sæpissimè, & fortè frequentius, quàm vir editur in lucem, nullatenus nomine monstri appellari debet. Verùm enimuerò, vt vndequaque soluta quæstio reddatur, necnon veritas, omni fuco exempta, magis eluceſcat, animaduertendum est, duplicem esse naturam ex recta Philosophantium schola, alteram vniuersalem, particularem alteram. Natura vniuersalis nihil est aliud, quàm communis, & vniuersalis causarum dispositio, dependens immediatè à Deo. Particularis verò est cuiusque rei essentia, apta producere aliquid. Iam si consideremus fœminam in ordine ad naturam vniuersalem, quæ dependet ab ipso Archetypo, & prima causa; profectò non monstrum, sed perfectum animal dici debet, quando & à Deo creata fuit, & ab ordine vniuersali naturæ propter generationis opificium semper intenditur. Quid enim; nonne genus humanum deperiret, si mulier deficeret? Aut num possent homines à terra produci, vt Plato in ciuili Hospite, & Socrate colloquentibus, annuere videtur? Haurio hanc met veritatem ab ipso Aristotele, qui secus appellitat fœminam, & marem læsum, & occasionatum, & simili modo; nam 4. de generatione animal. cap. 3. hæc scribit. *Sed initium primum degenerandi est, fœminam generari, non marem; Verùm hoc necessarium est naturæ, genus enim seruare oportet eorum, quæ fœmina, & mare distinguuntur; sed cùm fieri possit, ne aliquando semen superet maris, aut ob ætatem iuuenilem, senilemue, aut ob aliam eiusmodi causam, fœminam ob eamrem gigni necesse est, scilicet ad causam, cuius gratia, & finem, quanquàm per accidens necesse est, nam principium hinc sumatur oportet.* Cæterùm si fœmina consideretur, vt effectus naturæ particularis potest aliquo modo imperfecta nuncupari, degener, & mas læsus: quandoquidem sexus masculinus, vt perfectior intenditur semper. Hinc D. Thomas in prima quæst. 92. artic. 1. *fœmina*, inquit, *per respectum ad naturam particularem est aliquid deficiens, & occasionatum, quia virtus actiua, quæ est in semine maris, intendit producere simile perfectum secundum masculinum sexum, sed quòd fœmina generetur, hoc est propter virtutis actiuæ debilitatem, vel propter aliquam materiæ indispositionem, vel etiam propter aliquam transmutationem ab extrinseco.* Siquidem, vt etiam dicit Aristoteles eodem ipso de generatione animal. *Ventus Septentrionalis coadiuuat ad generationem masculorum, australis verò ad generationem fœminarum*; ob extrinsecas videlicet qualitates contrarias; vt ideò prudentissimè

Gal. 2. de vſu partium dixerit. *Oportebat quandam eſſe fœminam, nec credendum eſt, opificem partem totius generis noſtri dimidiam, ſua ſponte imperfectam, ac velut mancam fuiſſe facturum, niſi imperfectionem hanc magna quædam vtilitas fuiſſet ſecutura, quæ vtilitas eſt generatio.*

Inſuper fœmina, auſim dicere, neque modò explicato eſt monſtrum, neque illi maris læſi denominatio iure conuenit; opinionis fundamentum hoc eſt: Illud dicitur monſtrum, quod neque à natura vniuerſali, neque à particulari intenditur: fœmina ab vtraque intenditur: igitur nullo pacto monſtrum dici poteſt: Aſſumpta propoſitio probatur; & quidem quòd attinet ad cauſam vniuerſalem dictum ſatis eſt ſupra; quòd intendatur etiam à cauſa, & natura particulari, patet, quia intenditur à ſemine mulieris; vtriuſque enim ſemen maris, & fœminæ conatur effingere germen ſimile ſecundum ſexum. Quarè cùm primum in vterum binæ genituræ confluunt nempè viri, & mulieris, continuò reſultat inter illas certamen; hinc enim virile ſemen, vt virum pingat, quærit enixè, muliebre ſemen euincere; inde ex aduerſo ſemen mulieris, vt mulierem effingat, virtutem virilis ſeminis nititur ſuperare; adeo vt, ſi contingat viri ſemen vbertate, & ſpiritibus excellere, gignatur maſculus; verùm ſi contrà falcultas muliebris ſeminis ſua præſtet frigiditate, humiditate, & copia, fœmella producatur. Hanc veritatem inſinuauit nobis magnus Hippocrates libro de genitura his verbis. *Et ex quacunque corporis viri parte plus prodierit in genitura, quam mulieris, partus ille magis ſimilis erit patri; Vndecunque verò à corpore mulieris plus venerit, magis aſſimilabitur matri.* Huius quoque ſententiæ fuit Ariſtoteles 4. de generatione animal. ſæpius nuncupato cap. 3. vbi ſic ait. *Quoties enim excrementum ſeminale benè concoctum in menſtruis eſt, motus maris agit pro ſua forma; itaque ſi ſuperat, facit marem, non fœminam, & ſimilem ei, qui generat, non matri; ſed ſi non ſuperat pro ea, qua non ſuperauit facultate, defectum facit.* Profectò mutuatus eſt Ariſtotel. vt noſtis, hanc opinionem ab Hippocrate in præcitato loco, quam tamen pluribus proſequitur, vt cuilibet obſeruare fas eſt lib. & cap. notatis de generat. animal. ſed clariùs adhuc idem Ariſtotel. 4. ipſo de generatione animal. cap. 1. hanc ſententiam expreſſit hac oratione. *Cùm enim principium non ſuperat, neque concoquere poteſt propter caloris inopiam, nequit ducit in ſuam formam, ſed tantiſper ſuperatur, mutari in contrarium neceſſe eſt. contrarium autem maris fœmina eſt, videlicet, qua alterum mas, alterum fœmina eſt.* Ruſſus igitur ſuperat ſemen maris ad ſe ducit, *cùm ſuperatum eſt in contrarium demutatur, contrarium autem maris fœmina eſt.* Id autem non ita intelligendum eſt, vt arbitremur, à ſemine viri fieri motum, & alterationem aliquam, diſtinctam à ſemine muliebri; aut contra à ſemine muliebri motum aliquem citari diſtinctum à virili, eſſet enim contra Gal. 14. de vſu part. ſiquidem cùm primùm vtraque ſemina commiſcentur, ambo in vnum motum conſpirant, vt ab eodè Gal ſuadetur pluribus rationibus; ſed alio modo cenſendum eſt, quòd videlicet, cùm primùm genituræ in vteri ſinu commixtæ congregantur, quoniá diſparibus qualitatibus ſaltem ſecundum intenſionem prædiræ ſunt, iuxta illas inuicem præliantur, donec habita ex vna parte victoria, tanquam vnum ad factus efformationem concurrant vnanimitèr: ſed quoniam, vt inquit Plato in Ciuili; *Arduum eſt res magnas abſque exemplis ſufficienter oſtendere*, & ea, quæ ad generationem ſpectant, magna nimis, & præclara exiſtunt, ideò hoc vtar exemplo. Sienti dum miſcentur portio aquæ frigidæ, & portio aquæ calidæ, ſtatim inter qualitates exurgit pugna, quouſque vna, aut altera earum debelletur, ſeu vtriſque refractis media quædam reſultet qualitas, quæ mox apta eſt in alio ſubiecto ſui ſimilem producere. Ità prorsùs cùm viri ſemen præcalidum potentia immiſcetur muliebri, virtualiter frigido, cõtinuò præliũ exoritur inter illa, adeò vt muliebre ſemen nitatur ſuperare virile; hoc autem euincere muliebre, cõtendat quouſque, vnius habita victoria, fœmina, vel mas generatur; nam ſi prævaluerit ſpiritibus, & vbertate virile ſemen, maſculus depingetur; ſi verò frigiditate præpolleat muliebre, fingetur fœmina. Quòd verò contingat aliquando virile ſemen, quod perſe maſculum genitorum erat, alterari, vel à ſemine muliebri, vel aliundè, ita vt fœminam progignat, vel contra, patet ex Galeno de vſu partium, vbi hæc habet. *Siquidem fieri poſſet, vt etiam ſi initium à fœmina ſit perfectum ſemen, quod alioquin fœminam erat genituram, à dextra matrice calfactum fœtum efficiat maſculum; contrà quod maſculum erat genitum, à ſiniſtra refrigeratum in contrarium tranſmutetur, &c.* vt proinde diceret Parmenides; *Dextris quidem pueros, ſiniſtris verò puellas.* Et eſt idem; quod in Aphoriſmis legitur apud Hippocratem. Quapropter vt concludamus, fœmina, quoniam à complexione ſeminis muliebris effingitur per ſe iuxtà finem ſuum, hinc eſt, vt nec mas læſus, vel occaſionatus, aut monſtrum vllatenùs dici debeat; ſed effectus neceſſarius, & abſolutus, quamuis viri ſemen illam neutiquam excuperet; quandoquidèm ſicut plura licet elementa ad mixtum aliquod componendum conueniant, vnum tamen prædominio excellit, à quo illius mixti temperamentum denominatur, neque idcirco mixtum idem occaſionatum, aut monſtrum dicitur reſpectu aliorum elementorum, quæ temperiem illam à prædominio

nio postulabant; ita prorsus cùm bina semina viri nempe, & mulieris ad prolem producendam conspirant, vnumq; eorum præstat tamen, gignitque conceptum simile secundum sexum, haud ex hoc fœtus ille monstrum, & occasionatum aliquid censeri debet, respectu alterius virtutis, quæ contrarium sexum poscebat; alioquin cùm in vnaquaque rerum generatione contrariæ inuicem qualitates decertent, vnaq; re maneat victrix, omne id, quod generatur, dici deberet monstrum, siue παράβασις, καὶ παράφυσον, quod non modo à ratione nimis alienum est, verum & valde absurdum. Adde, quòd cùm in statu innocentiæ, vt est apud D. Thomam, & Molinam, quando particularis etiam natura, nullo vel crimine, vel defectu commaculata extitisset, mulier non modo genita fuisset, verùm, vt inquit Molina lib. de opere sex dierum disp. 30. ex D. Tho. prima parte q. 9. art. 2. Durando, Gabriele, D. Bonauentura, & alijs, non plures homines, quam mulieres productæ fuissent, imo, vt placet Pererio lib. supra Genesim in eodem partu semper vir, & mulier simul editi fuissent, monstrum, & mas læsus nulla ratione illa appellari potuisset; tunc etenim natura particularis, haudquaquam suo fine frustrata fuisset.

Potest insuper alia fieri consideratio; & quidem si fœmina viro comparetur, eò quod frigidior illa est, hic verò calidior, potest aliquo modo ipso viro imperfectior nuncupari, cuius causa perfectionis est exuperantia vitalis caloris, vt placet Galeno 14. de vsu partium, qui calor, vt idem ait, est naturę primum instrumentum; sed eo modo erit imperfectior, quò vnus vir differt ab alio ob frigidum temperamentum. Verùm si respiciatur eadem mulier, vt principium alterum generationis, ad cuius opificium necessariò conspirat, vtique perfectissima dici debet, & naturæ necessarius effectus; omne autem necessarium perfectum, & absolutum est; quare nec monstri, nec læsi maris nomenclatura vocari debet. Nam frigiditas maior in fœminis nullo modo arguit in ijs imperfectionem, & ratio est, quoniam ex necessitate naturę frigidiori habitu constituti eędem debent; vt enim Galen. 14. de vsu partium scribit. *Fœtus ipse materiam postulat copiosam, non modò ad primam sui constitutionem, sed ad omne etiam deinceps incrementum; proinde duorum alterum necidat ipsi necesse est, aut ipsius vtero gerentis alimentum rapiat; aut superfluum accipiat: verùm rapere quidem, non erat melius; superfluum verò assumere non poterat, si fœmina fuisset calidissima; discuteret enim ipsum sic, & facile exiccaret; frigidiorem eam eousque fieri satius fuit, quoad alimentum, quod coxisset, ac confecisset, totum discutere non posset, quod enim est frigidius, nec concoquere quidem potest, quod verò plenè est calidum, vt concoquere, ita discutere validè potest.* Quamobrem nec ipsa comparatio, quoad caliditatem inter virum, & mulierem huius insimulat imperfectionem, quoniam vir calidior, mulier necessariò frigidior produci debuit; sicuti exempli gratia, elementum aquæ dici non debet, facta comparatione ad ignem, imperfectum, eo quia caliditas sit frigore excellentior; siquidem natura, & essentia aquæ est, vt sit frigida, & non calida. Nempè ex Aristotele in metaphys. essentiæ sunt sicut numeri: numeri autem ex leui additione immutantur, vt si ternario vnum addas, illud esset, & fiat quaternarium; ita prorsus si muliebri essentiæ, quæ frigidiorem habitum exposcit, fortis caliditas, & præcellens addatur, non amplius fœmina, sed vir illa sit. Hinc sapientissimè Galen. de vsu partium dicebat. *Ars naturæ hic quoque est admiranda, quæ nihil, ne in fœminis quidem fecit minus, quod maius esse oportebat, neque rursus maius, quod minus esse conueniebat.* Ergo qua ratione fœmineus sexus nec lapsus, nec monstri, nec maris occasionati nomine male audire debet. Sed præter institutum nimium in re scholastica prolapsus est calamus. Hanc vnam oro ueniam.

CAPVT IV.

An sint Hermaphroditi, & Androgini.

HERMAPHRODITVS Mercurij, & Veneris filium sonat, Mercurius enim ἑρμῆς, Venus ἀφροδίτη græcè dicuntur, à quibus compositum est nomen, vnde versus apud Ausonium.

Mercurio genitore satus; genitrice Cythera
Nominis vt mixti, sic corporis Hermaphroditus.

Hunc finxerunt Vates mythographi in Cariam vagabundum ad limpidissimum Salmacis fontem aduentasse, cùmque forma, & aspectu pulcherrimus esset, Salmacem eius amore illicet fuisse correptam, at cùm nullis aut precibus, aut blanditijs ad voluptatem ipsa deflectere posset, simulato recessu post vepres, & vireta delituisse; adolescentem autem ratum, illam abijsse, nudum in fontem profiluisse; quod ut primum animaduertit Nympha, accurrit illicò, & nudato corpore, brachijs arctissimè complexa est adolescentem: uerùm eundem pertinacem adhuc exorare non ualens, à Dijs petijt, ut ex duobus corporibus in unum redigerentur, cuius precibus exauditis, aiunt, corpora eorum in unum coaluisse, inque eo utrumquè sexum seruatum extitisse. Enimuerò isthæc fabulosa sunt, sicuti etiam Tyresiam illum utranque partici-

Digitized by Google

passe naturam, actusque venereos vtroque sexu exercuisse, vt sileam Cæneum, de quo Virgil. 6. Æneidum.

It comes & iuuenis quondam, nunc fœmina Cæneus;
Rursus & in veterem fato reuoluta figuram.

Empedocles Agrigentinus, Philostrato autore, de se ipso dixit.

Et puer ipse fui, necnon quandoque puella.

Sed hoc etiam, vt liberè fatear, fictitium credo. Quæritur hic, num realiter dentur tales naturæ mixtæ, & an eas aliquando extitisse, aliqua possit vera historia comprobari. Profectò ancipites hasce naturas non rarò accidisse, atque etiam in dies in lucem apparere, negari nullo modo potest; quando plenæ sunt omnium voces, plena historica monumenta, id fideliter testantia. Referam aliquam tantùm ex melioribus notæ scriptoribus. Iacobus Ruef. libro 5. capite 3. de conceptione, & generatione hominis scribit, anno 1519. Tiguri Androginum natum esse supra vmbilicum egregiè formatum, sed circa vmbilicum rubeam carnis massam habentem, sub qua membrum muliebre; & infra hoc loco conuenienti, virile quoque. D. Augustinus libro 16. de Ciuitate Dei capite 8. narrat, quibusdam nationis externæ vtriusque sexus insitam esse naturam, & dexteram mammam virilem, sinistram verò muliebrem referre, vicibusque alternis coeundo & gignere, & parere. Lycosthenes lib. prodig. narrat, anno Domini 1486. ad Hidelbergam in agri Palatini pago Rorbachio gemellos duos natos esse, dorsis cohærentes, & ambos hermaphroditos. Haly Rhodoam in comment. ad lib. 3. tech. Galeni testatur, se vidisse virum, qui veretrum, & testiculos, & vuluam mulieris simul haberet. Noui adolescens & ipse Romæ quendam Hermaphroditum Pharmacopolæ filium, cui, vt aiebant, in florenti, & iuuenili ætate tam cum viris, quàm cum mulieribus consortium vetitum erat. De hoc Ioannes Faber, & Marcus Antonius Vlmus plenam retexerunt historiam; hos adeat auidior Lector. Apud Columbum etiam Androgynos multos legere est à se obseruatos, cum in dissectione cadauerum, tum etiam viuentes; Cæterùm plures hermaphroditos diuersis temporibus ortos quicunque scire cupit, legat Ioannem Schenchium libro 4. suarum obseruationum, vbi fit corollarium Androgynorum.

Sed antequam procedamus vlterius, quæres, an in brutis etiam accidat isthæc sexus commixtio; & quidem belluas quoque vtriusque genitalis participes reperiri, experientia compertum est. Currus Neronis, auctore Plinio, trahebatur ab equis hermaphroditis ad maiorem pompam. De cane, & equo hermaphroditis meminit Cardanus. Langius quoque in epistolis de ceruis vtriusque membri consortibus testimonium præbet. Adeo vt temerè ageret, qui naturas hermaphroditas reijceret. Verùm quidem est, vt plurimum id genus homines unico tantum præualere pudendo, sæpè utroque impotentes esse; quod non ignorauit Aristot. 4. de generatione animal. capite 4. vbi sic loquitur. *Quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ; ijs semper alterum ratum, alterum irritum redditur.* Et Ausonius ille in Epigrammar.

Concretus sexu, sed non perfectus vtroque:
Ambiguæ Veneris neutro potiundus amori.

Dignosci autem potest, quanam particula vigeat, quoque sexu præpolleat ex ipsorum genitalium speculatione; etenim si virile instrumentum magnitudine, & aptitudine muliebre excedat, eoque ad Venerem commodè vti valeat, proculdubio hermaphroditus vir, & non mulier est habendus; at si fortè vtroq; potitur, animaduertendum quodnam inseruiat magis, & commodius, necnon ad quod magis inclinet natura, & in quo fortius Veneris ardor persentiatur, atque illud præpollere, dicendum est.

Cæterùm hermaphroditorum quatuor extant differentiæ, tres in maribus, vnica in fœminis, vt refert ex Leandro Paulus Æginas de arte med. libro sexto capite 69. Prima cùm sub scroto interfœmineo: secunda, cùm in medio scroto genitalis muliebris forma pilis obtecta conspicitur: tertia quando in eodem scroto quasi muliebri genitali rima quædam assimilis existit; per quam vrina destillat. In fœminis verò vna differentia est; cùm nimirùm supra ipsum genitale in pube virilis membri species apparet. Auicenna autem recensere videtur inter hermaphroditos illos, qui sexu carent vtroque: hæc sunt eius verba libro tertio fen. 20. tract. 1. cap. 43. *Illi, qui est hermaphroditus non est membrum viri, neque mulieris, & de illis est, qui habent vtrumque, sed vnum eorum occultius, & debilius, & descendet sperma ex vno eorum, absque alio.* Quamobrem duas tantum videtur constituere hermaphroditorum species, quarum vna sit vtriusque genitalis carentia, altera verò vtriusque possessio. Conciliantur Auctores si dicatur, quòd Paulus quatuor efficit Androginorum differentias ex affectus, & loci, quę occupat ratione. Auicenna autem duas tantum ponit species, considerato affectu non respectu diuersorum locorum, & ratione situs diuersi; sed solùm secundum se, quoad intrinsecam rationem ipsius accidentis, & naturæ promiscuæ.

Quæres num hermaphroditus habeat foras pẽdulos viriles testes, & muliebres intus, ita vt quatuor testiculos obtineat? Dixerim habere posse, sed vtroq; imperfectos; iuxta sexum tamen, qui præpollet, hos potius, quàm illos perfectiores obtinere. Quare si viri testes præualeãt, hi erunt maio-

maiores, & magis manifesti; si mulieris longè magis occulti, & minores etiam. Quæres adhuc, an Hermaphroditus habeat vterum? Eodem modo sanè dicendum; nam si fœmineus sexus præcellat, vterus aliquis ineſt; si virilis habitus præſtet, vterus aut nullus erit, aut satis paruus, ineptus, & incapax, & hoc prorsus idem de vasis spermaticis asserendum est. Realdus Columbus rem periculo comprobauit, in dissectione enim Hermaphroditi comperiit præparantia vasa ab aliarum fœminarum præparantibus vasis non differre; deferentia verò diuersa adinuenit; siquidem bipartita erant, & ex binis, quaterna natura genuerat, ex quibus duo, quæ erant etiammaiora, ad matricis concauum destinabantur, reliqua duo ad penis radicem, qui glandularum parasstatum expers erat. Vide plura apud ipsum lib. 15. de ijs, quæ rarò in anatomia contingunt.

Cur autem contingat, ut Androgini imperfecti, & ut plurimum vtroque sexu inepti sint, ea ratio est, quia distrahitur natura ad plura, & consequenter singulis deest; non enim spiritus, & facultas gemino sufficere queunt genitali, nec adeò fortis est natura, vt valeat pluribus instrumentis influere, & humorem, caloremque suppeditare duplici semini. Quapropter erit omnimode vtriusque imperfecta virtus; ita tamen, vt neutra parte generare queat: nec secus credendum est; puto enim ridiculum, & simul impossibile, repertos fuisse Hermaphroditos, qui patres, & matres extiterint, actiuam, & passiuam generationem experti, vt enim Anicenna loquitur in 3. fen. 20. tractat. 1. cap. 43. *Peruenit ad me, quod & de illis est, qui agit, & patitur, sed parum verificatur.* Hieronymus tamen montuus lib. 1. cap. 6. hæc refert. *Ipse noui Hermaphroditum, qui sequioris sexus, seu muliebris putabatur, viroque nupserat, eut filios aliquot, & filias peperit; nihilominus ancillulas comprimere, & in his generare solebat.* Sit veritas penes ipsum; nunquam ego adduci potero, ut credam; sanè poterant ab eo ancillæ calcari, sed ab alijs concipere debebant.

Tandem ex Paulo, & Auicenna Hermaphroditorum iubet afferre curationem; & quidem Auicenna ait, affectum hunc fanari per incisionem membri occultioris, & regimen vulneris eius. Paulus autem scribit, quod illa species affectus, quæ maribus contingit, qua per scrotum vrina guttatim manat, insanabilis est, reliquę verò tres curationem recipiunt, excisis superfluis partibus eo modo, quo alia ulcera sanari consueuerunt. Quare hi duo auctores indicare uidentur, affectum Hermaphroditicum esse speciem quandam ulcerosæ rimæ in maribus. Sed cur, dices, inciso uno membro, alterum inualescit, & sexus deficit promiscuus? Ex eo est, quia spiritus, & facultas uno cessante instrumento, alteri sese totos dedunt, cui affatim deseruiunt; neque ad plura organa distracti deficiunt: eo modo, quo uno cessante, nelpereunte sensu, alter, qui proximus est, intenditur magis: experientia enim undique probatum est, cœcos auditu pollere exquisito, surdos acutę magis, & ferè lyncea præstare uisione. Esto παράδειγμα, legibus olim cautum esse, vt Hermaphroditi sexum, in quo manere uelint, eligere debeant, inflicta capitali pœna, si ab electo sexu discedentes alterius utantur consortio. De Hermaphroditis plura si fortè requiras, consule doctissimum Paulum Zacchiam libro 7. quæst. Medico legalium titulo primo, ubi nouas, & insignes etiam narrat historias ex propria obseruatione, aut si mauis Bahuinum, & Riolanum reuolues, qui plenè hanc materiam exagitarunt.

CAPVT V.

Num intendatur à natura Hermaphroditus, & quomodo generetur.

ABSIT, ut dicamus, naturam intendere monstrum, & imperfectum, cuiusmodi est Hermaphroditus: quotiescunque enim aut mas, aut fœmina integri non producuntur, natura semper à suo fine frustrari, dici debet. Quare Androgini non nisi ab agente prauè operante, & à materia perperam disposita eduntur in lucem. Quo ad modum uerò generationis: profectò leuis ratio est illa, quam non pauci afferunt, dicentes, tres in utero principales cellulas aperiri, in quarum dextera masculum efformari, in sinistra fœmellam, in media uerò mediâ naturâ, puta Androginũ. Nam est quidẽ Hippocratis aphorismus, qui nos admonet, in uteri dextero sinu, ob majorem caliditatem, quæ in eam influit regionem, frequentius mares concipi; in læua autem parte, ut in frigidiori quodam climate fœminas compingi: non tamen ait, in media regione produci Hermaphroditum. Quare nullo modo admittendus est medioximus ille sinus; quandoquidem duo tantum comperiuntur in muliere; quod uel ex eo deduci potest, quia in eadem non nisi duæ mammæ apparent, est autem, ut inquit Galen. de usu partium: *id naturæ admirabile opus, numerum scilicet sinuum matricis æqualem esse mammillis, ita vt indè possit sufficienter demonstrari, quot sinus in suibus, & canibus circa matricem sint, si videlicet numeremus, quot mammas gerant.* Præterquamquod si isthęc uera foret, & realis Androgini generatio, utique non ita rarò contingeret promiscuus ille sexus; siqui-

Digitized by Google

siquidem in mediam illam capsulam semen sępius illaberetur; os enim ipsius matricis in medio uteri situm est; quarè cùm seminis iaculatio per illud efficiatur, rectà medietatem feriret ut plurimum, in qua, ut aiunt, hermaphroditus pullulat. Insuper si natura, ut clarum est, suum opificium nequaquam ad ipsum dirigit Androginum, quare in utero ad eiusdem generationem constituit locellum? Crimine tanto insimulari meritò posset: prętęrquamquòd septem ex aliquorum falsa sententia, ac precipuè Gentilis, Nicoli, & Mundini in Anatomia sunt in utero cellulæ, non tres tantùm, nec tamen in omnibus locari contingit fœtum.

Dicunt alij, & refert Auicennas lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 12. quod si mulier à die ablutionis, idest fluxus menstrui impregnatur vsque ad quintum diem, masculum concipit: à quinto ad octauum puellam; rursus ab octauo ad vndecimum concipit masculum: ab vndecimo verò supra, Hermaphroditum. Verùm, & hæc pariter opinio futilis est, neque vlla probabili ratione suaderi potest, nisi Pytagoricis nimium sententijs addicti magnam vim numeris tribuamus. Recipit nihilominus opinionem hanc Lemnius, dumque rationibus vallare conatur, insulsa nimis proponit: habet enim sic. *Primis diebus sordido humore repurgata vulua plus concipit caloris, quo virile semen coalescit, & in dexterum uteri sinum dirigitur, hepatis, dextrique renis vi attractoria, e quibus etiam sanguis calidus in alimentum futuri fœtus deriuatur: Sinistræ verò partes, vtpotè frigidiores, & sanguinis inopes flatim à purgatis mensibus aliquid conferre non possunt, sed post quintum diem vsque ad octauum ex illis liene, & sinistro rene aliquid sanguinis confluit, quo fœtus alendus est. ita cum istæ partes vices suas obeant, cessantque dextræ, ex situ loci, & alimenti frigidiratione fœmella effingitur. Post octauum dextræ rursum operantur, masculusque progignitur; post quod dierum curriculum, quia ex omni parte promiscuè sanguis prorumpit, & semen neutri parti associatur, sed in medio vuluæ fluctuat, hermaphroditum confusa inter se semina moliuntur.* Hactenus ille, qui si non probabilia, saltèm ingeniosa commentus est. Adhuc non desunt, qui huius effectus nequeuntes assequi causam, inastra originem referunt, ac potissimum in Veneris, atque Mercurij coniunctionem; sed hæc astrologorum commentis relinquantur. Sunt & alij qui asserunt, quod semen viri si calidum sit, à dextro teste fluat, & in dextrum uteri sinum decumbat, pingitur masculus; E conuerso si fluet frigidum semen, à teste sinistro, in locum sinistrum, producitur fœmina; si verò ex vtraque parte valentes qualitates delabantur, fiunt hermaphroditæ. Verùm & hæc sententia consistere non posse videtur, siquidem difficile est explicare, quomodo à dextro, & sinistro teste æquales dimittantur seminis qualitates, adeò vt virtus vnius non euincatur ab altera; difficilius adhuc, qua ratione possint hæc semina vtrumque matricis occupare sinum; nam licèt semina paria secundum virtutes e testibus exciderent, ita vt quantum ex se non potius marem, quàm fœminam elaborarent: determinata tamen à dextra, vel sinistra uteri regione marem potiùs, aut fœminam pingere deberent. Sed Hippocrates primo de Dięta hęc prorsus habet. *Siquidem igitur masculæ corpora ab vtrisque secreta fuerint, idest à viro, & muliere augescunt pro re præsente, & fiunt hi viri animi splendidi, & corpore fortes, si non à diæta postmodum detrimentum sentiat. Si verò à viro quidem masculum secernatur, à muliere verò fœmineū, & superauerit, si ita contingat masculū (genitura enim admisetur ad fortiorem, aut debiliorem; non enim habet ex præsentibus aliquid, ad quod familiarius secedere possit, susceipit enim parua maiorem, & maior minorem, in commune autem super hæc quæ adsunt dominium exercent) corpus sanè masculum augescit, fœmineum verò minuitur, & in aliam sortem secernitur, & hi quidem minus prioribus splendidi fiunt; tamen quia masculum viri superauerit, viriles euadunt, & hoc nomen meritò habent: si verò à muliere quidem masculum secretum fuerit, à viro autem muliebre, superauerit autem masculum; augescit eodem modo sicut prius, fœmineum verò minuitur, & fiunt hi Androgini, idest viri effœminati.* Hactenus Hippocrat. quem tamen ad mores potius, quàm ad sexus in corpore lineaturam respexisse, crediderim.

Quamobrem, vt probabilem tandem exeram sententiam, dicendum est, Androgini generationem nihil esse diuersam à monstrorum productione; ac proinde quotiescunque incipit masculus penès omnia masculina membra delineari, qui tamen vel ex defectu seminis, uel ex malo materię apparatu, & matricis dispositione perfici nequit, additur fœminei sexus complementum, ex quo Androginus compilatur; enimuerò multò plura, & ualdè præstantiora ad maris, quàm ad fœminę productionem desiderantur; quocirca dum nequit natura uirum undique perfectū, plasmare, conatur ejusdem perfectionem elaborare, quomodo potest; non potest autem congrua, & proportionata materia, dissona perficit, & improportionata; illa uidelicet, quæ sexui muliebri aptior est: quare fœtus mixtę complexionis, & promiscui sexus necessariò promitur; natura enim minorem iacturam reputat, uirum non perficere, quàm nullo modo efficere. Satius est enim diminutè, & imperfectè aliquid habere, quàm illo penitus carere; & hoc est, quod secundo de semine clarò, ni fallor, edisserit Galen. his uerbis: *Natura organis utitur, ad*

Digitized by Google

ad particularium opificium, & maximè earum, quæ tenuitates habent, & aere, & igne. Nam & dilatare, & insufflare, & extendere, & sic cauare, & roborare corpora ipsorum opus est; postquàm verò opificij speciem delineauit, aceruatum spiritus impetu vtens, simul & quod effectum est propellit, & quod continet, & ambit simul perrumpit; si verò aliquando circa vltimum opus debiliter reddatur, ipsum quod faciebat, imperfectum derelinquit. Et hęc est communis ratio, quę assertur uerisimiliór circa productionem hermaphroditi, & mihi quadantenus arridet. At commodiùs adhuc, & satis probabilius dici posse uidetur, & explicari id, quod quęritur hac ratione.

Ad fœtus generationem viri, mulierisque semina conueniunt, & sicuti superius dicebamus nititur vnumquodque sui sexus naturam, & effigiem imprimere, adeo vt si virile semen præpollet, vir effingatur, si muliebre, mulier. Vnde Lucretius.

Semper enim partus duplici de semine conflat:
Atque vtri simile est id quodcunque creatur
Eius habet plus parte aqua, quod decernere possis,
Siue viri soboles, siue est muliebris origo.

Quòd si contingat, vnum alteri non præualere, sed ambo in eodem virtutis pondere reperiri, utraque conantur efficere, virile quidem virum, muliebre mulierem; quoniâ verò nec viri semen per se independenter à muliebri potest fœtum perfecto modo producere; multoque minus semen muliebre absque virili operari valet, fit vt vir fecundum medietatem suam, & mulier secundum aliam sibi propè sexum eum assimilent, licet ambò imperfectè; adeò vt nec vir proprio nomine, nec mulier dici possit; sed promiscua natura.

At si dicas, cur tam rarò adueniat Androgini generatio? ea prorsus ratio est, quoniam rarissimè accidit, vt semina mensura, & facultate paria congregentur, adeò vt vnum alteri vel virtute, vel copia non præcellat; quandoquidem ad conformandum Androginum opus est, vt viri semen eadem spirituum copia, fœcunditate, & aptitudine, qua est muliebre, præditum sit; id, quod non nisi rarissimè accidere potest. Porrò quotiescunque duo agentia eiusdem fortitudinis, ac diuersa iuxta speciem circa aliquod subiectum occupantur, vt similem in eo speciem imprimant, & formam excudant, nunquam vtriusque perfecta exaratur imago, sicuti accidit in argento (Alchimistarum vtamur exemplo) quod mediæ cuiusdam naturæ est inter stamnum, & aurum, vt narrant, qui chrysopœię dant operam, qui quidem spagirici aurum ab argento colligunt, & portionem imperfectam, vti stamnum segregant. Cùm enim solis vis aurum intendat, lunæ verò influxus stamnum, dum contrariæ virtutes prælianter, & vnam altera debellare nequit; sed æquè disposita materia non ab vno magis, quàm ab altero patitur, producitur complexio vtriusque formæ particeps: nimirum argentum, cuius intima semina aurum, stamnum extima, spagirici profitentur. Quod multò euidentius apparet in insitis, in quibus palàm videre est promiscuæ naturæ produci fructus, vt poma, quæ ab vna medietate pyra, ab altera mala redolent. Persica, quæ nuces à medio corpore referant, & id genus alia plurima admiranda quidem, vt apud Theophrastum, & Plinium videre est: In his enim uirtutes diuersimodè agentes in eamdem materiam, diuersum uno corpore pariunt effectum utriusque speciei consortem; quod sanè magis est, quàm sexum tantummodo promiscere.

Quid si dicamus, Hermaphroditum ita etiam generari posse? Cùm videlicet intra uterum rudimentum aliquod fœminæ præuio semine inchoatũ est, si contingat, rudem adhuc, imperfectamque molem istam recenti virilis seminis affusione semel, aut sæpius irrorari, virtus formatrix nouam elicit, exprimitque pro sui natura imaginem viri; & ambæ postmodùm sexus figuræ, obscurè tamen, recipiunt incrementum: adeò vt fœtus, ultimò elaboratus vtrunque præseferat sexum, inæqualiter tamen, iuxta alterutrius seminis maiorem efficacitatem. Quòd autem rudimentum aliquod conceptionis à diuerso affluente semine naturam immutare queat, docuit Aristoteles in libris de generatione animal. supra relatis, cùm loquitur de ouis hypenemijs; inquit enim, quòd si oua ab unius incubatu anis concepta, antequam candida membrana obducantur, nouo alterius diuersæ speciei volucris semine respergantur, nullus extrahitur diuersę naturę à primo incubante. Sanè si conceptus ab irrorazione diuersi specie seminis speciem aliam referre potest; multò facilius immutare sexus caracterem valebit, aut saltem confundere insimul, si diuersimodè affluant semina viri, ac mulieris.

Quòd si dicas, os vteri, inchoata conceptione, ita conniuere, vt alteri cuicunque semini intercipiatur aditus omninò, vt Hippocrates in aphorismis, & passim alibi testatur; atque adeò non videri, rudem illam conceptus molem nouo posse irrorari semine. Id verum esse, vt plurimùm, haud negauerim; verùm sicuti aliquando superfœtatio contingere potest: ita & noua hæc seminis irroratio possibilis est, præsertim quoad spiritus, qui vti soli generationis opus moliri possunt, vt abundè paulo supra probauimus: ita ad vterum permeare valent occluso osculo; & vt rarò ex hoc capite superfœtatio accidit, ita ex eodem rarò euenit hermaphroditus. Hanc opinionem; vt nouam ingenioſi animaduertant, fortassis enim nimis à signo aberrare non iudicabitur.

Ve-

Verùm argues contra primam, & secundam assertionem, quòd Hippocrates citato loco, & Galen. 1. de sem. aiunt, tam in semine viri, quàm mulieris esse vim masculinam, & fœmininam; Quod si verum est, corruunt omninò rationes, quibus probatum supra est, accidere hermaphroditum. Respondendum est, quòd utrique semini ineſt uis masculina, & fœmininа, non primariò, & per se, sed secundariò, & per accidens; namque virile semen, semper virum primaria intentione postulat; sed quia accidit aliquando, vt pauciferum illud sit, & spiritibus purioribus denudatum, hinc est, vt fœmina productioni inuitò coadiuuet; sicuti è contrario calida mulier, & lacertosa virago præstare semen poteſt, quod mari satis congruè conueniat.

Quæres, numquid visum sit vllum animal habens duo membra genitalia vel masculina, vel fœminina? Vidi ego in patria asinum, duos murones habentem, vnum altero maiorem, per quorum vnum mingebat; per alterum, an coiret, scire non potui; uidi equidem, hunc etiam alterum ab asello erigi, ut ideo credi posset, eodem Venerem exercere. Insuper Ioannes Iacobus Vuecherus, referente Schenchio, se uidisse, testatur, Bononiæ in publicis dissectionibus cadauer uiri, qui duplicem habebat penem. ut relinquam interim Tiburones illos pisces, qui in Oceano reperiuntur, quorum masculi bina uerètra referunt, si fides est Ouiedo libro 13. suæ historiæ. De mulieribus exemplum non habeo: præter id, quod apud Iulium Obsequ. legitur, fuisse nimirum mulierem quæ geminatâ uuluam obtinebat, ut redargui iccirco debeat Bahuinus, qui duo eiusdem sexus genitalia in eodem animali nunquam apparere tradit. Illud non præteream, huiscemodi homines, uel belluas, quæ duos priapos obtinent, non quidem hermaphroditos, sed potius reduplicatiue bis uiros dicendos esse; adeo ut asinus ille Ἱέραξ nuncupari deberet; uir ille Vuecherij Ἱέραξ (græcè melius sonant) seù potius uir uiratus. Dices adhuc, an posset quis utroque genitali carere? Hali Rhodoam in commentarijs artis med. Galeni, *Vidi*, inquit, *qui natus est, & non habebat neque vuluam, neque priapum, neque testiculos, & erat in forma sua, & in suis moribus secundum assimilationem castrati, & erat ei foramen minimum, ex quo mingebat tantum.* Equidem crediderim, fœtum hunc ab initio sui ortus fœmineum sexum contraxisse; mox uerò ex paucitate seminis haud potuisse compleri, ac similem Atretis fuisse.



CAPVT VI.

An potuisset natura melius vtrunque sexum indiuisum producere, ita vt omnes essent Androgyni; & an Adam Statim creatus esset Hermaphroditus.

AD hominis generationem necessariam esse uirtutem actiuam, & passiuam, in confesso est apud omnes. Virtutem insuper actiuam in uiris primariò, passiuam in mulieribus distributam esse nemo inficiatur. Iam posset controuerti, an commodè natura utranque uirtutem simul in omnibus unire potuisset, ita ut non esset passiua in mulieribus, & fœminis omnibus distincta; actiua in uiris, & cæteris maribus; sed ita connexæ, ut omnes essent Androgyni. Porrò fuit quorundam, ac præcipuè Martini Poloni sententia, fuisse Adam in suæ creationis primordio Androgynum, illique utrumque sexum à Deo insitum fuisse; idque, aiunt, ex uerbis Geneseos apertè colligi: nam capite primo legitur: *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos*; quod pariter capite quinto expressè repetitum habetur; & confirmari posse uidetur ex eo, quod Protoplasta idem dum fœminam produxit, ex ipsomet uiro exantlauit, nil aliud ferè molitus nisi separationem; ut propterea diceret Adam: *hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*; quin etiam ui lentur militare argumenta, quòd utilior, & commodior futurus fuisset indiscretus sexus. Et quidem ex una parte asseri posse uidetur, naturam superfluam fuisse in distinctione sexus, quando simul utrunque commodè, & utilius coagulare poterat, absque ea multiplicatione entium, quam tantopere debet, & solet illa eadem euitare. Id autem probari posset ex eo, quòd in plantis est simul coniuncta actiua, & passiua uirtus, uti docet Empedocles apud Aristotelem primo de historia plantarum eo uersu.

αὐτοσὶ μὲν ὀπωρικὰ μικτὰ δενδρεώτοιο ἐλαίης

Quod ipse Aristoteles primo de generatione animalium capite ultimo luculentius insinuuit ijs uerbis. *At in plantis facultates istæ miscentur, nec mas, & fœmina separatur, quamobrem ex seipsa progenerant, nec genituram emittunt, sed conceptum, quod semen vocatur, asseruant.* Quin etiam commodius hæ uirtutes unitæ propagationem diffunderent: uidemus enim plantas fru-

ai-

Digitized by Google

ctificare magis, & uberius luxuriare, eo quòd virtus actiua à passiua nunquam seiungitur. Adde, quòd ex multorum opinione, multa sunt etiã animalia, in quibus non est sexus distinctio, sed vnumquodlibet secum gestat vtranque virtutem, qua gignere absque vlla commixtione potens est, quod potissimum de lepore, & de hyæna scriptum est; ac præcipuè de Ichneumone, de quo ita Ælianus libro decimo de historia animalium capite 47. *Ichneumoni, vtriusque sexus participi à natura tributum est, vt suo semine grauiditatem, & partum alijs afferat, & ipse quoque vterum ferat, & ex se pariat.* Quare igitur idipsum satiùs fieri non potuit in hominibus? Quàm fuisset honestati res conueniẽtior, homines mulierum coniugio non fœdari? Præterea Plato in conuiuio videtur significare, quondam extitisse homines vtroque sexu complicatos, post modùm ob superbiam discissos fuisse, cuius verba referre non grauabor, tum quia iucundissima sunt, & magno lepore conspersa; cùm etiam quia altiorem quandam doctrinam, & mysterium sapiunt; hic autem legenda erunt, vt ad nostram quæstionem aliquo pacto pertinere possunt. Sic igitur Aristophanes. *Principiò tria hominum erant genera, non solùm quæ nunc duo, mas, & fœmina, verùm etiam tertium quoddam aderat, ex vtrisque compositum, cuius nobis solùm reliquit nomen, ipsum perijt Androgynum; quippe tunc erat & specie, & nomine, ex maris, & fœminæ sexu commixtum, ipsum profectò defecit, nomen solùm infame reliquum. Præterea tota cuiusque hominum species erat rotunda, dorsum, & latera circùm habens, manus quatuor, totidemq. crura, vultus item duos tereti cervice connexos, & omnino consimiles, caput vtrisque vultibus contrauersis vnum. aures quatuor, genitalia duo, & alia singula, vt ex his quisque existimare potest. Incedebat tunc & rectus, vt nunc in vtram vellet partem, & quotiès celerius ire contenderet, instar eorum, qui prono capite, & intra genua condito crura sursum circunferentes saltant, tunc octo membris innixus celeri circulo ferebatur ob hanc verò causam tria genera, & talia erant, quia masculum sole genitum erat, fœmina terra: promiscuum denique luna, vtriusque enim luna est particeps. Spherica verò erant, & figura, & motu, quia parentum similia. Vnde & robusto corpore, & elato animo erant. Quare cum Dijs pugnare tentabant, & in cœlum ascendere; quemadmodum de Ephialto, & Oto scribit Homerus. Iuppiter igitur vnaque Dij cæteri quid agendum esset, consultauerunt. Qua in re non parua inerat ambiguitas. Nam neque quomodo eos interficerent, reperiebant, ne eorum, sicuti gigantum fulminando genus deleretur: extinctio enim hominum genere, humanus Deorum cultus, veneratioque periret; neque in tanta insolentia persecuerare illos, permittendum censebant. Tandem sententiam Iuppiter suam explicuit. Inueni, inquit, qua ratione fieri possit, vt & sint homines, & modestiores sint. Idque erit, si imbecilliores fiant, & nobis etiam magis id conducit. Numero siquidem plures erunt, qui nos colent. Recti duobus cruribus ibunt. Quòd si rursus impiè insurgere videantur, iterum in duo secabo, vt vnico crure nixi, vtpote claudi saltare cogantur. Hac fatus, bifariam partitus est singulos instar eorum, qui oua diuidunt, vt sale condiant, vel qui capillis oua secant. Mandauitque Apollini, vt partitione facta, cuiusque vultum, ceruicisq. dimidium in eam partẽ, qua sectus est, verteret, vt scissionem suam considerans modestior fieret, reliquis autem mederi iussit. Ille continuò vultum vertit, & contrahens vndique cutem, in eum, qui nunc venter vocatur, tanquam contracta marsupia, & os vnum faciens medio in ventre ligauit, quem quidem nexum vmbilicum vocant, & alias quidem rugas maxima ex parte leuigauit, pectoraque articulatim distinxit, instrumento quodam tali vtens, quali coriarij cùm corij rugas super pedis formulam poliunt, nonnullas verò circa medium ventrem, vmbilicumque reliquit, vt quasi cicatrices quædam passionem nobis veterem semper repræsentarent. Postquàm natura hominum ita diuisa fuit, cum quisque dimidium sui agnitum cuperet, inter se concurrebant, circumiacibusque brachijs, se inuicem complectebantur, conflari vnum affectantes; vnde fame, & torpore deficiebant, eo quòd nunquam seiungi vellent. Et cum dimidium vnum moriebatur, reliquabatque alterum, quod superesset, rursus aliud adsciscebat, similiterque congrediebatur, siue solius cuiusdam, totiusque fœminæ dimidium esset, quam fœminam nunc vocamus, seu viri. Atque ita genus hominum deperibat. Quocirca miseratus Iuppiter, remedium aliud excogitauit, permutauit genitalia, & quæ prius retro erant, ad anteriores partes transtulit. Antea siquidem cum ad nates hæc haberent, non inuicem, sed in terra spargentes semina cicadarum instar concipiebant, atque generabant. Cùm verò ad anteriora transposuisset, per hæc generationem in se inuicem fecit expleri: per masculum quidem in fœmina hac de causa, vt si in amplexu vir fœminæ commisceretur, genita prole specie hominum propagarent; sin autem masculo masculus satietate ab amplexu amouerentur, & ad res gerendas conuersi victum curarent. Hinc vtique ex illo tempore mutuus hominibus innatus est amor, priscæ naturæ conciliator, annitens vnum ex duobus efficere, hominumque naturæ mederi: est igitur quisque nostrum dimidium hominis, vtpote sectus, quemadmodum pisciculi, qui septa vocantur, scissi duo efficiuntur. Quærit autem perpetuò sui quisque dimidium: quamobrem quicunque ex viris promiscui generis portio sunt, quod*

olim Androgynum vocabatur; mulieroſi ſunt, adulteriquæ vt plurimum ex his reperiuntur. Ex hoc ſanè genere mœchi ducunt originem. Rurſus quæcunque mulieres virorum cupidæ, mœchæque ſunt, hac ſtirpe naſcuntur. Quæ verò mulieres mulieris pars exiſtunt, haud multum viros deſiderant, ſed fœminas magis affectant: atq; hinc fœminæ, quæ fœminas cupiunt, naſcuntur. At verò qui maris portio ſunt, mares ſequuntur, Hactenus nimis obſcurè Plato.

Verùm enimuerò hiſce omnibus nihil obſtantibus aſſerendum eſt, prouidam naturam bellè, commodè, ac prudenter vtrunque ſexum diſgregaſſe per marem, & fœminam; hominemque Androgynum ſatis nimiùm imperfectum futurum fuiſſe; Namque ſi vir, cuius tanta eſt perfectio, vt mortalem Deum dixerint aliqui, muliebris naturæ particeps fuiſſet, eiuſdem quoque imperfectionis uixiſſet compos; quare temperatura frigidior, corpore imbecillior, mollior animo, moribus peruicacior, atque ingenio longè ineptior editus fuiſſet; ſiquidem muliebris habitus his maleficijs obnoxius extat; & hæc Archiſophos Ariſtoteles præclarè nobis inſinuauit his verbis *Cumque ſua natura melior, magisque diuina cauſa ſit ea, quæ prima mouet, cui ratio ineſt, & forma, quam materia: cumque melius etiam ſit ſeparari à deteriori, quod melius eſt: ideo in quibuſcunque fieri poteſt, & quoad eius fieri poteſt mas à fœmina ſeparatur, melius enim, magisque diuinum eſt principium motus, quod per generationem mas obtinet*. Inſuper cùm vir mulierbris naturæ particeps potentiam paſſiuam obtineret, longè maioris defectus conſors eſſet; paſſiua namque potentia defectum arguit: ſicuti enim virtus actiua, vt aiebat Philoſophus, eſt quid magis diuinum, & à potentia materiæ altius eleuatum; ſic etiam potentia paſſiua eſt quid magis materiæ immixtum, & per conſequens longè deterius: quandoquidem materia ipſa paſſim nuncupatur hile, turpe, informe, & corruptionis cauſa; vndè eſt etiam, quòd Ariſtoteles materiæ fœminam aſſimilauit. Ex mixtione igitur mulierbris habitus virili excellentiæ nimiùm derogaretur. Præterea poſſe virtutem ſuam in extrinſecum obiectum exerere, inditium eſt melioris, & fortioris virtutis; magis itaque vis virilis potentiæ relucet, ſi agat, & operetur in diſtincto ſubiecto. Tametſi operæ minus precium erat, viros occupari circa conceptionis vile ſeruitium; quod licet nobile, ac propemodum diuinum, attamen imperfectionibus & vitijs centum inauctoratum eſt; maiusq; adhuc dedecus foret, viros ad negocia natos, ad ſapientiæ ſtudia, ad muſarum commercium, ſemiuiros vtero gerere, pondere grauari, ſanguine deſtitui, & ad generoſa munera obeunda impotentes euadere.

Cæterùm explicari non poſſe videtur, qua ratione, ſi ſexus foret indiſtinctus, generatio fieret; aut enim virilia foras, vt nunc propenderent; & ſic ſemen foras dilabens haud poſſet in congruo naturæ hoſpitio conceptum elaborare; aut intrò alia ratione intruſum effueret; id autem vt poſſet contingere, quando, & quibus præuijs explicari nequit. Ad id autem; quod aſſerebatur de plantis, patet reſponſio, ſi dicamus, in illis non reperiri opus aliquod vitale, ipſa generatione præſtantius; quocirca conuenienter omni tempore iungitur penès illas virtus actiua paſſiuæ: ſecus enim eſſet viuens otioſum: At in brutis, & maximè in homine, quoniam præter generationem eſt opus aliquod nobilius, quò potiſſimum eorum vita dirigitur; ideircò competit ijs virtus actiua generationis diſtinctè prope mares, paſſiua iuxtà fœminas; vt proinde non omni tempore mas fœminæ communicare debeat. Quod multò magis par eſt, viris accidere, in quibus vltra generationem, & alia multa præclara vitæ munia, extant etiam principaliùs intellectus operationes, quibus adhuc ſublimè uir eleuatus, æthera ſubiens Deum ipſum, omnium bonorum fontem contemplari poteſt. Id ſi vobis ab Ariſtotele audire placeat, librum exquirite primum de generatione animalium capite vltimo, vbi ſic loquitur. *Plantarum enim ſubſtantiæ non aliud munus, nulla actio, niſi generatio ſemini eſt. Quod cùm maris, ac fœmina coitu efficiatur miſcuit ea natura, indiſcretumque ſexum maris, & fœminæ plantarum generi tribuit. At animalis munus non ſolùm generare, quod commune omnium viuentium eſt, ſed etiam cognitionis alicuius particeps vnumquodque eſt; illud maioris, aliud minoris; aliud minimæ: ſenſum etenim habent, ſenſus autem cognitio quædam eſt*. Præterquamquòd Ariſtoteles primo de plantis cap. 1 ſi tamen liber germanus eſt, videtur manifeſtè negare, in plantis eſſe ſexus commixtionem, vt enim ille ait. *Quæ res permiſcentur, ſimplices in ſe ſi eſſe debent, vt ſcilicet per ſe ſit maſculus, & per ſe fœmina, & deinde commiſceantur, & commixtio non erit niſi per propriam generationem. Inuenta igitur fuit in plantis ante immixtionem ſuam mixtio, quæ efficiens quoque, & patiens cauſa in vna hora eſſe debeat. Verùm non inuenitur maſculinitas, fœminitaſque in vlla planta coniunctè, & ſi hoc ita eſſet, fortè planta animali eſſet perfectior*. Si plura deſideras, præcitatum locum perlege, quamuis hoc mihi nequaquam arrideat, nec poſſum Ariſtoteli aſſentiri; ille enim ſupponere videtur, opus eſſe, vt vterque ſexus ſaltem in aliqua hora diſcretus maneret; quod tamen haud erat neceſſum: potuit enim natura vtrunque ſexum à principio generationis præeorum imperfectione inſimul vnire, non ſecus ac in productione compoſiti vnit formam ipſi materiæ; quæ tamen neque per horam, neque per bre-

Digitized by Google

breue momentum existunt separatæ. Et in hoc videtur Aristoteles sibi ipsi non constare, quando relato libro de animalibus contrarium astruit; melius itaque sentiendum cum D. Thoma in 1. quæst. 92. artic. 1. cui subscribit etiam doctissimus Fernel. lib. 7. de hominis procreatione cap. primo.

Quòd verò dicebatur de hyæna, lepore, & ichneumone, falsum omnino est. Aristoteles enim 3. de generatione animal. cap. 6. isthæc deridet, & stulta appellat: sic enim ait. *Sed visa est hyæna mas, & altera fœmina sui discrimine genitalis: locis enim nonnullis penuria huius conspectus non est. Verùm hyænæ tam mares, quàm fœminæ habent sub cauda lineam quandam similem genitali fœminino, quæ quidem nota, quamuis communis sit, tamen in maribus potius cernitur; quia mares, quàm fœminæ magis capi untur. Itaque qui rem parum diligenter consideraverant, in hanc aberrant opinionem.* Inquam proculdubio aberrauit Gaspar Bahuinus 2. de Hermaphroditis, dum de hyæna vulgi cantilenis plaudit.

Ad Aristophanis verba apud Platonem fatisse respondisse, altius illa continere mysterium. Mos enim erat ueterum Theologorum, ut inquit Ficinus, sacra ipsorum, puraque arcana, ne à prophanis, & impuris polluerentur, figurarum umbraculis tegere; porrò fabulosa narratio est, cuius tamen tropologicum sensum legat, qui cupit apud Marsilium in Conuiuio oratione 4. cap. 2. hic enim ascribere operæ precium, non censeo.

Opinionem tandem Adam Hermaphroditi, ut absurdam, nedum ridiculam nemo sanæ mentis recipiet; neq; ex verbis Genesis hoc vlla ratione inferri potest; nam vbi dictum fuerat, *Creauit Deus hominem ad imaginem suam*; habetur: *masculum, & fœminam creauit eos*; non dicitur, *eum*, vt ostenderetur sexus discretio. Verùm hæc ad Theologos, ad quos pariter spectat, illorum hæresim damnare, qui sub Innocentio III. dixerunt, si Adam non peccasset, sexus haud futuros fuisse distinctos.

Addo corollarium, seu παράρτημα. Apud priscam ætatem Androgynos prodigiosos fuisse; vt proinde præcepto Aruspicum vel necarentur, vel in mare demergerentur; vt lege *Prodigiorum*, sæpissimè id factum esse, recensetur. Plura quicunque de Hermaphroditis auet intelligere, perlegat Bahuinum, & Riolanum, qui de illis data opera scripsere; necnon Paulum Zacchiam septimo quæstionum Medicolegalium, qui selectiora multa de ijsdem retexit.

CAPVT VII.

An possit immutari sexus, ita vt mulier degeneret in virum, vel e contrario.

POSSE fœtum intra vterum vtriusque sexus fieri consorte mabundè satis dictum est suprà; modo inuestigandũ videtur, num quis ab vtero mas proficiscens progressu ætatis in mulierem immutati possit; vel mulier ab ortu in virum degenerare. Porrò id aliquando contigisse, non vnum est monumentum: plenæ sunt historiæ, plena fides auctorum. Exordium faciamus ab Ausonio in Epigrammaton libro.

Nec satis antiquum, quod Campana in Beneuento
Vnus Epheborum virgo repentè fuit.

Et postremò.

Ecce ego sum factus fœmina de puero.

At fortè quis Poetæ derogat fidem; fortè vt Medico, vel medici filio haud neganda foret. Procedamus ad alios, qui sunt in scribendo irreprehensibiles. Ille, quem profiteor Magnus Hippocrates epid. 6. duarum meminit mulierum, quæ in viros abierunt: placet Auctoris verba recolere. *In Abderis Phœtusa Pytheæ vxor priore quidem tempore fœcunda erat, cùm autem maritus ipsius in exilium abijsset, menses multo tempore suppressi sunt, postea dolores, & rubores ad articulos oborti sunt. Hæc autem vbi contigissent, & corpus virile factum est, & hirsuta penitus euasit, & barbam produxit, & vox aspera facta est* Subiungit paulò inferius. *Idem hoc contigit etiam Namysiæ Gorgippi vxori in Thaso.* An cuilibet suspectum esse potest Titi Liuij testimonium? Hic quarto secundi belli punicisic habet. *Q. Fabio Maximo, & M. Claudio Marcello Coss. vir ex muliere Spoleti factus.*

Adhuc Spoleti nostra etiam tempestate idem accidit: etenim anno Domini 1574., vt à dilectissimo, ac prudentissimo Ioanne Francisco de Sinibaldis patre meo, teste oculato accepi, & ab eodem, dum hæc in præsentiarum scribo, exactiùs repetens auscultо. Posthuma quædam Barattana virago, nec illiberalis formæ, Spoleto fugam arripuit Ficenum versus. Iam tum Ioannes Franciscus frater eius, necessitudinis vinculo eidem genitori meo coniunctus Leonissæ apud meas ædes diuersabatur; qui audito sororis facinore, ilicet equum conscendit, & vnà cùm alijs consanguineis Anconam velociùs transmigrauit, vbi sontem deprehendit, iamtum nauim-

Venetias versus ascensuram, quę cognitis affinibus, timore perculsa, ne amabò vos, inquit, mihi molesti sitis: fœmina non sum ego, genus non obscuro: gentilitio nihil derogo, in virum degenerauj; & virilibus ostensis, fratrem, & alios malè opinantes non sine stupore sedauit; qui tamen reducem illam Spoletum, vt omnibus rei euentus percrebesceret, fecerunt; & ibi viri genitalibus palàm in iudicio coram Præsule propalatis in virile arbitrium dimissa fuit, & nomine Posthumus mox fuit appellatus. Sed maior adhuc admirationi est locus; is non sine virtute, & animi robore fit armiger, ensem induit, & militis gaudet studijs. Haud multò post Leonissam profectus est, itidemq. à meo genitore hospitio donatus fuit: tandem in certamen conuocatus, virum quendam ab Amatrice interfecit, atque abijt. Marcel. Donat. libro sexto de histor. mirab. capite 2, hunc euentum recolit his verbis. *Anno 1574. dum hæc scribimus in Vrbe Spoleti, in Vmbria positæ, vulgo Spoleto, vocant, puella octodecim annorum filia cuiusdam vocati Totaccia de Norcia in virum euasit prodeunte membro virili, quemadmodum à pluribus illius loci affirmatum fuit,* Verùm hęc Marcelli relatio nimis diminuta est, & in aliquibus falsa; nam in primis frater ille nomine Ioannes Franciscus de Barattanis erat à Nursijs oriundus quidem, sed iam è Spoleti ciuibus. Pater quidem Angelus nominabatur, neque, vt intelligo, nomen illud Totaccia inditum erat. Sed cur Spoleti frequentiùs mulieris degeneratio in uirum contingat, ea potest esse ratio, quòd nimirum siue ob Climatis subtiliorem temperiem mulieres omnes generosę sunt, uiragines ingeniosę, calidę, lacertosę: siue ob uina generosa, quę ibi affluunt copiosè, muliebris habitus fortior, & spiritibus liberalior præstatur.

Phlegon non mediocris Auctor lib. de mirab. hanc recenset historiam. *Virgo quædam Smyrnæ nata Philotis nomine, cùm matura viro nuptui tradita esset à parentibus, masculino enato membro in virum abijt.* Idem subnectit; *quæ est in Syria mulier Aetata nomine etiam num cum marito degens e fœmina vir extitit, cui nomen Aetetus, Præside Athænis Macrino, Romæ consulibus L. Lamia, & Aeliano vetere.*

Michael Montanus primo experimentorum testatur, suo tempore Vitriaci fuisse puellam nomine Mariam, quæ cùm saltaret violentiùs, subitò virilibus erumpentibus in virum mutata sit, & ab Episcopo Suessionensi confirmationis sacramento mutato nomine Germanus vocari cæperit. Ab Antonio Torquemada, & Coccejo Sabellico plures id genus euentus in suis operibus describuntur. Amatus Lusitanus vir doctrinæ, ac fidei non vulgaris 2. centur. cur. 39. scribit, in Oppido Esgueida Lusitaniæ vixisse nobilem quandam puellam, nomine Mariam Pachecon, quæ cùm ejus ætatis esse inciperet, qua muliebres menses fluere consueuerunt, huius vice humoris, e locis virile membrum emisit, sicq. subitò è puella factus adolescens, Ephebus apparuit, mutatis vestibus continuò nomen viri assumpsit Manuelis Pachecchi, nauimque conscendit, & in Indiam profectus, rebus fortiter gestis, strenui militis existimationem, opesque magnas comparauit; in patriam rediens vxorem nobilem duxit; sed an liberos genuerit; Lusitanus inquit, non satis compertum habeo, conscij tamen sumus imberbem hunc semper mansisse. Torquemada consimilem refert historiam de sterili quadam muliere, quæ cùm à coniuge malè tractaretur, quadam nocte, sumpto vestitu famuli domestici, aufugit, virumque mentita, seruitio dabat operam, quousque vel vi imaginationis, vel aucti caloris vir euasit realiter emisso pene.

Auctor est Fulgosius lib. primo exempl. cap. 6. *Neapoli, regnante Ferdinando primo, cùm Ludouicus Guarna Salernitanus ciuis quinque filias susceptisset, quarù natu maioribus duabus, alteri Franciscæ, Carolæ alteri erat nomen. postquam ad decimum quintum annum peruenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem eruperùt, mutatoq. habitu pro maribus habiti sunt.* Plinius etiã lib. 7. natural. hist. cap. 4. ait. *Ex fœminis mutari in mares non est fabulosum. Inuentimus, in anualibus P. Licinio Crasso, Caio Cassio, Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine; sub parentibus, iussuque Aruspicum deportatum in insulam desertam.* Vndè colligi etiam potest apud priscam ætatem sexus mutationem loco prodigij habitam esse. Aul. Gell. noct. Attic. lib. 9. cap. 4. cuiusdam & ipse meminit casus, qui in Plinio ipso vna cum pluribus legi potest: hic tamen sufficiant recensiti, si præsertim, vt par est, abstinere volumus à fabulis, si fabulę sunt quæ de Lapytha, Cœneo, Hipermnestra, Syproeta, & Leucippe ob varias causas immutatis referuntur. de quibus Ouid. in metamorphosi.

CAPVT VIII.

Qua ratione, quibusnè causis contingat sexus immutatio.

IMMVTATVM esse aliquando in virilem habitum mulierem, plurimis, iisque grauissimis auctoribus comprobauimus. Reliquum modo est, vt perquiramus, quo pacto id ipsum fiat, atque etiam quibusnam accedentibus causis. Sum ego huius census, cunctas nimirum fœminas, quæ in viros degenerant, ab ipso vtero esse

esse Androgynos, atque à principijs ortus vtrunque sexum participare; vnum tamen habere latentem, manifestum alterum; adeo vt in huiusmodi transformatione sexus, qui primò erat obscurus, adueniente naturæ fortiori adminiculo, apertius eluceſcat. Concipitur exempli gratia in vteri conceptaculo vtriusque sexus consors fœtus aliquis; verùm quoniam tunc temporis humidum præualet excrementum, & in ipsamet conceptione maior quædam virtus extitit seminis muliebris; hinc fit, vt virilibus obscuratis, muliebris cicatrix palàm appareat. Accidit autem progressu ætatis, vt exuberante illa reficcata humiditate, calor inde hebetatus siccitate acuatur: siccitas enim est lima caloris, vt Philosophus ait; exausto vero calore obscurum, ac delireſcens genitale præ imbecillitate fortius euadit, atque etiam incremento extuberat; quò fit postmodum, vt à natura propellatur, quæ nihil otiosum latitare patitur. Quòd autem hoc veritati finitimum sit, patet vel ex eo, quòd quotieſcunque mulier aliqua in virum exceſſit, præuia occasione, calorem propè illas partes exacuente contigit, vti obseruare est in mulieribus illis ab Hippocrate relatis, veluti in saltatione, qua regio illa genitalis maximè concaleſcit, sicut aduenit puellæ à Montano recensitæ; veluti in tempore, quo menses apparere incipiunt; tunc enim ex Hippocrate libro de morbis mulier. maximus calor, plurimumque sanguinis, ac spirituum ad pudenda, & finitimas vteri partes confluunt, qua occasione facta est immutatio Mariæ Pacheche, ab Amato Lusitano deductæ. Fulgosius superius nuncupato loco alterius cuiusdam casus meminit, ait enim, sub eodem Rege Ferdinando Virginem extitisse, quę viro desponsata quatuor annorum spatio à coniugio vacauit, cumque tandem viro tradita nocte prima succumberet, virilia emisit; ex motu Veneris, vt arbitror, & ex illarum partium feruesceutia, qua earundem facultas, & robur fortiores præstitæ foras illa produxerunt; calore siquidem dilatatæ, atque etiam tentigine, aut libidine proritatę partes illę (proritari autē in primo illo Veneris congressu debuerunt) vim facientes, & vndique turgentes intus recondi amplius non potuerunt,. Profectò maior pars mulierum, quæ in viros mutatę sunt, id fermè ex Venere habuerunt; Cùm enim in eius congressu, & in primo potissimum genitalia excandeſcant, maximèque tendantur, impetum faciunt, & rigida producuntur foras, adminiculante natura, quę ægre fert, illa instrumenta in cassum latere. Ita sub Alexandro Sexto, Volaterano teste, virgo in ipso nuptiarum die penem emisit Romæ, vnde coniugis auidi ceſsit inane votum. Non desunt insuper, qui dicant sexus metamorphosin imaginationis vi accidere posse; atqui huic potentiæ non adeo tribuendum est; nam licet quo ad spiritus, & motus intrinsecos multa efficere queat; effectus tamen aliquot adeo miros patrare neutiquam potest: rursus nec eadem obtinet virtutem re ipsa producendi aliquid: generatio enim est actus potentiæ naturalis, non autem animalis; facultatis vegetatiuæ, non imaginatiuæ. Quocirca si membra illa delituiſsent, posſsent, nec ibo inficias, intensa imaginationis vi protrudi. Verùm quòd valeant denuò ab eadem concreſcere, fieri nulla ratione potest. Nam ad istam sexus variationem quidnam requiri existimatis? Nihil sanè aliud, quàm vt quæ intus iacent instrumenta, luxurient foras: rursus vt id quod myrtos, & nimpha latinè, κλειτορὶς, & ὑμὴν græcè dicitur, nacto incremento, & pingui velamine, quo inuolutur, effracto protendatur in penem; id quod ope naturæ, proclinisad uirum, caloris auxilio effici, non est difficile; in mulieribus enim uiget caruncula quędam ad formam colis, quæ dicitur νύμφη, uel coliculum, quæ, si fortè contingat incrementum recipere, uirilis genitalis officium exercere potest. De hoc musculoso processu uide Mercurialem, Rodericum à Castro, & passim Gynęcia cum Anatomiti; sed hęc non est uerè legitima in uirum degeneratio, sed potius morbosa affectio; licet enim adaucta illa caruncula tanquam cole vtantur, muliebri tamen vase prępollent, quo concipiunt; illo autem nequaquam in Venere quicquam vel seminis, vel saliuæ effundunt. Scias tamen velim, differre nymphas à nympha, illæ enim alium vsum habent. Mercatus autem ex nympha illa censuit, existimaſse Medicos mulieres aliquas in viros degeneraſse: vnde Auicennas libro tertio fen. 21. tract. 3. capite 2°. scribit. *Quandoque oritur in ore matricis caro addita, & quandoque apparet supra mulierem res; quæ est sicut virga commouens sub coitu, & quandoque aduenit ei, vt faciat cum mulieribus simile, quod fit eis, cum quibus coitur*; & hæ mulieres tribades dicuntur· quò pertinet illud Martial. septimo epigramm. in Philęnim.

Ipsarum tribadum tribas Philæni,
Recte, quam futuisse vocas amicam.

Eodem adhuc nomine malè sentit Sappho apud Ouidium in epistola ad Phaonem: ipsa enim de se testatur vitium his carminibus:

Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno;
Non oculis grata est Atthis, vt ante, meis.
Atque aliæ centum, quas non sine crimine amauit;
Improbe, multarum, quod fuit vnus habes

Nempe addiscendum est ex Galeno, nullam prorsus in viris reperiri partem, quæ non insit etiam mulieribus. Sed in illis manifestior, in his reperitur obscurior: sic 14. de vsu partium id insinuatur: *nullam enim in viris partem in-*

inuenias, quæ in mulieribus non insit, tantùm positione dissident; quæ enim in mulieribus sunt intus, eæ in viris sunt extra. Et inferius. *Nam quemadmodum Talpæ oculos habet imperfectos, non tamen imperfectos æquè, vt quibus animalibus, ne ipsorum quidem omnino vlla est delineatio; sic & mulier partibus genitalibus viro est imperfectior. Partes enim ipsius formatæ intus fuerunt, dum ipsa vtero adhuc gestaretur. Cum autem,* subiungit, *extare, & foràs emicare præ caloris imbecillitate non possent, ipsum quidem animal, quod conformabatur imperfectius eo, quod vndique est absolutum, reddiderût, toti verò generi vtilitatem non aspernandam præstiterunt.* Rursus idem Galenus 2. de semin. id specificè magis demonstrauit dicens. *Collum porrò vterorum, quod & ipsum intus in fœminis situm est, in masculis est ipsum virile pudendum effectum, & extra locatum; præputium autem virile muliebre est pudendum in fœminis, quemadmodum enim hoc operculum est stomachi ipsorum vterorum, sic præputium pudendi virilis pelliculosa excrescentia est intus cava, præterquam quòd id multò maius in fœminis, quàm masculis existit; Omnia igitur,* subiungit, *genitalia membra tum masculum, tum muliebre animal habere videtur, aut positione differentia; propterea quòd altera intra peritonæum sunt, altera extra; aut magnitudine, velut in præputio, & testibus nuperadeò dicebatur; quin & vasa, testes nutrientia ex eisdem venis, & arterijs procedunt.* (Scio tamen Andream Laurentium 7. de historia Anatomica Galeni improbare sententiam hanc, & multis conuellere.) Atqui non tam seuero examine, sed æquiori lance pendenda erat. Hoc autem quantò facilius euenire potest, si mulier ab vtero virilis quoque habitus producta sit particeps?

Verùntamen id non ita sentiendum est, vt putemus fœminas in viros sic mutari, vt desinant omninò esse fœminas; nam hæc sententia tutò astrui non posset, nec videtur explicari posse, quonam pacto muliebria vel depereant, vel degenerent; sed rationi magis consonum est, si dicamus, mulieribus manifestari sexum virilem, ita tamen, vt sicuti priùs prævalebat muliebris, obscuro, & latitante virili; sic postmodum muliebri aliquatenus euicto, & hebetato virilis præcellat. Et hic est verisimilior dicendi modus, à quo non discrepat Martinus Delr. lib. disquisit. magicarum. Et ex dictis verisimile est, contingere aliquando, vt fœtus in vtero, qui ab ortus initio, naturæ impotentia, & caloris defectu fœminino caractere insigniebatur, mox natura, & calore præpollente virilia promat, & augmentationis progressu in masculum degeneret; multò namque facilius id intra vterum accidere potest, vbi facillimè immutari possunt causæ, & fœtus nondum perfectè completus existit.

Cæterùm quoad viri transmutationem in mulierem longè maiorem obtinet difficultatem: vix enim intelligi potest, qua ratione virilia retractentur, retromittantur, & quasi euanescant: multò namque pluribus, ac difficiliùs naturæ conatibus opus est in tali degeneratione. Quòd si Dæmoni, eodem Martino Delrio auctore, id non licet, qui tamen vires omnes naturæ, atque energias adhibere potest summa facilitate, & nullo temporis interstitio; naturę etiam idem denegari credendum est: patet hoc, quia Nero ille nullo scelere non inquinatus, magiæ addictissimus licet multum eniteretur magicis viribus, vt sexum immutaret, irritos tamen conatus omnes expertus fuit. Non dixerim tamen, quin Dæmon sensus deludens operari valeat, vt vir fœmina appareat; sed soùm id realiter efficere posse, detrecto: natura autem cùm non deludat, sitque agens non phantasticum, neque apparenter id valet efficere.

Ad calcem illud tanquam auctarium addendum, malè opinari eos (inter quos Marcellus Donatus) qui existimant, mulierem in virum degenerare, monstrosum esse; etenim progressus de imperfectiori ad perfectius nulla ratione monstrosus dici debet; nec omnia, quæ rarò contingunt, ex hoc duntaxat monstra nuncupantur; sed necesse est insuper, vt defectum, eumque non leuem præseferant. At in casu nostro nullus defectus, quin potius illius correctio.

CAPVT IX.

An etiam bruta, & plantæ specificè, vel iuxtà sexum immutentur.

ACCIDENTIA pleraque naturalia, quæ humanum genus inuadunt, multò faciliùs, & frequentius in ferinum grassari, vtique credendum est. Etenim bruta cùm secundùm naturam magis viuant, eiusdem affectus, ac defectus magis experiri debent. Siquidem omni prorsus ratione destituta vim ipsius naturæ intimè perceptam persentire latiùs possunt. Quare mutationes aliquæ naturales, & sexus in primis, in ferino genere contingere, haud rarò possunt; quod primò probari posset ex Ouidio in hyæna, de qua sic ille

Alternare vices, & quæ modo fœmina tergo
Passa marem, nunc esse marem miramur hyænam.

Nec desunt etiam alij Scriptores, qui affirment idem. Ausonius genere Medicus, qui miros quosdam naturæ euctus carminibus descripsit,

sit, varias sexus permutationes epigrammate satis lepido comprehendit, quod est.

Fœmineam in speciem conuertit masculus ales,
Pauaque de pauo conflitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum, sed mollior agna
Astitit in tenerum de grege versa marem.
Quid stolidi ad speciem notæ nouitatis hebetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cœnea conuertit proles Saturnia coniux,
Ambiguoque fuit corpore Tyresias.
Vidit semiuirum Salmacis fons Hermaphroditum,
Vidit nubentē Plinius Androgynum. &c.

Cæterùm quicquid dicendum sit de his, illud Sole clarius est, feras aliquando immutatas esse, & in futurum, naturalibus causis non deficientibus, identidem in diuersum sexum degenerare posse. Nec solùm belluæ in sexum eiusdem speciei, sed quòd magis est in speciem diuersam sæpè commutantur, & abeunt; id quod homini accidere non potest, nisi poetarum fabellis nimium creduli fidem præstemus, arbitrantes, homines vel in Deum, vt Æneam; vel in sues, vt socios Vlyssis; vel in stirpes, & saxa, vt Ouidij homines illos imaginarios, abire posse. Quòd autem ferę multæ in diuersam speciem transeant dictorum virorum auctoritatibus facilè suaderi potest; nam Brucus alis innascentibus euadit alata quędam farfalla: Eruca, quæ in ficubus adnascitur, fit cantharis: Hydra arescente palude fit serpens: Io Baptista à Porta, & experientia magistris: e cancro limo subiecto exoritur Scorpius. inde Ouidius decimoquinto metamorphos.

Concaua littoreo si demas brachia cancro
Cætera supponas Terræ de parte sepulta,
Scorpius exibit, caudaque minabitur vnca.

Rursus Bombyces in papiliones nulla præcedente corruptione inuertuntur, vt quotidiè videre licet penes mulieres, fericis artificijs operam dantes, quod non præterijt Ouidius loco citato.

Quæque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ, res obseruata colonis,
Ferali mutant cum papilione figuram.

Verùm si quis adhuc grauiorem excupit auctoritatem, aut exempla maiora, naturali fortè magiæ diffidens, Aristoteli acquiescat, qui apertissimis monumentis de historia animalium lib. 9. capite 49. id nobis suadet, cuius verba registrare nō erit ab re, ex quibus veritas euentuum eluceſcet magis. Ita ergo naturæ protomysta. *Sed, vt quęque animalia pro suis effectibus agere, sic pro suis quoque actionibus affici, immutarique moribus solent; partes etiam corporis nonnullæ sæpenumerò ratione agendi immutantur, vt in auium genere euenit; Gallinæ enim cum mares vicerint, & exemplo marium tentant superuentu coire; crista enim, caudaque erigitur, ita nè facilè præterea sit, an fœmina sint, cognoscere: nonnunquam enim calcaria paruaeis enascuntur. Iam verò & mares nonnulli visi sunt, qui cum fortè fœmina interiisset, ipsi officio maris fungerentur in pullos, ductando, fouendo, educando, ita ne de cætero vel cucurire, vel coire appeterent. Quin etiam inde à primo ortu natura, ita nonnulli mares effœminati proueniunt, vt neque cucuriant, neque per coitum agere velint, & V enerem eorum, qui tentent superuenire, patiantur.* Cuculus etiam immutatur colore, & vocem minus explanat, cum se abditurus est, quod facere exortu canicule solet; apparere autem incipit ab ineunte vere ad eius syderis ortum. *Abditur & ea, quam œnanthem quidam appellant, ac si vitifloram dixeris, ex ortu eiusdem syderis, Occasu verò apparet, vitat enim interdum frigora, aliàs æstum. Necnon vpupa cum colore, tum verò specie immutatur. vt Æschylus Poeta satis carmine suo exposuit.*

Quin fert sui spectantem, & epopem mali
Colore speciem multimodo pingens suam.
Saxicolam, & improbum arma gestantem alitem
Adulti infantis forma hic sese refert.
Nam vere candicans vbi extitit nouo,
Aestate tum deinde vt recanduit seges,
Alas repente varius maculatas quatit:
Vagatur hic semper fastidiens locos,
Deserta quærit nemorum, & inulas plagas.

Et inferius idem Arist. subiungit sic; *Rubeculæ; & quæ rusticillæ appellantur, inuicem transeunt; estque rubecula byberni temporis rusticilla æstiui; nec alio ferè inter se differunt, nisi pectoris colore, & caudæ. Sic & ficedula, & atricapillæ vicibus commutantur; fit enim ineunte Autumno ficedula, ab Autumno protinus atricapilla; nec inter eas discrimen aliquod, nisi coloris, & vocis est, &c.*

Theophrastus etiam tertio de historia plantarum capite 6. testatur huiusmodi immutationes sæpius accidere. *Quadam enim*, inquit ille, *temporis ratione mutari videntur, vt accipiter, vpupa, & similes volucres. Item pro locorum mutatione, vt coluber stagnis exiccatis marcescit. Euidentissimè verò nonnulla cùm in generatione consistunt: mutantur enim per animalia plura, vt cùm ex tinea eruca, tum ex ea papilio gignitur.* Nec putare aliquis debet, mutationes huiusmodi esse non intrinsecas, sed secundùm externas duntaxat figuras; siquidem vbi diuersus apparet instinctus, diuersa operatio, atque altera corporis structura, ibi diuersa specificè constitui debet natura; Iam papilio cùm præcedente eruca nil prorsus analogum habet. At mirum cuique videri potest, quòd nulla appa-

Digitized by Google

rente corruptione, aut putredine animal à se ipso diuersum specie fieri possit. Verùm id naturæ illius imperfectioni acceptum referatur, in qua si paulo temperies immutetur, statim ad aliam animam enascitur dispositio; qua posita, illa introducitur. Etenim nisi præcedente aliqua alteratione nunquam ista sequetur metamorphosis; ideoque erucæ antequam in papiliones abeant, putamine includuntur, ibique per longum tempus absteminæ viuunt, quare inedia, solitudine, ac tenebris primigenium habitum dissoluunt, pristinamque temperiem exuunt, atque tandem ad nouam animam disponuntur. Doctrinam hanc haurire fas est ex iis, quę Zoologus noster quinto de historia animalium capite decimonono his verbis exarauit. *Nascuntur papiliones ex erucis, erucæ ex virentibus foliis, maximèque ex brassica. Primùm minus quid milio consimile in folio, mox vermiculi inde contrahuntur, & accrescunt, tum intra triduum eruculæ afformantur, quæ auctæ motu cessant, suaque forma immutantur, appellanturque tantisper chrysalides, quasi aurelias dixeris: duro intectæ putamine sunt ad tactum mobiles, meatibus araneosis obductæ, non os, non aliud ex membris, quod conspicuum sit, possident. Longo post tempore putamine obrupto euolant, inde animal a pennigera, quos papiliones vocamus. Itaque primùm dum erucæ sunt, cibo aluntur, atque excrementum emittunt. At verò cum in aurelias dictas transierint, nihil vel gustant, vel excernunt.* vide plura in eodem capite.

Ex eodem insuper Theophrasto addiscere vtilitate licet; quales mutationes in plantis fiant; nam eodem libro capite 3. 4. & 5. edocet, plerunque cupressum ex fœmina marem prouenire; punicam in Ægypto de acida in dulcem conuerti: ex hordeo triticum, & ex tritico hordeum gigni, sed non eodem fundo. Item ex caprifico ficum, & ex fico caprificum; rursus ficum ex candida nigram, & ex nigra candidam. Adhuc Sisimbrium mutari in mentham; triticum in lolium transire, & similia; de quibus etiam Plinius, & alij sermonem habent. Euentus verò causas, ne quid relinquamus illibatum Theophrastus ipse reijcit, vel in culturam, vel in regionem, vel in locum, vel in tempora, & similia multa, quæ variare possunt sublunares effectus, vti etiam in præparationem seminum, & eorundem artificiosam alterationem, quæ visitata est in primis apud agricolas facta ex nitro, quod & idem auctor, & Virgilius primo Georgicorum recensent, & commendat his verbis.

Semina vidi equidem multos medicare serentes
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior vt fœtus siliquis fallacibus esset.

Quæres, num omnibus animantibus insit realiter sexus distinctio, sicuti in principio visi fuimus asserere? quæstionem soluit Aristoteles 4. de hist. animal. cap. vltimo his verbis. *Sexus ergo discrimen in animalibus, quæ vitam stabilem viuunt, aut omninò in ijs, quæ testa integuntur nullum omnino est, At in mollibus, & crusta opertis mas habetur, & fœmina. In pedestribus quoque, tum bipedibus, tum quadrupedibus sexus vterque est, atque etiam in ijs, quæ animal per coitum generant, aut ouum, aut vermem.* Sed licet in multis discrimen sexus non adsit; nihilominus est quædam distinctio, quòd videlicet aliqua germen faciunt, alia minus: sicuti stirpium aliæ fructum ferunt, aliæ steriles omninò sunt. Sola anguilla neque mas, neque fœmina est, neque ex se aliquam prolem procreare potest. Cæterùm, vt inquit Aristoteles, in testaceis, atque stirpibus, quod pariat, & generet est, quod autem maris fungatur officio, deest.

Esto auctarium, cantharos, idest scarabæos omnes esse mares ex Porphirio, & Horo; quò pertinet Ausonij lepidum epigramma in Marcum quendam Pullariam, qui cùm esset.

Peruersæ Veneris postico vulnere fossor
Lucilli vatis subulo, pullo, premo.

Quærit ideò ex Pythagora, cuius opinio fuit, animas in diuersa transire corpora, in quodnam, post fati diem, euasurus ille sit animal ex palingenesia: qui respondit:

Non taurus, non mulus erit, non Hippocamelus:
Non caper, aut aries, sed scarabæus erit.

Hinc apud Ægyptios Patris, ac soligenitoris Hieroglyphicum scarabæus erat, quòd is absque fœmina solo bubulo, vel asinino fimo producat: ex hoc enim confectas, & elaboratas pilulas volutando suo genitali respergit semine; meritò ideo scarabęi nomine malè audit, qui sterilis agri fimum proprio seminio irrorat.

CAPVT X.

In quo sexu natura maiorem pulchritudinem pingat.

DE hominis perfectione sat egimus in principio huius tractatus, ad calcem eiusdem inuestigandum modò videtur, quem sexum pictrix insignis natura maiori pulchritudinis lumine decoret, & coloribus ornet clarioribus. Enimverò si virorum temperaturam respiciamus, membrorum dispositionem, lacertorum aptitudinem, atque omnium partium symmetriam, nemini dubium structura corporis huius cui vis apprimè concinno corpori muliebri longè præcellit. Atqui muliebris vultus ex alia parte decore, &

for-

formosa lineatura virili aspectui maximè præstat. Quod sanè mysterium poetarum figmentis reuelatum est, cùm pulchritudinis numen mulieris idolo effinxerunt, quod Venerem nuncuparunt, quæ lepores, atque gratias impertiri credebatur. Vt plurimùm itaque mulieris imago venustior est, & elegantior virili facie. An igitur, vt nouerca insimulanda est natura à virorum cetu? Nó equidem: habent potiùs vnde conquærantur mulieres, quarum profectò imperfectio ea est, is defectus, crimina tanta, vt nisi superficie tenus venustate quadam faciei compensarentur, nunquam viri, vel saltem ægrè mulierum appeterent commercium; hinc autem sequeretur, vt generatio periret, & vnà cum generatione pariter natura deficeret; vel adhuc inuitò huiusmodi opus viri elaborarent: vt autem commentator habet 3. Ethic. *Qui facit aliquid inuitò, tristatur cum ipso*. Exagentis verò tristitia imperfectus ederetur effectus; nam *delectatio*, teste Aristotele, *perficit opus*. Iam vt natura prouida suæ incolumitati obuiam iret, videns in reliquum mulieris imperfectionem esse quodammodo necessariam, enixa est vultum, quoad potuit, elegantem designare, cuius nitore pellecti viri, nunquam generationis opificium aspernarentur; sed pulchritudine potiùs, quæ est animorum flamma excitati in illud semper intenderent, ex quo postmodum rerum series, & vniuersi bona perpetuò quodam fluxu propagarentur.

Secundò dici posset, quòd ipsius naturæ æquitati consonum erat, vt mulieres, quæ in senectute turpes, ac fœdæ erant futuræ, in iuuentute forma, & gratia pollerent; vir autem quantò senescit magis, tantò perfectior euadit. Præterea cùm defraudatæ sint mulieres cunctis animi præclaris dotibus, iustitiæ distributiuæ munus postulabat, vt saltem venustate visus, & aspectu faciei decoro damna rependerentur; hinc ideò factum est, vt in earum productione virtus formatiua feminis, cùm non ita studiosè occupetur circa complexionis energiam, lacertorum aptitudinem compositam, & omnium pænè membrorum fortem, & harmoniosam structuram, suum totum conatum adhibeat, & vires omnes explicet propè rectam, atque elegantem faciei picturam: non secus ac sedulus ille pictor, siue sculptor, qui vniuersum corpus simplici quadam obtegit veste, vultum tamen omni decore, ac pulchritudine præstantem nititur effingere. Quò ni fallor pertinent Anacreontis illa carmina.

Tauro ferire cornu:
Equo ferire calce:
Lepori valere cursu:
Natura dat leoni
Dentes hiante rictu:
Pisces docet natare:
Aues docet volare:
Prudentiam viris dat:
At fœminis nequiuit;
Quid ergo donat illis?
Decoram habere formam.

Adde, quòd isthęc mulierum forma, & venustas, ob fragilitatem, cui nimium est inauctorata, absolutè dici non potest virili pulchritudine excellentior. Quò enim pacto formæ decus illud celebretur, quod omni caducitate subiectum breui tempore corruit, leui quapiam occasione caligat, parua quauis causa protinus deficit?

Fugit iuuentus, & verecundus color;
Reliquit ossa pellem amicta lurida

Horatius inquit. Quam fuit momentanea & Floræ, & Laydis, & Helenæ pulchritudo? Nonne vt vapor, vt fumus euanuit?

Florem decoris singuli carpunt dies.

Aiebat Seneca; quæ tandem temporis iniuriæ tota subiacet pulchritudo, illa prorsus propria est mulierum; hinc vates ille fastum deprestsurus Lidię pulchritudine superbientis concinit.

Hanc ne putas viridi mansuram in corpore dotem?
Nec caritura suis læuia membra bonis?
Falleris: illa fugit nunquam reditura iuuentus,
Et quæcunque breui tempore forma perit.

Hinc Theophrastus. *Modici temporis tyrannus est pulchritudo*. Rursus picturata mulierum facies venustior idcircò apparet, quoniam in ornatu, & mundo muliebri, omnis earum reposita cura est. Etenim, vt aiebat Epictetus cap. 62. sui Enchiridij. *Mulieres statim ab anno decimoquarto à viris dominæ vocantur; proindè cùm vident, se nihil aliud habere muneris, nisi vt cum viris concumbant, comere se incipiunt, atque in ornatu spem collocant omnem*. At viros talis elegantia mollis, & lasciua venustas nequaquam decet; sed quædam potius forma seria, & generosa maiestas. Quid enim? An consentaneum esset, viros ad prudentiam, ad sapientiam, ad fortitudinem natos tota die tingere comas, disponere crines, pingere vultum, tergere pellem, depilare mentum? fuco genas, labia purpurisso, faciem crocodili stercore mentiri, ac tot quisquilijs exornare corpus? An non satis cunctis hominibus, & etiam Dijs damnatus Sardanapalus est, qui omnis generis luxuriæ deditus, nec erubuit inter scortorum greges nere, & muliebri habitu fœminas omnes anteire lasciuia? An non etiam satis omnibus modijs execranda memoria est Neronis, Heliogabali, & aliorum, quibus esse viros iniuria fuit? sed missa hæc faciamus.

Postrema ratio, cur vultu mulieres elegantiores existant, desumi posset ab astris, ex eo uidelicet, quod in mulierum formatione conuenit peculiaritèr Luna, & Venus, sub quibus pla-

netis, eò quòd prehumidi sint, decora, & mollis facies conformatur, ut à Genethliacis palam profertur, & nos alibi.

Illud insuper non silendum, quòd etia mrara est, immò rarissima mulierum perfecta, & omnibus numeris completa pulchritudo; semper enim pluribus deficit. Si quis autem noscere aueat pulchritudinis muliebris uniuersas dotes, ac splendores, audiat ex Ioanne Nevizano his carminibus.

Triginta hæc habeat, quæ vult formosa vocari
Fœmina, sic Helenam fama fuisse, refert.
Alba tria, & totidem nigra, & tria rubra puella:
Tres habeat longas res, totidemque breues:
Tres crassas, totidem graciles, tria stricta, tot ampla
Sint ibidem huic formæ, sint quoque parua tria.
Alba cutis, niuei dentes, albique capilli:
Nigri oculi, cunnus, nigra supercilia:
Labia, genæ, atque ungues rubri: sit corpore longa,
Et longi crines; sit quoque longa manus;
Sintque breues dentes: auris; pes: pectora lata,
Et clunes, diffent ipsa supercilia:
Cunnus, & os strictum, stringunt vbi cingula stricta;
Sint coxæ, & collum, vuluaque turgidula.
Subtiles digiti, crines, & labra puellis:
Paruus sit nasus; parua mamilla, caput.
Cùm nulla, aut raræ sint hæ, formosa vocari
Nulla puella potest; rara puella potest.

Quamuis autem his omnibus adamussim mulier decorata foret; non tamen dici posset, virilem excedere venustatem, dummodo vir inconcinnam, & monstruosam formam, ac prauam artuum dispositionem ab vtero non contraxerit; quandoquidem semper exemplar præstat exemplo. Sicut igitur Deus, viri Archetypus infinito modo pulchritudinis lumine præcellit ei, ita mulier, quæ facta est ad imaginem viri (faciamus adiutorium simile sibi,) sui exemplaris comparem pulchritudinem nequit referre.

At scire cupies, in quo consistat hæc viri pulchritudo, & venustatis perfectio? Porrò Ficino probante, ad Platonis conuiuium Oratione quinta capite sexto, actus viuacitas, & gratia quædam elegans influxu propriæ ideæ, in corpus refulgens (id enim est pulchritudo) in corpus ipsum non descendit, nisi prius aptissimè sit præparatum, membrorum ordine, modo, & specie. Ordo respicit partium interualla: modus quantitatem: species lineamenta, & colorem. Oportet primariò, vt singula membra in toto corpore naturalem habeant situm, suis nempè locis oculi, nasus, aures, & reliquæ omnes particulæ locentur, & inter ipsas opportuna iaceant interualla. Post situm accedere necessariò debet singulis membris conueniens, & proportionata magnitudo, quæ ita describi oportet. Tres nasi in longum dispositi vultus vnius impleant longitudinem: Aurium vtrarumque semicirculi vnà coniuncti, oris aperti circulum compleant; quod idem efficere debent supercilia simùl coniuncta: longitudo nasi longitudinem labij implere debet, aurisque similiter: Gemini oculorum orbes vnum æquent oris hiatum: capita octo proceritatem corporis comprehendant; quam eandem eemonstrare debet brachiorum in longum extensio, crurumque similiter, atque pedum. Requiritur demum ad pulchritudinis supplementum species ipsarum partium, quæ nihil est aliud quàm linearum, attractus artificiosi, rugæque concinnæ: oculorum splendor, serenitas frontis, iucunditas oris, color floridus, candidus, & rubicundus, ac tandem singularum particularum fulgens decus. Qui plura desiderat, legat Fregosium in Anterote, & Ficinum in Conuiuio.

Cæterùm isthæc pulchritudo corporis vsque adeò viris expetenda est, quatenus cœlestis animæ domicilium venustius vndique sit, & quia, vt Platonicis placet, in pulchro corpore pulcher animus viget. Alioquin

Rarò forma viris (fœcula prospice)
Impunita fuit.

dicebat Seneca in Hyppolito, estque pariter tempore caduca, morbis, & senectute labilis; hinc Tragœdus idem:

Anceps forma bonum, mortalibus
Exigui donum breue temporis;
Res est forma fugax.

At nihilominus non ex hoc aspernanda pulchritudo nobis est; nam τῶν καλῶν καὶ ὀπώρη καλή. ideſt Pulchrorum etiam Autumnus pulcher est, vt fertur adagio.

Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS.

De Salaci complexione, & naturis Epicataphoris.

PRAELOQVIVM.

CVM in vtroque sexu salaces exurgant naturæ; & in Venerem procliues habitus vel temperie, vel proprietate, vel astro enascantur; visum idcircò est, hunc tractatum præcedenti connectere, quatenus virorum Genium, & mulierum dignoscentes libidinem, has magis, vel illos generationis muneri aptiores esse comperiamus:

Format enim natura prius nos intus ad omnem

Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram

Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit. canebat Horatius de arte poetica. Etenim in illud semper studium par est quemquam incumbere, ad quod à natura habuit propensionem.

Nec nisi naturæ res venit apta suæ. Inquit Faustus; cui consonat in Andria Terentius inquiens.

Paululum interesse censes, ex animo hæc omnia

Vt feri natura si faciat, an de industria? Quare & opus Hymenæi ab ijs patrari melius, credendum est, qui Genio auspice, in Venerem tentiginem præseferenti. De his igitur in specie agendum primò est, mox de individuis quibusdam aliqua etiam adiungemus. Perlege, delectaberis.

Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem putris. Dicebat Persius quinta Satyra,

CAPVT I.

De Satyris, & Silenis, Faunisq., aut Aegipanibus: necnon Tritonibus, ac Nereidibus.

CVM Satyris à Salacitate nomen inditum sit: σάθη enim græcè tentiginem ad Venerem significat; cùmque hi ab omnibus passim libidinosissimi habiti sint, meritò hic, vbi de naturis Veneris agere instituimus, agitandum primò videtur, A num ferinum, vel humanum hoc genus aliquando extiterit, & an potius Poetarum commentum fuerit. Plinius libro septimo natural. histor. scribit, Satyros esse animalia velocissima, quæ quatuor habent pedes in Subsolanis Indorum montibus humana effigie, ac rectè currentia. Pausanias etiam in Atticis scriptum reliquit, Euphemum Carthaginensem in extremas Oceani partes delatum multas desertas insulas inuenisse, in quarum vnam cùm tempestate coactus appulisset, quæ Satyrida dicebatur, vidit incolas, rusos, & caudas habentes intra clunes haud multò minores equinis, *qui cùm illuc aduectos nautas insexissent, accurrerunt omnes ad extremum litus, & inarticulato stridore nauim* B *inuaserunt furibundi, atque in fœminas; quæ forte aderant, irruperunt vi tanta, vt vix armis, & fustibus abigi potuerint. Interim verò nautæ, ne quid violentum à brutis illis sustinerent, nauim à litore diffulerunt iactis anchoris, ac barbaram quandam mulierem, quam ferebant, expofuerunt in littus, in quem confestim tanta petulantia debacchati sunt omnes, vt per omnia corporis caua libidinem expleuerint.* Theopompus Midæ Phrygis, & Sileni colloquium illud commemorat, in quo tot aniles habentur cantilenæ. Quid plura? in illa celeberrima Annonis Ducis Carthaginiensium nauigatione, quã fecit vltra Columnas Herculis, hæc relata habemus. *Donec ad magnum quendam sinum* C *peruenimus, quem interpretes Vespericornu vocari dixerunt, in quo alia erat insula, in quam egressi nihil per diem nisi syluam videbamus, at per noctes ignes permultos accensos, & vocem fistularum audiebamus, cymbalorumque, ac tympanorum incredibilem strepitum, quare nos timor inuasit. In his enim locis magna Satyrorum multitudo habitare credebatur.* Ex his igitur, & alijs monumentis colligi videtur, Satyros aliquando fuisse, & consequenter nunc etiam temporis reperiri posse, in externis aliquibus regionibus; eò magis, quòd Diui Hieronymi accedit non leuis auctoritas, qui de D. Antonio narrat, eum vidisse aliquando homunculum aduncis manibus, & fronte cornibus aspera, cui extrema corporis in caprarum pedes desinebant, & cùm premisso signo crucis eum, quisnam esset, interrogaret Antonius, respondisse illum; *Mortalis ego sum, vnus ex accolis eremi, quos vano errore delusa gentilitas Faunos, Satyrosq., & Incubos appellant.*

Distortus vultus, pes nullus, falce dolando
Piscator talem finxerit, aut melius.

Aperiatur mysterium. Nomine Priapi nil aliud, quàm rerum omnium semen designatur, id quod tensum veretrum declarat. Rursus finxerunt filium Dionysij, ideſt Solis, & vt quidam volunt Naiadis Nymphę; eo quia ex calore Solis, & humore omnium fœcundiſſimę generationes rerum educuntur. Hinc Iamblichus libro primo de mysterijs Ægyptiorum capite vndecimo ſcripſerat. *Veruntamen ad magis singularia deſcendamus, aſſeuerantes, oſcillorum erectionem fœcundæ virtutis ſignum præſeferre, arbitramurque, vim hanc fœcunditatis per hæc ſigna prouocari admundi genituram eo argumento, quòd ſæpè multa vere nouo conſecrantur ad Venerem pertinentia, quandò mundus vniuerſus à Dijs immortalibus totius fœturæ partum ſuſcipit.* & hinc hortorum creditus eſt ille numen, cui arrident verſiculi ex Columella:

ſtd truncum fortè dolatum.
Arboris antiquæ numen venerare Ithiphalli
Terribilis mœtri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero prædoni falce minatur.

Cæterum nihil ipſius Priapi non poeticum eſt. Addam tantùmodo pro corollide ex Luciano de Syria Dea, quę ad Priapum ſpectantia in ſacra Ciuitate obſeruauit; ait enim: *Nam & Dionyſius in Syriâ venit, eo videlicet itinere, quo in Aethiopiâ eſt profectus, & ſunt multa in templo eius indicia, quæ ipſi auctorem cõprobant, inter quæ, & veſtes barbaræ, & lapilli Indici, & Elephantorum cornua, quæ ille ex Aethiopia tulit; etiam Priapi ſtant in veſtibulis duo admodum magni qui tali Epigrammate inſcripti ſunt.*

Hos poſuit Bacchus tibi Iuno nouerca Priapos.

Cæterum dicam & aliud, quo ritu videlicet Dionyſij ſacra in Aede peragant. Priapos Græci, quos phallos ipſi dicunt Dionyſio erigunt; in quibus & tale quiddam portant, viros puta exiguos ex ligno effigiatos, magna virilia habentes, &c. Plura ſi arrideant, tute ipſe legas inferius apud illum. Verùm adhuc paulò magis feriam de Priapi numinis origine hiſtoriam referamus ex Iano Iacobo Boiſſardo libro de Diuinatione, & magicis præſtigijs, vbi Serapin, ſiue Oſiridem deſcribit; nam cùm is, qui Ægyptiorum Rex erat à Typhone, quinquaginta alijs Regni nobilibus conſpirantibus, interficeretur, & in partes diſcerperetur, quilibet ex coniuratis portionem ſuam ſecum abſtulit, pudendis tantummodo relictis, quæ in Nili proſluentem abiecta in mare deuoluta ſunt, & à Phagro, Oxyrincho, & Lepidauro piſcibus deuorata fuerunt. Poſt hæc Iſis Regina, & vxor per indicem poſt menſes aliquot defuncti coniugis partes reperit, easque ſimul compoſitas in Abato Inſula Paludis Memphiticæ depoſuit. Iam reliqua ex Boiſſardo audienda. *Iſis pudenda mariti longè latèque exquiſiuit, quæ cùm non poſſet inueſtigare, audiuiſſetque à Nympha quadam Marina fuiſſe à piſcibus Oxyrincho, Phagro, & Lepidauro conſecta, ab eorum eſu Aegyptios impoſterum abſtinere iuſſit, eosque ſacros eſſe voluit. Pudenda tamen ex auro fabricari præcepit, quæ ſolemni ritu appendit tholo templi, propoſuitque populi adoranda, tamquam partem datam à Natura Generationi aptam, & neceſſariam ad propagationem generis humani, Phallumque vocauit. Cuius numen Sacerdotes ſacrificijs honorarunt, eiusque cultum ſtatim amplexi ſunt Arabes, & Syri, poſtea tota Græcia tam Aſiatica, quàm Europæa, Deumque iſtum generationis efficacem nominauerunt Priapum. Hebrei hunc quoque venerati ſunt, & vocauerunt Phagor, vel Beelphegor, cuius antiſtes fuit Maacha Regis Aſæ Mater, vt traditum eſt ſecundo Paralip. 16.* Plura ad hanc rem facientia lector habebis infra, vbi de inſtrumentis generationi deſeruientibus erit ſermo; nam de Oſcillis, Phallo, ictiphallo, & faſcino aliqua declaramus.

CAPVT III.

De Genio Veneris.

HABET Venus Genium ſuum, quo tanquam duce, ſeu Architecto in generationis opificio, ac miniſterio vtitur. De Genio itaque breuiter pauca intertexenda, vt omnibus calculis abſoluta ſit pedurgię tractatio. Multiplex profectò extitit antiquorum de Genijs opinio: ſiquidem Plato, & cum eo vniuerſa Academia triplicem ſtatuit rationalis naturæ gradum, Deorum ſcilicet, Dæmonum, & hominum: Deos in primis in ſublimi Cœli vertice collocat, ab omni materia abiunctos, ſummè intellectiuos, ſummè bonos. Homines in terreſtri regione, materiæ conſortes, intellectu præditos, præcelſæ diuinitatis numiſmata. Medium verò inter hos gradum tenere Dæmones, ait, ideoque medioxumos dici, quaſi mediam inter Deum, & homines naturam referant: & horum plures exiſtere ſpecies: vti Lares, Heroas, Manes, Genios, quos inſuper in duplici reperiri differentia & Pythagorici, & Socratici affirmant: alios namque bonos, alios malos eſſe exiſtimarunt; adeò vt ex horum arbitrio, cuilibet homini ſit ab ortus principio inditus Genius vnus bonus, calodæmon; & malus alter, cacodæmon. Adhuc Iamblichus de mysterijs Aegyptiorum quinto hos Genios corporali quodam velamine indutos aſſerit, quod tamen ex materia, aut elementis, aut

alio

alio corporum genere constare detrectat: quinimò illos facit animæ, eiusque potentiæ anteriores, & libro primo idem auctor, hos facit inuisibiles, Deorumque ministros, habet enim capite vigesimo sic. *Omninò autem Deorum est esse Architectos, Duces, & Principes, & præsidere rerum ordini: Genij verò ministrant, & mandata diuina exequuntur, quasi Deorum internuncij, prompta quadam vtentes, ceu manuum arte negociantur in his, de quibus Dij intelligunt, & volunt, & imperant. Proinde ipsi Dij procul abhorrent à potentijs in generationem vergentibus: contra Genij ab his potentijs, non omninò absoluti, & puri sunt.* Arcanam profectò, & maximè mysteriosam doctrinam hæc verba continent. Sed prosequamur Geniorum officium, ac naturale munus ab eodem Iamblicho descriptum primo capite lib. 2. vbi sic. *Geniorum quidem natura est transigere, & perficere opificium naturarum circa mundum, & complere curam singularium rerum, quæ generantur;* & infra: *præterea definire oportet alia quoque ratione Geniorum vires flatuendo eas genitales, & curatrices naturæ, necnon pertinere ad eosdem animas allig we corporibus.* Ex his hactenus ex Platonicorum pœnu relatis, multa quidem sunt captu difficilia, ac simul falsa: multa etiam veritatem, licet obscurè, continent, quam pro viribus eluciare quàm breuissimè conabimur.

Primùm itaque statuendum, Genium, nec esse Dæmonem, nec numen, nec aliud quidpiam ante animam, vt Platonici, & Iamblichus in primis astruunt; huiusmodi namque opiniones gentilitatis redolent commenta; neque est operæpretium, vt opinionem satis iam diù profligatam eniter obtrudere: quid ergo erit ille? Existimarim, Genium nihil esse aliud, quàm naturæ indiuidualis inseparabilem instinctum, seu eiusdem procliuitatem ad bonum, vel ad malum; ad virtutem, vel ad vitium; siue dicas, esse proprietatem quandam, emanantem singulatim à propria, & indiuidua cuiuslibet temperatura. Sicuti enim ex propria cuiuslibet specie manat specifica proprietas, atque inseparabilis instinctus, quo species illa huic, vel illi propendet actui; vt exempli gratia in homine risibiliras, qua ad actum exit ridendi, & in equo hinnibilitas, qua hinnitum profert; ita prorsus constituto individuo, eiusque ex asse concinnato temperamento, cum omnibus, & singulis individuantibus conditionibus, statim exurgit instinctus, aut (si mauis) proprietas individualis, qua individuum illud procliue fit ad hoc, vel illud opus facilè, & cum iucunditate patrandum. Dixi facilè, & cum iucunditate, quoniam homo quilibet ea, qua pollet naturali prudentia, & mentis diuinitate aggredi quidem potest prouinciam quamlibet, sed nisi adiuuet Genius, & individualis illa proprietas, iniundè, & laboriosè illam subibit; necnon etiam cum naturę ipsius manifesta repugnantia; vnde postmodum opus imperfectum exilire necesse est; nam sicuti ex Philosopho delectatio perficit opus, sic repugnantia imperfectum idem, & inconcinnum præstiterit.

Huiusce modi insuper instinctum sobolem esse temperamenti, & complexionis, patet ex eo, quòd velut quilibet peculiarem suam gestat ex ortu temperaturam, ita & sunum genium; vt vix inuenire sit duos insimul homines pari, & æqua lance ad idem procliues: eo modo, quo difficile est, duos reperiri eodem ad æquilibrium temperamento imbutos. Hunc instinctum Physiognomonici nomine moris describunt, dum contendunt probare, quòd mores animi sequantur corporis crasim; id quod verum est, si modo explicato intelligatur; namque verè sunt mores materialiter sumpti, propensiones quædam emicantes ex peculiari huius, vel illius natura tendente ad hanc, & illam functionem. Dum ergo bona, ac perfecta erit complexio, bonus insimul, ac perfectus Genius erit, semper ad honesta, ac generosa procumbens; si paulò deterior, paulò etiã iniquior Genius; si mala mala; si mixta mixtus; etenim nõ duo in quolibet reperiũtur Genij vtſſentiere Platonici, sed vnus, & simplex, qui tamen indifferenter ad plura dirigere potest. Sicuti namque, licet vnum a dominio temperamentum existat, à subdominio tamen alterum esse potest: ita & Genius, licet vnus, & per consequens ad vnum ex dominio procumbere debeat; à sub dominio nihilominus ad aliud quid piam protendere potest. Exempli gratia: Erit quispiam temperamento quidem sanguineus ab energia, à subdominio autem melancholicus: vt sanguis imperat, sanguinis elucebunt effectus; vt melancholia subalternatur, melancholicæ splendescent procliuitates; nec proinde duo diuersa temperamenta ponenda sunt. Sic huiusce complexionis Genius, qua sanguinem respicit, ad sanguinis proprietates inclinabit, veluti ad risus, uenerea, conuiuia, cantus, & similia; qua verò annexam habet melancholiam, interdum ad solitudinem, lacrymas, & mœrores: nec tamen duo erunt Genij, sed vnus, & idem, qui iuxta vicissitudines procliet modò ad hanc; modò ad illam functionem, & sic Genius potest esse bonus, & malus; malus quidem, dum deducet ad iniqua, bonus dum ad æqua, & honesta; Et hoc est illud, quod Iamblichus aiebat, Geniorum scilicet esse perficere opificium naturæ, & singularium, quę generantur, complere curam: nam quid prodesset, generari individuum, si illud deinde tanquam defide ad nullum exiret opus, nullaque insigniretur aptitudine? Iam statim producto homine, Genius proprius illum circumuadit, excitat, prolicit, propellit, reseruato tamen semper voluntatis arbitrio, quo ipsorum ge-

Geniorum refraguntur vires, & veluti chamo infrenantur. At in brutis, in quibus nulla libera voluntas, Genius sic imperat, vt quò vocat ille, ferarum omne genus sponte curritet, & infrœne.

Dices forte, temperamentum semper manet, at non semper Genius; igitur hic non ex illo. Quòd non semper propellat Genius, patet, quoniam non semper ruimus aut in Venerem, aut in Martem, aut in Bacchum. Respondeas manere semper hominem, nec semper tamen illum ridere. Sat est enim, vt habeat semper risibilitatis potentiam: Genius dicit aptitudinem, qua ad libitum exire ad actionem liberè, & facilè queat. Manente igitur semper temperamento eodem, manet simili modo Genius idem; & sicut ob ætatem immutantur temperaturæ, sic quoque & Genij, & in hoc sensu intelligenda sunt Censorini illa uerba. *Genius autem ita nobis assiduus obseruator appositus est. vt ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab vtero matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* Quare uidemus ea, quę in iuuentute delectarunt, nihil minus in senio arridere.

Constet igitur, Genium Veneris nihil esse aliud, quàm naturę ad Aphrodisia procliuitatem, & aptitudinem, qua quis facilè generationis obeat munera, quod allatę à Censorino lib. de die natali Genij consonat, inquit enim. *Genius est Deus, cuius in tutela, vt quisque natus est, viuit, siue etiam, quòd vt generemur curat, siue quòd vnà gignitur nobiscum; siue etiam quod nos genitos suscipiat, ac tueatur. Certè à gignendo Genius appellatur.* Illud postliminiò, opera licet parerga, addendum videtur, Genio in holocaustum merum, non victimam offerri. Inde Persius.

funde merum Genio,

vt scilicet, Varrone teste, monerêt, à cede, & sanguine in die natali abstinendum fore. Aut si mauis, dic, Genium gaudere mero, quoniam hoc excitatur, fouetur, exhilaratur.

CAPVT IV.

Homines, an Bruta salacioris naturæ sint.

PLERAQVE agrestium animalium in re Venerea adeò incendi, vt furiosa euadant, testatur Aristoteles 6. de Histor. animal. cap. 29. & alibi; etenim Ceruos clamare, & vociferare, scribit, dum libidinem appetunt. Constantinus ait, Asinos præ libidine insanire, & vulgus palam asserit viperas adeo libidinis tempore furere insanas, vt coniugem interimant, quod egregius Nicander ijs versibus exaranit.

Ne sis in triuijs, cùm morsus vipera coniux
Fœmella fugiens agitatæ vulnera abhorret,
Et quum dente caput magno maris amputat atri
Fœmina dira nimis labijs, et mordicùs hæret;
Sed catuli vltores patris, &c.

Et Plin. lib 10. Naturalium historiarium cap. 61. opinioni subscribens Nicandri; & aliorum ita scribit. *Viperæ caput mas inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine.* Cæterùm sues equæ, feles, teste Aristotele in lib. de hist. animal. in vsu veneris ferociunt ita, atque ita exæstuant salacitate, vt grunnitu, hinnitu, & plangosa vociferatione impatienter obstrepant, & marem imperiosè aduocent, pelliciant ad congressum, vi cogant, & fœuiant etiam in illum, si renuat congredi. Ex his itaque, & plurimis aliis auctoritatibus, de quibus paulo infra ex professo erit sermo, constat brutorum intensissima salacitas. Sed insuper addamus rationes. Enimuerò bruta maiori Veneris ardore concitari debent, quàm homines, quoniam stato quodam anni tempore, à natura indicto, Genio fauent, vnde est quòd spiritibus, ijsque fortioribus magis turgent, & copia seminis vberrima scatent affluentius, ex quibus libidinis excitatur sensus acrior, & intensior. Adde, quod bruta vi imaginationis venereos actus fortius apprehendunt; cùm enim ratione, vt homines, minus infœnentur, prorumpunt, impetum faciunt in voluptatem, neque vllis compescuntur habenis.

Præterea delectatio est propria bestiarum, vt inquit D. Thomas 1. 2. quæstione 31. hominum verò proprium gaudium. Quamobrem D. Thomas alibi aiebat, voluptate homines reddi bestiales, vt enim sexto Ethic. inquit Aristoteles. *Delectatio corrumpit exiliimationem prudentiæ.* & in epistola ad Alexandrum appellat eandem bestiarum propriam, quæ hominibus tantùm, vti animalibus ineft; multò igitur in brutis intensior erit isthæc proprietas, longèque hic sensus acutior, quàm in hominibus: nam, vt est Philosophi receptum axioma. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* Cæterùm bruta, vt illa, quæ sensus perfectiores obtinent, sensuum obiectis fruuntur magis, & intensius; non enim natura penès illa, velut in hominibus ad intellectum, & eius operationes distrahitur; & hæc eadem est ratio, cur bruta animalia futuras tempestates præsentiant; nam, vt inquit D. Thomas in prima quæst. 86. artic. 2. ad tertium. *Animalia bruta non habent aliquid supra phantasiam, quod ordinet phantasmata, sicut habent homines rationem, & ideo phantasia brutorum animalium sequitur impressionem cælestem, & ideo in motibus huiusmodi animalium magis possunt cognosci quædam futura, vt pluuia, & huiusmodi, quàm ex motibus hominum, qui mouentur per consilium rationis.* Alioquin nisi hæc pro-

proprietas accepta referretur exquisito illorum sensui, dicere oporteret, eisdem vim rationis ineſſe, qua, diuino quodam inſtinctu futura præuiderent; quod nimiùm à ratione alienum eſt, & abſurdum etiam; hinc vates ille doctiſſimus Maro primo Georgicorum.

Haud equidem credo, quia ſit diuinitùs illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior;
Verùm vbi tempeſtas, & Cœli mobilis humor
Mutauêre vices, & Iuppiter humidus auſtris
Denſat, erant, quæ rara modò, & quæ denſa, relaxat,
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt, &c.

Atque illa eadem ratio eſt, qua dicebat Ariſtoteles de ſomno, & vigilia, *Fatuos magis præuidere futura, quàm alios.* Siquidem, vt D. Thomas loco nuper citato ſcribit. *Intelligentia horum non eſt curis affecta, ſed tanquam deſerta, & vacua ab omnibus, & mota ſecundum mouens dicitur.*

Verùm enimuerò ex aduerſo nõ deſunt rationes, quæ probant, maiorem pruritum naturæ humanæ inſitum eſſe: quandoquidem homo, teſte Ariſtotele proportione ſui corporis plurimum ſeminis habet; eo modo etiam, quo data proportione calidior cæteris animantibus eſt; ideo dicebat Philoſophus: *Maribus etiam plurimum emittitur ſeminis magnitudinis ratione, cuius rei cauſa eſt conſtitutio corporis, quæ humida, & calida eſt, plurimum enim excrementi fieri in huiuſmodi corpore, neceſſe eſt: carent etiam,* (& eſt alia ratio) *partibus ijs, in quas vertitur excrementum in cæteris animalibus, non enim pilorum copiam gerunt per corpus, non oſſium, aut cornuum, aut dentium excretiones.*

Quamobrem ſi à calore, & ſeminis affluentia tentigo naſcitur, homo omnium maximè venerea cupidine incendi, dicendus erit. Rurſus homines reficiuntur victu præſtantiori, nec non calidis cupedijs, quæ ſanguinem, & ſpiritus acuunt; ex quo poſtmodum libidinis fomes inflammatur ardentiùs. Præterea fruſtra requiri videtur anachryſis hominum euidentius indicium, dum apparet manifeſtè, eos quotidie in Genium, & feram libidinem ruere abſque retinaculis; nec vti cæteranimantia ſtatis temporibus determinari ad actum generationis: in quibus quidem diebus à natura præfixis, ſi nimium bruta voluptate efferantur, mirum non eſt; nam tempore, & oportunitate potiuntur, & omni conatu rei operam dare nituntur, cui per breue tempus deſeruire licet. Inſuper homines omni luxuriæ genere inquinantur: ruunt in ſtupra, non detrectant adulteria; percurrunt etiam inceſtus, ſanguinem proprium polluentes; quod bruta nimirum abhorrent. Inde meritò exclamabat Seneca in Hyppolito.

O tetrum genus
Non vlla vinctum lege melioris Soli!
Feræ quoque ipſæ Veneris euitant nefas,
Generiſque leges inſcius ſeruat pudor.

Ariſtoteles de hiſtoria animalium 9. capite 47. de quodam Camelo ſcribit, quòd cùm aliquando curator matri opertæ pullum admitteret, quòd alter admiſſarius non eſſet; cùmque poſt coitum, delapſo operimento, agnouiſſet matrem, memor veluti commiſſi ſceleris Camelarium paulò poſt morſu interemit. Erubeſcat ille Menephron apud Ouidium, de quo ſic ſeptimo Metamorphoſ.

in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, ſeuarum more ferarum.

Idem Philoſophus narrat, quendam equum apud Regem Scytharum, fraude curatoris, matrem conſcendiſſe, cùm priùs cognitam nunquam conſcendere voluiſſet; verùm poſt concubitum, facie detecta matris, adeò contriſtatum fuiſſe, vt propérata fuga ſe ipſum actum præcipitem interemerit. Pudeat hinc Neronem, & Caligulam. Demum, & erubeſcant ſceleroſi, bruta naturali contenta vaſe, nunquam nefarium præpoſteræ libidinis patrant ſcelus. Quare Ouid. nono metamorph. de Iphi, & Ianthe.

Nec vaccam vacca, nec equas amor vrit equarum;
Vrit oues Aries, ſequitur ſua fœmina Ceruum;
Sic & aues coeunt, interque animalia cuncta
Fœmina fœmineo correpta cupidine nulla eſt.

Plutarchus & ipſe videtur brutorum maiorem inſinuare continentiam, dum in illo dialogo. Quod brutis ratio inſit, inter Vlyſſem, & Grullum, hunc ſic facit colloquẽtem. *Sed idcirco de temperantia opinor audire; properas, quòd continentiſſimæ fœminæ iactaris eſſe maritus, teque putas magnum continentiæ dediſſe documentum, quia Circes nuptias contempſiſti; ſed ne hac re quidem feris quicquam continentia præſtas: neque enim cum Diis, ſeque melioribus appetunt coire; verùm potiùs & voluptates, & amores cum ijs, quæ ſui generis ſunt conſerre, inire que ſolent: Quare haudquaquam mirandum eſt, ſi veluti Mendeſius caper in Aegypto cum multis mulieribus formoſis concluſus minùs prompté eum illis ſe miſcere; ſed ad capras potiùs cum ſtupore quodam ferri, memoratur. Sic tu quoque conſueta gaudens Venere, ciem ſis mortalis, cum Dea coire noluiſti. Penelopes verò continentiam crocitantes mille cornices,*

nices, irridendum, & contemnendum ostendunt, quarum singulæ, mortuo marito, non exiguo tempore, sed nouem hominum atatibus viduæ perseuerant. Ita speciosa Penelope tua, qualibet cornice gloria continentia nouies inferior est iudicanda. Sed infra perspicacius addit. *Neque fœminæ aut fucant, aut libidini deceptiones, & incantamenta, & denegationes prætendunt, neque mares Veneris concitati stimulis, mercede, laboreue, aut seruitute, vel precibus generationis opus mercantur; quin potius suo tempore sine dolis, vllaque mercede, voluptati, Venerique indulgent. Postea quam autem congruo anni tempore Venus ipsa, vt plantarum germina, sic animalium libidinem excitauit, statim extinguitur, cùm neque fœmina post conceptionem sequatur marem, neque mas fœminam sollicitet. Tam paruo in honore, ac fragili est apud nos voluptas, sed naturæ ipsi omnia concedimus; Vnde ad hoc vsque tempus in ferarum genere, nec maris cum mare, neque fœmina cum fœmina, commixtio libidinis gratia nequaquam inuenitur. Vestra autem generis talia sunt quamplurima, &c.* Mox subiungit. *Sed intemperatam libidinem vestram quamuis legem habeat adiutricem; natura tamen intra terminos nequaquam potest coercere; illa verò cupiditatibus perinde, atque torrente impulsa sæpenumerò in rebus venereis grandem contumeliam, & turbationem naturæ perpetrat, & confusionem.* Adhuc dicere poterat Gryllus: Bruta nequaquam cum hominibus miscentur, nisi Pasiphaes credatur fabulę. At perditi homines haud verentur commiscerì belluis, vnde humana libido vndequaque latius patet. Sic legere est apud Rhodiginum libro 25. apud Sybarin pastorem, nomine Cratyn extitisse, qui in Venerem procliuior capellam vsque ad concubitum adamauit, omnibus amoris adiunctis blanditiis, indeque exortum tandem infantem vultu patri, pedibus matri assimilem. Addit insuper, hircum ductorem, Zelotypia ob id incensum, odium seruasse perenne in pastorem, quousque nacta occasione, dum videlicet ille in meridie stibadio recumbebat somno perpressus, in illum facto impetu sinciput ei allisit, atque adeò necauit. Si dicas, & simios appetere mulieres; id ex quadam similitudine humana contingere, dixerim. Quid ergo statuendum erit, tot exaduerso certantibus rationibus. Porrò breui distinctione conciliantur omnia. Si nimirum dicamus, homines extensiuè magis esse salaces, bruta verò intensiuè. Extensiuè homines; quia omni tempore, nullo discrimine, pluribus modis, cum pluribus, vel diuersis genere, non seruato ordine interdum congrediuntur. Intensiuè bruta, quia ex intimiori, & magis proprio instinctu, suadente natura, nulla electione, solo sensu, nulla ratione duce huic operi sese dedunt: & hoc solùm persuadent rationes primò deductæ pro ferarum libidine; licet illud viperæ, vt supra docuimus, falsum omnino sit, vel de sententia Apollonij apud Philostratum.

CAPVT V.

Viro, an Mulieri maior insit salacitas.

DABVLANTVR Poetæ, Tyresiam Thebanum ab Iunone excæcatum fuisse, eo quòd orta inter ipsam, & Iouem ludicra quæstione, vtri scilicet maior esset libido viro ne, an mulieri, electum iudicem sententiam pro Ioue tulisse, affirmantem, lasciuiorem longè esse mulierem, quocunque viro. Quòd licèt commentitium sit, reuelat nihilominus sub figura veritatem; nam vt alibi dictum est, sub vmbraculis Philosophiæ arcana obtegunt Vates, & sub enigmate diuina docent mysteria. Hoc itaque ludicro figmento significatum nobis est, mulierem salacitate, auidaque libidine multò viros anteire; quod in primis non prætermisit Hesiodus, vt refert Aristoteles quarta sect. problem. hoc metro.

Fœmineo magis est vsu Venus effera sexu:
Mitior illa viris, & sæpè accita relanguet.

Hinc Cœlius Rhodiginus libro antiquit. 15. capite quarto refert. *Decuplum amplius affectari à fœmina concubitum, quàm à maribus, præsertim si vtero gestent, tunc enim conceptum semen neruos mouet, & inde confricationis ardor innascitur; quin obuersis Austro genitalibus afficiuntur libidine.* Quod etiam rationibus persuadere, leuis prouincia erit; etenim si ex Aristot. in libro Animalium, & alibi passim fœmina est vt materia appetens marem, vt turpe pulchrum, & imperfectum perfectum, eo modo prorsus, quo materia ipsa formam excupit; sequitur vt multò expetat auidius mulier maris coniunctionem, quàm vir mulieris. Rursus, vt in hac perfistamus comparatione, sicuti materia non expletur vna forma, sed semper nouas appetit, semperque est cum priuatione, & alterius desiderio: sic mulier venerea cupiditate turgens facilè non expletur; quin semper est cum desiderio viri, qui cùm sit veluti forma, vnica materia satis expletur, immo fastiditur etiam. Adde quòd mulier mollior, & fragilior est, atque adeo lasciuiæ nihil resistit; cedit illicò. *Mulierem fortem quis inueniat?* Quare non iniuria Hippocr. in epistola ad Dionysium, quem rogabat, vt ad se veniret pro custodienda vxore, sic ait. *Attamen semper opus habet mulier moderatore, habet enim*

enim à natura in se lasciuiam, quæ nisi quotidie resecetur, velut arbores in materiæ multæ effusionem exuberat. Quòd si tantò maior est appetitus, quantò expletur difficiliùs; tantò mulieris libido intensior dicenda est, quantò insatiabilior existit: modò vt prouerbiorum capite 30. Sapientissimus inquit Salomon: *Tria insatiabilia sunt: Infernus, Terra, & os vuluæ.* Sic Messalina illa Imperatrix, mulier palàm prostitutæ libidinis dicere solebat, & si à viro centies in die calcaretur, se quidem lassari, non satiari: & hoc etiam genericè veritatem continet, quando constat, vnam, eandemque mulierem pluribus commodè, nulla interiecta mora, succumbere viris, quibus pluribus incubare absq; intermissione, ac citra vitæ discrimen non licet. Quòd si arguas, marem quantumuis frigidum calidiorem esse calidissima fœmina, atque ex hoc magis libidinosum censendum esse; respondsum velim, quòd licet naturali, & primogenio calido sit mas affluentior, ascititio tamen præpollet fœmina; & præsertim quòd attinet ad vasa naturalia, quæ multò calidiora obtinet fœmina, vt patet ex sanguine menstruo: quod quantùm veritati sit proximum, addiscere licet ex Aristotele quarto de historia animal. capite vltimo, vbi edocet, mares habere superiores corporis partes fortiores, & calidiores, fœminas verò partes inferiores. hæc sunt Aristotelis verba. *Partes superiores, prioresque in quocunque animalium genere maribus sunt potiores, validiores, & aptiores. Quæ autem dici possunt inferiores, posterioresque, eas fœmina habent robustiores, tum in hominibus, tum in cæteris animalibus omnibus, quæ pedestria sunt, atque animal generant.* Veritatem hanc astruxerat multò ante Iob, dum viri virtutem, ac robur in lumbis, mulieris in vmbilico ventris residere, testatus est. Iam & fortitudo, & lacertus à calore habentur; igitur mulier, & omnis etiam fœmina in partibus illis calidior est, atque adeo magis libidini obnoxia. Et hæc est quoque ratio, cur homines ingenio, sensibus, & virtutibus omnibus, tùm vitalibus, tùm animalibus præpolleant magis; quia videlicet superiores illas partes apprimè vegetes, spiritalesque consecuti sunt. Cæterùm nisi mulieribus fluore illo sãguinis extingueretur assiduò fomes, dubio procul Veneris desiderio, & libidinis thyrso in furorem laberentur, & Lupina veluti rabie passim infestarentur; mestruo autem stillicidio genitales illas partes plurimum refrigerari, contingit. Atque in hunc ipsum modum intelligenda est Hippocr. illa, si eius est primo de morbis mulierum sententia, vbi statuere videtur, mulierem viro calidiorem esse; verba sunt hæc. *Habet enim mulier sanguinem calidiorem, & propterea calidior est, quam vir.* Loquitur enim eò loci auctor de caliditate extensiua, seu diffusa, quæ præsertim propè genitalia versatur, non autem de intensiua, & quæ à natura primariò insita est, & penes vniuersum corpus hospitatur. patet hoc, quia Hippocr. seu Polybus inibi fermonem facit de calore illo, qui aptus est producere morbos mulierbres, de quibus agit; non autem de natiuo, & implantato, qui quidem non potest per se esse causa morbi, quoniam est vitæ seruator, & salutis. Ad Venerem autem competit etiam, & fortè magis aduentitia, siue affluens caliditas; quare videmus, extraneo quocunque calore genium efferuescere, ac tentiginem exilire. Præterea Ægyptij cùm salacitatem mulieris designare volebant, æluri fœminæ simulacrum, vt est apud Pierium libro Hieroglyph. 13. pingebant; ælurus autem est species quædam felis; vt significarent nimirum, tantò mulierem excedere libidinem uiri, quantò ælurus fœmina marem anteit Veneris œstro. At quantum excedit? Dicetur alibi: sat sit in præsentiarum dixisse, usque adeò feles incendi, ut ad insaniam deueniant, & accersitos mares, si non statim pareant, punire, & mordicùs lacerare. Vt ex hoc non immeritò primo de arte dixerit Ouidius.

Omnia fœminea sunt ista libidine mota;
Acrior est nota, plusque furoris habet.

Mulieres tandem, ceu quæ rationis vsum minus adhibent, ita sunt magis apprehensiuæ; quo fit vt venereis passionibus in primis liberiorem, aperiant accessum; quibus vbi semel affectæ sunt, & oblinitæ, vix deinde abstinent, quin ruunt precipites, id quod Horat. lib. 2. Satira 5. mulieribus exprobrans ait.

Sic tibi Penolope frugi est, quæ si semel emo
De sine gustarit, tecum partita lucellum,
Vt canis à corio nunquam abstinuerberis, vncio.

Sed omnino elegantius, ni fallor, Propert. eleg. lib. 3. mulierum petulantiam exprimit his carminibus.

Obijcitur toties à te mihi nostra libido;
Crede mihi, vobis imperat illa magis:
Vos vbi contempti rupisti fœna pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminaque ad fontis fit reditura caput.
Et placidum syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæua Malea suo,
Quàm possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidos stimulos frangere nequitiæ.
Testis Cretei saltus, quæ passa iuuenci
Induit abigenæ cornua falsa bouis.

CAPVT VI.

Cur viri magis hyeme, mulieres magis æstate libidine ferantur.

FLORENTE scholymo, ideſt æstate summa, mulieres in libidinem concitari, ſcribit Ariſtoteles 4. problem. at viros potius hyeme in Genium furere 5. de hiſtor. animal. cap. 8. manifeſtè his verbis ediſſerit. *Stimulatur ad venerem mas hominum magis tempore hyberno, fœmina æſtuo.* Quo conſilio, vt arbitror, Virgilius primo Georgic. appellat hyemem genialem.

Inuitat genialis hyems, curasque reſoluit.

Et 2. lib. operum, & dierum Heſiod.

Salaciſſimæ verò mulieres, & viri imbecillimi

Sunt, quoniam caput, & genua ſyrius exiccat.

Sed quæ huius euentus affertur ratio? Hæc ſanè, quòd videlicet, cùm frigidæ ex temperamento mulieres exiſtant, dum inſuper extraneo afficiuntur frigore, paruus earum calor depauperatur magis, ac torpeſcit; vnde conſequens eſt, vt libidinis fomes, qui vt genitorem agnoſcit calorem, hebetetur, ac penè reſtinguatur. Contrarium fermè viris accidit, nam calor eorum vigens per antiperiſtaſim reſuſus ad viſcera augeſcit, acuiturque potius, quàm ab ambientis algore vincatur. Etenim vt ſequatur actio, quæ à philoſophis dicitur antiperiſtica, neceſſe eſt, vt qualitas ambiens non euincat contrariam, in quam agit; tum enim ſequeretur potius aſſimilatio, quàm fuga, & reconcentratio: & gratia exempli, ſine quo, teſte Platone libro de Regno arduà vix intelliguntur, ad hoc vt calor à frigore per oppoſitionem intendatur, neceſſe eſt, vt calor ipſe non debelletur à frigore, adeò vt corrumpi valeat, nec habeat magnum exceſſum, quo euincat; ſed tantummodo ſit in eo gradu, vt ſolum ab hoſte refugiat, ſeſeque latibulis abſcondat: & hoc in viris contingit hyemali tempore, penes quos ab abiente algore calor ad partes intimas ſolummodo refugit, ibique ab vnione vim acquirit: in mulieribus verò languidus natiuus calor euincitur, ac triumphatur, & vnà cum eo ardor libidinis. Cæterùm in æstate ob id mulieres acrius Veneris vrgentur ignicùlis, quoniam ſegnis earum calor à caliditate extrinſeca magis augetur, & ſuperflua humiditas magis exiccatur. Id ſatis eruditè inſinuauit Ioannes Grammaticus in explicatione illius Heſiodi carminis, in quo mulieres æstate in libidinem proniores eſſe, concinit, vbi hæc habet. *Mulieres æſtate omnino traduntur laſciuiores, ac in Venerem prorſus lubentiores, quod cùm ſint perbumecta natura, & frigidiore multò, quàm viri, ſolis vi, & æſtus rapiditate ad temperiem rediguntur eliquato, digeſtoque, quod ex humectatione ſuperfluebat, quo fit, vt concubitus ſint appetentiores, & ad id opus etiam intemperatiores viris, longè imbecillioribus, quippe quibus innata ſiccitas plurimùm augeſcat. At hyeme contraria omnia fiunt.* hactenus ille. Sed cur etiam, dices, virorum calor in æstate non acuitur? Quoniam calor ambiens non eſt tantæ actiuitatis, vt poſſit augere virilem inſitum calorem; ſed rarefacit duntaxat cutaneas partes, meatusque peripheriæ; vnde fit, vt innatum calidum potius euaporet, proindeque viri æstiuo tempore imbecilliores degant. At cur, argues, non eodem modo in mulieribus partes referans ſuperficiales, natiuam caliditatem diſſipet, & euaporare faciat? Quoniam calor ambiens eſtiuus haud eſt tantus, vt frigidum valde, ac denſum muliebre corpus rarefacere, & aperire valeat, ita vt poſſit inde ſequi ſpirituum diſſipatio, atque euolatio. Verùm poros, & meatus viri, alioquin a temperamento raros, ac patulos reſerare facillimè poteſt. Porrò hoc quod dicimus, pendet à quæſtione illa, num mulier ſit viro frigidior. Quod cùm apud omnes philoſophos receptum ſit, ratio bellè probat, ac procedit. Atqui alias nihil minus probabiles aucupemur rationes. Quod in æstate vir ad Venerem ſegnior appareat, accepto feratur ſemini, quod tunc temporis areſcit; vt proinde vel deficiens non pruriat, vel modicum nõ turgeat: at muliebre ſemen immodicè non exiccatur, ſed potius humore circunfluo conſumpto, qui ſanguinem, & ſemen hebetat, ſpiritus libidinis alacriores euadunt; nam certum eſt, mulierem & ſemen, & ſanguinem humidiorem à natura obtinuiſſe; quod ſatis bellè magnus Hippocrat. in lib. de morbis mulierum exaranit iis verbis. *Dico, mulierem rariore carne præditam, & teneriore eſſe, quàm virum, & hæc res ſic ſe habet. A ventre trahit humiditatem & citius, & magis corpus mulieris, quàm viri: etenim ſi quis ſuper aqua, & per regionem aquoſam duobus diebus, ac duabus noctibus molles lanas ponit, & veſtem puram, & contextam æquali ad lanas pondere, ſubtilitis vtriſque, apponderatione facta, multò grauiorem lanam comperiet, quàm veſtem; fit autem hoc ex eo, quòd ſemper ab aqua ſurſum decidit in vaſa ampliora oſcula habentia, & lanæ quidem, & tanquam raræ, & molles ex decedente amplius ſuſcipiunt. Sic ſanè etiam mulier, velut quæ rarior eſt, ampliorem e ventre humiditatem corpori attrahit, & citius quàm vir. &c.* Addamus tandem, quòd æstate mulieribus menſtruę purgationes aliquantò deficiunt, eo quòd ſyrius calor modicè ſanguinem exiccet, exiccatus autẽ fluxioni non ſit adeò aptus; hinc non eſt mirum, ſi libidine

Digitized by Google

ne magis tentâtur; nota est enim Aristotelis sententia alibi relata, quòd menstruorum retentio libidinem acuit. Denique viri æstiuo tempore distrahuntur magis, valdeq; laborant in re familiari, vt sibi de hyeme curent; vnde est, quod Venus, quę alioquin otio nutritur, negotio infringitur. Quocirca Hippocrates nuncupato loco rationem reddens, cur homines non impleantur menstruo sanguine, vt mulieres, reijcit causam in labores, & negotia; inquit enim. *Multum autem confert ad hoc viro, quòd magis laborat, quàm mulier, nam labor aliquid humoris abducit*, Vt ergo labor sanguinem adimit, ita etiam semen. cuius copia fomes irritatur, & Venereus titillat pruritus; atq; hæc satis. At eo donda est difficultas in uerbis Hesiodi, cur dicat nimirum, uiros ex eo imbecillimos ad Venerem euadere in æstate, quoniam Syrius caput, & genua exiccat, non autem alias partes? Id ex eo dictum existimarim, quòd in Hippocratis sententia, alibi à nobis infra explicanda, maior copia seminis à cerebro defluit; Cerebro ergò exiccato non potest abundè seminalis materia suppeditari. Rursus ut alibi pariter insinuabimus, magna inest sympathia inter genua, crura, & genitales partes; quamobrem coafficiuntur facillimè; ut non sit mirum ideò, si arefacta genua trahant ad se illud alimentum, quod spermaticis uasis ex copia transfundi debuisset, cuius deinde defectu Venus contabescat, & frigeat; eo modo, quo e diuerso uasa eadem solent nutrimentum cruris, & genu claudi, quod non admittit amplius humorem alimentalem, ad se allicere. uide hæc fusius loco suo.

CAPVT VII.

Quanam inter mulieres mollior sit, aut petulantior.

VIRGINES multò minus, quàm Viduas proritari ad Venerem, ratio suadere uidetur. Cùm enim nunquam illæ dulcorem congressus fuerint expertæ, haud possunt adeò fameliceę eundem expetere, & affectare. At ex aduerso Viduę uoluptatis delibatę memoria, acrius eiusdem flagrant cupidine ob relicta ipsius mulcedinis in imaginatione phantasmata. Hinc fortè Diuus Hieronymus in epistola quadam ad Geruntiam aiebat, facilius esse seruare uirginitatem, quàm castimoniam; id quòd Venerabilis Beda clarius adhuc declarauit, referente Thoma Hybernico in floribus his uerbis. *Expertis uitiorum illecebris difficilius, quàm incognitis cedemus, & minoris laboris est incognitam carnis cauere voluptatem, quàm reijcere iam cognitam.* Enimuerò multò ardentius id, quod nouimus appetere uidemur, quàm ea, quę ignoramus, cùm præsertim uoluntas feratur in obiectum, ut cognitum; cognitio autem alia est realis obiectiua, alia obiectiua imaginaria. Obiectiua realis cognitio illa est, quę habetur ex alicuius obiecti reali sensatione; ut cùm scimus exempli gratia, aliquam mulierem esse pulchram, eo quòd proprijs oculis decus pulchritudinis aspeximus. Illa est cognitio imaginaria, quę non ex reali perceptione obiecti, sed per imaginationem duntaxat, seu relationem obtinetur; ut quando scimus, pulcherrimam esse Laidem, non quòd illam nouerimus, sed quia talem esse autumamus, uel intelligimus. Iam uerò quis deneget, unumquempiam multò magis bonum, aut delectabile concupiscere, quod suauiter aliquando degustarit, quàm quod huiusmodi esse, imaginariò credat? Modo Viduę expetunt uoluptatis illecebras ut cognitas, & sępius receptas; Virgines uerò, ut sciunt ex imaginatione, & aliena experientia in Venereo congressu iucundum inesse oblectamentum. Et hoc D. Hieronymus explicitè his uerbis edisserit. *Virginitas in eo facilior est, quia carnis incentiua non nouit, & uiduitas in eo follicitior, quia præteritas in eo recolit uoluptates.* Quod confirmat illud Aristotelis 4. sect. problemat. *Vna autem cum recordatione gestiens exultat uoluptas.* Adhuc Viduę à duplici uoluptate pelliciuntur fortius; à futura, & à præterita: memores enim delectationis præteritę presentem depereunt magis; hoc autem nequaquam uirginibus accidit. Sic docet experientia, pueros multò facilius dulciculis à fructibus, aut mellitis bellarijs abstinere, antequam eos degustent; quandoquidem degustata dulcedo nimis angit. Insuper id totum probari potest, ulterius, arbitror ex conditione, qua uiduę infœliciùs uiuere existimantur ob amissionem rerum iucundarum, quarum uirgines eousque expertes sunt. Indè Propert. lib. primo eleg.

O noctem meminisse mihi iucunda uoluptas:
O quoties votis illa uocanda meis.

Nam vt primo Tusculan. Tullius dicebat. *Non tam cumulus bonorum iucundus esse potest, quàm molesta decessio.* Et sagacissimus Boetius secundo de consolat Philosoph. *In omni (inquit) aduersitate fortunæ infœlicissimum genus infortunij est, fuisse fœlicem.* Ideo Cornelius Gall. lib. elegiarum concinit.

Dura satis miseris memoratio prisca bonorum,
Et grauius summo culmine missa ruunt.

Veruntamen ex alia parte non desunt etiam rationes, quibus probetur Veneris ardorem in Virgine concipi ardentiorem, quàm in uidua; & primò quidem, quoniam Virgines sanguine, semine, & spiritibus affatim exuberant, viduæ autem

&

Verùm quicquid alij sentiant, puto ego, Satyros, Silenos, & Faunos Poetarum esse figmenta, & Chymericas naturas, neque vllo vnquam tempore similes, siue dicas feras humanas, vel homines ferinos repertos esse in specie. Dico in specie, quoniam haudquaquam inficiabor, inueniri posse, sicuti non raro euenere, monstruosos aliquos partus, qui aliquatenus, & oretenus humanam effigiem referant; in reliquis verò infernis partibus bestiam sapiant. Non tamen absque crimine ausim affirmare, id genus monstra homines esse, rationis lumine quopiam imbutos, ab alijs quodammodo diuersos, & libidine præpollentes; vt propterea D Augustinus ceſpitans aliquando dixerit, Faunos, aut immortales animas non habere, aut humano semine natos. Nisi fortè censere velimus, id quod ego mihi facilè persuadeo, priscos Ethnicos, qui sub fabularum vmbraculis mysticos theologiæ, & moralitatis sensus exprimebant, eos omnes Satyros nuncupasse, qui libidini, & genio totis viribus, & assidua intentione indulgerent putres; adeò vt ex belluarum operatione bestiæ ipsi euaderent, omni rationis lumine, & heroica virtute despectis; quod manifestè insinuabant, cùm illorum medietatem caprinam fingebant. Siquidem irrationalis appetitus, & ferina concupiscentia in infima residet hominis medietate; vt hinc iure apud Lucianum in Deorum Concilio à Momo Dionysius accusetur prior ipse verbis. *Omnes enim, vt opinor, videtis, quàm mollis sit, & effœminatus delicijs, dimidio insaniens. Statim à summo mane merum spirans. Ille verò totam fratriam nobis induxit, & toto choro aduectlo præstò est. Deosque declarauit & Pana, & Silenum, & Satyros agrestes quospiam, & caprarios permultos homines saltationi deditos, & forma monstra spectabiles. Quorum hic quidem gerens cornua dimidia parte corporis caprum referens, barbamque profundam nutriens parum ab hirco disrepat &c.*

Insuper velistæ naturæ sunt ferinæ, vel totæ humanæ. Si dicas, brutales esse, & nihil participare hominis, assentiar: etenim & simiæ, & cebus, & caniceps sunt naturæ ancipitis, vt Aristotel. ait 2. de historia animal. cap. 8. partim hominem, partim quadrupedem imitantes, quoad extrinsecam videlicet delineaturam; & hæc quoque animalia salacissima sunt, e quorum vtique censu fuisse arbitror Satyrum, seu monstrum illud apud Plutarchum in Sylla, de quo sic. *Hoc in loco memoriæ proditum est, somno pressum Satyrum fuisse captum, quolem Poetæ, ac pictores effingunt, Is perductus ad Syllam complures per interpretes, quis nam esset interrogatus, nihil, quod posset intelligi, vaticinatus est. At vocem asperam equi præsertim hinnitu, & hirci halatu permistam edens, cùm Syllam obstupefecisset, datis comitibus dimissus est.* Huius quoque census, & consimilis naturæ existimari debent Tritones, ac Nereides, marina scilicet monstra, humana facie consignata, & exurente intra aquarum frigora salacitate prædita; quorum speciem in mari reperiri præter veterum auctoritates, ac maximè Plinij libro 9. suæ naturalis Histor. cap. 5. vbi narrat Tiberio Principi Olysiponensem Legatum nuntiasse, Tritonem in quodam specu visum, auditumque concha canentem. Diuo etiam Augusto per litteras significatum, Nereidas complures exanimes Galliæ in littore apparuisse; habemus proximi seculi testes oculatos, & intemeratæ fidei viros; nam Theodorus Gaza, Philosophia non minus, quàm Græca facunda conspicuus vidit aliquando, Alexandro ab Alexandro referente 3. Genialium dierum cap. 8. in Peloponesso Nereidem humana facie, satisque decora insignitam, corpore squamoso ad nubem vsque, reliquum verò in locustæ caudam desinebat; iacebat autem illa procellis cum aliorum piscium monstruosa serie illisa in littore mœsta, & quasi exanimis, lacrymas, & suspiria manifestè promens; donec branchijs, & cauda repens se tandem præcipitem in mare dedit, nec iterum apparuit visquam. Ita quoque Georgius Trapezuntius eximiæ eruditionis auctor palàm cum amicis profitebatur, sese in ostio quodam non procul a littore eleganti forma puellam conspexisse pube tenus, super vndas quasi lasciuientem; quæ tamen vbi primùm se conspectam agnouit, se se in aquis abscondidit. Aliud exemplum publicis actis contestatum refert Alexander idem loco citato, quod quia mirabile est, eius verbis relatum volo: *In Epiro ad fontem iugis aquæ, ad quem mulieres ex oppido aquatum ventitabant, Tritonem, seu marinum hominem e spelunca, quam forte ibi nactus fuerat, obseruare solitum, si quando solum ad aquas accedentem, aut per littus obambulantem mulierem videret, ipsum ex vndis, & spelunca lenigressu, tacitisq. vestigijs desilire, a tergo accedere, ac ui compressam mulierem ex insidijs adoriri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptâq. sub vndis deferre consuetisse, Quod cùm apud loci incolas percrebuisset, dil gentius marinum monstrum obseruasse, & cum diutule laqueos illi intendissent, haud multo post dolo captum, & laqueis victum cepisse: cumque cibo abstineret extra aquas diutius viuere nequisse, squalloreque tandem, & tedio ad extremam tabem veniisse.* Hæc si vera sunt, haud omnino fabulosa censenda erunt, quæ apud Poetas de Tritonibus leguntur, ac in primis Galateæ raptus famosus. Interim tamen decernatur, has quoque marinas bellua, superficie tenus humanas magno libidinis æstro agitari.

Quòd si fortè dicas, huiusmodi naturas esse humanas, nihil rationi, & veritati consonum affirmabis; quandoquidem humana species de-

ter-

terminatur hac noſtra corporum delineatione, his organis, hiſce potentijs: alioquin cœleſtis animus, & ætherei ſpiritus, auræ diuinę particula, in caprarum, aſinorum, & porcorum, etiam cœnoſa corpora, lurida viſcera, membraque fœda deſcendere poſſet; quod nedum a naturali, à diuina quoque Philoſophia nimis eſt alienum, redoletque prorſus Archimagi Paracelſi hereticam opinionem, qui libro de occulta philoſophia impudenter nimium aſſeuerauit, Deum præter homines, Adami poſteros, alia quatuor hominum genera, carne, oſſibus, & ratione prædita produxiſſe, eosque in ſingulis elementis collocaſſe: Pigmęos, & Gnomos in terræ viſceribus: Nymphas, & Vndenas in aquis: Silphos, & Meluſinas in aere: Vulcanos, & Salamandras in igne; Quid nugacius? Nec item cenſeas, naturas eſſe medias inter feras, & homines, nam hæc aſſertio eſt Philoſophis indigna.

Sed quid dicendum de Sileno? Hunc ducem Satyrorum effinxerunt, qui eum tanquam Patrem agnoſcebant. inde Ouid in metamorph.

Bacchæ, Satyrique ſequuntur. & 2. de arte amandi.

Ebrius ecce ſenex pando delapſus aſello,
Clamarunt Satyri, ſurge, age, ſurge pater.

Hunc finxerunt educaſſe Bacchum, ac proinde ſemper vino temulentum eſſe; hinc belle Virgilius ecloga ſexta.

Silenum pueri ſomno videre iacentem.
Inflatum heſterno venas, & ſemper Iaccho.

Conſequenter erat idem libidinoſiſſimus; quoniam, vt optimè noſtis, vinum eſt Veneris incitamentum, & libidinis fomes; id quod etiam addiſcere poſſimus ex eius deſcriptione phyſiognomonica; nam ſcribit Lucianus, in Concilio Deorum, hunc ſenem extitiſſe, & caluum, & ſimum & aſino plerumque vtentem, ſtatura corporis breuem, corpore obæſum, & ventricoſum, necnon magnis auribus, & arrectis; quæ omnia ſunt manifeſta libidinis lineamenta, vt patebit infernis. Cæterum id, quòd ſtatuimus de Satyris idem prorſus de Sileno dicendum, vel ſi magis placet, exiſtimandum cum Martino Delrio lib. diſquiſit magicarum, & alijs Theologis, Satyros, Faunoſque dęmones quoſdam fuiſſe a Pſello, & alijs aſinipedes, vel onoſcelides dictos, vel etiam Aegipanes, quaſi capripedes, quorum ſæpè tripudia viſa eſſe in monte Atlante, teſtatur Plinius, & confirmat etiam Iulius Scaliger, qui hodierno etiam tempore eo loci videri ſatyrorum choreas teſtatur; non niſi igitur Dęmones Incubos, & Succubos extitiſſe putandum eſt, quorum Principi Fauno decepta Gentilitas terribiles tribuebat ſonitus, & holocauſta etiam offerebat. De his Dæmonum Choreis ita Saxo Grammaticus lib. 1. hiſtor. Dan.

Trux Lemurum chorus aduehitur, præ-

ceſſque per auras
Curſitat, & vaſtos edit ad aſtra ſonos.
Accedunt Fauni Satyris, Panumque caterua
Manibus admixta militat ore fero.
Syluanis coeunt Aquili, Larvaque nocentes
Cum Lamijs callem participare ſtudent.
Saltu librantur Furiæ glomerantur ijsdem
Larvæ quas Simis Fantua iunctla premit.

At, lector auide, ne hic te corollide defrandem, illud ingenio tuo veſtigandum offero, cur nimirum ſi Faunus tantæ libidinis reus cenſebatur, eius tamen vxor tam illibatæ caſtitatis fuiſſe ſcribitur, vt nec ipſa virum viderit vnquam, nec à viro præterquam à coniuge conſpecta ipſa fuerit, ſemperque intra Gynæcium occulta vixerit. Hanc Romani Bonamdeam nuncuparunt, in cuius ſacris, quæ menſe Maio fiebant, netantę pudicitię decus quoquomodo læderetur, neceſſe erat non modò procul eſſe mares; verùm vel ipſas picturas, & ſimulacra virorum. Huius euentus rationem cùm fueris expiſcatus, amabo te, impertire myſterium.

CAPVT II.

Quid ſit dicendum de Priapo, & cur mutone rigido pingeretur.

EXEAT & Priapus in Veneris theatrum, ſuamque libidinem explicet ingenti, ſemperque tento mutone ſignificatam, eiuſque genealogiam referamus. Ferunt, Apollonius inter alios, Venerem cum Baccho congreſſam fuiſſe, deinde cùm is ad Indicam expeditionem exiuiſſet, cum Adonide ſępius concubuiſſe, & Priapum concepiſſe. Accidit autem, quòd reuertenti Dyoniſio Venus cum corona obuiam præceſſit, verùm eum ita coronatum ſequi deinde noluit, eò quod, illo abſente, alijs nupſiſſe pudebat; ſed in Lampſacum recedens ibi parere decreuit, cui Iuno, zelotypia capta, opem ferre ſimulans, venefica manu vterum attigit, fecitque, vt puerum vndequaque deformem, & præ ceteris incredibilem genitalis magnitudinem referentem pepererit, ac Priapus nominatus fuit; quem tamen cùm vidit Venus, ob membri magnitudinem noluit, reliquitque vt monſtrum in Lampſaco, vnde demum expulſus fuit, quia Lampſacenis mulieribus erat apprimè gratus. Profectò fabula hęc non illepida eſt, & arcanos continet ſenſus. Rurſus Archias inter Græcos inſignis auctor, Priapi deformitatem his carminibus exprompſit.

Littora paruus ego hic habito ſaxoſa Priapus,
Nullaque cum mergis bella cruenta gero.

Di-

Distortus vultus, pes nullus, falce dolando
Piscator talem finxerit, aut melius.

Aperiatur mysterium. Nomine Priapi nil aliud, quàm rerum omnium semen designatur, id quod tensum veretrum declarat. Rursus finxerunt filium Dionysij, ideſt Solis, & vt quidam volunt Naiadis Nymphę; eo quia ex calore Solis, & humore omnium fœcundissimę generationes rerum educuntur. Hinc Iamblichus libro primo de mysterijs Ægyptiorum capite vndecimo scripserat. *Veruntamen admagis singularia deſcendamus, aſſeuerantes, oſcillorum erectionem fœcundæ virtutis ſignum præferre, arbitramurque, vim hanc fœcunditatis per hæc ſigna prouocari ad mundi genituram eo argumento, quòd ſæpè multa vere nouo conſecrantur ad Venerem pertinentia, quandò mundus vniuerſus à Dijs immortalibus totius fœturæ partum ſuſcipit.* & hinc hortorum creditus est ille numen, cui arridenti versiculi ex Columella:

ſed truncum fortè dolatum.
Arboris antiquæ numen venerare Iſchiphalli
Terribilis mœtri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero prædoni falce minatur.

Cæterum nihil ipsius Priapi non poeticum est. Addam tantùmodo pro corollide ex Luciano de Syria Dea, quę ad Priapum spectantia in sacra Ciuitate obseruauit; ait enim: *Nam & Dionyſius in Syriâ venit, eo videlicet itinere, quo in Aethiopiâ eſt profectus, & ſunt multa in templo eius indicia, quæ ipſi auctorem cõprobant, inter quæ, & veſtes barbaræ, & lapilli Indici, & Elephantorum cornua, quæ ille ex Aethiopia tulit; etiam Priapi ſtant in veſtibulis duo admodum magni qui tali Epigrammate inſcripti ſunt.*

Hos poſuit Bacchus tibi Iuno nouerca Priapos.

Cæterùm dicam & aliud, quo ritu videlicet Dionyſij ſacra in Aede peragant. Priapos Græci, quos phallos ipſi dicunt Dionyſio erigunt; in quibus & tale quiddam portant, viros puta exiguos ex ligno effigiatos, magna virilia habentes, &c. Phurà si arrideant, tutę ipsę legas inferius apud illum. Verùm adhuc paulò magis seriam de Priapi numinis origine historiam referamus ex Iano Iacobo Boissardo libro de Diuinatione, & magicis prætigijs, vbi Serapin, siue Osiridem, describit; nam cùm is, qui Ægyptiorum Rex erat à Typhone, quinquaginta alijs Regni nobilibus conspirantibus, interficeretur, & in partes discerperetur, quilibet ex coniuratis portionem suam secum abstulit, pudendis tantummodo reliĉtis, quæ in Nili profluentem abiecta in mare deuoluta sunt, & à Phagro, Oxyrincho, & Lepidauro piscibus deuorata fuerunt. Post hæc Isis Regina, & vxor per indicem post menses aliquot defuncti coniugis partes reperit, easque simul compositas in Abato Insula Paludis Memphiticæ depoſuit. Iam reliqua ex Boissardo audienda. *Isis pudenda mariti longè latèque exquiſiuit, quæ cùm non poſſet inueſtigare, audiuiſſetque à Nympha quadam Marina fuiſſe à piſcibus Oxyrincho, Phagro, & Lepidauro comeſta, ab eorum eſu Aegyptios impoſterum abſtinere iuſſit, eosque ſacros eſſe voluit. Pudenda tamen ex auro fabricari præcepit; quæ ſolemni ritu appendit tholo templi, propoſuitque populi adoranda, tamquam partem datam à Natura Generationi aptam, & neceſſariam ad propagationem generis humani, Phallumque vocauit. Cuius numen Sacerdotes ſacrificijs honorarunt, eiusque ſultum ſtatim amplexi ſunt Arabes, & Syri, poſtea tota Græcia tam Aſiatica, quàm Europæa, Deumque iſtum generationis efficacem nominauerunt Priapum. Hebrei hunc quoque venerati ſunt, & vocauerunt Phegor, vel Beelphegor, cuius antiſtes fuit Maacha Regis Aſæ Mater, vt traditum eſt ſecundo Paralip.* 16. Plura ad hanc rem facientia lector habebis infra, vbi de instrumentis generationi deseruientibus erit sermo; nam de Oscillis, Phallo, ictiphallo, & fascino aliqua declaramus.

CAPVT III.

De Genio Veneris.

HABET Venus Genium suum, quo tanquam duce, seu Architecto in generationis opificio, ac ministerio vtitur. De Genio itaque breuiter pauca intertexenda, vt omnibus calculis absoluta sit pedurgiæ tractatio. Multiplex profectò extitit antiquorum de Genijs opinio: siquidem Plato, & cum eo vniuersa Academia triplicem statuit rationalis naturæ gradum, Deorum scilicet, Dæmonum, & hominum: Deos in primis in sublimi Cœli vertice collocat, ab omni materia abiunctos, summè intellectiuos, summè bonos. Homines in terrestri regione, materiæ consortes, intellectu præditos, præcelsæ diuinitatis numiſmata. Medium verò inter hos gradum tenere Dæmones, ait, ideoque medioxumos dici, quasi medjam inter Deum, & homines naturam referant: & horum plures existere species: vti Lares, Heroas, Manes, Genios, quos insuper in duplici reperiri differentia & Pythagorici, & Socratici affirmant: alios namque bonos, alios malos esse existimarunt; adeò vt ex horum arbitrio, cuilibet homini sit ab ortus principio inditus Genius vnus bonus, calodæmon; & malus alter, cacodæmon. Adhuc Iamblichus de mysterijs Aegyptiorum quinto hos Genios corporali quodam velamine indutos asserit, quod tamen ex materia, aut elementis, aut

alio corporum genere constare detrectat: quinimò illos facit animæ, eiusque potentiæ anteriores, & libro primo idem auctor, hos facit inuisibiles, Deorumque ministros, habet enim capite vigesimo sic. *Omninò autem Deorum est esse Architectos, Duces, & Principes, & præsidere rerum ordini: Genij verò ministrant, & mandata diuina exequuntur, quasi Deorum internuncij, prompta quadam vtentes, ceu manuum arte negociantur in his, de quibus Dij intelligunt, & volunt, & imperant. Proinde ipsi Dij procul abhorrent à potentijs ingenerationem vergentibus: contra Genij ab his potentijs, non omninò absoluti, & puri sunt.* Arcanam profectò, & maximè mysteriosam doctrinam hæc verba continent. Sed prosequamur Geniorum officium, ac naturale munus ab eodem Iamblicho descriptum primo capite lib. 2. vbi sic. *Geniorum quidem natura est tranſigere, & perficere opificium naturarum circa mundum, & complere curam singularium rerum, quæ generantur;* & infra: *præterea definire oportet alia quoque ratione Geniorum vires statuendo eas gentiles, & curatrices nturæ, necnon pertinere ad eosdem animas alligare corporibus.* Ex his hactenus ex Platonicorum pœnu relatis, multa quidem sunt captu difficilia, ac simul falsa: multa etiam veritatem, licet obscurè, continent, quam pro viribus elucidare quàm breuissimè conabimur.

Primùm itaque statuendum, Genium, nec esse Dæmonem, nec numen, nec aliud quidpiam ante animam, vt Platonici, & Iamblichus inprimis astruunt; huiusmodi namque opiniones gentilitatis redolent commenta; neque est operæpretium, vt opinionem satis iam diù profligatam eniter obtrudere: quid ergo erit ille? Existimarim, Genium nihil esse aliud, quàm naturæ individualis inseparabilem instinctum, seu eiusdem procliuitatem ad bonum, vel ad malum; ad virtutem, vel ad vitium; siue dicas, esse proprietatem quandam, emanantem singulatim à propria, & individua cuiuslibet temperatura. Sicuti enim ex propria cuiuslibet specie manat specifica proprietas, atque inseparabilis instinctus, quo species illa huic, vel illi propendet actui; vt exempli gratia in homine risibilitas, qua ad actum exit ridendi, & in equo hinnibilitas, qua hinnitum profert; ita prorsus constituto individuo, eiusque ex asse concinnato temperamento, cum omnibus, & singulis individuantibus conditionibus, statim exurgit instinctus, aut (si mauis) proprietas individualis, qua individuum illud procliue fit ad hoc, vel illud opus facilè, & cum iucunditate patrandum. Dixi facilè, & cum iucunditate, quoniam homo quilibet ea, qua pollet naturali prudentia, & mentis diuinitate aggredi quidem potest pronisciam quamlibet, sed nisi adiuuet Genius, & individualis illa proprietas, iniundè, & laboriosè illam subibit; nec non etiam cum naturę ipsius manifesta repugnantia; vnde postmodum opus imperfectum exilire, necesse est; nam sicuti ex Philosopho delectatio perficit opus, sic repugnantia imperfectum idem, & inconcinnum præstiterit.

Huiusce modi insuper instinctum sobolem esse temperamenti, & complexionis, patet ex eo, quòd velut quilibet peculiarem suam gestat ex ortu temperaturam, ita & suum genium; vt vix inuenire sit duos insimul homines pari, & æqua lance ad idem procliues: eo modo, quo difficile est, duos reperiri eodem ad æquilibrium temperamento imbutos. Hunc instinctum Physiognomonici nomine moris describunt, dum contendunt probare, quòd mores animi sequantur corporis crasim; id quod verum est, si modo explicato intelligatur; namque verè sunt mores materialiter sumpti, propensiones quædam emicantes ex peculiari huius, vel illius natura tendente ad hanc, & illam functionem. Dum ergo bona, ac perfecta erit complexio, bonus insimul, ac perfectus Genius erit, semper ad honesta, ac generosa procumbens; si paulò deterior, paulò etiã iniquior Genius; si mala mala; si mixta mixtus; etenim nõ duo in quolibet reperiũtur Genij vt sentiere Platonici, sed vnus, & simplex, qui tamen indifferenter ad plura dirigere potest. Sicuti namque, licet vnum a dominio temperamentum existat, à subdominio tamen alterum esse potest: ita & Genius, licet vnus, & per consequens ad vnum ex dominio procumbere debeat; à subdominio nihilominus ad aliud quid piam protendere potest. Exempli gratia: Erit quispiam temperamento quidem sanguineus ab energia, à subdominio autem melancholicus: vt sanguis imperat, sanguinis elucebunt effectus; vt melancholia subalternatur, melancholicæ splendescent procliuitates; nec proinde duo diuersa temperamenta ponenda sunt. Sic huiusce complexionis Genius, qua sanguinem respicit, ad sanguinis proprietates inclinabit, veluti ad risus, uenerea, conuiuia, cantus, & similia; qua verò annexam habet melancholiam, interdum ad solitudinem, lacrymas, & mœrores: nec tamen duo erunt Genij, sed vnus, & idem, qui iuxta vicissitudines proliciet modò ad hanc; modò ad illam functionem, & sic Genius potest esse bonus, & malus; malus quidem, dum deducet ad iniqua, bonus dum ad æqua, & honesta; Et hoc est illud, quod Iamblichus aiebat, Geniorum scilicet esse perficere opificium naturæ, & singularium, quę generantur, complere curam: nam quid prodesset, generari individuum, si illud deinde tanquam deside ad nullum exiret opus, nullaque insigniretur aptitudine? Iam statim producto homine, Genius proprius illum circumuadit, excitat, prolicit, propellit, reseruato tamen semper voluntatis arbitrio, quo ipsorum ge-

Geniorum refraguntur vires, & veluti chamo infrenantur. At in brutis, in quibus nulla libera voluntas, Genius sic imperat, vt quò vocat ille, ferarum omne genus sponte curritet, & infræne.

Dices forte, temperamentum semper manet, at non semper Genius; igitur hic non ex illo. Quòd non semper propellat Genius, patet, quoniam non semper ruimus aut in Venerem, aut in Martem, aut in Bacchum. Respondeas manere semper hominem, nec semper tamen illum ridere. Sat est enim, vt habeat semper risibilitatis potentiam. Genius dicit aptitudinem, qua ad libitum exire ad actionem liberè, & facilè queat. Manente igitur semper temperamento eodem, manet simili modo Genius idem; & sicut ob ætatem immutantur temperaturæ, sic quoque & Genij, & in hoc sensu intelligenda sunt Censorini illa uerba. *Genius autem ita nobis assiduus obseruator appositus est. vt ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab vtero matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* Quare uidemus ea, quę in iuuentute delectarunt, nihil minus in senio arridere.

Constet igitur, Genium Veneris nihil esse, aliud, quàm naturę ad Aphrodisia procliuitatem, & aptitudinem, qua quis facilè generationis obeat munera, quod allatę à Censorino lib. de die natali Genij consonat, inquit enim. *Genius est Deus, cuius in tutela, vt quisque natus est, viuit, siue etiam, quòd vt generemur curat, siue quòd vnà gignitur nobiscum; siue etiam quod nos genitos suscipiat, ac tueatur. Certè à gignendo Genius appellatur.* Illud postliminiò, opera licet parerga, addendum videtur, Genio in holocaustum merum, non victimam offerri. inde Persius.

funde merum Genio,

vt scilicet, Varrone teste, moneret, à cede, & sanguine in die natali abstinendum fore. Aut si mauis, dic, Genium gaudere mero, quoniam hoc excitatur, fouetur, exhilaratur.

CAPVT IV.

Homines, an Bruta falacioris naturæ sint.

PLERAQVE agrestium animalium iure Venerea adeò incendi, vt furiosa euadant, testatur Aristoteles 6. de Histor. animal. cap. 29. & alibi; etenim Cervos clamare, & vociferare, scribit, dum libidinem appetunt. Constantinus ait, Asinos præ libidine insanire, & vulgus palam asserit viperas adeo libidinis tempore furere insanas, vt coniugem interimant, quod egregius Nicander ijs versibus exarauit.

Ne sis in triuijs, cùm morsus vipera coniux
Fœmella fugiens agitatæ vulnera abhorret,
Et quum dente caput magno maris amputat atri
Fœmina dira nimis labijs, et mordicùs hæret;
Sed catuli vltores patris, &c.

Et Plin. lib 10. Naturalium historiarium cap. 62. opinioni subscribens Nicandri; & aliorum ita scribit. *Viperæ caput mas inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine.* Cæterùm sues equæ, feles, teste Aristotele in lib. de hist. animal. in vsu veneris ferociunt ita, atque ita exęstuant salacitate, vt grunnitu, hinnitu, & plangosa vociferatione impatienter obstrepant, & marem imperiosè aduocent, pelliciant ad congressum, vi cogant, & sæuiant etiam in illum, si renuat congredi. Ex his itaque, & plurimis aliis auctoritatibus, de quibus paulo infra ex professo erit sermo, constat brutorum intensissima salacitas. Sed insuper addamus rationes. Enimuerò bruta maiori Veneris ardore concitari debent, quàm homines, quoniam stato quodam anni tempore, à natura indicto, Genio fauent, vnde est quòd spiritibus, ijsque fortioribus magis turgent, & copia seminis vberrima scatent affluentius, ex quibus libidinis excitatur sensus acrior, & intensior. Adde, quod bruta vi imaginationis venereos actus fortius apprehendunt; cùm enim ratione, vti homines, minus infrenentur, prorumpunt, impetum faciunt in voluptatem, neque vllis compescuntur habenis.

Præterea delectatio est propria bestiarum, vt inquit D. Thomas 1. 2. quæstione 31. hominum verò proprium gaudium. Quamobrem D. Thomas alibi dicebat, voluptate homines reddi bestiales, vt enim sexto Ethic. inquit Aristoteles. *Delectatio corrumpit existimationem prudentiæ.* & in epistola ad Alexandrum appellat eandem bestiarum propriam, quæ hominibus tantùm, vti animalibus inest, multò igitur in brutis intensior erit isthæc proprietas, longèque hic sensus acutior, quàm in hominibus: nam, vt est Philosophi receptum axioma. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* Cæterùm bruta, vt illa, quæ sensus perfectiores obtinent, sensuum obiectis fruuntur magis, & intensius; non enim natura penès illa, velut in hominibus ad intellectum, & eius operationes distrahitur; & hæc eadem est ratio, cur bruta animalia futuras tempestates præsentiant; nam, vt inquit D. Thomas in prima quæst. 86. artic. 3. ad tertium. *Animalia bruta non habent aliquid supra phantasiam, quod ordinet phantasmata, sicut habent homines rationem, & ideo phantasia brutorum animalium sequitur impressionem cælestem, & ideo in motibus huiusmodi animalium magis possunt cognosci quædam futura, vt pluuia, & huiusmodi, quàm ex motibus hominum, qui moueuntur per consilium rationis.* Alioquin nisi hæc pro-

proprietas acceptæ referretur exquisito illorum sensui, dicere oporteret, eisdem vim rationis ineſſe, qua, diuino quodam inſtinctu futura præuiderent; quod nimium à ratione alienum eſt, & abſurdum etiam; hinc vates ille doctiſſimus Maro primo Georgicorum.

Haud equidem credo, quia ſit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior;
Verùm vbi tempeſtas, & Cœli mobilis humor
Mutauêre vices, & Iuppiter humidus auſtris
Denſat, erant, quæ rara modò, & quæ denſa, relaxat,
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt, &c.

Atque illa eadem ratio eſt, qua dicebat Ariſtoteles de ſomno, & vigilia, *Fatuos magis præuidere futura, quàm alios.* Siquidem, vt D. Thomas loco nuper citato ſcribit. *Intelligentia horum non eſt curis affecta, ſed tanquam deſerta, & vacua ab omnibus, & mota ſecundum mouens dicitur.*

Verùm enimuerò ex aduersò nõ deſunt rationes, quæ probant, maiorem pruritum naturæ humanæ inſitum eſſe: quandoquidem homo, teſte Ariſtotele proportione ſui corporis plurimum ſeminis habet; eo modo etiam, quo data proportione calidior cæteris animantibus eſt; ideo dicebat Philoſophus: *Maribus etiam plurimum emittitur ſeminis magnitudinis ratione, cuius rei cauſa eſt conſtitutio corporis, quæ humida, & calida eſt, plurimum enim excrementi fieri in huiuſmodi corpore, neceſſe eſt: carent etiam,* (& eſt alia ratio) *partibus vs, in quas vertitur excrementum in cæteris animalibus, non enim pilorum copiam gerunt per corpus, non oſſium, aut cornuum, aut dentium excretiones.*

Quamobrem ſi à calore, & ſeminis affluentia tentigo naſcitur, homo omnium maximè venerea cupidine incendi, dicendus erit. Rurſus homines reficiuntur victu præſtantiori, necnon calidis cupedijs, quæ ſanguinem, & ſpiritus acuunt; ex quo poſtmodum libidinis fomes inflammatur ardentiùs. Præterea fruſtra requiri videtur anachryſis hominum euidentius indicium, dum apparet manifeſtè, eos quotidie in Genium, & feram libidinem ruere abſque retinaculis; nec vti cæteranimantia ſtatis temporibus determinari ad actum generationis: in quibus quidem diebus à natura præfixis, ſi nimium bruta voluptate efferantur, mirum non eſt; nam tempore, & oportunitate potiuntur, & omni conatu rei operam dare nituntur, cui per breue tempus deſeruire licet. Inſuper homines omni luxuriæ genere inquinantur: ruunt in ſtupra, non detrectant adulteria; pereurrunt etiam inceſtus, ſanguinem proprium polluentes; quod bruta nimirum abhorrent. Inde meritò exclamabat Seneca in Hyppolito.

O tetrum genus
Non vlla vinctum lege melioris Soli!
Feræ quoque ipſæ Veneris euitant nefas,
Generisque leges inſcius ſeruat pudor.

Ariſtoteles de hiſtoria animalium 9. capite 47. de quodam Camelo ſcribit, quòd cùm aliquando curator matri opertæ pullum admitteret, quòd alter admiſſarius non eſſet; cùmque poſt coitum, delapſo operimento, agnouiſſet matrem, memor veluti commiſſi ſceleris Camelarium, paulò poſt morſu interemit. Erubeſcat ille Menephron apud Ouidium, de quo ſic ſeptimo Metamorphoſ.

in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, ſeuarum more ferarum.

Idem Philoſophus narrat, quendam equum apud Regem Scytharum, fraude curatoris, matrem conſcendiſſe, cùm priùs cognitam nunquam conſcendere voluiſſet; verùm poſt concubitum, facie detecta matris, adeò contriſtatum fuiſſe, vt properata fuga ſe ipſum actum præcipitem interemerit. Pudeat hinc Neronem, & Caligulam. Demum, & erubeſcant ſceleroſi, bruta naturali contenta vaſe, nunquam neſarium præpoſteræ libidinis patrant ſcelus. Quare Ouid. nono metamorph. de Iphi, & Ianthe.

Nec vaccam vacca, nec equas amor vrit equarum;
Vrit oues Aries, ſequitur ſua fœmina Ceruum;
Sic & aues coeunt, interque animalia cuncta,
Fœmina fœmineo correpta cupidine nulla eſt.

Plutarchus & ipſe videtur brutorum maiorem inſinuare continentiam, dum in illo dialogo. Quod brutis ratio inſit, inter Vlyſſem, & Gryllum, hunc ſic facit colloquẽtem. *Sed idcircò de temperantia opinor audire; properas, quòd continentiſſimæ fœminæ iactaris eſſe maritus, teque putas magnum continentiæ dediſſe documentum, quia Circes nuptias contempſiſti; ſed ne hac re quidem feris quicquam continentia præſtas: neque enim cum Dijs, ſeque melioribus appetunt coire; verùm potiùs & voluptates, & amores cum ijs, quæ ſui generis ſunt conferre, inireque ſolent: Quare haudquaquam mirandum eſt, ſi veluti Mendeſius caper in Aegypto cum multis mulieribus formoſis concluſus minùs promptè cum illis ſe miſcere; ſed ad capras potiùs cum ſtupore quodam ferri, memoratur. Sic tu quoque conſueta gaudens Venere, cùm ſis mortalis, cum Dea coire noluiſti. Penelopes verò continentiam crocitantes mille cornices,*

nices, irridendum, & contemnendum ostendunt, quarum singulæ, mortuo marito, non exiguo tempore, sed nouem hominum ætatibus viduæ perseuerant. Ita speciosa Penelope tua qualibet cornice gloria continentiæ nouies inferior est iudicanda. Sed infra perspicacius addit. *Neque fœminæ aut se fucant, aut libidini deceptiones, & incantamenta, & denegationes prætendunt, neque mares Veneris concitati stimulis, mercede, laboreue, aut seruitute, vel precibus generationis opus mercantur; quin potius suo tempore sine dolis, vllaque mercede, voluptati, Venerique indulgent. Postea quam autem congruo anni tempore Venus ipsa, vt plantarum germina, sic animalium libidinem excitauit, statim extinguitur, cum neque fœmina post conceptionem sequatur marem, neque mas fœminam sollicitet. Tam paruo in honore, ac fragili est apud nos voluptas, sed natura ipsi omnia concedimus; Vnde ad hoc vsque tempus in ferarum genere, nec maris cum mare, neque fœminæ cum fœmina, commixtio libidinis gratia nequaquam inuenitur. Vestra autem generis talia sunt quamplurima, &c.* Mox subiungit. *Sed intemperatam libidinem vehram quamuis legem habeat adiutricem; natura tamen intra terminos nequaquam potest coercere; illa verò cupiditatibus perinde, atque torrente impulsa sæpenumerò in rebus venerei grandem contumeliam, & turbationem naturæ perpetrat, & confusionem.* Adhuc dicere poterat Gryllus: Bruta nequaquam cum hominibus miscentur, nisi Pasiphaes credatur fabulæ. At perditi homines haud verentur commisceri belluis, vnde humana libido vndequaque latius patet. Sic legere est apud Rhodiginum libro 25. apud Sybarin pastorem, nomine Craryn extitisse, qui in Venerem procliuior capellam vsque ad concubitum adamauit, omnibus amoris adiunctis blanditijs, indeque exortum tandem infantem vultu patri, pedibus matri assimilem. Addit insuper, hircum ductorem, Zelotypia ob id incensum, odium seruasse perenne in pastorem, quousque nacta occasione, dum videlicet ille in meridie stibadio recumbebat somno perpressus, in illum facto impetu sinciput ei allisit, atque adeò necauit. Si dicas, & simios appetere mulieres; id ex quadam similitudine humana contingere, dixerim. Quid ergo statuendum erit, tot exaduerso certantibus rationibus. Porrò breui distinctione conciliantur omnia. Si nimirum dicamus, homines extensiuè magis esse salaces, bruta verò intensiuè. Extensiuè homines; quia omni tempore, nullo discrimine, pluribus modis, cum pluribus, vel diuersis genere, non seruato ordine interdum congrediuntur. Intensiuè bruta, quia ex intimiori, & magis proprio instinctu, suadente natura, nulla electione, solo sensu, nulla ratione duce huic operi sese dedunt: & hoc solùm persuadent rationes primò deductæ pro ferarum libidine; licet illud viperæ, vt supra docuimus, falsum omnino sit, vel de sententia Apollonij apud Philostratum.

CAPVT V.

Viro, an Mulieri maior insit salacitas.

QVARABVLANTVR Poetæ, Tyresiam Thebanum ab Iunone excæcatum fuisse, eo quòd orta inter ipsam, & Iouem ludicra quæstione, vtri scilicet maior esset libido viro ne, an mulieri, electum iudicem sententiam pro Ioue tulisse, affirmantem, lasciuiorem longè esse mulierem, quocunque viro. Quòd licèt commentitium sit, reuelat nihilominus sub figura veritatem; nam vt alibi dictum est, sub vmbraculis Philosophiæ arcana obtegunt Vates, & sub enigmate diuina docent mysteria. Hoc itaque ludicro figmento significatum nobis est, mulierem salacitate, auidaque libidine multò viros anteire; quod in primis non præterijt Hesiodus, vt refert Aristoteles quarta sect. problem. hoc metro.

Fœmineo magis est vsu Venus effera sexui;
Mitior illa viris, & sæpè accita relanguet.

Hinc Cœlius Rhodiginus libro antiquit. 15. capite quarto refert. *Decuplum amplius affectari à fœmina concubitum, quàm à maribus, præsertim si vtero gestent, tunc enim conceptum semen neruos mouet, & inde confricationis ardor innascitur; quin obuersis Austro genitalibus afficiuntur libidine.* Quod etiam rationibus persuadere, leuis prouincia erit; etenim si ex Aristot. in libro Animalium, & alibi passim fœmina est vt materia appetens marem, vt turpe pulchrum, & imperfectum perfectum, eo modo prorsus, quo materia ipsa formam excupit; sequitur vt multò expetat auidius mulier maris coniunctionem, quàm vir mulieris. Rursus, vt in hac perfistamus comparatione, sicuti materia non expletur vna forma, sed semper nouas appetit, semperque est cum priuatione, & alterius desiderio: sic mulier venerea cupiditate turgens facilè non expletur; quin semper est cum desiderio viri, qui cùm sit veluti forma, vnica materia satis expletur, immo fastiditur etiam. Adde quòd mulier mollior, & fragilior est, atque adeo lasciuiæ nihil resistit; cedit illicò. *Mulierem fortem quis inueniat?* Quare non iniuria Hippocr. in epistola ad Dionysium, quem rogabat, vt ad se veniret pro custodienda vxore; sic ait. *Attamen semper opus habet mulier moderatore, habet enim*

enim à natura in se lasciuiam, quæ nisi quotidie resecetur, velut arbores in materiæ multæ effusionem exuberat. Quòd si tantò maior est appetitus, quantò expletur difficiliùs; tantò maioris libido intensior dicenda est, quantò insatiabilior existit: modò vt prouerbiorum capite 30. Sapientissimus inquit Salomon: *Tria insatiabilia sunt: Infernus, Terra, & os vuluæ.* Sic Messalina illa Imperatrix, mulier palàm prostitutæ libidinis dicere solebat, & si à viro centies in die calcaretur, se quidem lassari, non satiari: & hoc etiam genericè veritatem continet, quando constat, vnam, eandemque mulierem pluribus commodè, nulla interiecta mora, succumbere viris, quibus pluribus incubare, absq; intermissione, ac citra vitæ discrimen non licet. Quòd si arguas, marem quantumuis frigidum calidiorem esse calidissima fœmina, atque ex hoc magis libidinosum censendum esse; responsum velim, quòd licet naturali, & primogenio calido sit mas affluentior, ascititio tamen præpollet fœmina; & præsertim quòd attinet ad vasa naturalia, quæ multò calidiora obtinet fœmina, vt patet ex sanguine menstruo: quod quantùm veritati sit proximum, addiscere licet ex Aristotele quarto de historia animal. capite vltimo, vbi edocet, mares habere superiores corporis partes fortiores, & calidiores, fœminas verò partes inferiores. hæc sunt Aristotelis verba. *Partes superiores, prioresque in quocunque animalium genere maribus sunt potiores, validiores, & aptiores. Quæ autem dici possunt inferiores, posterioresque, eas fœminæ habent robustiores, tum in hominibus, tùm in cæteris animalibus omnibus, quæ pedestria sunt, atque animal generant.* Veritatem hanc astruxerat multò ante Iob, dum viri virtutem, ac robur in lumbis, mulieris in vmbilico ventris residere, testatus est. Iam & fortitudo, & lacertus à calore habentur; igitur mulier, & omnis etiam fœmina in partibus illis calidior est, atque adeo magis libidini obnoxia. Et hæc est quoque ratio, cur homines ingenio, sensibus, & virtutibus omnibus, tùm vitalibus, tùm animalibus præpolleant magis; quia videlicet superiores illas partes apprimè vegetes, spiritalesque consecuti sunt. Cæterùm nisi mulieribus fluore illo sãguinis extingueretur assiduò fomes, dubio procul Veneris desiderio, & libidinis thyrso in furorem laberentur, & Lupina veluti rabie passim infestarentur; mestruo autem stillicidio genitales illas partes plurimum refrigerari, contingit. Atque in hunc ipsum modum intelligenda est Hippocr. illa, si eius est primo de morbis mulierum sententia, vbi statuere videtur, mulierem viro calidiorem esse; verba sunt hæc. *Habet enim mulier sanguinem calidiorem, & propterea calidior est, quam vir.* Loquitur enim eò loci auctor de caliditate extensiua, seu diffusa, quæ præsertim propè genitalia versatur, non autem de intensiua, & quæ à natura primariò insita est, & penes vniuersum corpus hospitatur. patet hoc, quia Hippocr. seu Polybus inibi sermonem facit de calore illo, qui aptus est producere morbos mulierbres, de quibus agit; non autem de natiuo, & implantato, qui quidem non potest per se esse causa morbi, quoniam est vitæ seruator, & salutis. Ad Venerem autem competit etiam, & fortè magis aduentitia, siue affluens caliditas; quare videmus, extraneo quocunque calore genium efferuescere, ac tentigi-nem exilire. Præterea Ægyptij cùm salacitatem mulieris designare volebant, æluri fœminæ simulacrum, vt est apud Pierium libro Hieroglyph. 13. pingebant; ælurus autem est species quædam felis; vt significarent nimirum, tantò mulierem excedere libidinem viri, quantò ælurus fœmina marem anteit Veneris æstro. At quantum excedit? Dicetur alibi. sat sit in præsentiarum dixisse, vsque adeò feles incendi, vt ad-insaniam deueniant, & accersitos mares, si non statim pareant, punire, & mordicùs lacerare. Vt ex hoc non immeritò primo de arte dixerit Ouidius.

Omnia fœminea sunt ista libidine mota;
Acrior est nota, plusque furoris habet.

Mulieres tandem, ceu quæ rationis vsum minus adhibent, ita sunt magis apprehensiuæ; quo fit vt venereis passionibus in primis liberiorem, aperiant accessum; quibus vbi semel affectæ sunt, & oblinitæ, vix deinde abstinent, quin ruunt precipites, id quod Horat. lib. 2. Satira 5. mulieribus exprobrans ait.

Sic tibi Penelope frugi est, quæ si semel vno
De sene gustarit, tecum partita lucellum,
Vt canis à corio nunquam abstinxeris, vncto.

Sed omnino elegantius, ni fallor, Propert. eleg. lib. 3. mulierum petulantiam exprimit his carminibus.

Obijcitur toties à te mihi nostra libido;
Crede mihi, vobis imperat illa magis:
Vos vbi contempti rupisti fœdera pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius fedetur aristas,
Fluminaque ad fontis fit reditura caput.
Et placidum syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hospitio sæua Malea suo,
Quàm possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidos stimulos frangere nequitiæ.
Testis Cretæi fallus, quæ passa iuuenci
Induit abigenæ cornua falsa bouis.

CAPVT VI.

Cur viri magis hyeme, mulieres magis æstate libidine ferantur.

FLORENTE scholymo, ideſt æſtate ſumma, mulieres in libidinem concitari, ſcribit Ariſtoteles 4. problem. at viros potius hyeme in Genium furere 5. de hiſtor. animal. cap. 8. manifeſtè his verbis ediſſerit. *Stimulatur ad venerem mas hominum magis tempore byberno, fœmina æſtiuo.* Quo conſilio, vt arbitror, Virgilius primo Georgic. appellat hyemem genialem.

Imuitat genialis hyems, curasque reſoluit.

Et 2. lib. operum, & dierum Heſiod.

Salaciſſimæ verò mulieres, & viri imbecillimi

Sunt, quoniam caput, & genua ſyrius exiccat.

Sed quæ huius euentus affertur ratio? Hæc ſanè, quòd videlicet, cùm frigidæ ex temperamento mulieres exiſtant, dum inſuper extraneo afficiuntur frigore, paruus earum calor depauperatur magis, ac torpeſcit; vnde conſequens eſt, vt libidinis fomes, qui vt genitorem agnoſcit calorem, hebetetur, ac penè reſtinguatur. Contrarium fermè viris accidit; nam calor eorum vigens per antiperiſtaſim refuſus ad viſcera augeſcit, acuiturque potius, quàm ab ambientis algore vincatur. Etenim vt ſequatur actio, quæ à philoſophis dicitur antiperiſtica, neceſſe eſt, vt qualitas ambiens non euincat contrariam, in quam agit; tum enim ſequeretur potius aſſimilatio, quàm fuga, & reconcentratio: & gratia exempli, ſine quo, teſte Platone libro de Regno ardua vix intelliguntur: ad hoc vt calor à frigore per oppoſitionem intendatur, neceſſe eſt, vt calor ipſe non debeiletur à frigore, adeò vt corrumpi valeat, nec habeat magnum exceſſum, quo euincat; ſed tantummodo ſit in eo gradu, vt ſolum ab hoſte refugiat, ſeſeque latibulis abſcondat: & hoc in viris contingit hyemali tempore, penes quos ab abiente algore calor ad partes intimas ſolummodo refugit, ibique ab vnione vim acquirit: in mulieribus verò languidus natiuus calor euincitur, ac triumphatur, & vnà cum eo ardor libidinis. Cæterùm in æſtate ob id mulieres acrius Veneris vrgentur ignicuiis, quoniam ſegnis earum calor a caliditate extrinſeca magis augetur, & ſuperflua humiditas magis exiccatur. Id ſatis eruditè inſinuauit Ioannes Grammaticus in explicatione illius Heſiodi carminis, in quo mulieres æſtate in libidinem proniores eſſe, concinit, vbi hæc habet. *Mulieres æſtate omnino traduntur laſciuiores, ac in Venerem prorſus lubentiores, quod cùm ſint perbumecta natura, & frigidiore multò, quàm viri, Solis vi, & æſtus rapiditate ad temperiem rediguntur eliquato, digeſtoque, quod ex humectatione ſuperfluebat, quo fit, vt concubitus ſint appetentiores, & ad id opus etiam intemperatiores viris, longè imbecilliioribus, quippe quibus innata ſiccitas plurimum augeſcat. At hyeme contraria omnia fiunt.* hactenus ille. Sed cur etiam, dices, virorum calor in æſtate non acuitur? Quoniam calor ambiens non eſt tantæ actiuitatis, vt poſſit augere virilem inſitum calorem; ſed rarefacit duntaxat cutaneas partes, meatusque peripheriæ; vnde fit, vt innatum calidum potius euaporet, proindeque viri æſtiuo tempore imbecilliores degant. At cur, argues, non eodem modo in mulieribus partes referans ſuperficiales, natiuam caliditatem diſſipet, & euaporare faciat? Quoniam calor ambiens eſtiuus haud eſt tantus, vt frigidum valde, ac denſum mulierbre corpus rarefacere, & aperire valeat, ita vt poſſit inde ſequi ſpirituum diſſipatio, atque euolatio. Verùm poros, & meatus viri, alioquin a temperamento raros, ac paulos referare facillimè poteſt. Porrò hoc quod dicimus, pendet à quæſtione illa, num mulier ſit viro frigidior. Quod cùm apud omnes philoſophos receptum ſit, ratio bellè probat, ac procedit. Atqui alias nihil minus probabiles audiemus rationes. Quod in æſtate vir ad Venerem ſegnior appareat, accepto feratur ſemini, quod tunc temporis areſcit; vt proinde vel deficiens non pruriat, vel modicum nõ turgeat: at mulierbre ſemen immodicè non exiccatur, ſed potius humore circunfluo conſumpto, qui ſanguinem, & ſemen hebetat, ſpiritus libidinis alacriores euadunt; nam certum eſt, mulierem & ſemen, & ſanguinem humidiorem à natura obtinuiſſe; quod ſatis bellè magnus Hippocrat. in lib. de morbis mulierum exaranit iis verbis. *Dico, mulierem rariore carne præditam, & teneriore eſſe, quàm virum, & bæc res ſic ſe habet. A ventre trahit humiditatem & citius, & magis corpus mulieris, quàm viri: etenim ſi quis ſuper aqua, & per regionem aquoſam duobus diebus, ac duabus noctibus molles lanas ponit, & veſtem puram, & contextam æquali ad lanas pondere, ſublatis vtriſque, apponderatione facta, multò grauiorem lanam comperiet, quàm veſtem; fit autem hoc ex eo, quòd ſemper ab aqua ſurſum decidit in vaſa ampliora oſcula habentia, & lana quidem, & tanquam raræ, & molles ex decedente amplius ſuſcipiunt. Sic ſanè etiam mulier, velut quæ rarior eſt, ampliorem e ventre humiditatem corpori attrahit, & citius quàm vir. &c.* Addamus tandem, quòd æſtate mulieribus menſtruę purgationes aliquantò deficiunt, eo quòd ſyrius calor modicè ſanguinem exiccet, exiccatus autẽ fluxioni non ſit adeò aptus; hinc non eſt mirum, ſi libidinc

ne magis tentãtur; nota est enim Aristotelis sententia alibi relata, quòd menstruorum retentio libidinem acuit. Denique viri æstiuo tempore distrahuntur magis, valdeq; laborant in re familiari, vt sibi de hyeme curent; vnde est, quod Venus, quę alioquin otio nutritur, negotio infringitur. Quocirca Hippocrates nuncupato loco rationem reddens, cur homines non impleantur menstruo sanguine, vt mulieres, reijcit causam in labores, & negotia; inquit enim. *Multum autem confert ad hoc viro, quòd magis laborat, quàm mulier, nam labor aliquid humoris abducit*, Vt ergo labor sanguinem adimit, ita etiam semen, cuius copia fomes irritatur, & Venereus titillat pruritus; atq; hæc satis. At enodanda est difficultas in uerbis Hesiodi, cur dicat nimirum, uiros ex eo imbecillimos ad Venerem euadere in æstate, quoniam Syrius caput, & genua exiccat, non autem alias partes? Id ex eo dictum existimarim, quòd in Hippocratis sententia, alibi à nobis infra explicanda, maior copia seminis à cerebro defluit; Cerebro ergò exicato non potest abundè seminalis materia suppeditari. Rursus ut alibi pariter insinuabimus, magna inest sympathia inter genua, crura, & genitales partes; quamobrem coafficiuntur facillimè; ut non sit mirum ideò, si arefacta genua trahant ad se illud alimentum, quod spermaticis uasis ex copia transfundi debuisset, cuius deinde defectu Venus contabescat, & frigeat; eo modo, quo e diuerso uasa eadem solent nutrimentum cruris, & genu claudi, quod non admittit amplius humorem alimentalem, ad se allicere. uide hæc fusius loco suo.

CAPVT VII.

Quænam inter mulieres mollior sit, aut petulantior.

VIRGINES multò minus, quàm Viduas proritari ad Venerem, ratio suadere uidetur. Cùm enim nunquam illæ dulcorem congressus fuerint expertæ, haud possunt adeò fameliçe eundem expetere, & affectare. At ex aduerso Viduę uoluptatis delibatę memoria, acrius eiusdem flagrant cupidine ob relicta ipsius mulcedinis imaginatione phantasmata. Hinc fortè Diuus Hieronymus in epistola quadam ad Geruntiam aiebat, facilius esse seruare uirginitatem, quàm castimoniam; id quòd Venerabilis Beda clarius adhuc declarauit, referente Thoma Hybernico in floribus his uerbis. *Expertis vitiorum illecebris difficilius, quàm incognitis cedemus, & minoris laboris est incognitam carnis cauere voluptatem, quàm reijcere iam cognitam.* Enimuerò multò ardentius id, quod nouimus appetere uidemur, quàm ea, quę ignoramus, cùm præsertim uoluntas feratur in obiectum, ut cognitum; cognitio autem alia est realis obiectiua, alia obiectiua imaginaria. Obiectiua realis cognitio illa est, quę habetur ex alicuius obiecti reali sensatione; ut cùm scimus exempli gratia, aliquam mulierem esse pulchram, eo quòd proprijs oculis decus pulchritudinis aspeximus. Illa est cognitio imaginaria, quę non ex reali perceptione obiecti, sed per imaginationem duntaxat, seu relationem obtinetur; ut quando scimus, pulcherrimam esse Laidem, non quòd illam nouerimus, sed quia talem esse autumamus, uel intelligimus. Iam uerò quis deneget, unumquempiam multò magis bonum, aut delectabile concupiscere, quod suauiter aliquando degustarit, quàm quod huiusmodi esse, imaginariò credat? Modo Viduę expetunt uoluptatis illecebras ut cognitas, & sępius receptas; Virgines uerò, ut sciunt ex imaginatione, & aliena experientia in Venereo congressu iucundum inesse oblectamentum. Et hoc D. Hieronymus explicitè his uerbis edisserit. *Virginitas in eo facilior est, quia carnis incentiua non nouit, & viduitas in eo sollicitior, quia præteritas in eo recolit voluptates.* Quod confirmat illud Aristotelis 4. sect. problemat. *Vna autem cum recordatione gestiens exultat voluptas.* Adhuc Viduę à duplici uoluptate pelliciũtur fortius; à futura, & à præterita: memores enim delectationis præteritę præsentem depereunt magis; hoc autem nequaquam uirginibus accidit. Sic docet experientia, pueros multò facilius dulciculis à fructibus, aut mellitis bellarijs abstinere, antequam eos degustent; quandoquidem degustata dulcedo nimis angit. Insuper id totum probari posse ulterius, arbitror ex conditione, qua uiduę infœliciùs uiuere existimantur ob amissionem rerum iucundarum, quarum uirgines eousque expertes sunt. Indè Propert. lib. primo eleg.

O noctem meminisse mihi iucunda voluptas:
O quoties votis illa vocanda meis.

Nam vt primo Tusculan. Tullius dicebat. *Non tam cumulus bonorum iucundus esse potest, quàm molestia decessio.* Et sagacissimus Boetius secundo de consolat Philosoph. *In omni (inquit) aduersitate fortunæ infœlicissimum genus infortunij est, fuisse fœlicem.* Ideo Cornelius Gall. lib. elegiarum concinit.

Dura satis miseris memoratio prisca bonorum,
Et grauius summo culmine missa ruunt.

Veruntamen ex alia parte non desunt etiam rationes, quibus probetur Veneris ardorem in Virgine concipi ardentiorem, quàm in vidua; & primò quidem, quoniam Virgines sanguine, semine, & spiritibus affatim exuberant, viduæ autem

&

& portio ſpiritũ diſſipata eſt, ſeminis, & ſanguinis affluentia diminuta. Adde ex Hipp. lib. de genitura, quòd cùm in Venerea commixtione veteri ſimul humidi fiant, & ſimul coitus ſanguinem calefaciens, & humectans viam facilioré menſibus faciat, ſequitur, vt in viduis, mẽſibus vberius emanantibus, non tantus circa partes genitales hoſpitetur calor. Menſibus autem diminutè fluentibus, vt non rarò in maturis virginibus accidit, vehemens libidinis reſultat æſtus; qui quidem tunc etiam valdè acuitur, cùm menſes ipſi emanare incipiunt; quo tempore dicebat Ariſtoteles 7. de Hiſtor. animal. cap. primo, cuſtodiendas eſſe puellas diligentiſſimè, quia facile præ ardore, & cupiditate res nefandas, & inhoneſtas committunt. Cuius rei rationem reddit Hippocrates in fragmentis de morbis virginum dicens, quòd tunc temporis multum ſanguinis ad vterum confluit; id quod idem Plato in Timæo perſpicuò ſignificauit iis verbis. *Vulua quoque, matrixque in fœminis eadem ratione animal auidum generandi, quando procul à fœtu ætatis florem, aut vltra diutius detinetur, agrè fert moram, ac plurimum indignatur, paſſimque per corpus oberrans meatus ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtijs, morbis denique omnibus premit, quouſque vtroque cupido, amorque quaſi ex arboribus fatum, fructumque producunt.* Quibus planè verbis luculenter deſcribitur, quanta ſit Virginum libido, & eorum vterorum ardor venereus; nam licet viduæ etiam his accidentibus corripiantur, non ſic tamen vt virgines torquentur ob rationes ſuperius deductas. Quid ergo ſtatuendum erit, cùm ex vtraque parte fortes adeò rationes decertent? eadem proſus, qua in capite præcedenti diſtinctione vtemur. Dicendum itaque eſt, Virgines intenſiuè Veneris oblectamenta excupere magis, quoniam ſeminis maiori copia, & ſpirituum ubertate ſcatent affluentius, atque libidinem impendiò magis uoluptuoſam, quàm re uera ſit, animo concipiunt. Hinc D. Hieronymus in epiſtolis aiebat. *ferreas mentes libido domat, que maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne, quod neſciunt.* Sic ille miſerrimus æger ninum ex animis poſtulat, cuius deſiderio egrius angitur, atque uritur; ubi uerò primò deguſtat, nec dulce, nec iucundum perſentit; detrectat protinus; ut uerum ideò ſit illud Cornelij Gall.

Permiſſum ſit vile nefaſ, ſit languidus ardor.

At uiduę extenſiuè amplius appetunt, quoniam ſcilicet non modo prurientes naturæ ſtimulo, atque igniculis Venerem affectant; verùm deguſtatæ voluptatis memoria etiam dum iugiter mente, animoque perluſtrant amplexus molles, & complexus iucundos amiſſos: quamobrem aiebat Gal. quòd recordatio iuuat ad excitandam libidinem. Quæ ſanè recordatio haud in hominibus tantùm, ſed in brutis etiam voluptatis cupidinem reuocat; quod lepida illa Herodoti hiſtoria lib. 3. perſuaſum quiſq; habeat.

Magorum exploſa Tyrannide e Perſarum vaſtiſſimo imperio, Primates Regni de regimine diſſidebant. Alij namque Ariſtocratiam, alij Democratiam, alij Monarchiam optabant. Tandem vnum Regem eligere ex Darij conſilio ſtatuerunt. Verùm ne apud illos præminentiæ diſſidium oriretur, pactum communi conſenſu initum fuit, vt poſtera die ante lucem extra Ciuitatem ſinguli equitãres in amœniſſimum hortum conuenirent, vbi equi illius, qui primus ad Solis ortum nitritum daret conſcenſor Dominus Rex ilicet acclamaretur. Poſt hæc Oebares, qui Darij hippocomos, ſiue equorum erat curator, alioquin ingenioſus Regnum ipſi Dario auſpicatus fuit, fretus arte ſua. Quare ad primas nocțis horas equum Darij generoſum, quem conſcendere poſtridie debebat, ad hortum deſtinatum deduxit, ibique iumentæ admiſit. Factum eſt autem, vt manè cùm primùm ad locum, vbi equam inierat, peruenerit equus Darij, præteritæ voluptatis memoria exardeſcens ſtatim nitritum dederit; quo audito cæteri Principes continuò Darium adorarunt, Regemque Perſarum æternũ acclamarunt. Tanti ponderis, & energiæ in rebus venereis eſt recodatio.

CAPVT VIII.

Humanæ ſalacitatis indicia ex temperamento, ætate, habitu, & Regione.

Temperamentum.

SANGVINEVM téperamentum in primis eſt ad Venerem procliue; in hoc enim uiget caliditas, & humiditas, à quibus affluens ſpirituum prouentus emanat; vnde eſt, quod ad libidinẽ infrenandam copia ſanguinis primariò imminuitur. Profectò tale ab exceſſu extitiſſe putandum temperamentum illius Tarragonẽſis, cuius vxor, vt narrant hiſtoriæ, apud Aragoniæ Reginam conqueſta eſt, quòd ſecum decies in die congredi ſoleret. Qua portentoſa audita libidine capitali ſupplicio Regina terminum inſixit coniugi, quem in re venerea nũquam excederet. Secundo loco eminet complexio melancholica, in qua cum flatus ſuſcitentur abundè, ſit ideò, vt acris intendatur libido. Verùm ſicuti ſanguis naturaliter ſuo calore, & ſpiritibus præuijs Venerem proritat; ſic melancholia præter naturam præuijs flatibus eandem intendit. Tertio loco ſuccedit bilioſa complexio, penes quam licet ſemi-

minis vbertas non magna sit, à qua genialis in- A
flammetur ignis, sunt nihilominus illi acriores à
bile spiritus, qui acutie sua naturam vellicant,
vnde tentigo, & pruritus. Quo in loco statuen-
dum vt verum cum Platonicis, concupiscendi,
& irascendi vires germanas esse. Quamobrem
Plotinus secundo de dubijs animæ, etiam refe-
rente Rhodigino, aiebat. *Esse verò hoc animæ vestigium alterius vestigij cognatum essentia, id nobis argumento esse potest, quod qui oblectamenta corporea minus appetunt, corpusque negligunt, minus ad iracundiam prouocantur, minusque irrationali feruntur perturbatione.* Quippe huius euentus causa, si fides Aristoteli habeatur, veteres Poetæ Marti Venerem coniunxerunt; siquidem masculorum, vel fœmina- B
rum affectant congressum, qui bellaces sunt. quod sanè ex eo contingere existimarim, quoniam vna, eademque est vtriusque affectionis sedes, hepar nempè, quod bilis est ferax, ex quo fellea cystis subiacet illi, necnon, vt ille vulgaris versiculus.

Cogit amare iecur.

Quare apud Lucianum Maia Mercurio non immeritò aiebat. *Nam iracundi sunt, qui amant.* Postremo ordine se habet frigida, humidaque temperies, cuiusmodi pituitosa existit, in qua- cum spiritus pauci admodum, atque hebetes reperiantur, sensus libidinis & modicus, & obtusus fieri debet. Quòd verò pertinet ad pe- C
culiarium partium temperiem: renes nimium calidi libidinem acuunt; trahunt enim caliditate sanguinis copiam, quam in semen concoquunt affluenter, suntque spirituum, & flatuum etiam feracissimi auctores. Insuper spermatica vasa, atque adiacentes partes, necnon testes, locique finitimi calidiores Venerem exacuunt, naturamque aphrodisiam voluptatem præstant procliniorem. Cor, & hepar & ipsa impesè calida, sicuti viscera cuncta præseruida salacitatem inurunt. In mulieribus autem præcipuè vterus calidior, & siccior Veneris excitat igniculos. Id tamen ita recipias velim, vt non prætermodum, & ab excessu calidum, siccumque intelligas; quandoquidem huiusmodi temperies, vel de sententia Hali super technin gignendi vim dissoluit, ac semen dissipat. D

Ætas.

EX ætatibus Iuuenes ad Aphrodisia promptiores esse, quàm pueros, & senes, inconfesso est apud omnes; vel etiam ex ore Altissimi, qui Geneseos octauo capite post diluuium dixerat, *sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*; in senibus enim ob caloris defectum haud potest ingens excitari ardor luxuriæ, non magna exacui libido. inde non illepidè Euripides.

Verum senecta iubet valere Cypridem,
Et ipsa rursum infensum senibus est Venus.

In pueris autem, vel ob nimiam humiditatem spiritus titillantes hebescunt, vel ob fortem, nimiumque calorem, quo imbuta est ætas illa seminale excrementum congeri non potest. At iuuenes, quiue adolescentiæ metam attingunt, quoniam humido scatent vndique sanguine, & spiritibus vigent micantibus, genialem ardorem spirant vn dequaque, seminalis turget humor. Veneris scintillat ignis; hinc Vates.

Prima cupidineis ætas manet apta triumphis,
Non gaudet veteri sanguine mollis amor.

Consistens ætas, & ipsa quidem voluptatem affectat, non ita tamen vti iuuenes; qui semper, & intempestiuè concitantur. Atqui pueri licet pruritum aliquem, ac titillationem experiantur ob calorem, quem vegetem ferunt, parùm tamen cupidine aguntur, quoniam ipsorum natura, de augmento sollicita seminis materiam vniuersam in partium absumit incrementum, neque hoc silentio præterijt dynastes Aristoteles; nam primo de generatione animalium sic habet. *Ad hæc semen nec in prima ætate, neque in senectute, neque in morbis est. Carent hoc ægri propter imbecillitatem, senes quia non satis eorum natura potest concoquere, pueri propter incrementum; absumitur enim totum alimentum in corporis desiderium, priusquàm aliquid excrementi remaneat.* Verùm hæc alibi. Illud postremò corollidis loco addendum, iuuenes nempè, licèt facilè in genium exardescant, ignem tamen Veneris leui negotio restinguere, nec persistere in furore diù; quòd miro lepore descripsit Seneca in Octauia.

Iuuenilis ardor impetu primo furit,
Languescit idem facilè, nec durat diu
In Venere turpi: ceu leuis flammæ vapor.

Habitus.

GRaciles magis, quàm pingues corporis habitus Venerea voluptate peruri ob caloris vbertatem, certum est. Pinguiores etenim sunt magis exangues, quare etiam frigidiores. Adde, quòd seminis materia in his in pinguedinem degenerat, id quod primo de generatione animalium capite 18. his penè verbis Philosophus edisserit. *Alia enim animalia multum seminis edunt, alia parùm, alia nihil omnino; idque non præ imbecillitate, sed contra nonnullis euenit, absumitur enim in corpus, vt hominum nonnullis, qui vbi per habitum corporis bonum carnulenti, aut pinguiores euaserint, minus semen emittunt, minusque rem Veneream expetunt.* Et paulò inferius subiungit. *Nam & hirci pinguescentes minus semi-*

nis

nis habent, quamobrem eos solent ante extenuare, & vites hircire ab ea ipsa hircorum affectione, dixerunt. Quin etiam tàm viri, quàm mulieres obesæ, ex eodem Aristotele minus fœcundę, quàm non pingues esse consueuerunt. Siquidem in vegetioribus concoctum excrementum transit in pingue; manifestum est autem, à feminis turgente copia libidinem exilire. Hinc venustè nimis Cornelius Gallus mulieres ad Venerem aptiores describebat.

Horrebam tenues, horrebam corpore pingues,
Nec mihi grata breuis, nec mihi longa fuit.
Cum media tantùm dilexi ludere forma,
Maior enim medijs gratia rebus inest.
Corporis has nostri mollis lasciuia partes
Incolit: has sedes mater Amoris habet.
Quærebam gracilem, sed non qua macra fuisset:
Carnis ad officium carnea membra placent.

Martialis & ipse eo, quo solet, sale subscribit.

Sed idem amicam nolo mille librarum:
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Regio.

OMnes, quot quot in frigidis degunt regionibus, proni sunt ad libidinem; hi enim ex Arist. fortiores, & calidiores existunt; Hinc Vitruuius: *Qui rigentia mundi, ac gelu torpentia loca inhabitant, immanibus corporibus sunt, candentibus corporum extimis, directo capillo, & rufo, oculis cæsis, sanguine multo ex humoris plenitate, cœlique refrigerationibus sunt confirmati.* Verùm Hippocrates Vitruuio, positoque lemmati e diametro refragari videtur; inquit enim libro de aere, aquis, & locis, Scythas ob regionis ingès frigus ad Venerem, ac petulantiam parùm procliues esse; verba sunt. *Porrò Scytharum genus fului valdè coloris existit propter frigus ingens: non enim vehemens accedit ad eos Sol, à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua: neque verò possibile est, fœcundam esse eorum naturam, quum viri minimè cupidi sint cum fœminis commisceri ob nimiam corporis liquiditatem, ventrisque mollitiem, ac frigiditatem, quæ causæ apparent, minimè vivos ad coitum incitari.* Haud sanè contemnenda isthæc erit controuersia; ideoque pro virili eluc idanda veritas erit, ipsique auctores conciliādi.

Dicas ergo, neque aberrabis, Aristotelem, atque Vitruuium ijs de gentibus sermonem habere, quorum cœlum, siue clima nequaquam ad extremum riget; sed vsqueadeò frigiditatis est particeps, quatenus corporum innatus calor nimia diapneustia dissipari prohibeatur; densatis namque, & occlusis meatibus haud facile implantatus euanescit spiritus, insitusque euaporat calor. At verò Hippocrates de summo frigore sententiam tulit, deque rigente vndique cœlo, quod proculdubio vitalis caloris flammulam euincit, spiritusque tandem enecat iugi, perpetuoque gelu. Patet id luculenter satis, si eius verba accuratè perpendantur; habet enim sic: *à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua.* Atqui vt a frigore fiat exustio, vtique necesse est diu, atque intensè agere. Cæterùm quomodo frigus inurat, licet parergon, non erit ametron hic breuibus examinare; quandoquidem penes quā plures auctores exustionis titulo frigus insignitur; 1ta primo Georgicorum Virgilius.

aut Boreæ penetrabile frigus adurat

sic Lucanus. *Vrebant montana niues.* Sic denique Tacitus libro 13. *Ambusti multorum artus vi frigoris.* Profectò relicta Seruij insulsa expositione ad illud Georgicorum carmen, vnius Aristotelis præcellat ratio, quæ metereologicorum 4. his verbis exaratur: *Siquidem frigus aliquoties & calefacere, & comburere dicitur, non more quidem caloris, sed quòd calor in vnum conducatur, aut certè aduerso tenacitur conatu.* Et est prorsus, quod vnanimi consensu Philosophi dictitant, frigus videlicet per antiperistasim calefacere. Contra quam sententiam licet Hieronymus Magius primo miscellaneorum non fuerit veritus insurgere, Aristotelem, & asseclas increpans; quòd nimirum impossibile sit, viuentium calorem, si cogatur in vnum, & per antiperistasim congregetur, in eum intensionis augeri gradum, vt valeat exurere; immeritò tamen vir eximius Philosophum obiurgauit, cuius verborum intelligentiam fortè non fuit assecutus. Etenim vt exurat calor, neutiquam opus est, vt in membris ardorem persentire faciat, vt ille existimat; sed sat est, humiditatem, cui adhæret, ocyus exiccare; calor namque nativæ humiditati commensuratus esse debet, alioquin citò tabescit animal, & humido resoluto in marcorem deducitur; vt in marasmo, ac senio morboso liquidò apparet. Quamobrem vbi ambiens frigus calorem ad intima refundit, corporis obseratis meatibus, eousque is excandescit, vt primigeniam humiditatem celerius depopulet tur; qua exhausta ilicet consequitur vstio, quæ nihil est aliud, quàm humoris in membro totalis absumptio. En igitur quo pacto frigus adurit. Et quidem huic meę expositioni bellè cōsonant Democratis Clinici uersus apud Galenum 10. de compositione medicamentorum secundum loca, vbi de iberide herba, & sunt.

Æstate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentitiam deducat hac ad imaginem, &
Deiecta, & exiccata depereant gelu.

Exiccando igitur modo, quo explicauimus, frigus adurere dicatur: non autem ex eo quòd calorem extinguat, humoremque depellat, vt per-

Digitized by Google

perperam interpretatur Magius; tametsi quatenus frigus humorem depellit ex eius sententia, dici potest adurere ea ratione quodammodo, qua explicauimus. Verùm instabis adhuc, ex Hippocratis textu de Scythis apertè colligi, illos ob corporis liquiditatem, ventriso; mollitiem parum esse salaces; igitur aucta à frigore caliditas, nequaquam ob nimiam arefactionem exurere videtur. Difficultas eliminatur, si dicamus, tantùm excrementitiam excrescere humiditatem, quantùm primigeniæ derogatur. At exiccatio, & adustio est insitæ humiditatis dissipatio, qua euanescente, excrementitia subrogari potest; & de hac ipsa in præfato loco Hippocrates loquebatur. Sed eò, vnde digressi sumus, consultò redeamus.

B Ptolomæus Afros Epicataphoros esse testatur Maternus Venereos, ac petulantes Asianos dicit, inter quos Cilices in primis petulantiæ sunt valde inauctorati; vnde verbum τιλιμιζομαι, quod scortari significat; eo quia scortationi plus æquo Cilices dediti erant. Ouidius 6. metamorphoseos Thraces apprimè salaces esse affirmat, cùm de Thereo Thracum Rege canebat.

Digna quidem facies, sed & hunc innata libido
Extimulat, pronumque genus regionibus illis
In Venerem est, flagrat vitio gentisque, suoque.

C Mulieres in Aegypto adeò sunt libidini deditæ, & in Venerem putres, vt nullæ prorsus reperiantur castæ; atque etiam interdum cum hircis coeant: eademque indomitæ salacitatis nota mulieribus omnibus inuritur, quæ meridionales inhabitant plagas. Quòd si quæras, cur mulieres in calidis, viri autem in frigidis regionibus magis libidine turgeant? Id contingere, statim respondeam, ex illa eadem ratione, ob quam mulieres in ætate, virique in hyeme magis ad libidinem vellicantur. Interim Princeps Mauritanus libro tertio fen. 20. tractatu primo capite vigesimoquinto dubitationi his verbis occurrit: *Et virorum quidem desiderium forte fit in regionibus, & aeribus, & temporibus frigidis; propterea quod congregatur illud ex virtutibus: & dispositio mulierum est è contrario; propterea quod spargit illud de virtutibus earum congelatis.*

D Præterea Cyprus insula famosissima ob mollities, & luxus, à Floro Veneri sacra dicitur, id quod etiam passim à Poetis decantatur. Quid plura? Narrant Indiarum historiæ, Americum Vespucium quendam in locum aliquando peruenisse, vbi tantæ libidinis mulieres erant incolæ, vt more Bacchantum furerent in eius nautas, quatenus concumberent secum; adduntque insuper, secum ferre consueuisse herbæ cuiusdam succum, quo virilia inungentes non modo ope-

A rabantur, vt citius, ac sæpius arrigerent homines; verùm etiam vt eorundem penes in miram excrescerent magnitudinem.

CAPVT VIIII.

Procliuitatis ad Venerem notæ ex corporum statura, colore, partium conformatione, pulchritudine, viribus, atque anni tempore.

Statura.

PARVÆ staturæ homines acriorem luxuriæ sensum obtinent: in his enim cùm alimentum in corporis proceritatem, ac magnitudinem nutriendam haudquaquam absumatur; fit, vt maior alimenti pars in seminis excrementum abeat. In magnis autem, ac proceribus cõtrarium accidit. Id nos primo de Generatione animalium cap. 8. docuit Aristoteles, vbi de paruis pisciculis verba faciens hæc habet; *Sunt enim hi fœcundissimi, vt in cæteris quoque tum plantis, tum animalibus euenit, quorum natura his proportionatur, in ijs enim magnitudinis incrementum vertitur in seminis copiam.* Esse autem fœcundum, & libidinosum idem sunt; hinc 3. de Generatione animalium Philosophus rationem afferens, cur corui non sint libidinosi, inquit: *Coruinum genus libidinosum non est, quippe quod parum fœcundum sit.* Rursus idem 4. de Generatione animalium capite 4. quærens, cur parua animalia plura generent, magna non nisi vnum, sic loquitur. *Ratio enim probabilis est, vt maiora animalia plura generare, pluraque afferre seminis possint; sed certè id ipsum, quod admirari facit, causa est, ne admiremur: facit enim eorum magnitudo, ne multa pariant; cibus enim in ijs absumitur in corporis incrementum; minoribus verò natura demendo de magnitudine auget in excremento seminali exuperantiam.* Plura vide apud ipsum. Præterea in paruis hominibus calor magis est congregatus, in longis verò nimium dispersus; At fortior est vnita virtus, ac proinde fortior inde Veneris potest excitari thyrsus.

Color.

ARistoteles in epistola quadam ab Alexandrum illum orbis moderatorem aiebat; caue ab homine liuido flauo, quoniam deditus est ad vitia, & luxuriam; libidinis ergo notam is color cùm primis inuret. Præterea candirubræ mulieres sunt salaciores, & ad Venerem, eius-

que illecebras inter alias eligendæ. Inde Cornelius Gallus in elegijs.

Candida contempsi, nisi quæ fuscata rubore
Vernarent proprijs ora serena rosis.
Hunc Venus ante alios sibi venditat ipsa colorem:
Dilexit & florem Cypris vbique suum.

Quamobrem purpurei, roscidique coloris homines apprimè falaces viuunt; siquidem exuberante sanguine diffluunt, cuius talis est genuinus color. Adhuc mulieres albicantes, & quodam respersę pallore in geniales voluptates identidem propendent, estque semper aspectus, huiusmodi, vel teste Aristotele, libidinis characterismus. Albicantes dixi, non albas, quoniam albedo frigiditatis est soboles; atque adeo tali colore obluxitæ mulieres minoris anichrysis consortes erunt. At verò albicatio, cùm ab ichorosis humoribus vt plurimùm, ac sępè etiam biliosis scaturiat, qui pruriendi facultatem obtinent, lasciuiam ostentat, ac petulantiam.

Post albicantes insignia falacitatis ferunt subnigræ mulieres; hæ namque exurentis cuiusdam caliditatis dominium indicitant; Ideoque Philosophorum Princeps in Problematibus quærens, cur lac fuscarum mulierum sit præstantius, quia, respondet, fuscæ sunt albis calidiores. Quod sanè in capris etiam probatur; nigriores enim magis commendantur, eo quod lac præstent melius, & iucundius, magisque à serosa humiditate depuratum. Cæterum & flauus color tam in viris, quàm in mulieribus argumentum gerit libidinis: & plumbeus, qui adustionem intrinsecus arguit, inexplebilis cupiditatis est index; ob flatus potissimum copiosissimos, qui huiusmodi temperamento consociantur; idemque prorsus dicendum de glasteo colore, dummodo is à summa viscerum obstructione, aut necrosi natiuæ flammulæ non ducat originem.

Sed esto παράδοξον; Cur si in capris, & mulieribus color niger vtilior censetur, vt maioris caliditatis argumentum; in genere tamen ouilio, agnis videlicet, ac vernecibus præstat color albus? Amabo vos, qui legitis, licet de ouibus, & capris agatur, ne putetis tamen quæstionem hanc de lana caprina, vt dicitur. Sanè doctissimos etiam viros mihi in hoc problemate consulenti, nihil fermè probabile responsum est; Continet enimuerò proposita quæstio doctrinam de coloribus apud Aristotelem recòditam, arduam, ac paucis cognitam. Sciendum itaque, calorem diuersimodè agentem in humidum, diuersos producere colores: nam color albus in pilis, velleribus, & pennis fit, cùm à calore humiditas coquitur, ac terminatur; sic iebat Philosophus Ipse in libro de coloribus: *Alba quidem, cum humidum adhuc proprium retinens calorem, exiccatum fuerit a concoctione.* Contrà niger color fit, cùm calor agit in humidum, quod vel nequit terminare, vel adurit. Hinc Aristoteles *Nigra verò contra, quoties ipsum in generatione humidum antiquatum, & tempore confectum, propter copiam nigruerit.* Quem locum explicans Simon Portius in suo libro de coloribus, ita inquit. *Ceterum calor alio modo album creat colorem, & alio nigrum: nam per actionem continuam, & exiccationem album gignit; adurendo verò humidum, & non exiccando nigrum generat.* Iam in capris aliquibus pili nigrescunt, quia calor earum & naturalis magnus, & ascititius maior (veteres enim, referente Archelao, capras existimarunt semper febrire) humidum adurit, & sic excellens caliditas in capra facit illum nigripilam, cuiusque lac melius, & salubrius præstat. At verò in ouino grege nigra vellera nequaquam adustionem indicant, sed humidum interminabile, & interminatum, minusque ad pepsim à calore redactum. Quocirca octaua sectione problematum Aristoteles albedinem ignitribuit, quatenus scilicet humiditatem quæ concoquens album gignit colorem; & sic album uellus denotat humidum superuacuum, vt par est, excoctum, & exiccatum esse. Quod nimirum à signo quoque probatur: caro namque nigræ ouis facilius putrescit; putredo autem ab humido. Itaque sicuti in capra nigredo longè magis excellentem caloris gradum prænuntiat, & humidi maiorem exiccationem; ita albedo in pecore præstantiorem arguit caliditatem, quo idcirco humorem excoquens album pepigit colorem, qui tamen in capra ipsam potius humiditatem non vndique terminatam indicat. Hoc autem intelligendum de nigro, alboque colore, qui ab intrinseco prouenit; Cùm enim teste Aristotele 3. de historia animalium capite 12. sint nonnullę aquę, quę in ouibus colorem varient, vt præcipue duo fluuij in Antandria; quorū alter candorem, alter nigritiem pecoribus facit; si ones ex his velleris immutarent colorem, haud proinde tamen intrinsecam temperaturam mutari, putandum esset. Quòd si fortè obtrudas, in genere caprillo nigrum colorem ex vi adductarum rationum neque bonum esse, eo quod excedentem insimulet calorem; respondeo primò velim, in genere carnium, quod minus excrementitij succi particeps extat, illud salubrius censeri; ideoque nigripilam capram præstare vtilius alimentum. Secundò dicam, melliorem in capris censeri colorem atrum, non tantùm relatione ad carnem, quæ absolutè siccior est, quantùm ratione vtilis succi, lactis nimirum, cuius gratia fusca capra commendabitur magis; sicuti etiam fuscæ mulieres, quia propter vberiorem caliditatem ferosius, & minus caseosum hic præbent, atque adeo pueris magis salubre, id quod quarto de historia animalium capite 21. significauit Zoographus noster, cùm dixit: *Mulierum lac commodius lactentibus*

Digitized by Google

tibus est. quod liuorem trahit, quàm quod candidum est; & fuscæ salubrius habent, quàm candidæ: est porrò ad alendum validius, in quo plus vaséi est: sed infantibus salubrius, quod minus caseicontrahat. Ex quibus liquet, fuscarum mulierum, & nigrarum caprarum lac non absolutè præstantius esse, sed solùm in ordine ad infantium salutem; quatenus videlicet serosius existens aptius expurgare eosdem poterit; vnde discant pedotrophę mulieres, ad puerorum incolumitatem nó lac seligere, quod fortius est, densius, magisque nutricium (qua in re peccatur passim, & vbique, dum in speculo, & vngue probari solet, vt quantum effluat, innotescat) sed quod fluidius, minusque alimentosum videbitur, caseique expers magis. At longiùs à littore iuimus: reducantur vela.

Partium conformatio.

TEstes oppidò grandiores, & ampliora vasa spermatica libidinis contestantur excessum: quòd nimirum prolifici humoris sint illa capaciora, atque etiam sanguinem ipsum exactius coquant; vnde & spiritus alacriores, & semen vberius. Rursus genitalia tàm in viris, quàm in mulieribus præampla, venosa, neruosa, hispida, & rigida immoderatam concupiscentiam prænunciant, tum propter ingentem, ac fumosam caliditatem; tum propter sanguinis ad regionem illam corporis mediam vberiorem affluentiam. Cæterùm seminalia vasa parum flexuosa, ac paucis, breuibusque anfractibus intertexta Veneris inexplebilem auiditatem pariunt; ideoque aiebat Philosophus, quod sicuti qui recta habent intestina, & minus anfractuosa voraciores existunt; ita qui sperma tica vasa recta, & parum flexuosa obtinent, sunt libidini magis addicti: & idcirco hos meatus hominibus tortuosos præstitos fuisse, ne ruerent infrenes in aphrodisias voluptates. Pete libros de Generatione animalium.

Præterea Vallesius tertio controuersiarum ex Platone in Timæo tradit, eos, quibus plena scatent ossa medulla, valdè libidinosos existere; quod vtique rationi est consonum; siquidem genitura succus est medullæ quàm similis, & medullæ copiam sanguinis elaborati, & affluenter concocti vbertatem indicare, compertum est. Ex quibus hoc ego consectarium facio, leones videlicet inter cætera animalia minus in libidinem inflammari, & efferari; Nam tertio de historia animalium capite septimo Aristoteles testatum reliquit, leonem in suis ossibus valde exiguam habere medullam. *Sunt nounulla*, inquit, *que suis in ossibus nullam omnino habere medullam videantur, vt leo, quòd admodum exiguam, ac tenuem habeat, eamque in paucis ossibus, solis enim inferioribus, atque brachijs.*

Quod ex eo accedere existimarem, quia leo omnium calidissimus cùm sit, alimentum dissipat, absumitque ocyus, vt nihil propterea, aut valdè paucum nutritioni supersit. At Veneris contubernium plurimũ tertiæ coctionis recrementũ postulat.

Pulchritudo.

LIcet in pulchro corpore de Socratis, Platonisq. arbitratu pulcher habitare soleat animus, & mõstrum in corpore, monstrum sit in animo, vt aiunt: petulca nihilominus Venus venustiora frequentiùs corpora pro sede suarum illecebrarum eligit; adeò vt Iuuenale in Satyris auctore:

Rara est adeò concordia formæ,
Atque pudicitiæ.

Sunt exempla innumera, quæ nos mentiri nonsinunt. Demetrius ille Phalereus forma fuit vsque ad admirationem egregia: verùm sic venereis voluptatibus mancipatus, vt omnium Regum habitus fuerit incontinentissimus, paderastia non minus, quàm gynecocrasia. Talis fuit & Hysmael Sophus Persarum Rex decore vultus eximio à natura donatus. Lais, & Faustina, vt alias præteream, formosissimæ inter mulieres extitere; verùm impudicissimæ simul, vt verissimum proinde sit illud Horatij.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Quid multa? idem erat apud Gentiles pulchritudinis, & libidinis idõlum. Nosce mysterium. Franciscus Petrarcha primo de remedijs vtriusque fortunæ, dialogo 66. cùm dixisset gaudium: *forma vxoris est maxima*; statim rationem adducit respondentem: *Vide, ne calitas parua sit.* Nam, Plutarcho auctore: *Speciosa forma mulierum ansam affectibus, & cupiditatibus exhibet.*

Vires.

QVis deneget, lacertosos, fortesque homines magis, quàm imbecilles; & viribus effœtos concupiscentiam secum ferre feruidiorem? Militat namque ratio illa; viget calor: æstuat sanguis; micant spiritus: valent membra; feruent viscera: artus omnes robore pollent. Sicuti namque ægritudine, vt supra dicebamus, aut non supereſt, aut non coquitur semen: ita præsente valetudine id excrementi genus affluentiùs gignitur, à quo consequenter Venereus scintillat ignis: rem probat *aure↓lia*. Verùm quidem est, præ debilitate interdum tentiginem excitari; atqui morbosum ideſt, eaque ocyus fatiscit.

Anni tempus.

ACriùs ad libidinem excitari mulieres in Syrio: viros ex aduerso brumali tempore,

dicterium est vbique probatum, nosque paulò supra declarauimus abundè. Hic tamen recensendus occurrit Aristoteles, ne videamur præceptorem prætersisse intactum. Is ergo quarta sectione Problem. 27. quæsito respondens ait: *Vtrum quòd testes eo tempore magis demittuntur, & flaccent, quàm per hyemem; cùm qui concubiturus est, retrahat, ac suscipiat illos necesse sit? An quoniam naturæ calidæ præ nimio calore æstiui temporis æstuant, collabunturque: frigidæ verò refouentur, & vigent? est autem vir calidus, & ficus; mulier frigida, humidaque. Ergo virorum tunc vires infirmantur, mulierum corroborantur, & vigent per compensationem qualitatis contrariæ.* Idem inferius remadhuc luculentius explicat; Auctorem adire poteris, ne nos breuitatis obliuiscamur. Cæterum genericè verno tempore Venus titillat magis, omniaq; viuentia tunc genialis voluptatis igniculis amplius exæstuant; Inde Oppianus libro 1.

Vere magis Venerea curæ sunt opera,
Ferisque, & canibus, & perniciosis draconibus,
Aeriysque volucribus, & marinis piscibus:
Vere quidem biliosò Serpens suffusus veneno
Propinquat cubile iuxta litus Marinæ vxoris.
Vere mare totum resonat Venere,
Et pisces nupturientes furiunt in tranquillitate maris.
Vere etiam palumbes saliunt columbas;
Equi verò armentales in equas armantur:
Tauri autem agrestes in vaccas ruunt,
Et arietes flexuosi cornibus vere scandunt oues;
Et apri dente ignei incumbunt suibus:
Et birci hirsutis inequitant capris;
Quin etiam ipsis hominibus vere magis feruent amores;
Vere namque publica ingruit Venus.

CAPVT X.

Salacitatis Epiphænomena ex corporis morbosis affectibus.

Elephantiasis.

LEPROSI maximè Venerea tentigine afficiuntur, ardoremque libidinis interdum ex Græcorum, Arabumque communi arbitrio intolerabilem experiuntur. Ratio est, quoniam in Elephantiasi, ac Satyriasmo (qui est alius à Satyriasi) humor peccans corruptione apprimè est salsuginosus, acris, mordax, ac pruriginosus; quare vnà cum flatibus, qui copiosi pariter in hoc morbo soboleſcunt, adipsa delapsus genitalia, seminalesque poros, rebellem suscitat pruriginem, Venerisque portentosam aperit voraginem.

Gutta Rosea.

RVbor hepaticus, qui nasum, & genas malè inficit, rosea gutta aliquibus dicitur; & à multis, vt salacitatis argumentum sigillatur. Nempè purpurata huiusmodi facies libidinis, aut ebrietatis nota mihi semper est habita; vt iure idcirco Satyrorum rictus à Mytographis tali rubore suffulus exprimeretur.

Melancholia hypocondriaca.

MIrachialis quoque affectio libidinis caracterem inurit, tum ob spiritus feruentis, acriorisque sanguinis affluxum; tum etiam ob flatuum amplissimum prouentum Genitalia distendentium. Cæterum hypocondriaca passio, non rarò intempestiuę, immoderatæque Veneris est soboles: quotquot enim libidini iusus indulgent, omnes huiusmodi corripiuntur ægritudine; quare libidinis causa simul, & effectus hæc dici debet.

Halitus flatuosi.

VBi, in toto corpore, vel à calore segni, vel à nimium exurente flatus eleuantur, hi neruorum cauitates implentes tensionem pariunt. Quocirca in pudendis quoque tentiginem excitantes ad aphrodision disponunt. Hinc Aristoteles quarto Problem. quærens, cur libidinosi sint, qui melancholici, respondet sic: *An quòd flatu redundant, semen autem decessio flatus est?* Id est adeò verum, vt sit apud omnes in confesso.

Sterilitas.

PRimo de generatione animalium capitè 5. scriptum reliquit Aristoteles, ὅτι ἀεὶ, idest solida, siue infœcunda animalia magis esse libidinosa. Quod tamen intelligi velim, dummodo sterilitati non sit aliquid iniunctum, quod Veneris prurigini aduersetur. Si rationem huius euentus poscas, illam esse dixerim; quòd scilicet à concepta sanguis vterum allabens & minuitur, & crassior redditur; vnde fomitis igniculos temperari, contingit; eo prorsus modo, quo post conceptionem hystericæ passiones, vterique furores, vt plurimum sedari solent. In sterilibus autem contrarium accidere, necesse

cesse est; tum ob sanguinis deteriorem qualitatem, tum etiam ob vterum, eiusdemque vasa perperam affecta. Huc profectò illud Salomonis dirigitur in Prouerbijs: *Os vulvæ insaturabile*. Pagninus enim vertit; *sterilis vulva*, alij *constricta vulva*, seu *clausio vteri:* atque adeò asserunt, steriles mulieres, eo quòd maiore prolis desiderio detinentur, libidini deditiores esse: afferuntque Rachelis exemplum. Verùm longè magis ratio à posteriori arridet; quòd scilicet ideo sint steriles salaciores, quòd genitalibus in partibus cumulatus sanguis & æstuet, & pruriat fortius.

A

Retenti menses.

B

NVper citato loco Philosophus tradit, mulieres, quibus menses accidunturi, aut imminutè fluunt, Veneri magis inauctorari; quod quidem persuadere nihil difficile erit; quandoquidem retentimenses tum ob caliditatem innatam, cùm etiam ob ascititiam vterum, pudenda, partesque genitales omnes calefaciunt, incenduntque; quamobrem non prurigo tantùm Venerea insurgit, verùm sexcenta alia longè deteriora symptomata mulieres inuadunt. Id autem, licet verissimum sit, in sententia tamen ipsius Aristotelis, qui sanguinem menstruum prosemine in mulieribus agnoscit, intemeratæ veritatis est, ideoque subiungit ibidem. *A quibus videre est, aliquando agi in furorem, quia sanguis ille retentus, vaforum plenitudinem, atque etiam pruritum inducit; quare continuè misceri viris appetunt.*

C

Pari conditione mulieres, quibus citissimè fluunt menses, & quæ immaturè nubunt, salaciorem præseferunt naturam: inde Aristoteles 7. de historia animalium, mulieres, quæ intempestiuè concumbere incipiunt, libidinosas euadere, testatur apertis fidibus.

Satyriasis.

D

CIrca viri, mulierisque pudendas partes affectus quidam frequenter accidit, qui à Satyris obscenè petulantibus, deducta nomenclatura, Satyriasis nuncupatur; & est auctio stabilis, ac perennis ipsius pudendi, cum desiderio aphrodisiæ voluptatis intemperato; qua ratione a priapismo distinguitur. Quotquot igitur huiusmodi tensione afficiuntur; omnes Venereæ voluptatis thyrso excandescunt, remque agere indefessò anhelant: ratio autem illa est, quòd videlicet spiritus exuberantes ab arterijs rarefactis affatim exeuntes, ipsorum Genitalium subeunt cauitates, implentque accluſi diu; & flatus, qui vel ibi congeniti, vel aliunde demissi eòdem conspirant, distensionem efficiunt. Medicorum pete volumina, vbi huiusce affectionis idea plenius exaratur; nos quoque opportuno loco plura dictabimus.

Hæmorrhoides.

TVrgentes hæmorrhoides salacitatis sunt comites, vt causæ, & vt signa. Ratio est in promptu; cùm enim partes ani, ac genitalium finitimæ sint, ex symmachia facillimè, atque sæpissimè compatiuntur. Hinc sapientissimè Hippocrates quinto Aphorism. 58. dicebat: *Recto intestino, vel vtero inflammatione obsessis, & renum suppuratione vrinæ stillicidium superuenit.* Vt nimirum doceat, quanta sit illarum partium communio; stillicidium enim, quod ab inflammato intestino superuenit, non quidem per diadosin est, sed per sympathiam; eo quia ambæ hæ partes membranosę existunt; necnon vesica intestino recto incumbit; & hoc idem de inflammato vtero decernendum erit. Quamobrem feruido sanguine, ac spiritibus ad hæmorrhoidales venas confluentibus, vicinia, & communione testes, pori spermatici, ac reliquæ circumpositæ partes calidiores reddunturi: vnde petulantiæ fomes fouetur, & irritatur. Id autem verissimum arbitror, dummodo venæ illæ iugi fluore non reddantur exinanitæ: Nam si frequentius, largiùsque sanguinem euomant, tum ob humoris deriuationem, tum ob prætiosi sanguinis, vitalisque balsami deperditionem, frigiditatem, atque imbecillitatem adducunt: vnde potius lasciuiendi cupiditas extinguetur. Vir mihi apprimè familiaris viuit, qui cùm periodico hæmorrhoidali fluxu laboret, quotiescunq; appropinquat hæmorrhagia, per duos, vel tres ante dies tentiginem præuiam, eamque non leuem experitur; adeò vt illa præter consuetudinem exurente, certum imminentis fluxionis habeat argumentum.

Gibbosum Dorsum.

CYrti, seu Cyphi à Græcis nuncupati, qui dorsum repandum à natura tulerunt, petulantiæ nota obsignantur. An quia sanguis ille, & alimentum exactè concoctum, quod spinalem medullam enutrire deberet, dum hanc breuem, debilem, ac decurtatam reperit, pauco apposito, ad vasa spermatica delabitur, eaque implet affatim; ex quo, turgente semine, perpetuò fere Venereus appetitus excitetur? Aut etiam dicamus, spinam ipsam, per quam genituræ maior pars, auctore Hippocrate, fluit ad subiectas partes, præstitam à natura, vel à morbo imbecillam, medullarem succum ad vasa transmittere, adeo, vt semper testes, & varicosi anfractus plus, quàm pars sit, succo illo seminali repleantur, cùmque ob copiam exactè coquere, & elaborare nequeant, flatus producantur, qui vnà cum semine

ne pruriginosam tentionem, eamque iugem efficiant. Et quidem à signo id probari etiam posset; quandoquidem Gibbi rarò, immo nunquam pinguescunt; quod est argumentum, seminalem humorem totum ad genitalia membra deflectere; Equidem gibbos quot quot cognoui, omnes in Venerem putres deprehendi. Nempe Camelis gibberosi omnes assimilantur; illi autem, Aristotele referente 5. de histor. animalium capite 2. coitum toto die exercent, & genitale neruo tam solido constans obtinent, vt vel ex eo conficipossit, quo arcus fidissimè intendatur. Grecorum fœdissimus, ille Thersites non ne dorso recuruus ab Homero describitur? Intellige mysterium. Illud ex Pierio Valeriano libro 32. tamquam auctarium postremò recensebam: *Gibberosus homo hieroglyficum eius est, qui vt in Diuinis litteris habetur, reijcitur à sacris, eumque significat, qui flagitiorum sarcina oneratus est, neque tamen errorem, aut delictum intelligat suum, vtpote qui non videat, manticæ quod in tergo est. Vide vero illud: quid operatur gibberosus quasi rectus? ab Rege Israel dictum in Regem Syriæ.*

Genitura salsuginosa.

QVum sanguini saliti ichores miscentur, semen, quod ex eo elaboratur, acre, & pruriginosum euadit; quamobrem iugiter vellicat, naturamque ad expulsionem proritat. Quisquis igitur tali semine diffluit, diuturna libidine lacessitur; & quò plus coit, eò sæpius coire appetit: quandoquidem à frequentato Veneris tripudio, sanguinis nitrum augetur, semenque ex eo pruriginosius efficitur. Non ergo mirum, si qui falso rheumatismo laborant, coitum intemperanter affectant.

Defectus, aut læsio crurum.

CLaudę mulieres ex Philosophi problemate, virique pariter pedibus læsi, libidinosissimi sunt. Ratio est illa, quoniã nutrimentum, quod ad crus mancum, aut labefactatum descendere deberet, totum ad spermatica vasa regurgitat, ibique ex plenitudine tentiginem facit, Veneremque accersit in horas. Hinc Amazonum illa Regina Antianita demirantibus, quòd nupsisset claudo, Cynicè respondit: ἀριστα χωλὸς εἰχῶ, hoc est, *Claudus optimè virum agit.* Enimuerò compertum est, penis naturam à pedibus aliquatenus dependere; quod non vno in loco significauit Aristoteles, præcipuè verò primo de generatione animalium capite 5. vbi, tradit, cuncta, quæ pedibus carent animalia, aut non habere testes, aut saltem non eodem loco: Iuuat ipsamet Philosophi registrare verba. *Instrumentum etiam accomodatum ad coitum quadrupedes obtinent, habere enim id possunt. Aues, & quæ pedibus vacant, habere nequeunt quoniam alteris crura sub medio aluo posita sunt, alteris nulla sunt crura; natura autem penis hinc pendet, & situm hunc tenet, & quidem ob eam rem euenit, vt in cæundo crura contendantur; nam & instrumentum hoc neruo constat, & crurum natura neruosa est. Itaque cum habere id nequeant, testes quoque aut non habere, aut non eo loco habere, necesse est.* Ex his luculenter patet, quanta inter pedes, & genitalia communio intercedat, & quomodo ex defectu vnius, virtus alterius intendi possit. Sed apertiùs adhuc didascalos idem 3. de generatione animalium, hanc veritatem enucleauit, vbi rationem assequens, cur vulgares nostræ gallinæ libidinosiores existant; ex eo accidere hoc, ait, quia crurum imbecillitate laborant; vncungues autem aues ideo non esse, quia firmiori pede sunt. Hæc sunt Philosophi verba: *Vulgares etiam gallinæ fœcundiores sunt generosis: corpora enim alteris humidiora, alteris grandiora, & siccciora, animus generosus in eiusmodi corporibus potius existit; quin & tenuitas, ac imbecillitas crurum facit, vt eorum natura & salacior sit, & fœcundior, quomodo & hominibus euenit: alimentum enim, quod crura subiret, in seminale excrementum transfertur; quod quod enim inde natura admittit, hic adijcit, Nam vncungues aues pedes sunt firmiore, & crure crassiore causa vitiosa, itaque omnibus his de causis neque salaces sunt, neque præfœcundæ.* Hæc ipsa admirabili euentu roborata velim. Bononiæ præclaro cuidam ciui intra primum, & secundum digitum dextri pedis exorta est neruosa caruncula teres oblonga ad cholis formam, cui substantia, similitudine, ac penè magnitudine respondebat; tanta cum illo communione, & affinitate, vt ad illius tentionem tenderetur & illa, non tamen sine conspicuo dolore; eò quia rigida facta calceamento atterebatur, vnde quiescere, & ab omni motu supersedere vir patritius cogebatur, donec detumesceret: quamuis calceamentum adaptasset, ac produxisset in longum circa particulam illam, in modum penis frequenter excrescentem. Hæc relata sunt mihi à præclarissimo viro fratre Marilio Mongallo Leonissano Equite Hierosolymitano, patruo meo dilectissimo, cuius euentus fuit oculatus testis, dum Bononiæ sub Paulo Quinto Pontifice Maximo Equitum cohortis Vicepræfectus erat. Sed rem adhuc Columellæ auctoritate confirmare placet, qui gallos castrare sola pedum vstione, docuit. Tanta est pedum, ac genitalium concertatio. Theocryti Scholiographus corollarium addat. Ideo claudos ἀτάρτους, & impudicos existere, quia die tota domi desident, & nihil mente diuagantes Veneri semper intendunt.

Os-

Onirogmos, seu pollutio nocturna.

QVi sæpè in somno polluuntur, si nulla in reliquis ægritudine detineantur, salaci, petulantique naturæ ascribendi sunt; arguunt enim vel feminis ubertatem, quo grauata natura illud propulsare conatur; vel eiusdem vitium, acromque uim, quibus erethismo citetur ad exclusionem. Huc quoque pertinet, quòd hi, quibus præmaturè fipit semen, quique à pueris intempestiuè Venerem delibarunt, toto ætatis curriculo intemperantiùs agunt.

Aluus astricta.

AD libidinis oblectamenta, qui sunt aluo tenaciores, incumbunt alacriùs. Opinionem acceptam refero doctissimo Rondeletio in sua methodo curādi morbos, capite de gonorrhæa, vbi sic ratiocinatur. *Porrò semen illud, quod reijcitur, non continetur in testibus, aut in vasis deferentibus; sed in illis additamentis, positis sub osse pubis, inter rectum intestinum, & vesicam. In ea enim parte, vt ostendimus in anatome, duo sunt vasa deferentia, quæ à dydimis semen præparatum recipiunt, ipsumque perfitiunt. Cocunt verò in adenibus paraflis, & ab illis pendent duæ vacuæ appendices, quæ semen iam præparatum, & confectum continent, vt tempore coitus in mentulam flatim congregetur, & inde in vuluam eiaculetur. Id facit, vt qui aluo sunt sicciores, sint libidinosiores, & huic morbo magis obnoxij, facitque, vt si tales Venere abstineant, etiam alui excrementa retineant, & difficulter dura reijciant; facit etiam, vt si glandulæ ipsæ, & partes laxentur, exonerenturque aliquantulum, vel cum meditantur excretionem seminis ob mulierem præsentem, cogantur prius aluum exonerare, quàm concumbant.* Hactenus Rondeletius μετὰ λόγου. Verùm Hippocrates, qui nihil iuxtà cum in suis operibus reliquit, in libro de aere, aquis, & locis de Scythis verba faciens, illos in Venerem frigidos, ac segnes esse, ait, ob ventris mollitiem. At contrariorum contraria ratio. Quid si dicamus adhuc, ex aluo stiptica augeri in semine serosam, excrementorum colluuiem, & ex hac in genitalibus ampliorem excitari pruriginem? Nec minus veritati consonum erit ex mea sententia, comprimi ab intestino recto, fæcibus oppleto prostatas glandulosas, necnon parastatas cyrsoides, quas latini varicosos adstites nuncuparunt; & primus inter veteres Herophilus, inter neotericos Rondeletius præfatus obseruarunt, ambas ad vesicæ ceruicem a natura locatas; ex ista verò compressione & partes vellicari, & semen turgere quodammodo, spiritumque conculcatum resilire, vnde postmodum perrennis titillatio, atque concumbendi auiditas exoriantur.

Matricis pruritus, nymphomania, seu furor vterinus.

AFfectus ille, qui matricis dicitur pruritus, nihil est aliud, quàm ardens pudendum scalpendi desiderium, cum ingenti Veneris cupiditate; ideoque satyriasis ab Aetio nuncupatur, de qua plura paulo supra dictauimus. Profectò tantus in hoc morbo libidinis pungit aculeus, vt cogantur mulieres, fracta pudoris lege, viros accersere, ac benè mutonatos eligere, vt fortius in Venerea palestra velitentur. In ciuitate haud multum à Roma distante viuit mulier, quæ huiusmodi periodicè affectu, ruritu, vsque adeò in paroxismo libidine efferatur, vt cogatur absque discrimine virum quemcumque obuium admittere, honestatis, ac gentilitij omni prorsus decore despecto.

Sed pruritu longè adhuc deterior est furor ille vterinus, à Græcis nymphomania dictus; in quo mulieres libidinis asylum, æstrumque atrocius experiuntur; verùm præ pudore fateri non audent. Interim taciturnæ viuunt, & in principio mœrore corripiuntur, Veneris meditantur illecebras, de quibus fortè si fermo incidat, oculi huc illuc agitantur, genæ rubore suffunduntur, pulsus immutantur; donec victa honestate, ac pudore despecto garrulæ euadunt, lasciuæ, procaces, impudentes; quare de virorum congressu, deque voluptate aphrodisia loquuntur solùm, obscœna dicteria, ac propudiosa iactant, virosq; tandem ad illam explendam auiditatem inuitant, sollicitantque effrontes. Satis nimirum Virginum Milesiarum, & Lugdunensium mulierum historiæ conspicuæ sunt; quibus tamen addenda erit mulier illa apud Matthæum de Gradone consilio 80. quæ dum vtero non gestabat, mentis incurrebat tenebrosam perturbationem, membrorumque omnium tremorem. Inde à ventris quodam murmure, ac rugitu tantæ libidinis incendebatur cupidine, vt si vir eius præsto non erat, in insaniam, aliaque turpia symptomata præceps iret.

Congeneus affectus est ille, quem antiqui vteri seruorem nuncuparunt; in quo tamen licet Venereum mixtionem mulieres auidissimè appetant: attamen ob ingentem dolorem, quo afficiuntur in vsu, congressum detrectant.

Podagra.

PVeri, & Eunuchi Hippocratis æuo ante Veneris vsum podagra non laborabant, vt ille in aphorismis testatur. Podagra igitur soboles est intemperatæ libidinis; atq; adeò ab effectu sua

sua est cognoscenda causa; Quin etiam causa ipsa, puta libido effectus ipsius podagræ effici potest; ex illa videlicet humorum calida, & serosa colluuie, quæ ad pedes decumbit (quippe conspicua est pedum, ac genitalium membrorum conspiratio, & sympathia, vt probauimus) nec non, vt sentit Hollerius, ob neruorum frequentiorem rigorem, atque intentionem, & propter decubitum in dorsum, cuius causa ad libidinis regionem humores confluunt. Noui podagricos, qui remissa paululum dolorum acerbitate, adhuc tamen vrgente, in concubitum declinarunt pruriente genio.

Caluitium.

CAluitium quoque, & salitium salacitatem sigillant; verùm de his infra in Physiognomonia Hominis Aphrodisæi.

CAPVT XI.

Petulantis naturæ argumenta ab incessu, moribus, ministerio, voce, & sermone; corporis, & vestimentorum cultu, capillamento; vnguentis, & odoribus, diuitijs, & otio.

Incessus.

QVÆ petulanter nimis, & procaciter incedunt mulieres, quæue dum ambulant, tripudiare videntur, ventremque produc unt, ac propellunt, sunt lasciuæ, & salaces abundè; nam crissare videntur semper. I procul ab his candide adolescens: illaqueaberis inuitò.

Mores.

AVdaces, alacresque tum viri, tum mulieres ad propudia sunt promptiores, quàm segnes, timidique; hinc vates.

Ite procul timidi, procul hinc discedite segnes:
Non nisi magnanimis est Venus apta viris.

Et 2. de arte Ouidius.

Militiæ species amor est, discedite segnes:
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.

Hinc fortè Aristoteles milites omnes mulierosos dixerat, idem namque Mars bellorum est arbiter, & Veneris adulter. Eidem Martiscorpius subijcitur, qui dominatur pudendis. Huc etiam pertinet illud Platonis, qui militum cohortem, vt foret strenua, Amatoribus assimilem esse oportere, dicebat; qua ratione pariter apud Thebanos amatores milites ob eorum strenuitatem, robur, & audaciam sacri nuncupabantur, ut inter alios Rhodiginus refert.

Adhuc seueri homines multò minus, quàm iocosi lasciuiæ sectatores existimantur; sic Ouidius.

Hoc quoque iussit amor, procul hinc, procul este seueri.

Rursus. *Non bene conueniunt, nec vna in sede morantur*
Maiestas, & Amor.

Ministerium.

QVicunque exercitijs, atque artibus quibusdam incalescunt nimium in renum potissimum regione, quæ Veneris est domicilium, in propudia declinant, ac frequentius pruriunt; Quamobrem censuit prima Problem. sectione Philosophus, eos, qui nimium exercentur, nocturnis pollutionibus laborare; cuius euentus illa est ratio, quòd videlicet à motu, diuturnisque laboribus dorsum incalescit, renes seruore dilatantur, ipsumque semen acrius, magisque pruritium efficitur.

Fuit ideo Aristotelis physicum Scomma, textrices mulieres cùm primis libidinosas esse, quòd nimirum alludit Græcanicum illud prouerbium apud Athenæũ ex Rhodigino lib. decimoquarto σικύον τρέχουσα γλύφει τὴν ἡλακάτην ὕφαινε, hoc est: *cucumere vescens mulier lanam texe*; nam cucumer, vt suo loco dicetur, Veneris prolubia facit. Eius verò euentus causam illam esse putarem, quòd nimirum in arte textoria renes perenni quatiuntur motu; vnde calefacti sanguinis prolectant alluuiem, quo mox fomitis excitatur igniculus. His adde, quòd pedum alternatiuo illo motu teruntur, & confricantur pudenda; inde autem feruescere, & prurire eadem contingit spiritibus ab alto aduocatis.

Pari lance saltatrices mulieres petulantiæ addictæ censentur, ob motum illum, ac saltum, quo & lumbi, & genitalia incenduntur; quò fortè collimauit Ecclesiasticus cap. 9. ijs verbis: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Dicas quoque, id moraliter intelligi posse; quòd nimirum in choreis, ac tripudijs pudicitia vulneratur sæpè, inque huiusmodi consortijs, vel castissimis mentibus insidiatur Venus: quocirca Politicus quidam recens hoc sensu exponebat vulgatam illam sententiam: *festina lente* Cape iocum.

Simili modo Psaltrices luxuriosæ audiunt. Huc spectat illud Esaiæ: *Cythara, & lira, & tympanum, & tibia, & Vinum in conuiuijs vestris, & opus Dei non respicitis.* Rufus apud Aetium saltatrices, & cantatrices non purgari ait; hoc si verum est, illas fieri, salaces necesse est; quandoquidem quæ mulieres menstruo sanguine sta-

Digitized by Google

statis temporibus minus diffluunt, calidiores, ac pleniores ad genitalia fiunt, indeque ad lasciuiam proclliuiores. Cæterum fescennina carmina, quis neget, vel sopitam, ac pene extinctam ventilare libidinis flammam? iccirco affabrè Ouidius,

Enerunt animos cythara, cantusque, lyraque.

Et idem inferius 2. de remedio amoris abdicans cantus pathicos.

Carmina quis potuit tutò legisse Tibulli?
Vel tua cuius opus Cynthia sola fuit?

Idem censeas de histrionibus, pyrricharijs, ludijs, atque scenicis mulieribus, quorum lusus Veneris sunt poppysmata.

Vox, & sermo.

MAgna inter vocis organa, & Veneris instrumenta sympathia intercedit, ideoque nihil mirum esse debet, si ex voce proclinitas ad aphrodision aliquatenus deprehendi valeat. Harum autem partium communionem significauit Hippocrates 2. epidem. sect. 5. vbi potissimum legitur. *Vocis gracilitatem soluit vomitus ad finitum, & dextrum testem; absque horum altero fieri non potest, vt soluatur.* Vnde hoc? Exeo nimirum, quòd humor fauces occupans, atque adeò citato aeri liberum intercipiens exitum, facta metastasi, siue potius diadoche ad genitalia decumbit, ipsamque arteriam expeditam relinquit; eo prorsus modo, quo etiam rebellis tussis infernarum partium, ac præsertim testium dolore, vel tumore soluitur: sic idem Hippocrates præfato loco: *Quibus tussis sicca est, his non soluitur, nisi dolor fortis ad coxas, aut ad crura, aut ad testem irruat.* &c. Epidemiorum hæc addit. *Tussiant siccam tussim, qui testes affectos habent; ex tussi vena secta ad testem soluitur sit.* Rursus 2. ipso de morbis popularibus sectione prima scriptum reliquerat: *Neque tusses diuturnæ, quoniam vbi testis intumuit, cessant: & testis tumor à tussi cessat, & alleuiat; quæ ratio commonefacit nos communionis pectorum, mammarumque genitaræ & vocis.* Porrò hanc pectoris, & vocis organorum cum genitalibus communionem pluribus indicijs natura propalat. Sic Aristoteles experientia probante, docet, animalia cum primùm semen recipiunt, & hircire incipiunt, vocem in grauiorem, & asperiorem immutare. Sic nimium affluentibus mensibus in mulieribus cucurbitulas magnas ad mammarum regionem apponere consueuimus; sic mensibus deficientibus lac etiam in Virginibus de mammis fluitat; sic etiam alta voce clamantes prope testes interdum rumpuntur. Quid plura? pleni sunt affinitatis huiusce Hippocratici textus, & harum insuper partium cõspirationem anatomica sectio nobis reuelat. Iam ad rem

A

B

C

D

propositam redeamus.

Vox grauis, magna, & sonora libidinosi corporis est indica; & ratio illa est, quòd vox huiusmodi arteriæ, fauciumque latitudinem testatur; harum verò amplitudo caliditatis excessum, cuius est expandere, & aperire; quod 4. epidemiorum sectione libri 6. Hippocrates ita consignauit: *Quibus plurimum inest calidum, statim sunt magna voce: etenim frigidus aer multus, ex duobus autem magnis, magna & quæ innascuntur fiunt.* quam sententiam doctissimus Vallesius in hypomnemate ex eo confirmat, quòd magna voce præditi voraces esse consueuerint; voracitas enim ex plurimo innato calido, quod plurimo indiget alimento.

Adhuc balbi salacitatis redargui possunt; Vnde hoc? ex eo, quod hi melancholici existunt; melancholici autem, vt supra retulimus libidini inauctorantur. Quòd verò balbi melancholicæ naturæ ascribantur docuit Hippocrates 2. epidemiorum sectione 5. ijs verbis. *Morbos autem habent balbus, aut caluus, aut gracili voce, aut hirsutus fortiter atrabiliarios.*

Vox insuper acuta, ac tenuis lasciuum, & effœminatum obsignat. Phauorinus Philosophus, Ioanne Baptista à Porta referente, tenui, & peracuta voce præditus eius fuit salacissimæ naturæ, ac feruescentis libidinis vel in senio ipso constitutus, vt viri consularis vxorem adulterasse, cum foret eunuchus, vulgo sit creditus. Cæterum qui lasciuè loquuntur, lasciuè agunt; sermo enim est imago animi: & verba cordis desideria pandunt.

Vestimentorum cultus.

MOllis vestimentorum cultus, seu niminm elegans apparatus petulantem animum, lasciuosque mores creditur vt plurimum sigillare. At nihilominus hoc Veneris asotia insimulari perpetuò nequit: sæpè enim sit, vt delicioſæ quædam adolescentulæ corporis ornatum lasciuientem diligant, animum tamen alienum ab omni impuritate ferunt. Huc nimirum pertinet illud Ausonij ad Deliam solo vestimentorum ornatu luxuriantem, in reliquum verò pudicam.

Delia, nos miramur, & est mirabile, quòd tam
Dissimiles estis, tuque, sororque tua
Hæc habita casto, cum non sit casta, videtur;
Tu præter cultum nil meretricis habes:
Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus;
Tectamen & cultus damnat, & actus eam.

Redolet itaque elegans apprimè, & comptus habitus illecebrosam animi cupiditatem, vt apparuit & in Hercule, & in Sardanapalo, quorum effœminati mores, molliculo, ac delicioso etiam designati sunt cultu; & maximè omnium

in mulierum salacissima illa Messalina, quæ totjes à frugi patre ob ornatum petulantissimum seuerè increpata fuit. Huc sanè collimat Hieronymi verè bracteata sententia illa, ac prudens monitum: *fuge lasciuiam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, vtuntur pigmentis, soccos habent crispantes, vt sub nomine virginali vendibilius pereant.*

Profectò cultura huiusmodi viros cùm primis apprimè dedecet, apud quos cuiusti animi index erit, ac mollitiei euidens argumentum. Hinc meritò querebatur Seneca septimo naturalium Quæstionum, suique temporis deplorabat luxuriosam conditionem, qua nimirum ipsi virilitati ferebatur iniuria: aiebat enim. *Adhuc quicquid est boni moris, extinguimus lenitate, & pulitura corporis; mulieres mundicias antecessimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus. Tenero, & molli gressu suspendimus gradum. Non ambulamus, sed incedimus: exornamus anulis digitos, in omni articulo gemma disponitur. Quotidie comminiscimur, per quæ virilitati fiat iniuria: aut traducatur, quia non potest exui.* Vtinam & nostro ævo viri non cernerentur stibiati, berenicati, calamistrati, vndique fœminam redolentes, fusque deque molliciei referentes insignia; vt ideò in illos dici possit: *virum quærunt*; quod a Cinna in Pompeium Magnum eo carmine fuit prolatum.

Fasciolis qui crura tegit, digito caput vno
Scalpit, quid credas, hunc sibi velle virum.

Verùm, vt aiebam, non semper sub impenso ornato, & expolito pallio, aut palla fœda libido latet. Hinc illa Claudia Quinta vestalis, virgo præstantissimæ formæ, cuius exquisito habitu, multisque pleno illecebris, violatæ eius virginitatis publica suspicio circumferebatur, cùm Berecynthiæ simulacrum ab Asia deferretur; de quo prædixerat Oraculum.

Quum veniet casta est accipienda manu.

Cùmque sicco littori adhæsisset, vt nequiret resibus vllo pacto nauis diuelli, in qua vehebatur imago; puella ad pedes procubuit, simulachrum exorans, obtestansque Deam, sic inquit, vt refert Fenestella: *Me, sanctæ Deæ, lasæ virginitatis eam criminantur, testimonium, vti rem indices, quæso: vt si tuo damnata testimonio, Dea, fuerim, admissa morte luam; sin hac labe puram arguerit, tum tu castissimæ castas manus prosequere, obsecro.* Vbi hæc dixit, restè, qua alligata erat nauis manu arrepto, navus puella admodum parum conantis facile tractum prosecuta est hoc pacto in Vrbem. Magnum hunc, & prodigiosum euentum consono metro, vt solet, describit Ouidius 4. Fastorum.

Supplicis alma tua, genetrix fœcunda Deorum,
Accipe sub certa conditione preces.
Castanegor &c. & quæ sequuntur, apud ipsum legenda.

Plenius registratam videre est historiam apud Sillium Italicum libro 17. Belli Punici his fermè carminibus.

Si nostrum nullo violatæ est crimine corpus,
Testis, Diua, veni, & facili me absolue carina.
Tum secura capit funem, fremitusque leonum
Audiri visus subitò, & grauiora per auras
Nulla pulsa manu sonuerunt tympana Diuæ.
Fertur prona ratis, ventos impellere credas,
Contraq; aduersas ducentè præuenit undas.

Nempè pro Claudia faciunt verba illa D. Ioannis Chrysostomi libro de Virginitate: *Vilis quidem stola est: at non vestitu, neque eius colore, sed corpore, & anima virginitas definitur. Nam sine quidem philosophi coma, baculo, aut tunica; sed moribus, & animo metiri solemus; neque militem ex clamyde, aut ex balteo, sed ex robore, & virtute, spectamus; non ne illud perabsurdum sit, virginem adeo mirabilem, ac de humanis rebus longè præstantissimam, squallore capilli, oris mœrore, & pulla veste desimire, ipsius quidem virtutis negligenter, temereque interpretari, neque eius animam, quasi denudatam inspicere, atque habitum, & mores subtiliter inde pernoscere?*

Vnguentum, & Odores.

MOlliciei, ac petulantiæ studium præsignatur etiam vnguentis, & odoribus; nam seueriores viri, & à Veneris oblectamentis exterres his non perfunduntur; solùmque ad mulieres spectare videtur illorum vsus, tanquam lasciuiæ, & fortè etiam ingeniti fœtoris argumentum. Hinc semper apud Priscos petulantiæ crimine suspecti fuerunt omnes, quòt quot myropoliæ studiosi, odoramentis indulgebant. Quare Martialis libro 1. Posthumum quendam ex corporis nimia fragrantia incontinentiæ insimulat.

Hoc mihi suspectum est, quòd olet bene, Posthume, semper;
Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Idem 3. Epigramm. 63. in Cotilum quendam lasciuiæ addictum inuehens, aiebat:

Balsama qui semper, cinnama semper olet.

Ita etiam Iuuenalis satyra 2. mollem quendam; & effœminatum ex balsami odore insimulat. Vespasianus, Suetonio auctore, iuuenem, cui Præfecturæ dignitatem decreuerat; videns odoramentis redolere, nutu aspernatus est, voce etiam grauissimè increpuit, dixitque, *mallem, illum obolo fuisse*; litteraque reuocauit. Prælatum Principis factum, qui dignitates in molles conferre, magnum dedecus existimauit.

Hinc

Hinc D. Hieronymus 2. aduersus Iouinianum aptè dicebat: *Odores, & diuersa thimiamata, & amomum, & muscus, & peregrini muris pelliculæ, quod dissolutis, & amatoribus conueniant, nemo, nisi dissolutus negat.* Quamobrem Diogenes calamistrato cuidam iuueni, & susque deque redolenti dixerat: *Caue, ne capitis odor sit vitæ fœtor.*

Cæterum vnguenta & odores, non modo Veneris argumenta, sed etiam irritamenta sunt; nescio enim, qua latente energia moschi, zibetti, ambari, & similium incundi halitus genium titillant, libidinemque vellicant. Quod nimirum ex antiqua illa consuetudine persuaderi potest, qua nuptiales thalami floribus, & iucundissimo thimiamate diffundi solebant; quò spectat illud Claudiani in epithalamio Palladii, & Celerinæ.

Vt thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Desuper inuertunt calathos, largosque rosarum
Imbres, & violas plenis sparsere pharetris
Colletas Veneris prato, quibus ipse pepercit
Syrius, & teneras clementi sydere fouit:
Gemmatis alij per totum balsama tectum
Effudere cadis, duro qua saucius vngue
Niliacus pingui desudat vulnere cortex.

Id rursus probatur ex eo, quòd pudenda vnguentis illita in Venerea palestra, maiorem acerbum voluptatis dulcorem, si fides est Cypridis militibus. Ideo Nicetas ex vnguentorum vsu mares salaciores euadere, aiebat exemplo Cõmodi Imperatoris, qui cùm grassante aliquando peste vnguentis vsus esset, maioris inde ad libidinem flammas concepit.

Diuitiæ.

QVot quot interlocupletes delicias connutriuntur, sensum libidinis ferueniorem experiuntur; nam.

Diuitijs alitur luxuriosus Amor.

Etenim diuites, qui gulæ magis indulgere possunt, merumque iucundius, & affluentius potare, Veneri satius obstringuntur; siquidem illud indubitatum.

Sine Cerere, & Baccho friget Venus.

At pauperes, qui proprij corporis labore, & sudore quotidianum cibum sibi comparare habent, Veneris incitamenta languida præsentiunt; vt enim vates quidam.

Anxia pauperies Veneris vix vulnera sentit:
Illecebras Genij cura, laborque fugat.

Quare apud Opulentiores indies libido ferueſcere ex dapsili alimento potest; at apud egenos languescere cogitur ex penuria; Inde Ouidius, si memoria constat.

Non habet vnde suum paupertas pascat amorem.

Quod Euripides in Danae melius.

Fugit labores, Argumento mihi est,
Quia nullus mortalium mendicans victum,
amauit;
Sed inter locupletes iuuenis Cupido agit.

Otium.

OTium, ac desidia quàm potenter exacuant libidinis vulnera, paulò infra dictabimus; sufficiat interim Ouidij problema:

Quæritur Æ gyptius, quare sit factus adulter;
In promptu causa est, desidiosus erat.

CAPVT XII.

Præseruidæ, salacisque naturæ Physiognomonici caracteres, breuissima epitome comprehensi.

Caput, & capillitium.

CAPVT, cuius est aurea cesaries, libidinem prænunciat; sic apud Ouidium Helena suo Paridi, molli, flauoque capillitio prædito exprobrat:

Quod bene te iactas, & sortia facta recenses,
Aptaque magis Veneri, quàm sunt tua corpora Marti.
Bella gerant alij, tu, Pari, semper ama.

Recti crines, nigri, & crassi identidem ex Aristotele petulantiam arguunt. Adde crispos; vnde lepidum illud carmen apud Martialem 5. epigramm.

Crispulus iste quis est, vxori semper adhæret,
Qui Mariane tuæ? Crispulus iste quis est?

Qui calui existunt, non dum properante senio, ijdem & salacissimi sunt; siquidem, vt Philosophus 5. de Generatione animalium sentit, ex immoderato rei Venereæ vsu caluitium prouenit. Id patet vel ex eo, quòd eunuchi calui non fiunt, vt 6 Aphorismorum 28. significauit Hippocrates; & hinc scomma illud in Cæsarem Dictatorem; *Romani seruate vxores mœchum caluum adducimus.* Præterea capilli densi circa tempora, & aures, Petro de Abano auctore, calidum hominem, ac libidinosum denotant. His adde, calamistratos iuuenes præferre suæ petulantiæ insignia, maleque semper apud priscos audiisse. Huc spectat Ciceronis illud: *frons calamistri notata vestigijs.* His omnibus caput adde cerebrali succo summè refertum.

Vultus.

EX facie, quæ meritò hominis platea nuncupatur, multò plura desumi possunt Veneris argumenta. Nimirum quemadmodum in emporio referuntur, & promulgantur omnia, quæ in tota ciuitate peraguntur; ita quoque totius microcosmi tumultus, ac seditiones in facie relucent; vt enim in Ecclesiast. capite decimonono legitur: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Vt iure proinde dixerit Princeps humanæ facundiæ Tullius 3. de Oratore: *Omnis motus animi suum quendam à natura habet vultum, & sonum, & gestum*; Et Ouidius in metamorphos.

Heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu!

Quod in Thieste comprobauit Seneca.

Multa, sed trepidus solet
Detegere vultus.

Quamobrem plenus vultus, & crassus ignauum, & voluptatibus deditum virum significat ex Magno Alberto. Rursus quicunque simijs assimilem rictum referunt, salacissimi habeantur; quælibet enim particula, animalis, cui assimilatur, proprietatem indigitat; Ideoque libidinosi omnes penes particulam aliquam referuntur vel ad simiam, vel ad ceruos, vel ad hircos, vel ad sues, vel ad gallum vel ad pardalim, quæ libidinis apud Ægyptios hieroglyphice erant.

Cæterùm murina facies præsertim in mulieribus inexhausta libidinis habet insignia; significauit hoc Martialis eo versiculo.

Nam cùm me murē, tu cùm mea lumina dicis.

Ita namque eruditissimus Politianus in Miscellaneis capite 96 legendum esse, monet ex vetustissimis codicibus; non verò vt in vulgatis.

Nam cùm me vitam, cùm me tua lumina dicis.

Quo sanè loco puella lasciuientem nimis amasium appellat murem; eo quòd salacissimum est illud animalculum vel testimonio Æliani libro 12. de animal. propriet. vbi hæc leguntur ab eodem Politiano regestrata: *ferunt autem, mures salacissimos esse, testemque adducunt Cratinum scilicet in fugitiuis: Age nunc tibi de sereno aduersus mollicsem muris fulgurabo Xenophontis. Sedenim fœminam quoque murem, narrant, ad Venerea esse prærabidam. Rursusque apud Epieratē in Chor. fabula enim hæc Epieratis est Postremò subijt me detestabilis lena deierans per puellam, per Dianam, per Persephaclam esse vitulam, esse virginem, esse puellam indomitam. At illa cauus erat murinus; superiectione eam salacissimam dicere voluit, cùm cauum prorsus murinum vocitauit. Et Philemon: mus albus, cùm quis eam, sed pudet fari.* Hactenus Ælianus.

Frons.

PArua, & angusta frons similitudine quadam frontis vel simiarum, vel suum effrenum ad Venerea impetum indicat.

Supercilia. Palpebræ.

SAlitium, quod est superciliorum nuditas; & glabritium, quod est palpebrarum depilatio, fixam, & vrentem redolent petulantiam. Etenim apud Pierium Valerianum in Hieroglyphicis homo Veneris vsui intemperanter deditus glabris oculis ex toto delineatur. Id autem ab Archisopho sumptum videtur, qui 4. sectione Problematum quærit, cur salaces ij sint; quibus pili palpebrarum desluunt; & rationem illam appingit: *An ob id ipsum, quo etiam calui? sunt enim hæc amborum partes rei eiusdem. quicunque autem ex palpebrarum congenitis ætatis iam prouectæ non crescunt, hi omnes decidunt libidinis vsu immoderato.* & inferiùs. *Reliqua autem vtraque genera eadem illa de causa deficiunt, quòd partes superiores, sanguinis parum obtinentes libido refrigerat. Ita enim efficitur, vt locus hic alimentum concoquere non possit; cùm autem pili alimento caruerint, defluant, necesse est.*

Oculi.

Animi imago, aiebat 3. illo de Oratore Cicero, *vultus est, indices oculi; nā hæc est vna pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationes, & commutationes possit efficere: oculi enim sunt, quorum tum intentione, tum cōiectu, tum hilaritate motū animorum significemus aptè. Nam oculos natura nobis vt equo, & leoni fetas, caudam, aures ad motus animorum declarandos dedit.* & Plinius basilicè illa: *Oculis animus inhabitat, neque alia ex parte maiora animi indicia.* Vt iure eiccirco Senex noster in epidemicis sexto pronunciarit: *Oculi prout validi fuerint, ita & totum corpus.* Quod sanè de animi non minus, quàm de corporis affectionibus intelligēdū erit.

Ita igitur in fœminis glauci oculi, ac maximè pæti, Veneris petulantiam denotant. Venus enim ipsa illecebrosæ magistra libidinis, talibus micabat oculis; inde in fescenninis.

Minerua flauo lumine; Venus pato.

Rubeus oculus excessum pariter salacitatis redarguit; hinc Pierius libro Hieroglyphicorum 33. *Petulantis, & impudentis hominis hieroglyphicum fieri ex oculo subsanguineo.* Quod multò ante ex Horapolline in suis mysterijs significatum fuit, vbi ait, ranam esse petulantiæ, & impudentiæ signum, quia rana in oculis tantùm parum sanguinis obtinet; atque adeò quisquis in oculis ostentat sanguinem, impudentiæ insi-

mu-

mulari potest: Non abre iccirco apud Lucianum de lasciuo, & admodum improbo adolescente dictū fuit, habuisse eum ὑφαμον ὀφθαλμον, ideſt oculum sanguineum.

Rursus oculi magni, ac tremuli in viris Venereæ cupiditatis intemperantiam proclamant, vt placet Alberto Magno. Adhuc parui oculi, alacres, & quasi perpetuò ridentes, lasciuiam testantur. Sicuti etiam oculi, splendidi cum quibusdam circulis, inferiore scilicet viridi, superiori verò nigro ingenitæ salacitatis sunt indices: ita etiam ex Petro de Abano stantes oculi, & subrubentes intensam libidinis flammam præmonstrant.

Aures.

VAlde paruæ auriculæ libidinosos sigillant; sic etiam pilosæ, & rubentes. An fortè, quia ex Hippocrate genituræ melior pars per loca auribus proxima retrò dilabens illis incrementum auferat, & fumida caliditate ruborem, pilosque appingat?

Nasus.

INcauus nasus, & ante frontem rotundus Venereus est: ad gallos namque refertur, vt placet Ioanni Baptistæ Portæ; ideoque nefariæ etiam libidinis argumentum esse potest. Huiusmodi naso Satyri, & Sileni insigniebantur, qui indomitæ libidinis flamma torrebantur. Omnes insuper, quotquot prægrandem obtinent nasum, genitalibus illecebris obnoxij sunt. Legimus, Heliogabalum Imperatorem, omnis generis lasciuiæ studiosum, nasutorum virorum congregasse manipulos, vt secum in turpi certamine arma aphrodisia pertractarent strenuè. Hoc ipsum in fœminis clarius percrebescit; quæcunque enim magno, & oblongo naso præditæ sunt, ad lasciuiam sunt procliues. Rursus qui simum referunt nasum, cuiusmodi in ceruis, & simijs videtur, eadem salacitatis nota inuruntur. Omnis demum, qui porcorum similes gerunt nares, depressas scilicet, & obtusas, suam præmonstrant incontinentiam: porcus enim ex Horapolline, & Pierio immoderatæ libidinis est hieroglyphicum; quocirca Salomon Prouerbiorum 11. *Circulus aureus in naribus Suis, mulier pulchra, & fatua.* Sic ille pulchritudinem auro, lasciuiam porcinis naribus comparat.

Os, & labia.

OS magnum libidinosum redarguit; significat enim voracitatem, ex qua fœminis plurimum congeritur; & quo postmodum pruritus, ac tentigo suboriuntur. Vide Ioannem Ingegnerium. Cæterùm pilosa labra, quæque inferius prominent, luxurioſi propria sunt; sicuti & oscauum, ac veluti insossum ingenitam testatur salacitatem.

Mentum.

QVi citò barbescunt homines, & quorum facies intempestiuè pilis aspergitur, petulantiæ addicantur. Id si fortè in mulieribus accidat, inexplebilem obsignat cupiditatem. Præterea ad nares concauum mentum Veneris portendit illecebras. Ita pariter quod paucipilum est: Rationes probabiles qui cupit, ab Ingegnerio, & alijs multis discere poterit.

Genæ.

GEnarum contractio in hilari vultu Veneris indicat appetitum, quem pariter denotant, Loxo auctore, genæ, hepatico colore infectæ; quæ ideo affectio Satyrorum propria censetur; At verò purpureus in mulieribus genarum color ad lasciuiam propensionem ostendit. Quò pertinet illud Ouidij.

Cùm tibi succurret Veneris lasciuia nostræ;
Purpureas tenero pollice tange genas.

Mammæ.

PAruæ in mulieribus mammillæ potius, quàm protuberantes petulantiæ sunt testes. An quia sanguis dilatans, & spiritus magnificantes in his vberiùs ad genitalia confluunt? Atqui viri, qui tanquam mulieres vbera gestant, extrema fœdantur mollitie; quemadmodum & puellæ, quibus immaturè nimis, & acerbè extuberant vbera. Ratio est conspiratio illa pectoris, & genitalium, quàm supra explicauimus.

Pubes, & Gynæcomistax.

VIri, & mulieres, quibus circa inguina, & pudenda præcociter erumpunt pili, inter libidinosos ascribi debent: significatur enim, plurimum fumosæ caliditatis circa partes illas occupari. Rursus vniuersi corporis pilorum, scaturigo ob intensioris caloris affluentiores suliginesque petulantiam exprimunt. Hinc quarto de generatione animalium Philosophus aiebat. *Pili autem abundantia, & birsutiei copiam indicat excrementi; quamobrem homines pilosi libidinosiores, & feminis copiosiores sunt, quàm læues.* Ouidius, qui Polyphemi libidinis passim testimonia præbet, sic illum hirsutis redimitum pilis describit.

Nec mea, quod duris horrent densissima Setis

Cor-

Corpora, turpe puta, turpis sine frondibus arbor:
Turpis equus, nisi colla iubæ flauentia velent:
Pluma tegit volucres, ouibus sua lana decori est;
Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

Sed quid Gynecomistax? Marcus Antonius Vlmus in libro, quem uterum muliebrem inscripsit, hoc nomine nuncupauit barbulam, seu lanuginem, qua pudendi superius labrum vestitur, & hinc uteri temperaturam, Veneriſque auiditatem coniectari posse, testatur; Auctoris illa sunt verba. *Si Gynæcomistax temporibus eruperit, atque is densior, longior, nigrior, crassior, pro eius tamen natura fœminæ tunc habuerint uterum calidum, atque præsertim ipsos testes; eædem fuerint salaces, marium appetentes, quantum verò ad se ipsas pertinet fœcundæ, atque maximè vt plurimum aptæ ad opus facultatis generatricis præstandum, & in Venere satis vegetæ. Quæ verò fœminarum nullas, aut perexiguas notas, atque momenta ferè inuisibilia Gynæcomistacis obtinuerint, hæ plerumque sunt ad Venerem ignauæ, habentque facultatem sui sexus generatricem minus valentem, vt quantum ad se pertinet, minus sint fœcundæ.* Hactenus Vlmus.

Venter.

ANgustus venter, carnosus, pilosus, prominens ex Palemone salacitatem prædicit.

Lumbi. Medulla spinalis.

LVmbi carnosi, & molles ad quandam acutiem protendentes, lasciuiam arguunt, si Physiognomoniæ credamus, Cæterùm ex Platone in Timæo sementis, ac fomes generationis cùm sit medulla spinalis, ex huius amplitudine, & vbertate generandi auiditas, ingensque libidinis asylus excitabitur; hæc sunt Platonis verba: *Sunt quidem trianguli, primi quidam, & indeflexi, leneq. ad ignis, aeris, aquæ, terræ exactissimã generationem accommodatissimi, e quorum generibus singulis Deus fecernens singulos, & inuicem cõtemperatos permistos, totius generationis mortalium sementem, fomitemque constituit, dum medulla ex his substantiam procrearat; mox paulò infra; Et illam quidem medullæ partem, in quam veluti in agrum quendam diuinum semen iaciundum erat, globosam, & vndique teretem finxit, atque ἐγκέφαλον, ideſt cerebrum iccirco valuit nominari, quia vnoquoque animali deniq; absoluto, vasculũ cerebri capax κεφαλὴν, ideſt caput vocandum erat.* Vtideo non immerito apud Ægyptios quoque, Pierio teste, libro 34. spinæ dorsi pictura concitatam Veneris titillationem repræsentaret; immo etiam & pudenda, Venereæ symplegadis instrumenta, eãdem icone exprimebantur.

Vmbilicus.

GEnerationis virile instrumentum vmbilici proportionem imitari, & referre solet; quamobrem præceptum obstetricibus inculcatur, vt æqua eminentiæ longitudine infantibus, primò in lucem prodeuntibus, vmbilicum præcidant. Id si verum est, aliqua inter has partes intercedere debet communio, sympathia, & collineatio; adeò vt sicuti eminentior vmbilicus longiorem indicabit colem: ita alio modo affectus maiorem, aut minorem veretri aptitudinem, ingenitamque libidinem testetur. Id ipsum confirmare debet, quòd vmbilicus vel in sacris paginis pro libidine sumitur, quò spectat illud Ezechielis de Hierusalem: *Non est præcisus vmbilicus tuus*, hoc est non dum fomes extinctus, & illecebrosum peccatum amputatum; quin etiam D. Hieronymus, vel pro ipsis viri, mulierisque genitalibus vmbilicum accipit. Cæterùm quæ vmbilici figura, quæue dispositio salacitatis iconisma esse valeat, sedula obseruatione perquirendum: Physiognomonici hæc non tradidere.

Genitalia. scrotum. testes.

SIt, precor, castis auribus honos, dum rerum, quæ conscribuntur, ordine postulante, pudendorũ quoq; caracteres exprimimus. Loquatur Ioannes Baptista à Porta, vt meus sit honestior calamus: *Pectenpilis valde densum, & vibratis luxuriosum, & fœcundum: sic raris, gracilibus, & extensis neque luxuriosum, neque fœcundum ostendit. Sic vulua, quæ intus laxa est, insatiabiles in coitu demonstrat, vt in adolescentulis videre est: Inæqualiter iacens libidinosam, & loquacem. Et interstitium inter anum, & vuluam exterius expositum, in coeundo insanas demonstrare, innuit Coniectator.*

Præterea qui varicosi sunt ad scrotum, ob sanguinis affluentiam eò labentis, apprimè salaces reputandi erunt, vt & qui in pene ipso amplissimas nacti sunt venas.

At verò qui tres à natura testes obtinuerint, luxuriæ inauctorentur; perinde ac natura seminis vberiorem succum elaboratura, plura sibi fabricauerit instrumenta, ac promptuari. Bergami familia est Coleonum, e qua Bartholomeus ille Venetorum Dux famigeratus, sic nuncupata, quòd plurimi tres obtineant testes; quare & in stemmate tres nigri testes referuntur. Id ipsum ampliores testes affirmant; quod ô.

de

de historia animalium capite 9. edocuit Aristoteles iis penè verbis: *Testes auium grandiores effici tempore coitus, certùm est. Sed salaciorum conspectiores sunt, vt gallinaceorum, & perdicum; temperatiorum minus.*

Coxæ, genua, crura.

CRassiores coxæ, & genua, quæ intus inflexa videntur, idem admonent salacitatis imperium. Qui verò sunt exilibus tibiis præditi: quine crura neruosa, & hirsuta referunt; nec non digitos copulatos habent, vngueſque rotundos, pari pacto petulantiæ, molliumque illecebrarum mancipia Physiognomonici notant.

At mihi id consilij non est, vt ex omnibus, & singulis corporis particulis lasciuiæ, & Gynecomaniæ caracteres recenseam. Sat, quos retulimus, erunt. Si quis plures adhuc desideret, perlegat Aristotelem, Loxum, Polemonem, Grattarolum, Albertum, Bartholomæum Coclem, Vuimpinam, Petrum de Abano, Michaelem Scotum, Io. Baptistam à Porta, Ingegnerium, & si qui sunt, alios.

Cæterum hæc omnia ita recipienda erunt, vti naturæ propensionum indicia; quas tamen voluntatis arbitrio, & rationis dominio quilibet euincere valeat. Siquidem & Socrates à Zopyro, & Hippocrates à Philemone apprimè salaces ex facie indicati sunt, non sine omnium derisu; quando ambo hi viri integeratæ vitæ, atque illibatæ pudicitiæ erant. Attamen tam Socrates, quàm Hippocrates palam professi sunt, habere se ad Veneris propudia procliuitatem, reapse; philosophiæ tamen studio, rectæque rationis lumine genium infrenasse, & lasciuum fomitem cohibuisse; vt ideo & hic locum habeat illud Ptolomæi: Sapiens dominabitur astris.

CAPVT XIII.

An sint vlla metatapoſcopica salacitatis hominum indicia.

FRONTIS etiam lineamenta naturæ propensiones edicere, non desunt, qui asserant; nec fortè absque ratione aliqua; si cuti enim faciei, aliarumque partium varia delineatio, vt ostendimus, varios obtestatur naturæ motus, genijque procliuitates: ita & frontis caracterismi quidam insignes hominum genialem quempiam instinctum designare valebunt: nulla tamen, vt in reliquis, arbitrio iniuncta vi, aut necessitate, Vt ideo non ab re à Plinio frons diceretur, tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, & seueritatis index. Vt lectoris itaque iucunditati, aut potius auiditati consulatur, lineam vnicam salacitatis, turpisque libidinis indicem apponam; & hæc est prorsus.

CAPVT XIV.

De Neuis petulantiam, & libidinem redolentibus.

IN facie signa quædam emicare solent, quæ vulgo dicuntur neui, qui & ipsi creduntur naturæ procliuitates præsagire; quin etiam existimarunt Astrologi hos punctos quosdam esse caracteres à Planetis in partibus corporis, sub signis, quibus dominantur, exaratos.

Quicquid tamen sit, illud hic sat erit annuisse, quòd nimirum si in naso, vel in oculo neuus aliquis appareat, salacem viri, mulierisne portendet instinctum. Quòd si neuus in mulieris naso obliquè signetur, petulantiam redarguet effrenem; Et hoc probari posse videtur ex quadam perspicua nasi, & genitalium communione harmonica, & sympathia; quandoquidem ferè semper nasus magnitudine, acutie, & longitudine pudendo respondet. Vnde accidit, vt non imprimatur in ipsomet naso neuus, quin etiam in naturalibus idem cudatur; vt placet Hali Arabo, & Melampo Græco. Adde genericè, quòd neuus in pudendo signatus libidinis indigitat culmen; quemadmodum in mulieribus si neuus inter cilia exprimatur, impudicitiæ argumentum erit. Hinc Daretes Phrygius testatur, Helenam huiusmodi caractere fuisse insignitam, alioquin famosissimam; ideoque minus honestè vixisse.

CAPVT XV.

An sint lasciuia chiromantica lineamenta quapiam.

SAT scio, chiromanticam facultatem, vti erroneam iandiu damnatam, & à catholico Ecclesiæ ritu explosam fuisse; solumque superstitiosis, impijsque viris relictam esse. Verum cùm duplex sit chiromantia, altera Astrologica, physica altera; Priori vti falsa, atque illicitæ omissa, de naturali pauca delibabo; hæc namque Physiognomoniæ pars est, quæ per manus lineaturas totius corporis temperiem signat, & ex temperie animi propensiones indagat. Hanc profectò non despexit Aristoteles ipse scientiarum

rum omnium arbiter, vt patet ex 32. libro Problematum decimo, vbi quærit. *Cur homines, qui virgulam suæ palmæ ductam per totam latitudinem habent, vitæ longissimæ esse possunt.* Et alibi ctiam idem huius facultatis meminisse videtur; quam abundè Michael Scotus in suæ Phisiognomonia prosequitur.

Cæterum Astrologicæ chiromantiæ antiquiores nimium addicti fuere; vtinam & modò recentiores aliqui superstitiosi scioli non nimium tribuerent, in quos Iuuenalis inuehens aiebat.

frontemque, manumque
Præbebit vati, crebrum poppysma roganti.

Quam eandem vanam credulitatem vellicat, increpatque Franciscus Vallesius, medicorum eruditissimus. Hanc verò ipsam nostris temporibus profiteri videntur Ægyptiæ illæ mulierculæ, vulgò Cingaræ dictæ, quæ harpagando, sutelisque turbam hominum credulam depilant, emungunt; nilue aliud verè excogitant, quàm technis homunculos aucupari, & mulierculas spe vana decipere; adeò vt verisimile fiat, Cingaras hasce, cùm primùm in lucem oriuntur, Plauti verba illa audire, & excipere: *Papæ clepe, harpaga.* Et quod insuper intolerabilius est, qui huic superstitioso mendacio sunt addicti, vel sacræ paginæ testimonio ipsam commendare nituntur, ac primam auctoritatem ex 13. Exodi exhauriunt, vbi legitur: *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos.* Secundam educunt ex Iob 37. vbi habentur hæc. *Qui in manu omnium hominum signat, vt norint omnes opera sua.* Verùm huic postremæ auctoritati respondente Olympiodorus, & Philippus Presbyter, dicentes, Martino Delrio confirmante, verbis illis temporis ui cistitudinē, de qua sermo erat, significari, serenitate, atque imbribus contemperatam à Deo, vt eius innotesceret fortitudo; siquidem videns homo, tam facilè quacunque tempestate prepediri à proposito, manumque suam, quasi vinculis à Deo constringi, ne ad libitum operetur, cognoscat, se absque diuino auxilio nihil operari posse; ideoque suam profiteatur imbecillitatem. Ad Primam autem auctoritatem sic respondet Martinus Delrio 4. Disquisit. Magic. cap. 3. quæst. 1. *Loquitur enim de solemnitate azimorum: cuius celebrationem vult Hebræis esse signum memoriale liberationis ex Ægypto: Sumit autem metaphoram à more hominum, qui quando volunt alicuius rei recordari, solent digito anulum indere, vel filum alligare: quia cum manum sæpe ante oculos eluemus, fit, vt recordemur eius, quod verebamur, ne obliuisceremur.* Nihil addam ipse vlterius, ne quid vltra crepidam; Theologis relinquantur. Addunt alij, huic pseudoscientiæ fidem saltem adhibendam esse ob rei euentum, & præsagitionis effectum; quandoquidem qui facultatem huiusmodi profitentur, & futuros euentus aperire, & rerum præteritarum historiam retexere creduntur. Refert Iouius in elogijs, Græcum quendam Alexandro Medicen ex manus inspectione fatalem interitum prædixisse; quodque adhuc maiorem habet admirationem, signa percussoris edidisse, futurum fore dicentem ex eius intimis, habitu gracili, buxeo vulticulo, suspensa taciturnitate, atque cæteris insociabilem; quę omnes qualitates in vnum Laurentium Mediceum, qui mox percussor fuit, palam conueniebant. Dixerim nihilominus, si vera narratio est, quando Iouius integeratæ fidei non censetur, opera potius Dęmonis id contigisse, qui sic vanos deludere solet homines; Præterquamquòd aliquando Deus futura viris Principibus per malos refert Prophetas. Quamobrem asseuerandum erit, quòd si in manu delineentur virgulæ, & areolæ, quæ huius, vel illius temperaturæ sint comites, indicesque, fieri posse, vt inde aliqua ad aphrodisiasticas voluptates procliuitas delineetur, perinde ac propensio eadem in alijs quoque corporis particulis exarari potest, ac solet. At in reliquis omnis est Chiromantiæ ableganda fides: & insuper haudquaquam audiendus Cardanus, qui libro illo de varietate scribebat, quòd cum Veneris cingulus transit per Saturni spatium, pessimus describitur homo circa mores, atque intemperanter, obscenèque libidinarius arguitur: mixtio enim Veneris cum Saturno pessima est. Rursus, & illud commentitium apud eundem censendum, quòd soror vitalis in monte pollicis, & ipsa Martem cum vitali miscens, libidinis immoderantiam, atque feruorem significet. Vana quidem hæc, & inania; sicuti certissima illa Prophetę ad Deum: *Sortes meæ in manibus tuis.*

CAPVT VI.

An sint aliquæ libidinosæ complexionis notæ Astrologicæ.

ASTRORVM in sublunarem orbem influxus dubio procul abhegari non potest, quando vel propter lumen, & calorem, vel secretas eorundem influentias varios in elementari regione effectus oriri videmus, & sæpè tales, vt non nisi incorruptibilem, efficacemque syderum naturam, tamquam causam testentur. Quò, ni fallor, illud Aristotelis primo meteorologicorum pertinere arbitror, quòd scilicet mundus hic inferior necessariò supernis lationibus sit continuus; vt omnis eius virtus inde gubernetur; *Vnde enim motus principium omnibus inest, illam causam putandum*

Ve-

Verùm enimuerò Cœlorũ, & syderum energia ad varios hominibus mores inferendos, ac diuersas animi propensiones inculcandas cautè, & religiosè admittenda est. Qui enim putant, sydus aliquod in determinatam quampiam personam diuersarum propensionum semina perpetuò influere, toto aberrant Cœlo. Nam ætheris astra cùm sint agentia vniuersalissima, atque adeò subiectum Orbem vniuersali respiciant oculo, non magis supra determinatum hoc indiuiduum, quàm vniuersam speciem; & non magis supra hanc, quàm totum genus agere eadem, necesse est. Quamobrem affirmare, peculiarem aliquem hominem obtinere, vt Astrologi aiunt, horoscopum quempiam, seu aliud in medio Cœli signum, quod hanc, vel illam genialem inferat inclinationem, sunt meræ nugæ, atque fatua Astrologorum somnia, qui superstitiosæ vanitatis vt plurimum sunt plastes. Nempe ridiculum videri potest, habere aliquem in suis natalibus ascendentem caracterem in Cœlis, qui libidinis æstum, & Veneris influat pruritum, cùm re ipsa in cœlestibus orbibus signa illa Veneris, Iouis, & Mercurij, nequaquam reperiantur: Veteratorum hominum hæc est impostura, qui, vt propriam excusent animi prauitatem, suaque vitia aliena magis reddant, cœlum, & astra criminantur; in quibus iccirco innumeras comminiscuntur ineptias, quarum non minimæ sunt illæ, vtpote cerebro Lunam, linguæ Mercurium, pectori Solem, brachijs Martem, Genitalibus Venerem præsse. Rursus à Marte robur, venustatem à Venere, eloquentiam à Mercurio, facilitatem à Ioue, seueritatem à Saturno, vitalem auram à Sole, humorem à Luna administrari. Adhuc primè ætati præstò esse Lunam, adolescentibus Venerem: Viris Iouem, senibus Saturnum; vel illa; Ioui, seu Veneri sanguinem referri, Martibilem, Lunæ phlegma, Saturno melancholiam, figmenta sunt imaginantis: sicut & illa, Arietem in Zodiaco sibi vendicare caput, Taurum collum, Geminos brachia, Cancrum pectus cum pulmone, ac stomacho, Leonem cor, & hepar, Virginem inferiorem ventriculum, atque intestina, Libram renes, natesq., Scorpionem genitalia, Sagittarium femora cum coxis, Capricornum genua, Aquarium crura, ac tibias, Pisces tandem pedes sub sua ditione recipere, atque imperio regere. Quis profectò mentis compos hæc omnia non irrideat, tanquam deliramenta quædam Mathematicorum, genus hominum, arbitre Tacito libro 17. *infidum petentibus, sperantibus fallax, quod in Ciuitate nostra vetabitur semper, & retinebitur.* Vnus Ennius Astrologorum futelas, & vanitates exprobrauit, cujus illa extant hac de re carmina.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos correctores, non interpretes somnium;
Non enim sunt ij aut arte diuini, aut scientia:
Sed superstitiosi vates, impudentesq. arioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat,
Qui sui quæstus causa fictas fuscitant sententias:
Qui sibi semitas non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt;
De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Inde meritò ex veris Prophetis Hieremias cap. 10. Astrologorum paralogismos detrectans ait. *Iuxta vias gentium nolite discere, & a signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.* Ideo Diuus quoque Augustinus dolosas Astrologorum vanitates pluribus in locis damnat, ac detestatur; nam sermone 6. de Epiphania appellat hanc artem stultitiam sacrilegam, & indoctam doctrinam, ibidemque addit: *Vani homines loquuntur, quod insipienter opinantur;* & ad Ianuarium scribens ajebat: *Mathematicorum deliramenta cum detestatione i ridenda sunt;* quemadmodum derisit, & confudit illa Deus, cùm superbas Babylonias pessum dedit, dixitque ex ore Isaiæ. *Stent, vt salutent te augures Cœli, qui contemplabantur sydera; supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi: ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ.*

Dicamus itaque, omnes hominum inclinationes à proprio cuiusquam temperamento, & partium complexione scaturire: temperamento verò, & complexioni cœlorum astra, & aspectus cooperari posse, quatenus ipsa generationis principia alterare, & immutare valent mediantibus primis, aut etiam occultis qualitatibus; vt ideo mysticè dici possit, habere aliquem Venerem, pro Horoscopo, quoniam videlicet in sua prima conformatione temperaturam Veneri obnoxiam, qualis est calida, & humida in primis, necnon biliosa, & melancholica ex accidenti obtinuit. Ita pariter asserere, illum fore libidinosum, qui in conceptione, vel natiuitate, hoc vel illud signum pro Horoscopo, hunc vel illum Planetam natiuitatis dominum nactus fuerit, nihil profectò aliud sonat, quàm illum ipsum in suæ primordijs conceptionis calidam, & humidam asciuisse naturam, & ex hac polispermiam, quarum vi ad Venereas operationes reddatur procliuis; id quod infra libro septimo enucleatiùs declarabo, vbi signa, & planetas in conceptione

tione ad ipsa referemus temperamenta; Nec in reliquis Genethliaci quoad futuros euentus audiendi erunt; contra quos illud Pindari in Olympiad. postremò recensere lubet (alioquin plena sunt contra Astrologos doctissimorum virorum volumina): *Hominum certè spes multa fursum, alia deorsum, mendacia vana sectantes voluuntur: signum enim nondum quisquam terrestrium certum de re futura nactus est diuinitus; sed futurorum exactæ sunt cognitiones, multaq. hominibus præter opinionem eueniunt in contrarium delectationes. Alij verò molestas cum inciderint in procellas, bonum ingens infortunio breui permutant tempore.*

Verùm enimuerò in eruditorum gratiam, & Coryceorum auiditatem aliqua ex astris iuxta Astrologorum dogmata adiungere, non grauabor. Venus in themate non bono, siue in parum honesto loco posita ad nimiam petulantiã, omnisque generis libidinem inclinat. Id verò multifariam contingere potest: Primò quidem si Venus est in exaltatione Martis: Secundò verò, & adhuc longè magis, si ipsa cum Saturno fuerit, & vnà aspexerint dominum Ascendentis; qua ratione ad pederastiam etiam procliues homines facit: Tertiò si simul existant Saturnus, Venus, & Mercurius, maior adhuc libido inuretur. Quartò omnium maximè salacissimi orientur, si Mars, Venus, & Saturnus conueniant; si præsertim ad quadratum aspectum constituendum proportionentur, vel accedant; aut etiam si in cauda Draconis reperiantur; mirum sanè est, quantum ad nefariam etiam libidinem inclinent. Rursus pro comperto habetur, quòd Horoscopi ad quadratum, vel oppositionem Veneris directio fornicationibus, vel etiam adulterijs indulgentes obsignat ad infamiam vsque.

Illud in calce addendum erat. Pleiadum in exortu quicunque oriuntur, Venereæ fœcunditatis consortes, & illecebrosæ voluptatis assertores reddi. Nempe stellæ huiusmodi Taurum, qui Veneris est domicilium, ac tribunal perficiunt; vt non sit proinde mirum, si illis apparentibus, totius mundi semina suscitentur, terra vndique virescente; atque in primis animalia quæque in genialem symplegadem prolectentur. Nam in primis insecta, quæ cauernis latitabant obscuris diuturno excita sopore, in iuges Veneris complicantur amplexus: Pisces intra gelidas aquas cupidine incenduntur, adeò vt breui temporis curriculo fœcundissima prole salum, & flumina impleant: Volucres nidificando laborant, vt numerosam prolem lasciuiendo disseminent. Cuncta demum animalia terræ, ipsique præcipuè homines amoris asilo inflammantur affatim. Pontanus de ijs, qui sub Pleiadibus in lucem prodeunt, aut concipiuntur sic affabrè concinebat.

Semper amant, & cura nouos excusciat ignes,
Ac domito regnat victrix in corde libido.

Addamus ex Rhodigino libro 15. lectionum antiquarum, cincinnatulos, & comatulos fieri, qui Pleiadibus ipsis orientibus nascuntur ad auras; atqui capillitium huiusmodi molliciei, atque aphroditi studij est argumentum, vt supra monuimus. Quid plura? Taurus ipse libidinis est arbiter, vti Veneris regia, soliúque; ideoq; sub hoc exorti homines Aphroditi inseruiunt.

Hinc amor, hinc fluidum formæ, cytharaque sonantis;
Hinc choreæ, cantusque placent, pexusque capillus. vt Pontanus idem 2. de Stellis.

CAPVT XVII.

De Malthacia, seu virorum mollicie, quam nonnulli hæreditariam affectionem existimant.

MINVS monstruosa libido quæcunque humana censeri potest, dum sexus, & naturæ legem seruat: Atqui dum inuertitur ordo, dumque ὕστερον πρότερον, nil magis est in natura portentosum, nilque adeò stomachosum. Nimirum, quòd fœminæ incubare, & subagere, veluti Tribades; mares verò succumbere, ac prostitui vti Drauci, ac Pathici dicti velint, & concupiscant, tam sacrilegum est, vt meritò ignis supplicio vitium mulctetur. Neque in his naturæ crimen insimulari par est, quemadmodum putarunt aliqui, affectionem istam à femine per traducem contrahi. Verùm tanquam deprauatæ mentis crimen erit duntaxat insimulandum, atque adeò ex Auicennæ dictato non alijs auxilijs curari debet, quàm fustibus, carcere, inedia, alijsue deterioribus flagellis. Vocant passionem hanc Græci μαλθακίαν, de qua Cælius Aurelianus ex professo libro quarto suarum tardarum passionum capite nono egit hoc titulo, ac verbis, quæ registrantur.

De mollibus, siue subactis, quos Græci Malthacos vocant.

MOlles, siue subactos, Græci malthacos vocauerunt, quos quidem esse, nullus facile virorum credit. Non enim hoc humanos ex natura venit in mores, sed pulso pudore, libido etiam indebitas partes obscœnis usibus subiugauit. Cum enim nullus cupiditatis modus, nulla satie-

ta-

tatis spes est, singulis subactorum sufficiuntur
A sua: tametsi noliri corporis loca diuina prouidentia certis destinauit officijs. Tum denique volentes alliciunt vestè, atque gressu, & alijs fœmininis rebus, quæ sunt passionibus corporis aliena, sed potius corruptæ mentis vitia. Nam sæpe tumentes, vel quod est difficile, verentes, quosdam, quibus fortè deferuntur, repente mutari paruo tempore virilitatis quærunt indicia demonstrare, cuius quia modum nesciunt, rursus nimietati sublati plus quoque, quàm virtuti conuenit, faciunt, & maioribus se peccatis inuoluunt. Constat itaque etiam nostro iudicio, hos vera sentire; est enim, vt Soranus ait, malignæ, ac fœdissimæ mentis passio, Nam sicuti fœminæ
B Tribades appellatæ, quòd vtramque Venerem exerceant, mulieribus magis, quam viris miseri festinant, & easdem inuidentia penè virili sectantur; & cum passione fuerint deserta, seu temporaliter releuatæ, ea quærunt alijs obijcere, quæ pati nascuntur; Iuuamine ex voluptate duplici sexu confecta velut frequenti ebrietate corruptæ nouas libidinis formas erumpentes, turpi nutritæ consuetudine, sui sexus gaudent iniurijs, ijsdem comparatione talium animi passione iactari nescuntur. Nam neque vlla curatio corporis depellendæ passionis causa rectè putatur adhibenda, sed potius animus coercendus, qui tanta peccatorum labe vexatur. Nemo enim pruriens corpus fœminando correxit, vel virilis veretri tactu mitigauit, sed communiter querelam, siue dolorem alia ex materia tolerauit. Denique etiam
C à Clodio historia curationis data ascaridarum esse, quos de lumbricis scribentes, vermiculos esse docuimus longaonis in partibus natos. Parmenides libris, quos de natura scripsit, euentu inquit conceptionis molles aliquando, seu subactos homines generari. Cuius, quia Græcum est epigramma, & hoc versibus intimabo; latinos enim, vt potui, simili modo composui, ne linguarum ratio misceretur.

Fœmina, virque simul Veneris cùm germina miscent
Venis informans diuerso ex sanguine virtus
Temperiem seruans bene condita corpora fingit.
D *At si virtutes permixto semine pugnent,*
Nec faciant vnam, permixto in corpore dire,

Nascentem gemino vexabunt semine sexum. Vult enim, seminum præter materias esse virtutes quæ si se ita miscuerint, & eiusdem corporis faciant, vnam congruam sexui generent voluntatem. Si autem permixto semine corporeo virtutes separatæ permanserint, vtriusque Veneris natos appetentia sequatur. Multi præterea sectarum Principes genuinam dicunt esse passionem, & propterea in posteros venire cum semine, non quidem naturam criminantes, quæ sua puritatis metas alijs ex animalibus docet: nam sunt eius spretui à sapientibus nuncupata, sed humanum genus, quod ita semel recepta tenet vitia, vt nulla possit instauratione purgari, nec vllum nouitati liquerit locum, sitque grauior senescentibus culpa mentis, cùm plurimæ genuinæ, seu aduentitiæ passiones corporibus infractis consenescant, vt podagra, epilepsia, furor; & propterea ætate vergente mitiores proculdubio fiant. Omnia etenim vexantia validos effectus dabunt firmitate opposita subiacentium materiarum, quæ cùm in senibus deficit, passio quoque minuitur, vt fortitudo: sola tamen supradicta, quæ subactos, seu molles efficit viros senescenti corpore grauius inualescit, & infanda magis libidine mouet non quidem sine ratione. In alijs enim ætatibus adhuc valido corpore, & naturalia ventris officia celebrante, gemina luxuriæ libido non diuiditur, animorum nunc faciendo, nunc faciendata: in ijs vero, qui senectute defecti virili Veneris officio caruerint, omnis animi libido in contrariam ducitur appetentiam, & propterea fœmina validius Venerem poscit. Hinc denique conijciunt plurimi, etiam pueros hac passione iactari; similiter enim senibus virili indigent officio, quod in illis nondum, & illos deseruit. Hactenus Aurelianus, qui, licet obscuris verbis, molliciei, seu malthaciæ affectionem, eiusque causas omnes tam propria, quàm aliorum sententia refert, exponitque plenè. At verò Aristoteles mollitiei huiusce causam acceptam refert, in genituram, quę ad sedem obcœcatis naturalibus eius meatibus, regurgitat, ibique Venereum excitat pruritum; vide quartam Problematum sectionem; quam sententiam infra lib. 3. Tract. 3. capite 2. regiſtramus; hic autem, licet asscribenda foret, ne bis eadem repetantur, prętereo; poterit lector ipse illa cum his nectere.

CAPVT XVIII.

Quænam inter brutorum genera maiori libidine turgeant, ac primò de animalibus terræ.

Taurus. Elephas.

TAVRI ex Aristotele lib. 6. de histor. animal. cap. 8. libidine efferantur; ibidem legitur: *Taurus tempore coitus tantùm cum fœminis pascitur, cæterosque oppugnat mares.* Rursus eodem hæc. *Vaccæ tauriunt, & libidine adeo incenduntur, vt bubulci eas tenere, aut capere nequeant. Adhæc vaccæ tauris superueniunt, & sequuntur sedulò, & assistunt.* Ex his postremis Philosophi

verbis mihi sensus illius scommatis aperitur, quo mulier impudica, impudensque Vacce nomine vulgo insimulatur, & malè audit; ex eo videlicet, quòd præ libidinis intenso aculeo, tota procax ipsa virum adeat, ac superueniat. Sed illud non prætereundum, Taurum domum Veneris fingi ab Astrologis. Elephanti quoque ad coitum efferantur; quamobrem, vt præfato loco testatur Aristoteles: *Apud Indos ijs nequaquam permitti initum aiunt: libidinis enim rabie agitati, cæsas profternunt malè conditas, pluraque alia incommoda faciunt.*

Equus. Asinus.

EQui tam acriter Veneris cupidine gestiunt, vt coitus tempore incitentur maximè, ac ferociant; inde Aristoteles: *Iam equi equos mordent, sternunt equitem, atque insequuntur.* Cæterum equabus is incandescit pruriginis æstuantis asilus, vt equire inde dicantur turpi nota mulieres, Veneris œstro percitæ. Hæc sunt Philosophi verba. *Equæ itaque equiunt, vnde vocabulum id ab hoc vno animali trahitur maledicto in mulieres libidinosas;* & paulo infra plura quædam addit, ac præcipuè illud, quòd equæ coitus tempore plurimum, ac frequentius mingunt, quod vnde fiat, dignum hic problemate perfunctorio existimo. An quia libidinis flamma feruefacti renes, eorumq; dilatati meatus ichores vberius exugunt? An potius ex copiosi sanguinis eo tempore ad genitales partes cõfluxu generationis gratia? Vtrumque sanè probabile; quare eodem coitus tempore humorem e suis genitalibus genituræ similem ea de causa emittunt, vt relato capite de historia animalium habetur.

Asinus & ipse suę libidinis æstu tempore totus insanit, totus medullis æstuat, alioquin sanguine frigidus; diu noctuque rudit, & si fœmina fiat obuiam, præceps accurrit, vt ineat: clitellas, & onera deijcit, verbera despicit, non fustes, non saxa curat; sed amens, & indolens libidinem explere affectat; vt ideo vel impudentiæ, & procacitatis hieroglyphicum apud Pierium describatur. Hinc Plato in Phædone ex ore Socratis dixerat: *homines, qui fœdis concupiscentijs manus dedissent, ventrique dediti per inertiam, atque lasciuiam inglorium, inutilemque egissent vitam, neque quicquam pensi, pudorisue habuissent, in asinos posti obitum dejci.* Mysterium percipe, lector.

Asinos tandem libidinis tempore insanire, aliqui dixerunt; Atqui licet & ipsi Veneris mucrone agantur; non æque tamen ac tauri, & equi; ideoque inter hæc infimum locum tenere arbitror. Quòd verò geniali tempore insaniant, quid mirum, si & homines cœlestis auræ consortes, diuinig; habitacula spiritus, eandem ob causam amentes fiunt?

Capra, Hircus. Aries.

CApra salacitatis symbolum in Hieroglyphicis erat; hinc Satyri, & Pana capripedes apud ethnicos fingebantur: eandemque ob causam 4. Georgicorum petulci vocitantur; quin etiam Horatius 3. carminum ode 15. lasciuiens scortum capris assimilauit.

Illam cogit amor Nothi
Lasciuæ similem ludere capreæ.

Hunc autem Veneris pruritum, credidierim, in præcalidam ejus, siccamque naturam referri congruè posse; quamobrem febricitare semper capram, scripserunt veteres nonnulli: Aristoteles verò libris de animalium historia capris menstrua concedit, quæ in brutis fœmæ libidinis indica existimantur. Adderem ego, ideo etiam capras apprimè salaces existere; quoniam sale, & nitro magnopere oblectantur; quapropter veteres parietes, & stabula iugiter lambunt, quòd in his nitrum effloresci. Rursus caprillum Genus inter herbas, fruticesque seligit, optatque pro pabulo, quæ salsuginosæ, atque adeo calidiores existant, quales in primis sunt salices, ac cytisus: Inde illud Maronis.

non, me pascente, capella.
Florentem cytisum, & salices carpetis amaras.

Illud quoque immensæ calliditatis in capris cuidens est argumentum, quòd ipsa quæcunque olera lingua earum tanguntur, & ore, vruntur, & arescunt extemplo.

Huc etiam facit, quod ex Machone Pierius Valeriauus libro 10. narrat, Niconem scilicet quandam meretricem eius æui capram fuisse, nuncupatam, quòd Thallum quendam adolescentem mercatorem abligurierit: sic ille.

Nico olim Meretrix fuerat, mox capra vocata,
Est, quòd Amatorem eximium cognomine Thallum
Fortiter assumpsit.

Hirci verò quanta sit ἀνάκρυσις, furorque in Venerem, vel ex eo constare liquidò potest, quòd nimirum septima ipsa die, qua in lucem editus est, Æliano teste, vel septima saltem hebdomada, vt alijs placet, libidini indulgeat; qua profectò, vel taurum eo nomine superat, quoniam is tametsi ad congressum apprimè est alacris: non tamen ante annum, aut etiam bimatum geniali voluptati dat operam. Vt propterea non immeritò, Pierio teste, Ægyptij dum nequam libidinis virum exprimere volebant, hircum exarabant; immò etiam Venus ipsa aliquando, Pausania auctore, hirco residens picta est in extremæ petulantiæ argumentum. Ex eo quoque hircum redolere, siue hircire dicuntur adolescentes, dum coire incipiunt ex Aristotele in problematibus, eo quòd eorum alæ libi-

di-

dinis mephytim tunc exalare incipiant; quo de re etiam hircum sub impurarum mulierum alis latere, dixerunt nonnulli, quò illud Horatij spectat libro Epodon Ode 12.

Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

Quid plura? vel Mathematici nudam mulierem, humero gestantem hircum Virginis in Zodiaco trigesimosecundo gradu apponunt, dicuntque, facinorosæ libidinis futurum fore, quicunque, gradu illo oriente, in lucem prodierit. Vide Pierium citato libro.

Cæterum ipse quoque Aries Venereæ cupiditatis hieroglyphicum erat; ideoque apud Eleos Veneris Simulachrum insidentis ariete colebatur. At illud arietinę libidinis auctarium, ex Aristotele apponam, quòd is Vetularum concubitum affectat magis. Ita quinto de historia animalium capitedecimoquarto legitur: *Arietes primum vetustiores fœminas ineunt, nouellas enim minus persequuntur.* Philosophemur. An quia seniores oues, exuberante humiditate resiccata, Veneri promptiores aptantur? An etiam quòd expertæ aliàs coitum vas genitale aptius, alacriùsque præstant; ideoque Arieti pleniùs satisfaciunt? Quippe libido in vetulis semper acutior vrit, furitque acrior: Quinimmo sunt aniculę in captanda, atque explenda Venere indomitę, & insatiabiles, equè, ac in exercenda effrontes, procacesque. Ita in anus libidinosas Martialis, & Horatius inuehunt passim, & hic Ode potissimum 12. in anum fœdam jactabat:

cùm pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare.

Addamus tandem ex magno naturę symmistą, sexto de historia animalium, tam hircos, quàm arietes efferari, quo tempore sinusiasmon celebrant.

Leo. Pardus. Lynx.

LEonibus *magna libido coitus, & ob hoc maribus ira*, Plinio teste, libro 8. capite 16. At maior fœminas eorum vrit salacitas; quapropter Pardis admiscentur, ideoque Plinius eodem loco, *Odore pardi coitum sentit in adultera leo, totaque vi consurgit in pœnam. Idcirco aut culpa flumine abluitur, aut longius comitatur.*

Pardus eo solo nomine libidinosus censeri debet, quòd Venerem cum aliena specie, leena videlicet, non rarò exercet. Hinc fortassis Paris ille Veneris fautor, & iudex amicus, pardi pelle indutus ab Homero non sine mysterio descriptus fuit.

Lyncis demum versicoloris indomita petulantia mysticè quoque à Marone obsignata fuit, cùm primo Æneidos Veneris sorores lyncea pelle circumuestit; sic ille:

Heus, inquit, iuuenes monstrate mearum,
Vidistis si qua hic errantem fortè sororum
Succinctam pharetra, & maculosa tegmine lyncis.

Simia. Ceruus. Sus.

SImiarum genus procax valde, ac petulcum esse, quotidiana obseruatio ostendit; ideoque vt supra in Physiognomonia docuimus, earum in humana facie lineamenta inuictam arguunt salacitatem. Adde etiam, quòd cum pueris, puellisque lasciuire visuntur simij, earumque coniunctionem exoptare auidius; qua de re enormis extat historia in annalibus Lusitanię apud Castannedam, quam Martinus Delrio secundo Disquisitionum magicarum quæst. 14. his penè verbis recensuit. *Illud superat admirationem aliquorum, quod Castanneda retulit in annalibus Lusitaniæ; mulierem ob quoddam crimen in insulam desertam naui deportatam; cum ibi exposita fuisset, eam simiorum, quibus frequens locus, agmen circumsteti sse fremebundum; superuenisse vnum grandiorem, cui reliqui loco cesserint; ab hoc mulierem blandè manu captam, in antrum ingens abductam, eique cum ipsum, tum cæteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum appositse, & nutu, vt vesteretur, inuitasse: tandem a fera coactam ad stuprum: facinus hoc multis diebus continuatum, adeò vt duos ex fera liberos susceperit. Itamsiram, (quanto mors optabilior) vitæ tasse per annos aliquot: donec Deus misertus nauim eò Lusitanam detulisset; cumque milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exscendissent, abesseque forte fortuna simius; fœminam ad inuisos diu mortales accurrisse, & accidentem ad pedes supplicasse, vti se facinore, & calamitosissima seruitute irent ereptum: assentientibusque, & easum miserantibus illis, eam cum ipsis nauim ascendisse: sed ecce tibi simium superuenientem, inconditis gestibus, & fremitibus coniugem, non coniugem reuocantem. Vt vidit, vela ventis data, concito cursu de liberis vnum matri ostentat; minatur, ni redeat, in mare præcipitaturum; nec segniter fecit, quod minatus. Tum recurrit ad antrum, & eadem velocitate ad litus rediens, ostentat alterum, minatur, & demergit: subsequitur & ipse furens, tamque diu nauim natatu insequitur, donec vndæ natantem vicere. Rem tota Lusitania teste notissimam, & à rege mulierem Vlissiponæ additam ignibus, quorundam precibus vita impetrata lethum cum claustro perpetuo commutasse.* Hactenus Delrio.

Cerui autem immoderatam, atque impetuosam libidinem, vel ex eo coniectari licet, quòd cerua quantumuis Veneris æstro percita, libidineque turgens eius violentiam sustinere nequeat.

queat. Significauit id Aristoteles 6. de histor. animalium cap. 29. vbi hæc habentur: *Cerua plurimum subsidens coit, vt dictum iam est; mauem enim sustinere non potest ob eius contentissimum impetum.* Rursus eiusdem acerrimam, atque indefessam tentiginem, vel ex eo coniectari licet, quòd nequaquam cum vna tantum fœmina, vt ferè solent reliqua cuncta animalia rem peragit; sed cum pluribus eodem penè tempore congreditur; Ita citato loco Zoographus: *Mas non in eadem immoratur, sed mutat, breuique interposito tempore aliam, atque aliam supergreditur. Coitus ab arcturo mense Augusto, & Septembre; Implentur paucis diebus, & ab eodem multæ.* Sed obiter, cur cerui autumnali potius tempore Genio indulgent, cùm reliqua penè omnia verno tempore Veneris exequantur instinctum? Id ex eo contingere existimarim, quòd melancholica est ceruorum natura; melancholici verò autumno maximè tentigine vellicantur, tum quia prætereuntis ætatis calor amplius calefecit; tum quòd inde flatus excitati sunt vberes, à quibus melancholici ad aphrodision proritari solent. Verùm alia quoque sunt, quæ ceruorum impetuosam obsignant libidinem; nempè quòd ipso coitionis tempore grauissimè fœtent, ideoque sponte absconduntur; quodque tunc etiam facie nigrescant, hircorum instar. Audiamus Aristotelem ibidem: *Cùm mares impleuerint fœminas, separantur per se ipsi, & propter libidinis grauedinem quisque solitarius strobos fodit; fœtent vt hirci; facies quoque eorum nigrescit aspergine, vt hircorum; Degunt ita quousque imber accedat, tum pascua repetunt. Hæc ideo ceruo accidunt, quia salax animal suapte natura est.* Hactenus ille.

Sus quoque intemperantiæ hieroglyphicum apud Ægyptios exstitit; vt hinc meritò porci nomine apud Horatium malè audiat Epicurus.

Cùm videre voles Epicurum de grege porcum.

Et quid amabo aliud significarunt mythologi, dum à Circe finxerunt, homines in porcos transmutari solitos, nisi quòd Venereis cupiditatibus addicti suibus natura proximè accedunt? Plotinus iccirco, dum de palingenesia sermonem facit, eorum animas, qui semper in voluptatibus, atque libidinibus vitam traduxere; in porcos reuerti dictauit. Sit corollarium. Rhadamantum apud Claudianum ea pœna libidinosos mulctare, vt intra porcorum viscera condantur.

At qui desidia semper, vinoque grauatus
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,
Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus

Sues tandem vel communi sensu libidinis increpantur, quæ fœminas eousque pungit, vt dicat Aristoteles sexto de historia animalium cap. 18. *Sues fœminæ cùm libidine excitantur, quod subare dicitur, vel homines aggrediuntur.* Apud Aristophanem etiam χοιρος pro muliebri pudendo vsurpatur; vt ea voce, vt arbitror, muliebris libido cifrenis notaretur.

Feles. Lepores.

QVantùm feles libidine ferociant, & Ianuario potissimum mense thyrso, Veneris actæ vagentur, clamitent, furiant, vel domestica obseruatio testari potest. Illud vnum instar omnium esse debet, quòd mares, ni fœminis in Venere præstò sint ocyus, & ad libitum pareant, mordentur, unguibus dilacerantur, dantque atrociorem pœnam, ut alibi ex Philosopho annotatur. Adde mox, quòd ipsius æluri masculi genitura usqueadeò ignita est, vt à fœminæ utero tolerari nequeat; quin adeò uri, & lancinari contingit ab ea, ut quantùuis feminę Veneris furore æstuent, & libidinis amore turgeant, iniri tamen detrectent; dumque recipiunt exardeant magis, & clangore diro obstrepant; id quod vel in vulgatum dicterium abiit: *lasciuire, & clangere*; vt meritò inde apud Aegyptios eluri fœminæ simulacro perditæ libidinis, & salaci simiæ naturæ mulier exprimeretur.

Cæterùm leporis cum fœcunditate salacitas ex eo arguitur, quòd sæpius parit, & plures concipit, & superfœtat etiam; immo fœminæ ipsæ mares interdum superueniunt. Leporinæ petulantiæ monumenta haud præterijt Aristoteles quarto de generatione animalium capite quinto his verbis: *semine etiam abundat, quòd eius hirsutie significatur: copia enim pili exuperat; nam hoc vnum animal pilos & sub pedibus habet, & intra genas: pili autem abundantia, & hirsuties copiam indicat excrementi, quamobrem homines pilosi libidinosiores, & semine copiosiores sunt, quam læues, &c.* Hinc lepus Veneri sacer apud Ethnicos, & apud Ægyptios libidinis hieroglyphicum erat; immo in sacris litteris vt impurus ablegatur. Sunt qui ex timiditate mollitiem eius redarguant; timor enim aut fœminarum, aut mollium virorum passio existimatur.

Lupa. Mures.

PRocacitas meretricia apud Ægyptios, teste Pierio, lupæ simulacro referebatur; etenim prostitutas mulieres antiqui lupas vocitabant, illas maximè, quæ turpioris existerent nequitiæ; vnde illud Ciceronis: *Clodius semper secum scorta, semper lupas ducebat*, Ita quoque apud Iuuenalem Messalina illa, execrandæ libidinis monstrum, Lycisca hoc ipso etymo nuncupatur:

tunc nuda papillis
Constitit auratis nomen mentita Lyciscæ.

At verò muris salacitas vel inde arguitur, quòd ex multorum sententia fœminæ absque mare solo sale implentur. Repertos insuper musculos fœ-

fœmininos intra vterum iam prægnantes, ex Aristotele primo huius operis libro retulimus. Multa etiam in libidinosorum Physiognomonia iucunda simul, & erudita exarauimus, quę murinam petulantiam confirmant. Appendamus adhuc, soricem, præsertim album apud Horum libidinis extitisse hieroglyphicum; nec immeritò, quandoquidem ea est murium inexplebilis cupiditas, vt vna fœmina haudquaquam expleantur, sed multiuoli vagari plurimùm consuescant, quòd bellè apud Plautum Phronesium scortum significauit, dum Dinarcho ajebat.

Sed tamen cogitato, mus pusillus quàm sit sapiens bestia,
Ætatem qui vni cubili nunquam committit suam
Quasi vnum obsideatur, aliunde profugium quærit.

Illud ad calcem ex Æliano libro 12. cap 10. reticendum non erit, mulierem quandam flagitiosæ libidinis ab Epicrate Myonam, hoc est murinam appellatam fuisse.

CAPVT XIX.

De quorundam piscium refractaria salacitate.

Delphinus.

EXISTIMARE posset aliquis, piscium omne genus, quòd in salo viuit, vnde Venus ipsa originē duxit, salacitate refertum esse. Atqui in aquæ elemento tanta non videtur, posse æstuare libido; ideoque problema illud quarto problem. Aristoteles agitauit: *Cur minus in aqua homines concumbere queant.* Cui sic respondet: *An quòd res nulla in aqua liquescere potest, quæ ab igne liquefieri apta est, ceu plumbum, aut cera: semen autem hominis igne planè liquescere videmus: haud enim prius fluere incipit, quàm per attritum recalcat. Pisces tamen sine attritu coire fatendum.*

Scio, non defuisse, qui probare contenderint, pisces prægelidos esse, ijs potissimum rationibus ducti, quòd in frigidissimo viuunt elemento, & quòd sitim essitati pariunt; At nimium hallucinati sunt, non rationibus, sed paralogismis innixi. Nam quòd spectat ad primam, falsissima est hypothesis; siquidem animalia quæque probè, commodèque viuunt in elemento analogo, non autem in contrario; nam simile simili conseruatur; ideoque si re ipsa inueniretur Salamandra, quę in igne degeret, non propterea id fieret, quia frigidissima esset, vt vel ipse Aristoteles videtur annuere libro de historia animalium, vbi tanta donatur frigiditate, vt vel ignem extinguere possit (quod est profectò ridiculum) sed quia calidissima, & siccissima existeret, vnde ab igne tamquam à congeneo seruaretur. Ita prorsus vermes, qui in niue, eodem Philosopho auctore, generantur, quique niue abducti statim pereunt, vtiq; frigidissimi, non calidissimi censendi erunt. Quid multa? orta sua testantur principia: quod ergo in niue gignitur, haud quaquam igneum esse potest, & quod in igne, nequaquam algiosum. Verùm hæc in Isagoge medica pluribus additaui. Quoad verò secundam rationem respondeam, sitim ex piscibus oriri, quia facile putrescunt, atque ęgrè coquuntur.

Neque ex maxima fœcunditate colligat quis piscium extremam libidinem: sunt etenim plurima ex animalibus fœcunda, quę tamen Venere nequaquā æstuant; Preterquam quod fœcunditas illa in piscibus imbecillitatem, atque naturę imperfectionem redarguit; cùm enim prouida natura videret, breui pisces interituros, eorum consulens cōseruationi effecit, vt breuissima coniunctione, ac simplici quasi contactu sobolem, eamque numerosam propagarent, quemadmodum in primo libro ex Aristotele significauimus.

Delphinus inter cętera cuncta est ad Venerea promptior, suamque salacitatem resimo naso testatur; huius namque figura nasi vel in Socrate libidinis notam inussit. Addam ego, iccirco petulantem existere, quia gibberosus est. Vide Pierium, apud quem ceu petulantię hieroglyphicum exaratur. Cęterùm libidinosus delphinus ex eo reputari debet, quòd celeriter coit: quòd animal non ouum gignat; & quod amore vel in pueros ardeat, affectusque alios lasciuię promat, ut libro 9. de histor. animal. cap. 48. Zoologus noster testatur. Porro amoris in pueros historię plurimę leguntur apud Plinium lib. 9. cap. 8. ubi hęc prorsus habentur: *Pigeret referre, ni res Mœcenatis, & Fabiani, & Flauij Alfij, multorumque esset litteris mandata; quocunque die tempore inclamatus à puero* (de delphino verba facit) *quamuis occultus, atque abditus ex imo aduolabat, pastusque e manu prębebat ascensuro dorsum, pinna aculeos velut vagina condens: receptumque Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, simili modo reuehens pluribus annis, donec, morbo extincto puero, subinde ad consuetum locū ventitans trifti, & mœrenti simili, ipse quoq; (quod nemo dubitaret) desiderio expirauit.*

Mugilis. Crocodilus.

MVgilum libidinem ita Plinius prefato libro cap. 17. exarauit: *ijsdem tamen tanta salacitas, vt in Phœnice, & Narbonensi prouincia coitus tempore e viuarijs marem linea longinqua per*

per os ad branchias religata emissum in mare, eademque linea retractum fœminæ sequantur ad litus, rursusque fœminam mares partus tempore

Cæterum Crocodilus (tametsi piscis ipse nō est, inter illos tamen recensere lubet, eo quòd in fluminibus degit) quamuis ab Ægyptijs adoraretur, salacitatis tamen hieroglyphicum apud illos erat; hinc Pierius libro 29. *Erat & salacitatis indicium, vt ipsi dicunt Ægyptij; propterea quòd abundanti fœturâ prolifici sunt crocodili, libidinisque vsque adeò contagiosæ, vt e dextera eorum maxilla dentes lacerto dextero alligati nequitiam credantur stimulare.* Verùm enimuerò crocodilus, qui libidinosus audit, sit ne terrestris, an aquatilis, qui scincus appellatur, dubitari potest; verisimile tamen est, potius esse scincum, qui omnium voto Veneri valde propitiatur: vnde Dioscorides libro 2. *Aiunt carnes, quæ renes amplectantur, id sibi virium vendicasse, vt si drachmæ pondere bibantur, Venerem accendant,* & hoc pluribus comprobat Plinius lib. 28. cap. 8. Verùm de scincorum virtute ad aphrodisia nos infrà.

Muræna.

SVrgat præterea salsuginosis ab vndis omnium impurissima muræna, inque hoc libidinis theatrum suam producat enormem petulantiam, promulget intemperantiam; nam serpentibus, maximèque viperis, sibilo ad littora adnocātibus, Archelao, & Nicandro probantibus, commiscetur. Inde Plinius libro 32. cap. 2. sic, *Licinius Macer murænas tantùm fœminini sexus esse, tradit, & concipere e serpentibus, vt diximus; ob id sibilo à piscatoribus tamquam serpentibus euocari, & capi.* Ideoque non immeritò apud Memphiticos muræna tamquam alienigenarum procus exprimebatur. Sed referenda hic opportunè Rhodigini verba libro 6. cap. 13. *Vipera nequissimum genus bestiæ, ac super omne, quod serpentini generis est astutius, coeundi incentiuis exæstuans, murænæ prægnitam sibi copulam requirit, vel nouam infrunt, progressaque ad litus sibilo præsentiam testatur, & ad complexum illam prolicit coniugalem: quæ illecta non deest, ac venenatæ serpenti expetitos vsus suæ impertit coniunctionis. Quin vbi aduentare comparem sensérit vipera, venenum euomere narratur, marito sic reuerentiam quodam modo exhibens, ac nuptialem reuerita gratiam, quod tamen concubitu peracto reforbeat mox.* Quibus sanè verbis denotat, murænam maris officio fungi, non autem fœminæ; quod si est, falsa erit Licinij Macri assertio, quòd fœminei tantùm sexus sit muræna. Verùm apud Aristotelem 5. de histor. animal. cap. 10. fœmina, & mas muræna describi videtur, atque is murus appellatur; & in hoc à fœmina distinguitur, quòd cùm muræna varia sit, & infirmior, murus vnicolor, & robustus; tametsi ex verbis eius colligi posse videtur, quòd specie diuersus sit murus à muræna. Quicquid sit de sexu, salacissima censeri muræna debet; quod vel ex eo probatur, quòd omnibus anni temporibus, Zoologo teste, parit. Alioquin non me præterit, Andream Physicum in suis in Nicandrum glossematibus negare, murænas in continentem prodire, & viperis per littora commisceri.

Pinnæ. Alphistæ.

PIerius libro 28. hæc de pinna scripta reliquit: *Eumverò, qui ab ineunte ætate cœperit in petulantiam lasciuire, & munera Veneris exercere, per pinnam, fœtus ostentantem suos intelligebant: conchulæ enim huiusmodi in concha genitæ antequam excludantur, inter se quàm primum coire dicuntur; vt non immeritò concha ipsa sit Veneri dedicata, atque eam ex concha genitam, veterès fabulantur;* & hinc fortè multis persuasum est, conchas in mensis vsurpatas Veneris lacertum efficere.

Pisces tandem lutei coloris reperiuntur, qui ἀλφησταὶ Græcis dicuntur, quibus vna est spina, semperque ferè bini capiuntur; eo quòd alter alterius adhæreat caudæ, perpetuamque exerceant Venerem; vnde ab Apollodoro Alphistarum nomine libidinosi, ipsamque in Venerem, putres notantur.

CAPVT XX.

De auium quarundam indomita, ac multiuaga luxuria.

Perdix. Coturnix.

AVIBVS omnibus natura inest libidinosus instinctus, quippe caliditate, & humiditate veluti homines insigniuntur affatim. Hinc quarto Problematum 31. Aristoteles id ipsum in quæstionem attulit, & rationes satis validas adduxit: ita ergo ille. *Cur aues, & pilosi homines libidine vehementer aguntur? Vtrum quòd multum humoris continent? An non ea ratio est, fœmina enim quæ humida est, pilis vacat, sed potius quòd genus illud vtrumque naturæ multi humoris concoquens propter caloris copiam est? Indicio pilus est, atque penna. An quòd & multum ineft humoris, & id à calore superatur; neque enim simultum non esset humoris, neque si non à calore vinceretur, pennæ auibus, pili hominibus possent vnquam oriri. Semen autem vel loci, ac temporis portione, vel ratione creari plurimum potest,*

Digitized by Google

vt

vt in aere, & in vere; nam eius natura calida, & humida est. Fit etiam ratione communi, vt aues, & claudi homines salaces nimirum sint; alimentum enim vtriusque siorsum quidem exiguum profluit propter vitium cruris, in sublime verò affatim effertur, atque in semen conuertitur. Hæc ille. Videlector, si placet & Iulium Guastauinum, & Ludouicum Septalium, qui & meliorem paraphrasim, quam Theodori vulgatam adducunt, & locupleremexpositionem appingunt, Sed ad indiuidua descendamus. Aristoteles 1. de historia animalium capite primo animalium uarias delineans differentias ait: *Item aliæ copia libidinis gaudent, vt perdicum genus, & gallinaceorum*: & quod ad perdices attinet. Portentosę, ac simul netarię libidinis hominem, qui neq; consanguineis parcat, Ægyptij sacerdotes figura duarú perdicum exprimere cõsueuerunt; ex his enim fœmine marito orbate se se inuicè abutuntur; mares autem, teste Aristotele de histor. animalium, & nos alibi retulimus, inter se tumultuant, clamitant, pugnamque de coitu conserunt, quos cœlibes uocant; qui autem uictus in pugna fuerit sequitur uictoris Venerem, & hoc uictorię premium, ut rursus à uictore polluatur. Quid plura? Teste eodem Aristotele sexto de historia animalium capite 8. pulli etiam ipsi subiungantur à mare statim cùm procedunt ex ouis, quæ à maribus ipsis fouentur; siquidem vt Zoographus idem eodem loco testatur: *perdices bina ouorum receptacula faciunt, in altero fœmina incubat, in altero mas, excluditque sua vterque, & educat.* Quod nimirum, si verum est, monstruosa, detestanda, & execranda vbiq; reputanda erit perdicis nequitia.

Perdici coturnix accedit proximè libidinis palma, facilèque iccirco aucupio capitur; quia Veneris erethismo proritatur; quin ab ipsis venatoribus visuntur mares, dum ad simulatum fœminæ sibilum accurrunt, gestantes in genitali virga spermaticum succum undique turgentem.

Passer. Accipiter.

Passerem στρουθὸν, ideſt subfulnum Ægyptij, teste Pierio, pro illecębrosi, & intemperantis hominis hieroglyphico pingebant; nec sanè immeritò, quando auicula ista tanta turget salacitate; vt septies horæ vnius spatio fœminam saliat, semperque genitura effluat. Hinc Mythologi, Veneris currum à passeribus duci, mysticè dicitarunt. Inde quoque Syrenum, quæ petulantissimæ existimabantur, effigies talis erat, vt à medietate sursum passerem referret. Quamobrem contagiosæ huiusce libidinis vim iatrophysici odorati, ad genium proritandum, fœnesque ad Venerem suleiendos, passeres, eorumque præscribunt ouа. Sed salacissima isthæc auis suæ libidinis fugacem voluptatem vitę brevitate rependit; sicut & quotquot homines his illecębrarum studijs vacant impensiùs, vitali spatio plurimùm detrahunt.

De Accipitre illud vnum dixisse instar omnium erit, quòd si trigesies vna die à mare requiratur ad initum, semper obsequitur, & substratur; ideoque hæc vna inter volucrium fœminas nec lassari, nec satiari videtur.

Tinnunculus. Columbæ.

Est quoque auis, quam cenchridem, vel Tinnunculum appellant, fœcunditate, atque adeo libidine omnibus alijs rapacibus, & vncunguibus præcellens. quare 6. de hist. animal cap. 1. scripserat Arist.: *Omnes, quibus vngues adunci, parcius generant, excepto Tinnunculo, qui plurima in adunco genere parit. Iam enim quatuor eius reperti sunt pulli, sed plures etiam posse procreari, apertum est.* Verùm Aelianus Tinnunculi petulantem naturam describit plenius 2. de animal cap. 43. his penè verbis. *In fœminas amore inflammatur, moreque hominum amatoria leuitate flagrantium semper sectando eas in oculis fert; Si quò clàm fœmina abscesserit, ex eo maximum capit dolorem, & clangorem fundens vastum exclamat, vtque homines vehementer amantes ex amore vexantur, proinde amatorijs molestijs affligitur.* At verò columbas Veneri sacras dicebant fabulatores Græci; non ab re quidem, quando fœcundissimæ cùm sint, amatorias illecębras assidua cura prosequuntur; maximèque ante congressum, osculis oblectantur. Hinc illud Mecœnatis: *columbatim labrijs inferens labra.* Porrò columbæ tripudium quoddam irrequietum in Venereæ expeditione efficiunt, argumentum exurentis intimè pruritus, & vellicantis genituræ præsagium. Murmur verò illud, quo auribus obstrepunt, est veluti æstuantis pectoris, & conceptæ cupidinis proclamatio; aut etiam poppysmata, vocisque blandimenta, quibus præludi solet Venus. Quò nimirum Galieni Imperatoris apud Claudianum, si fallor, in nepotum epithalamio carmina illa spectarunt,

Ite, ait, ò pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ;
Brachia non hæderæ, non vincant oscula conchæ.

Illud quoque addam (esto appendix) tantam esse columbarum libidinem, vt si mas desit, fœminæ maris officio fungantur; quod naturæ protomysta sexto de historia animalium capite 2. his verbis edisserit, *Igitur hic ritus columbarum proprius est, atque etiam ille, vt fœminæ saliant, ac supergressu mutuo agant si mas non sit, & cum osculo vt mares; & quam-*

uis nihil altera emittat in alteram, tamen plura sic ova, quàm ex maris coitu, pariunt. Sic igitur inter volucres etiam tribades reperiuntur.

Vpupa, Aquila.

VPupa tropus est libidinis; ideoque Tyndarus apud Plautum in Captiuis illam pro meretrice annotauit ijs verbis: *Itidem huc mihi aduenienti vpupa, quæ me delectet, data est.* Diuus quoque Hieronymus aduersus Iouinian. eadem vsus est tropologia. *Et quia opulentus es paterfamilias, in auiarijs tuis non turtures, sed vpupa nutriuntur, quæ fœtida voluptatis lustra circumuolent.* Sed vnde tanta in vpupa mollities, & asotia? An quia cristata est? An quod vbique fœda in fimo diuersatur, & in stercore nidificat? Certius ex eo, quòd vuis vescitur immodicè, indèque ebria redditur frequenter; adeò vt ebrietatis medelam naturali instinctu Capillum Veneris quæsitum adhibeat.

At vbi Iouis reliquimus alitem? Huic primus debebatur locus; sed licet postrema in serie, præminebit in vitio. Porrò tanta est Aquilæ nequitia, vt nunquam subigi recuset; nam, vt aiunt, terdecies in die compressa, vbi surrexerit, si mas iterum reuocet, denuò accurrit promptiùs: quo mysterio ab Aegyptijs Solidicata fuit; quoniam quemadmodum Sol apud illos triginta dierum spatio gyrum absoluebat, ita terdenum numerum Aquila coeundo complerat. Adultera est etiam Aquila tam mas, quàm fœmina: fœmina quidem, quoniam Accipitris patitur congressum; tamersi inde concepta ouadedignetur incubare: mas verò cum Lupa interdum miscetur, quæ inde grauida facta vsque adeò vtero intumescit, vt disrumpatur; necnon edere inde scribitur draconem, qui rostro, & alis aquilæ referat speciem, pede Lupum, caudaque Serpentem. Adde symbolum. Memphitici Martis cum Cytherea congressum, & adulterium exarare volentes, duas Aquilas sibi ex aduerso sedentes, marem vnam, fœminam alteram delineabant.

A runt, quorum gratia orbi conspicui magis fuere. Namque dignitatis lumen, atque nobilitatis decus in causa est, vt hominum facta signentur acriùs: ignari etenim vulgi, vilisque plebiculæ si quispiam flagitiosè oberrauerit; haud ita percrebescit facinus, non omniù versatur in ore; quâdoquidem vulgares homines obscuri iacent. Atqui optimates, illustres genere, & gradu celebres, omnibus noti, vel in minimis apud omnes insimulantur, habentque semper, qui inconniuibus oculis eorum facta animaduertant, vt proinde iure dixerit Plinius in Panegyrico. *Vita Principis censura est, eaque perpetua.*

Hinc Iuuenalis Satyra 8.

Omne animi vitium, tanto conspectius in se.
Crimen habet, quanto maior qui peccat, habetur.

B Id quod Galenus in exortat. ad bonas artes ijs confirmat verbis. *At quos decus, & claritudo generis non finit latere, quid aliud fructus ferunt ex illa nobilitate, nisi vt illorum infelicitas sit illustrior, & Ouidius ad Liuiam concinit.*

Non eadem vulgusque decent, & lumina rerum,
Est quod præcipuum debeat ista Domus.
Ad te oculos, aureique trahis, tua facta notamus,
Nec vox missa potest Principis ore tegi.

His subscribit etiam Claudianus. Quamobrem summorum virorum in primis, mulierumque æstuantes libidines obsignabimus, atque à Iulio Cæsare primo Romanorum Imperatore initium faciemus, inde ad alios Cæsares progredientes mox nonnullos recensebimus, qui vel ante ipsos, vel post generis huius acolasticæ voluptati fuerunt addicti, seu potius mancipati; nullo ordine, vel tempore seruato.

C

Iulius Cæsar.

NIcomedis contubernium Iulij Cæsaris pudicitiæ famam læsit in primis graui, peremnique opprobrio, cuius deterioris adhuc libidinis testimonium præbent Calui Licinij versus

D *Bithynia quicquid, & pædicator Cæsaris*
Vnquam habuit.

In Gallico triumpho milites prosequentes inter alias ludicras cantilenas illam etiam occinebant.

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem,
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Vide Suetonium Tranquillum, hæc plenius referentem in vita Iulij Cæsaris capite 49. Idem Suetonius capite 50. *Pronum*, inquit, *& sum-*

CAPVT XXI.

Qui viri, quæue mulieres, vel maximè, vel obscenæ fuerint libidinis.

NON profectò mihi id consilij est, vt omnes quot quot fuerunt in Venerem putres ex historijs hic recenseam, sed paucos dumtaxat, qui peculiares vel ex fortunis, vel ex dignitatis gradu extite-

Digitized by Google

pluo-

pluósum in libidines fuisse, constans opinio est, plurimasq; illustres fœminas corrupisse. Neque prouincialibus matrimonijs abstinuisse, diuitichon indicat à militibus iactatum per Gallicum triumphum.

Vrbani seruate vxores, mœchum caluum adducimus.

Dilexit Reginas etiam, inter quas Eunoen Mauram, Bogudis vxorem, sed maximè omnium Cleopatram, cum qua sæpè conuiuia in primam lucem protraxit, vt iure posset dictitari de eo adagium illud, Συβαριτικὴ τράπεζα; ideſt Sybaritica mensa. Postremò iuuat apponere illud, quòd Tranquillus his verbis subiungit. *Ac, ne cui dubium omnino sit, & impudicitia eum, & adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellat.*

Octauius Augustus.

OCtauius Augustus etiam, licet omni virtutum genere præditus, hoc eodem libidinis vitio conspurcatus est; vt proinde Sextus Pompeius eum, vt effœminatum infectatus sit: & in eum aliquando versum hunc pronunciatum, aiunt.

Vides ne, vt cinædus orbem digito temperat?

Rursus adulteria recenser Suetonius: Huius insuper Sybaritica illa cœna celebratur, quę vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua Deorum, Dearumque habitu discubuisse conuiuas, & ipsum pro Apolline consedisse, versus testantur.

Cùm primum illorum conduxit mensa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, sexque Deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum noua Diuorum cœnat adulteria,
Omnia se á terris tunc numina declinarunt,
Fugit & auratos Iuppiter ipse thronos.

Tiberius Cæsar.

SEd Octauium sicuti virtute superiorem habuit Tiberius, ita hic vitijs omnibus, & libidine in primis antecelluit, cui, vt plenius pareret, cæterisque vitijs liberiùs obtemperaret, Vrbe discessit, quò tot effugeret oculorum obseruationes.

Cæterùm inquit Suetonius, *secreti licentiam nactus, & quasi Ciuitatis oculis remotus, cuncta simul vitia, malè diu dissimulata tandem profudit. Sexto Claudio libidinoso, ac prodigo seni, olim ab Augusto ignominia notato, & á se ante paucos dies apud Senatum increpito, cœnam ea lege condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret, vtque nudis puellis minístrantibus cœnaretur. Capreensi secessu sellariam etiam excogitauit sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum, & exoletorum greges, monstruosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi inuicem incestarent se coram ipso, vt aspectu deficientes libidines excitarent.* Insuper quoniam locos Venereos passim in syluis, ac nemoribus commentus erat, in quibus exoleti, & puellæ, panisci orum, & Nympharum habitu lasciuiebant, eos locos Insulas abutentes appellabant. Plura vtique referre pudet, cùm nimium castis auribus auersentur. Hic ergo βάραλος turpissimus procul absit, ne has chartas vlterius conspurcet, aut miasmate inquinet.

Cæsar Caligula, & Claudius Cæsar.

PRosiliat in scenam turpitudinis perditus hic ἰκτὶλος βακχίλω, suosq. incestus, & omnibus modis execrandas libidines aperiat. Etenim cum omnibus suis sororibus stupri consuetudinem fecit: quid magis nefarium? si proprio sanguine non abstinuit, si sororibus non pepercit, quid fecisse, putandum est, erga Vrbis matronas illustres, pulcherrimasque alias Romanorum mulieres? Inter omnes Amasias Drusillam adamauit ardentissimè, adeo vt ea extincta doloro sissimè affectus sit, Vrbeque præ dolore profugerit per Campaniam, Syracusasque petierit, indeque properè redierit capillo, & barba promissis; indicium curæ ingentis, & grauissimæ; adeo vt postmodum non nisi per nomen Drusillæ deierare valeret & in concione, & apud milites. Sed & qui in huius locum suffectus est Claudius Cæsar fuit libidinis in fœminas profusissimæ; marium omnino expers fuit. Silebo Liuiam, Horestillam, Lolliam, Paulinam, & Cæsoniam, quam nudam amicis interdum ostentabat: Videlicet ni stomacharis, Tranquillum. Absorbeat interim enormitatem obliuio.

Nero Claudius Cæsar.

NOn fine rubore, & fronte, vt aiunt, refricato, Neronis vndique detestandas libidines recensere calamus potest, quando matris concubitu, proh nefas! minus abstinuit. Puerum Sporum, exectis testibus, etiam in mulierum naturam transfigurare conatus est; eum dote, & flammeo per solemne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro vxore habuit: ex quo palam Romæ dicterium proferebatur. Bene scilicet agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem.

Digitized by Google

Quoties lectica vehebatur, cum matre incestè libidinari consueverat; Hem! quid legi, & naturæ aduersum magis? Iure hic exclamet Seneca, quod in Phœdram, Hyppoliti eius priuigni incensam libidine obstrepit.

Compesce amoris impij flammas, precor,
Nefasque, quod non vlla tellus barbara
Commisit vnquam, non vagus campis Geta,
Nec inhospitalis Taurus, aut sparsus Scythes.

Infandum hoc libidinis monstrum, & Αὐδος ἐν μετωμβολία, ideſt, *Lydus in meridie*, vt in impuros maledicto fertur, ſicut ipſe omni laſciuiæ turpis inquinamento pollutus erat; ita perſuaſiſſimum habebat, referēte Suetonio, neminem hominum pudicum, aut vlla corporis parte purum eſſe; uerūm pleroſque diſſimulare vitium, & calliditate obtegere; ideoque profeſſis apud ſe obſcœnitatem, cætera quoque conceſſiſſe delicta; vt veriſſimum proinde ſit illud vulgo iactatum adagium, & ab Ariſtotele 2. Rhetoricorum relatum. *Quæ quis ipſe facit, hæc dicitur vicinis nō vertere vitio.* Tandem cum Auſonio dicam.

Diſce ex Tranquillo, quæ meminiſſe piget.

Infandæ igitur huius beſtiæ libidinis illud erit auctarium ex ipſo Suetonio, illa turpitudo extrema, qua viros, fœminasque ad ſtipitem deligatos ipſe feræ pelle contectus emiſſus e cauea medios inuadebat.

Sergius Galba, & Otho Syluius.

ET ipſe Galba, licet ſenex, extitit in Venerem putris; namque, auctore Tranquillo, pronior in mares fuit. At fortè ſenecta impotens à turpiori, & profuſa magis libidine auocauit eundem. Otho Syluius verò ea fuit libidinis obſcœnitate munitus, vt ſatis ſit edicere, fuiſſe illum Sodalem Neronis, & magis intimum in familiaritate; hinc Suetonius aiebat: *per hanc inſinuatus Neroni; facilè ſummum inter amicos locum tenuit congruentia morum, vt verò quidam tradunt & conſuetudine mutui ſtupri.* Particeps idem fuit amoris Poppeæ Sabinæ, Neronis amicæ, quam abductam marito, demandatamque interim ſibi nuptiarum ſpeciē recepit. Nec corripuiſſe contentus, adeo dilexit, vt ne riualem quidem Neronem æquo tulerit animo. Demum diducto matrimonio ſepoſitus eſt per cauſam legationis in Luſitaniam, quod hoc diſtícho dictitabatur.

Cur Otho mentito ſit, quæritis, exul honore? i.
Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ. Vide 1. hiſtoriarum Tacitum.

Cæterum huius Imperatoris mollicies, vel inde inſimulabatur, quod ſemper ſpeculum præ manibus haberet, etiam dum ardua vrgerent negotia, cùm bellica reſonarent tympana, armorumque ſtrepitus horrificè fremeret. Hinc meritò ſubſannat illum 2. Satyra Iuuenalis.

Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis
Actoris aurunci ſpolium, quo ſe ille videbat
Armatum, cùm iam tolli vexilla iuberet:
Res memoranda nouis annalibus, atque recenti
Hiſtoria, ſpeculum ciuilis ſarcina belli.

Aulus Vitellius, Veſpaſianus, & alij.

DE Vitellio dixiſſe ſatis erit, puericiam, primamque adoleſcentiam Capreis egiſſe inter Tiberiana ſcorta, ipſumque perpetuò Spintriæ cognomine notatum, exiſtimatumque corporis gratia initium, & cauſam incrementorum patri fuiſſe. His addamus, eundem Neroni acceptiſſimum fuiſſe; ex quo ſatis perſpicuè deducitur obſcœnitatum conſortium. Paulò honeſtior Veſpaſianus creditus eſt, quando obſcœnæ, & proſtitutæ libidinis haud fuiſſe, ſcribitur. At etiam hic nihilominus poſci negocia geſtitioni, & quieti vacabat, accubante aliqua puellarum, quas in defunctæ locum Cenidis plurimas conſtituerat, ac ſecretò in balneum, triclinumque tranſibat.

De Tito, ac Domitiano nihil eximium circa libidinem ex Tranquillo exantlauimus; ideo ad alios Reges, & Principes, aut Priſcos, aut poſt Romanos Imperantes conuertamus breuiter calamum, nullo ſeruato temporis ordine. Illud non præteream, Clinopalim, ideſt lecti paleſtram, iugiter exercuiſſe Domitianum, atque etiam inter vulgatiſſimas meretrices nataſſe, & fratris filiam, adhuc virginem, alteri nuptam corruppiſſe.

Mecœnas.

TV quoque Mecœnas molliciei, luxuſque infimulatus ab Auguſto fuiſti ijs potiſſimum verbis: *Vale Mecœnas mel gentium, ebur Ethruriæ, Laſar Aretinum, Tyberinum Margaritum, Cylneorum ſmaragde, Iaſpi figulorum, Berille, & carbunculum Porſenæ.* Fuit & à Seneca viri huius vulnerata mollicies.

Darius, ac Dionyſius.

BAtalus ille Darius, referente Ælian o 6. de hiſtoria animalium capite 38. matrem, (proh ſcelus execrandum!) nefariè, ac ſacrilegè adamauit, & viciſſim impiè redamabatur; quàm concinnè ſonat in peſſimum hoc monſtrum, ne dicam Regem Græcum dicterium, χαιρεφιλον ὄμμα, ideſt, *vale charum lumen*, vt olim dicebatur in illos, qui extincta lucerna

Digitized by Google

na, quamlibet, vel incestuosam libidinem nil detrectabant. Sint bruta viris in exemplum: equum, & camælum ex Aristotele supra retulimus, qui ferino sensu matris commixtionem stomacati sunt. Hic idem perditissimus, ac nefarius trecentas, ac quinquaginta pellices in omnia bella circumducere consueuerat, vt refert ex Dicearcho Athenæus Dipnos. 13. De Dionysio autem quid? Illud profectò libidinum compendium est, quòd Æliano teste libro 13. de varia historia, eadem die duas vxores duxit.

Xerses.

PErsarum hic potentissimus Imperator ad id lasciuiarum fastigium deuenit, vt spintrijs, nouarumque voluptatum repertoribus premia constituerit, vt Valerius Maximus habet. Infandos ejusdem Amores describit etiam Herodotus in Calliope: nec te, lector, pigeat ex tanto auctore historiam vnam excerptam perlustrare, ex qua intelliges, impurissimum regem fratris vxorem, & ejusdem filiam, proprio filio nuptam adamasse. Hæc verba. Mirare truces cuentus.

*Sardibus autem tunc agens (de Xerse loquitur) adamabat vxorem Masistis (hic frater erat) quæ & ipsa illic erat, ea quum potiri non posset, neque donis missitandis, neque vi, quam afferre nolebat fratris Masistis respectu (quæ res & mulierem retinebat, probè gnaram non se coactum iri vi) ibi Xerses, cæteris prohibitis, huc euasit, vt filio suo Dario in matrimonium daret filiam huius mulieris, ac Masistis: existimans, si hoc fecisset, commodius se illa potiturum. Contracto matrimonio, alysque ex consuetudine celebratis Susa profectus est, eò postquam peruenit, & vxorem Dario domum duxit, ita demum ab vxoris Masistis amore cessauit, adamata ex familiaritate nuru, Masistæ filia, cui nomen erat Artaynte. Qua cum potiretur processu temporis res patefacta est hunc in modum. Amestris vxor Xersis amiculum, quòd ipsa texuerat grande, atque variegatum, & spectatu dignum viro donauit. Quo ille delectatus, atque amictus ad Artayntam se confert, atque vbi se oblectauit cum ea, iussit à se petere mulierem, quæ optaret sibi fieri in remunerationem obsequij; omnia enim, quæ peteret, impetraturam. Ad hoc illa respondens (debebatur enim toti familiæ infortunium), Dabis ne, inquit, mihi quicquid à te petiero? Xerses omnia alia potius eam petituram ratus cum iurejurando promisit, qui postea quam iurauit, mulier intrepidè amiculum poposcit: Xerses enimuerò recusare, non ob aliud, quàm quòd vererentur, Amestris ne sic illa rem, quæ egebatur iam pridem suspicata deprehenderet: sed offerre ei & Vrbes, & immensam vim auri, & copias militum, quibus nemo præter illam esset imperaturus. Eximium autem donum est apud Persas exercitu donari: Verum quum non posset persuadere mulieri, amiculum dedit. Quo dono illa supra modum læta, eo gestando gestiebat. Amestris, vbi mulierem habere amiculum sciuit, & rem gestam, non in puellam concepit odium, sed in illius matrem, penes quam culpam, & quam huius rei auctorem esse credebat, exitium machinatur. Obseruato itaque tempore, quo vir suus Xerses regalem instrueret cœnam, quæ cœna semel quotannis eo die, quo Rex creatus est, instruebatur (Cœnæ nomen persicè Τυκτα, Græcè τέλειον, idest, perfecta, in qua Rex solum caput ornatur, Persaique sirenis donat). Hoc die obseruato Amestris à Xerse petijt, vt se Masistæ vxore donaret: Xerses id indignum factu, nefariumque arbitrari, vxorem germani dono dari, eamque insontem negotij illius, cuius causa vxor sua eam flagitaret. Tandem huius precibus euictus, & instituto, quo nefas est, regia cœna proposita orantem non exorare, inuitus admodum annuit: tradensque vxori, ac iubens facere quod liberet, germano ad se accersito, ita inquit, Masistta tu Darij filius es, idemque mihi frater, præterea vir eximius: tamen cum ista muliere, cum qua contubernium habes, noli habere: in cuius locum dabo tibi filiam meam, cum qua contubernium habeas. Ipsam autem quam in matrimonio habes (non enim mihi videtur habenda) missam faciat. His verbis stupefactus Masistes, Domine, inquit, quam tu mecum orationem habes importunam: qui vxorem ex qua liberi mihi sunt adolescentes, & filiæ, quarum vnam tu filio tuo duxisti vxorem, iubes me relinquere (quæ mihi est ex animi mei sententia) vt filiam tuam in matrimonio ducam? Equidem, rex, & si magnifacio, me dignari coniugio filiæ tuæ, tamen neutrum istorum faciam. Tu verò, qui nequaquam necesse habes, noli ad hoc rei me cogere; alius non inferior me existet maritus filiæ tuæ: sine, me meæ vxoris consuetudine frui. Hæc ille quum respondisset, pereitus ira Xerses: Atqui, inquit, ita tecum Masistta agetur, vt neque tam tibi filiam meam nuptum dem, neque tu consuetudine tuæ diutius fruaris: vt dictas accipere oblata. Masistes his auditis, extra abijt, haudquaquam locutus, domine, nondum me interemisti. Hoc interim tempore dum Xerses cum fratre colloquitur, Amestris accitis Satellitibus Xersis, vxorem Masistæ excarnificat, mammillas præcidit, easq; canibus abijcit: præcidit nares, aures, labra, linguam, atque ita excarnificatam remittit domum. Harum rerum quum nihil audisset Masistes, metuens tamen sibi aliquid esse mali, cursu se domum proripiebat; vbi verò mutilatam vxorem vidit, confestim inito cum liberis consilio abijt Bactra cum illis, & alijs quibusdam, tamquam prouinciam Bactriani ad defectionem inducturus, & plurimum mali regi facturus. quod & con-

contigisset, vt mihi videtur, si occupasset ad Bactrios, & ad Sacas ascendere; etenim præses erat Bactriorum, à prouincialibus q. diligebatur. Sed hac eum perpetraturum Xerxes audiens, missis aduersus hominem copijs, & ipsum, & liberos, & copias in itinere trucidauit. Hactenus Herodotus. Proh execrandi amoris, & infandæ libidinis truculentū finem! Sæpè mors Amoris comes.

Sardanapalus.

PRincipum perditissimus, vir nescio, an fœmina potius ob mollitiem Sardanapalus omnium libidinum voluptates experiri voluit; nam virilibus tunicis dispoliatis, muliebrem induit habitum, relictaque Regni cura, lasciuiæ se totum deuouit, vt Trogus, & Cicero in Tuscul. referunt. Adeò vt nomen hoc in prouerbium abierit aduersus effœminatos; hinc Aristophanes τὶς ὁ Σαρδανάπαλος ὃν τοσι? ideſt, *quis hic Sardanapalus?* Mollis huius insuper, & voluptuosi viri quatenus & post mortem innotescret sensualitas execranda, in eius sepulchro Assyrijs litteris ita inscriptum fuit: *Ede, bibe, vtere Venere: nam cætera sunt nihil.* At prostitutæ libidinis dedit penas; nam Arbaces Medus mollitiem stomachatus, vt Athenæus memoriæ mandauit, ductis copijs illum debellauit. Inde Rex constructam in Regia pyram conscendit, ibique cum vxore, scortis, auri mille myriadibus, argentidecies mille, pallijs, purpuris, stolis, cæteraque splendidissima supellectile quindecim totis diebus exarsit. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Isaia cap. 5. vide plura apud Athenęum 12. dipn.

Alcæus, & Philiscus Epicurei.

AElianus variæ historiæ libro 9. cap. 12. hæc de illis refert: *Romani Alcæum, & Philiscum Epicureos ex Vrbe eiecerunt, eo quòd multarum, flagitiosarumque libidinum auctores essent adolescentibus.* Dignum Romano facinus. Idem in Epicureos omnes decreuere Messenij.

Heliogabalus.

INfandum naturæ monstrum, & libidinis promptuarium Heliogabalus, vt nulli parceret fœdæ lasciuiæ, lenones, meretrices, exoletos, & subactores propè innumeros collegit, quibus adiecit nasutos homines, ideſt mutoniatos, & his ad libidinem, & flagitia Veneris scelestissimè vtebatur. Hinc Lampridius de prodigiosa huius viri nequam libidine scribens ad Constantinum Imperatorem aiebat: *Quis ferre posset Principem per cuncta caua corporis libidinem recipientem, quumne belluam quidem ta-*

lem quisquam ferat Romæ? Habuit præterea emissarios viros, quorum officium erat, falacissimos inuestigare viros, & quasi pretio ducere, vt cum illis se luridè compollueret. Sybaritica eius conuiuia nihil est, vt longiori sermone retexam: vnum, & alterum solummodo ex Lampridio recensere lubet. *Exhibuit*, inquit, *aliquando & tale conuiuium, vt haberet viginti, & duo fercula ingentium epularum, sed per singula lauarentur, & mulieribus vterentur, & ipse, & amici cum iure iurando, quòd efficerent voluptatem. Celebrauit item tale conuiuium, vt apud amicos singulos singuli missus apparaventur, & cum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter in Cœlio, alter Transtyberim, & vt quisque manssisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturque ad omnium domos; sic vnum conuiuium vix toto die finitum est, cum & laurent per singula fercula, & mulieribus vterentur.* Hic est ille tandem, qui Romam per triennium prostibulum fecit: nam cùm primum Imperium adeptus fuit, nil prius ad Senatum retulit, quàm felices futuros homines, si se Platonis legibus mancipassent; quo argumento, & ipse Imperator, & Senatus melior pars cum vxoribus, matronis, ac virginibus nudis nudi ipsi lauari occepere (hoc enim vnum in legibus erat Platonis sancitum), Quare thermæ *impuritatis officinæ* euaserant. Quinimmo illis fere duntaxat dignitates conferebantur, qui renudatas ad ipsum Imperatorem filias remitterent, quique nudi inter nudas cum eodem in cœnis decubuisset. Sed vel tanti sceleris memoria pereat.

Commodus. Caracalla.

HIc *Caprarius in æstu.* vt maledicto agitur in obscœnos, sorores constuprauit, suasque concubinas videns, ac volens à suis amicis violari, passus est. Rursus adolescens, auctore Lampridio, infamauit omne genus hominum, quod erat secum, & ab omnibus est infamatus, & habuit in delitijs homines appellatos nominibus verendorum vtriusque sexus, quos libentius oculis suis applicabat. Eius insuper fuit excessus libido, vt cum tercentum concubinis, quas ex matronarum, meretricumque delectu ad formæ speciem constituerat, ac trecentis alijs puberibus exoletis, quos ex plebe, & nobilitate collegerat in Palatio, Cynicè baccharetur, & lasciuiret. O quàm meritò Marcus Aurelius pater moriens tristabatur, quòd Imperij heredem relinqueret monstrum adeò scelerosum!

Cæterum Antonini Caracallæ illud vnum incestæ libidinis instar omnium sit argumentum, quòd Iuliam nouercam in vxorem duxit.

Her-

Hercules, Gordianus, Proculus Cæsar.

HErcules, vt narrant, vnius noctis spatio quinquaginta virgines mulieres reddidit: Assertio vix fidem reperit. Iunior autem ille Gordianus, qui cum patre imperauit, vt Iulius Capitolinus historiæ commendauit, concubinas habuit viginti duas, & ex omnibus ternos suscepit, & quaternos liberos; vnde & Priamus sui sæculi vocatus est: Priamus enim quinquaginta filiorum pater fuit, & à nonnullis verò per cauillum Priapus nuncupatus est. Addatur & Proculus Cæsar, e quo centum Germanicas virgines quindecim dierum spatio concepisse, traditur, & in vna nocte decẽ ex illis fœminas reddidisse.

Lex Parthorum.

APud Parthos lex erat, quæ sorores, filias, matres in coniugium duci, comprobabat; quod nempe scelus tamquam detestabile sic sugillat, execraturque Lentulus apud Lucanum.

num barbara vobis
Est ignota Venus, quæ ritu cæca ferarum
Polluit innumeris leges, & fœdera tedæ
Coniugibus? Thalamique patent secreta nefandi
Inter mille nurus, epulis vesana, meroque,
Regia non vllis exceptos legibus horret
Concubitus, tot fœminei complexibus vnum
Non laxat nox tota marem, iacuere sorores
In fratrum thalamis, sacrataque pignora matris.

Huius ordinis nefaria libido fuit Herfilij Romani viri, cuius hoc Epitaphium extitisse iuxta Portam sancti Pauli extra muros, testantur Petrus Apianus Mathematicus Ingolstadiensis, & Bartholomæus Amantius in libro Inscriptionũ sacrosanctæ vetustatis.

Semicapri quicunque subis sacraria Fauni,
Hæc lege Romana verba notata manu.
Herfilius hic iaceo, mecum Marulla quiescit,
Quæ soror, & genitrix, quæ mihi sponsa fuit.
Vera negas, frontemque trahis: enigmata sphyngos
Credis, sunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e natagenuit, mihi iungitur illa;
Sic soror, & coniux, sic fuit illa parens.

Sed vtinam hæc sola obscœnitatis exempla forent, non desunt in omni ævo æquè turpia, & incesta.

Clodius.

IVuenis iste Clodius, de quo valet illud Adagium κῶλος κεφαλῆς μείζονος. ideſt hermosus vsque ad gulam, quinc Pompei Cæsaris coniugis cupidine flagrans clam eius domum ingressus est, vestem, atque habitum psaltriæ indutus, cum tribus sororibus obscœnam rem habuit, referente Plutarcho in vita Ciceronis; qui secundo epist. ad Attic. in Clodium iuuehens, ait, *soror vnum mihi solum pedem dat, licet etiam alterum tollas*; quod de obscœnitate intelligitur Ab hoc ipsa Bonæ Deæ sacra polluta sunt, cui tantum fœminæ in operto sacrificabant.

Clisthenes. Horat. Venus. Hostius.

MOribus quidam intemperatissimus fuit nomine Clisthenes, in quem inuehunt comici, vnde Aristophanes:

Te ipsum vides? non per Iouem, sed Clisthenem.

Immo transijt hoc nomen in prouerbiale dicterium; nam *Clisthenem video*, effertur in intemperantes, & molles. Huic Horatius Venusinus Lyricus eximius adiungatur, qui libidinis adeo præferuidæ fuit, vt cubiculo etiamnum ostenderetur speculato, quo se coeuntem intueretur, referente Cœlio Rhodigino, ad imitationem Hostij illius, obscœnitatum Principis Augusti temporibus, qui specula effinxerat, quibus stuprantium pudenda immensa referebantur. Sed pudet vltra calamum Hostij obscœnitatis portenta describere. At interim parcatur Horatio; poetarum namque generi apprimè familiaris mollicies extat. Etenim primus voluptatis introductor ante Epicurum Sophocles poeta fuit, vt narrat Athenæus.

Amnon Dauid filius, & Ruben Iacobi primogenitus.

SPecioſissimam Absalonis sororem, ac patris Dauidis filiam consuprauit sceleſtissimus, Amnon, cuius historiam, & apud Iosephum Hebræum 7. Antiq. Iudaicum, & 2. Regum cap. 13. his verbis habemus. *Factum est autem post hæc, vt Absalon filij Dauid sororem speciosissimam vocabulo Thamar adamaret Amnon, filius Dauid, & deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret, quia cum esset virgo difficile ei videbatur, vt quippiam inhoneste ageret cum ea. Erat autem Amnon amicus nomine Ionadab, filius Semman fratris Dauid, vir prudens valde, qui dixit ad eum, quare sic attenuaris macie fili Regis per singulos dies? Cur non indicas mihi? Dixique ei Amnon, Thamar sororem fratris mei Absalon amo; cui respondit Ionadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula; cumque venerit pater tuus, vt visitet te, dic ei: Veniat oro Thamar soror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum, vt comedam de manu eius. Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit, cumque venisset Rex ad visitandum eum, ait Amnon ad Re-*

Digitized by Google

Regem: veniat obsecro Thamar soror mea, vt faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & cibum capiam de manu eius. Misit ergo Dauid ad Thamar domum dicens, veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum: venitque Thamar in domum Amnon fratris sui; ille autem iacebat: quæ tollens farinam commiscuit, & liquefaciens, in oculis eius coxit sorbitiunculas. Tollensque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere: dixit Amnon, ejcite vniuersos à me, cumque ejecissent omnes, dixit Amnon ad Thamar: Infercibum in conclaue, vt vescar de manu tua. Tulit ego Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem suum in conclaue. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum soror mea; quæ respondit ei. Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel, noli facere stultitiam hanc. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quasi vnus de insipientibus in Israel: quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi. Noluit autem acquiescere precibus, sed prævalens viribus oppressit eam, & cubauit cum ea, & exosam eam habuit Amnon odio nimis &c.

Cæterùm Ruben incestuosæ libidinis auctor vt Geneſis cap. 35. legitur, cum Bala patris sui Iacob concubina consuetudinem habuit; vnde maledictum illud ab eodem audire promeruit; *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio effusus es sicut aqua, non creſcas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*, Geneſis 49.

Demetrius Rex.

NOno fuæ variæ historiæ Ælianus hæc de Demetrio refert. *Demetrius Poliorcetes cùm obsidione cæpisset Vrbes abusus sua luxuria talenta mille, & ducenta singulis annis ab ijs exigerat, atque huius summæ minimam partem in exercitum insumebat, reliqua in libidinem, luxuriamque conferebat omnia. Vnguentis tum ipse, tum pauimentum eius diffluebat, & singulis anni partibus flores recentes ei substernebantur, vt in ipsis vestigia poneret. Erat etiam immodicus ergà mulieres, & adolescentium amores aucupabatur. Dabat etiam ille operam, vt pulcher videretur, capillosque & componebat studiosè, & rufos faciebat, faciemque paderote inungebat: itemque alijs vngutis vtens ambitiosè luxuriosius.* Sic ille.

Ptolomæus.

HIc etiam luxuria nemini secundus Rex Ægyptiorum, vt refert Valerius Maximus, natu maiorem, communi fratri nuptam sibi nubere coegit: deinde filia eius per vim stuprata, ipsam dimisit, vt vacuum locum nuptij puellæ faceret.

Periander. Alcibiades.

AColasticorum hoc theatrum impleat Corinthiorum Tyrannus Periander, qui: *in frigidum etiam furnum panes ingessit.* Discę lector, adagij huius sensum ex Herodoto in Terpsichore, vbi rem ita describit: *atque adeò die vno vniuersas mulieres Corinthias exuit propter Melissam vxorem suam; nam quum ad Thesprotos, qui sunt ad flumen Acherontem mississet nuncios sciscitatum necyomanteon, ideſt mortuorum oraculum de hospitis deposito, Melissa apparens negauit, & indicaturam, aut dicturam, vbi nam depositum esset collocatum, quoniam ipsa algeret, quia nuda esset; nihil enim sibi prodesse vestes, cum quibus sepulta fuisset, vt pote non concrematas. Cuius rei, quòd vera loqueretur, testimonio foret, quòd Periander in frigidum furnum panes ingessisset. Hæc Periandro renunciata ob illud argumentum fidem fecere, quòd ipse cum Melissa quamuis defuncta coieraţ.* Cæterùm Alcibiadis nec matri, nec filiæ, nec sorori pepercit libido.

Salomon.

SEd vbi reliquimus de prisca ætate Salomonem illum, sapientum sapientissimum, Regum maximum, Hebræorum dilectissimum, qui genio profusè indulgens luxuriauit perperam? Hic trecentum adhibebat concubinas, septuaginta fruebatur Reginis. Quid potest vlterius addi? Eia, Salomon, tute ipse fare voluptates, ac dulces tuos pruritus explica: *Et in Omnibus*, inquit, *inueni afflictionem cordis, & vanitatem: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sic verissima est Attica paremia: ὡς καιτὸ μέλιτος τὸ τέλεον ἐςι γόλι. ideſt, *etiam mellis nimia copia, & satietas amaritudo est.* Iccirco Isaiæ capite 1. *& erubescetis super hortos, quos elegeratis, cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua.*

Magi Persæ.

PErsarum Satrapæ incesta superstitione nascuntur ex infando matris, filijque concubitu; inde Catullus:

Nam magus ex matre, & gnato gignatur oportet,
Si verae sit Persarum impia religio.

Perlege lector Athenęum dipnosofist. duodecimo, vbi plenius Persarum delicias, venereasque voluptates Lydorum, Tyrrenorum, Sybaritarum, Tarentinorum, Syritarum, Miletiorum, Abidenorum, Ephesiorum, Samiorum, Bizantio-

tiorum, Colophoniorum, Theſſalorum, Syracuſiorum deſcriptas inuenies: videbis, & nauſeabis Proceres cunctos, ac Reges maximos, voluptatibus mancipatos, vt Ninum, Stratonem, Charetem, Piſiſtratum, Periclem, Themiſtoclem, Arthemonem, Archidamum, Alexandrum Magnum, Antiochum, Demetrium Phalereum, Ariſtippum, Polyarchum, Speuſippum, & alios centum.

A

Cyrene.

SCortum nomine Cyrene ex Suida, & Ariſtophanis interprete cognomen obtinuit Σωσὶς καμινάρια, ideſt duodecim machinamentorum; quòd in Venerea paleſtra duodecim excogitaſſet modos, quibus inſcenſorem ſuauius mulceret ex Rhodigino lect. ant. 14. cap. 8.

B

Meſſalina.

HActenus de ſalacibus viris dicta ſunt aliqua. Exempla modo mulierum afferenda ſunt pauca; ſexus enim, vt in reliquis imbecillior, ſic libidine molli præcellit viris; exordium verò facimus à Meſſalina illa, libidinoſæ laſciuiæ ſtudio clara, quæ, vt ſi fileamus, quæ Tacitus, & alij notant, auctore Plinio lib. 10. capite 62. *Ad Veneris certamen elegit nobiliſſimam ex proſtitutis ancillam mercenariæ ſtipis, eamque die, ac nocte ſuperauit quinto, ac vigeſimo concubitu.* Huius quoque adulterio, idem teſtatur, nobilitatum fuiſſe Vectium Valentem medicum. Cæterùm, infanda Meſſalinæ luxuria, & licentioſa libido, vt magis inſoleſceret, virgines nobiles cunctas contaminauit aduocatis iuuenibus, quorum ſi quis fortè præ metu abnueret, ſtatim ficto crimine occidi curabat. Quid immoror? lupanaria etiam immutata veſte celebrauit. Inde apud Iuuenalem ſatyra 6.

C

Dormire virum cùm ſenſerat vxor
Auſa Palatino tegetem præſterre cubili;
Sumere nocturnos meretrix Auguſta Cucullos
Linquebat comite ancilla non amplius vna:
Et nigrum flauo crinem abſcondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar.

D

Subiungit non ſine rubore vates.

Mox lenone ſuas iam demittente puellas
Triſtis abit: ſed quod potuit tamen vltima cellam
Clauſit adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Ac reſupina iacens multorũ abſorbuit ictus,
Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.

Iuliæ.

AVguſtus relegauit Iulias filiam, & neptem, omni penè libidinum ſpurcitia diffamatas Romæ. Contra alterum Iuliarum ſic Iuuenalis inſatyris.

Quum tot abortiuis fœcunda Iulia vulua
Soluerat.

Cœlia.

QVædam huius nominis mulier immoderatę fuit libidinis, & prorſus inexhauſtæ; contra quam inuehens Martialis:

Das Cattis, das Germanis, das Cœlia Dacis,
Nec Cilicum ſpernis, Cappadocumque thoros,
Et tibi de Pharia Memphiticus vrbe ſututor
Nauigat, arubris & niger Indus aquis.
Nec recutitorum fugis inquina Iudæorum, &c.

Cleopatra.

FRatris conſortio regia hæc mulier polluta eſt, de qua ſic Lucan. libro 8.

Degener inceſtæ ſceptris ceſſuræ ſororis.

Cæterùm Cleopatræ libidines, conuiuia, & ſybariticæ menſæ vnicuique patent; plenæ ſiquidem ſunt hiſtoriæ huius, & Marci Antonij luxus; vt ideo illud ſatis de illa dictũ exiſtimem, quod Aurelius Victor habet in ſuo Hiſtoriæ Romanæ breuiario *Hæc tanta libidinis fuit, vt ſæpè proſtiterit, tantæ pulchritudinis, vt multi noctem illius morte emerint.*

Volſcinenſes mulieres.

LIbro nono Valerius Maximus hos perditæ luxuriæ populos meritò vituperat, dum lege ſanxerunt, vt ſtupra ſua in viduis pariter, atque nuptis impunita eſſent; ac ne quæ virgo ingenuo nuberet, cuius caſtitatem non ante ex numero ipſorum aliquis delibaſſet.

Myrrha. filiæ Loth.

ILlud ne fabuloſum putandum eſt, Mirrham Cynaræ Cypriorum Regis filiam rem cum patre clam habuiſſe, & ex concubitu ſuſcepiſſe Adonidẽ? Mythographorũ vndiq; teſtatur chartę. De hac Ouidius libro 10. Metamorph. ita concinit.

Accipit obſcœno genitor ſua viſcera lecto,
Virgineoſque metus leuat, hortaturque timentem. Et infra.
Plena Patris thalamos excedit, & impia diro
Semina fert vtero, conceptaque germina portat.

At poeticum non eſt, quod ſacra Geneſis 19. de filiabus Loth ſcriptum reliquit, quare maior ad minorem ſic, *Pater noſter Senex eſt, & nullus virorum remanſit in Terra, qui poſſit ingredi ad*

not iuxta morem vniuerſæ Terræ; veni, inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen. Dederunt itaque patri ſuo bibere vinum nocte illa &c.

Canace, & Biblis.

SIc etiam Canace impudica Machareum fratrem ad libidinem adamauit: quare Ouidius in Epiſtol.

Cur vnquam plus me, frater, quàm frater amaſti,
Et tibi non debet, quod ſoror eſſe, fui?

Eodem modo Canacem fratrem exarſit impurè Biblis, quæ ex inceſtuoſo facinore mox confuſa ſe ipſam necauit. Ouid. lib. 9. Metam.

Biblis Apollinei correpta cupidine fratris,
Non ſoror vt fratrem, nec quà debebat, amauit.

Semiramis.

ASſyriorum Regina Semiramis, quamuis maſcula, & heroica virtute glorioſa, tanto ad extremum libidinis æſtu incaluit, vt, coniuge mortuo, ad complexum quamplurimos e ſuis militibus prouocauerit, quos poſtea & necari curabat. Equum inſuper adamauit; & quod magis execrandum, Ninum filium, à quo interemptam hac de cauſa tradunt. In hanc inuehens Scaurobates Indorum Rex ſcortum paſtorale appellat, & Aſſyrij Regis concubinam, quę nullum diem in Caſtris abſque adulterio tranſegerit; vt ideo iure illa Euphorio ὑπερβὸν; ideſt ardentem vocitarit.

Paſiphae.

ET hæc, neque fabuloſum omnino exiſtimandum eſt, Tauri amore capta, arte Dedali, qui eam ligneæ Vaccæ incluſit, voti compos facta eſt, vnde minotaurum peperit; hinc 6. Eneidos Virgilius:

Et fortunatam, ſi nunquam arma fuiſſent
Paſiphaen, niuei ſolatur amore iuuenci.

Cęterum non modo hominum libido humanis coniugijs non expletur; verùm ad res etiam inſenſibiles, & inanimatas extenditur vltra; *quid iam mirum*, inquit Rhauiſius, *debet videri, ſi concinna, & elegans puellarum forma viros torreat, & ad Venerem titillet, cùm etiam reperiantur, qui inanimatarum rerum amore, & deſiderio intabuerint? Ferunt enimuerò Pygmalionem fuiſſe quendam, qui ſtatuam formoſam dilexerit, eamque, ceu egregiam aliquam nympham, & frequentibus oſculis ſuauiatus ſit, & lectio ipſo dignatus.* Ideo Quintia, in Cleopoli:

concedat honori
Pygmalion, licuit cui eburnea membra puellæ
Complecti, & pulchro componere corpore lectio.

Hanc Pygmalionis enarrationem deſcribit Ouidius belle ſatis in Metam. iis verbis:

Interea niueum mira feliciter arte
Sculpſit ebur, formamque dedit, qua fœmina naſci
Nulla poteſt, operiſque ſui concepit amorem.

Perlege reliqua apud Poetam; nam additidem, tandem Veneris dono ſtatuam euaſiſſe viuam puellam, & cùm ipſa poſtmodum Pygmalionem genuiſſe Paphum.

Refert Cœlius, adoleſcentem quendam Athenienſem ſpecioſum fortunę ſimulacrum vſque adeo inſanè deperiiſſe, vt ipſum & arctiſſimè complecteretur, & iucundiſſimè etiam oſcularetur. Quo deſiderio cùm acrius in dies intabeſceret, amoris impatiens ad Senatum perrexit, & precibus multis roganit, fieri ſibi ſtatuæ poteſtatem, largum auri cumulum paratus erogare; qua in re cùm repulſam retuliſſet, ad ipſam ſtatuam confugiens ſuum ibi corpus vulneribus confodit. Simile apud Plinium legimus exemplum de puero, qui Praxitelis ſimulacrum complexus petulanter ſit, cuius concubitus relictæ maculæ fuerunt indices, de quo ita Quintianus:

Cedat Praxitelet, cuius muliebris imago
Procacem impulit ad concubitum iuuenem.

Idem penè habetur in Catalectis Veterum Poetarum apud Petronium Arbitrum.

Praxitelis Venerem lapido ſaper oſcula multi
Stuprarunt.

Hiſtoriam hanc narrat ſimul, & exprobrat acriter Valerius Maximus libro 8. his verbis: *Cuius, ideſt Vulcani coniugem Praxiteles in marmore quaſi ſpirantem in templo Gnidiorum collocauit propter pulchritudinem operis à libidinoſo cuiuſdam complexu parum tutam: quo exuſtabilior eſt error equi, qui viſa picturæ equæ hinnitum edere coactus eſt, & canum latratus aſpectu picti canis incitatus, tauruique ad amorem, & concubitum Eneæ vaccæ Syracuſij nimiæ ſimilitudinis irritamento compulſus. Quid enim vacua rationis animantia arte deceptæ miremur? Cùm hominis ſacrilegam cupiditatem muti lapidis lineamentis excitatam videamus.* Hic idem, aut forte alter Apollonij Tyanæum conſuluit, qua ratione Dea Venere potiri poſſet, cuius fuerat ſimulacro inflammatus, & accenſus libidine; ſed acriter ab illo inſimulatus fuit, auditque Deos omnem impuritatem ſtomachari, & grauiſſimis pœnis multare homines, qui illos libidinibus indulgere exiſtimarent, vide Ianum Iacobū Boiſardū de Diuinatione, & magicis præſtigijs in Apollon. Tyan. Eſto auctarium ex Ælian. Glaucam cithariſtriam arietē, Xenophontis filiū canem, Spartanū puerum gracculum libidinosè adamaſſe.

Aſtya-

Astyanassa, & Phylenis.

NIcolaus Leonicus lib. 3. de Varia histor. cap. 31. meminit Astyanassę cuiusdam Helenæ ministræ, quæ in Venerea palestra complures reperijt concubitus modas, & figuras; quam deinde imitatæ sunt Phylenis, & Elephantis.

Dionysia puella, & Quartilla.

IN Catalectis Veterum Poetarum apud Petronium puella octo annorum describitur, quæ in tam acerba ætate magistra facta libidinis nequitiâ strenuè profitebatur: hæc sunt carmina.

Hic iacet exutis Dionysia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter;
Cuius in octaua lasciuia surgere messe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
Quod si longa tuæ manssissent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

Quartilla verò ita apud eundem Petronium obscœnitatem profitetur: *Iunonem meam iratam habeam, si vnquam me meminerim, virginem fuisse: nam & infans cum paribus inquinata sum, & subinde, prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni.* Siccine illecebrosa voluptas, & procacitas meretricia vel primam prostituit ætatem, annisque lenocinatur insontibus?

Tirrhenorum lasciuia.

TAndem Tirrhenorum propaletur impuritas, & sit instar omnium. Idem Nicolaus ex Athenęo scribit, in illorum conuiuijs, & epularum apparatibus nudatis corporibus virgines discumbentibus ministrasse conuiuis, mulieresque apud eosdem fuisse communes; quæ etiam, pudore depositio, in Gymnasijs publicis, & palestris nudæ cum viris luctari, & se se exercere consueuerant; nec turpe apud eosdem ducebatur, nudatas fœminas vulgo conspici. At sileant monumenta indigna, & castas aures pudicis moribus imposterum recreemus, vt nihil minus quos imitemur, quàm quos fugiamus præ oculis habeamus; Sileant inquam. Procul, ah procul Cecropum nefaria cohors; scelestorum nomina obliteret Aristarchus quique; delean-tur de reminiscentiæ libro, sepeliantur proprio cęno impudicitiæ, adulterij, & incestus: tradatur igni potius turba mollis cynędorum, spinthriarum, & aliorum Acolasticorum, qui omnes vjuentes dixerunt: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; vino pretioso, & vnguentis nos impleamus;* Verùm lassati sunt in via iniquitatis, & perditionis, ambulauerunt vias difficiles.

CAPVT XXII.

Qui fuerint exadueršo cœlibatus, ac pudicitiæ Amatores, & an pudicitiæ, vti asotiæ aliqua sint externa indicia.

QVONIAM eadem est contrariorum disciplina, & eiusdem scientię interest, opposita contemplari, operæpretium erit aliquot hic ascribere, qui Veneræ voluptatis perduelles, & impuri congressus hostes cœlibem, & ab omni labe exemptam traduxere vitam. Age, prosiliat primùm agmen Cœli virgineum, descendat in arenam Cœlibum chorus, de quo plaudens canit Ecclesia;

Quocunque pergis, Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Et nos cum Rege sapientissimo addamus: *O quam pulchra est casta generatio cum charitate, immortalis est enim gloria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.* 4. Sap. Descendat inquam, impudicos feriat, molles tundat, lascivos vulneret, ac Diuę puritatis candore libidinis detegat horrorem; Veneris aperiat mephitim, & lascivię deformem rictum. At quis enumeret tot sanctas Dei Virgines? Plenę sunt sacrę historię, plena Ecclesię monumenta, quin plenę Paradisi sedes puellarum Virginum, quę pro Virginitate spreuerunt vitam, & sensus ablegantes illecebras, tormenta passę sunt atrocia, ipsamque demum sustinuere mortem; haud nobis has est memorare consilium, quarum annua festiuitate exultat Ecclesia: Surium perlege, apud quem miraberis Sanctas Iphigenias, Lucias, Euphrasias, & in primis Agnetem, Vrbis Prefecti filio adhuc puellam dicentem: *Recede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis; iam ab alio amatore præuenta sum, qui anulo fidei subarrauit me.* Breuiter aliquorum hominum σωφρόσυνην, continentiâq; registrabo, qui christiana fide minus fuerunt exornati, aut saltem sanctitate non prœcesserunt.

Asbilus Crotoniata.

HIc, referente Platone, Gymnasticæ studio addictus perpetuam seruauit virginitatem; idemque fecit Ictus Tarentinus Athleta eximius.

Spurina Hetruſcus.

VAlerius Maximus lib. 4. hæc teſtata reliquit: *cum in ea regione excellentis eſſet pulchritudinis adoleſcens, nomine Spurina, atque ob eam rem complurium fœminarum illuſtrium ſollicitaret oculos, ideoque viris, ac parentibus earum ſuſpectus eſſet; quò talem ſuſpicionem amoliretur, oris decorem vulneribus confodit, deformitatemque ſanctitatis ſuæ fidem, quàm pulchritudinem formæ irritamentum alienæ libidinis eſſe, maluit:* Idem Veturij pudicitiam exaltat.

Amabæus. Diogenes. Clitimachus. Architas.

AElianus libro de varia hiſtoria hęc refert. *Amabæus Citharœdus tanta fuit caſtitate, vt vxorem, quam formoſiſſimam habebat, nunquã attigerit.* Diogenes Tragœdiarũ actor ſimiliter ab vxore perpetuò ſe abſtinuit. Fuit in Clithimacho Pancratiaſte tanta cõtinentia, vt ſi fortè coeuntes vidiſſet, continuò vultum auerteret, & ſi quis inter conuiuia impudicus ſermo effluxiſſet, conſeſtim illinc decederet. Item Architas cùm aliquando neſcio quid minus honeſtum cogeretur dicere, non potuit adduci, vt id faceret; ſed omnino reticuit; illud verò in pariete deſcripſit, oſtendens, ſe quamuis coactum, non tamen dixiſſe id, quod maximè cogeretur dicere.

Reges aliquot.

ALphonſus Secundus Rex Hiſpaniarum ob ſuam continentiam caſti nomen meruit, vt Volateranus refert; eadem virtute claruerunt Caſimirus Rex Poloniæ, Henricus Primus Imperator, Vinceslaus Rex Bohemorum.

Zenobia Palmeritarum Regina.

REgina Zenobia, Trebellico Pollione referente, eius fuit continentiæ, vt ne cum viro quidem ſuo, niſi prolis cauſa, cõgrederetur.

Pontia, & Medullina Romanæ.

COrnelius Tacitus Pontiam quandam extollit, quę potius ad interuicionem dari, quam Octauio Tribuno plebis requirenti, ſubmitti voluit. Pari animi generoſitate extitit Medullina quæ, Plutarcho teſte in paralellis, à Patre, in tenebris vitium paſſa, cum exdetracto ei annulo ſtupratorẽ cognouiſſet, patrem primò, mox ſe ipſam interfecit. Simile de Cyane virgine Syracuſana hiſtoriam narrat Plutarchus in paralellis.

Xenocrates. Alexander magnus. Scipio Aphricanus.

LAertius, & Valerius Maximus referunt, Xenocratem Philoſophum eius fuiſſe caſtimonię, vt accedentem ad eum Phrynem ſcortum inſigne, & pulcherrimum partem cubilis petentem, exceperit quidem, nihil tamen longo noctis tempore tetigerit; Inde rediens mane Phryne dixit palam, ſe non à viro, ſed a ſtatua venire. Hinc factum eſt, vt Xenocratis nomine omnes Veneris, & amoris inimici appellentur.

Alexander Magnus Darij Perſarum Regis bello expugnati pulcherrimas filias videre noluit, timens ab aſpectu regię caſtitatis detrimentum recipere. At Scipio, expugnata Cartagine, Virginem peruenuſtam, præclaris parentibus ortam, ductam ad ſe & vidit, & eſt allocutus; patri tamen inuiolatam reddidit: quis horum continentior? Scipio profectò; deſiderium enim ab oculis. Oblatas quis rennat voluptates?

Euripides.

EXtitit hic perpetuò miſogĩnis, ideſt *in* mulieres odio conflagrauit. Vide Cælium libro 13. capite 10.

Chiæ mulieres.

HVius inſulę mulieres eius fuerunt caſtitatis, vt nullus apud illas legatur illicitus concubitus, & adulterium, vt refert Plutarchus de virtutibus mulierum. Vide Rhodiginum ipſum, vbi plura.

Spartanæ quinquaginta virgines.

NEc minus immortalitati conſecrandę virgines illę Spartanę, quę ad Meſſenios à parentibus miſſę ſacrificij gratia, dum ab illis, hoſpitalitatis iure contempto, ad ſtuprum poſcerentur, violentiam vſque ad vnam tantã continentia, & fortitudine ſuſtinuerunt, vt potius mori, quàm virginitatẽ polluere voluerint.

Patauinæ mulieres.

CElebrantur olim Patauinæ mulieres, vti caſtiſſimæ; non enim niſi facie velatæ in publicum exibant, inde Martialis.

Tu quoque nequitias noſtri, luſuſque libelli,
Vda puella leges, ſis Patauina licet.

Theutonicorum coniuges.

CAptiuæ Theutonicorum coniuges Marium Victorem orarunt, vt ab eo virginibus Veſta-

stalibus dono mitterentur, affirmantes, æque se, atque illas virilis concubitus expertes futuras; quod cùm minus obtinuissent, laqueis noctu proxima sibi spiritum eripuerunt.

Marcia Varronis.

PIngendi, & sculpendi studio insignis Marcia Varronis nunquam viri naturalis, & pudenda effingere voluit, ne aliquod latenter serperet voluptatis aphrodisiæ desiderium.

Hyppo.

ANautis capta Græca mulier Hyppo, cùm suæ pudicitiæ insidias parari persentisset, noctu in aquas se præcipitem dedit; maluitque pudica mori, quàm impudica viuere. Refert historiam Valerius Maximus libro de pudicitia.

Esseni populi.

VItam olim traducebant Esseni populi, teste Plinio libro 5. capite 17. remotam ab omni libidinis actu.

Caius Gracchus.

IN quadam oratione Caius Gracchus testamentum suæ pudicitiæ refert; rediens enim e Sardinea in concione ad populum dixit: *Si vlla meretrix domum meam introiuit, aut cuiusquam seruulus propter me sollicitatus est, omnium nationum nequissimum existimate: cum à seruiis eorum tam castè me habuerim, inde poteritis considerare, quomodo me putetis cum liberis vestris vixisse.* Vide Aulum Gellium lib. 15.

Lucretia, & Paulina Romanæ.

DIscant nostri sæculi mulieres pudicitiam incorruptam perpetuò seruare, habeantque præ oculis semper Lucretiam illam castitatis exemplar, quæ vi stuprata, conuocatis parentibus, deploratoque casu, gladio sibi mortem consciuit. At quia mens incorrupta sufficit, poterat fortè sibi parcere Lucretia, & in vita remanere, quemadmodum Paulina, quæ sibi vim occultè, ac dolo illatam fassa est; nec tamen propterea moriundum existimauit. Historiam & iucundam, & non vulgarem ex Iosepho Hebræo Antiquit. Iudaic. libro 18. hic registrare pretium operæ fuit arbitratus.

Erat Romæ Paulina, mulier non minus probitate morum, quàm natalium claritate illustris, ad hæc opulenta, & formosa, vtque esset in ipso ætatis flore, sed in primis ornata pudicitia. Nupta autem erat Saturnino, viro tali coniuge dignissimo: huius amore captus est Decius Mundus, iuuenis non obscurus in equestri ordine, & quia maior erat fœmina, quàm quæ posset corrumpi muneribus, eò magis accendebatur amantis insania, ita vt offerret ei pro vnica nocte ducenta drachmarum millia, ac ne sic quidem valens eam flectere, non ferens amoris impotentiam, decreuit morbum simul, & vitam finire inedia. Hoc eius propositum non fefellit Idem libertam Mundi paternam, variis instructam, sed non probatis artibus: quæ indignè ferens obstinationem iuuenis, blanda oratione conuentum animare conata est, spem ei faciens effecturam se, vt potiatur Paulinæ complexibus. Cumque ille preces eius libèter acciperet, ait, sibi opus 50. tantum drachmarum millibus ad expugnandam mulieris pudicitiam. Ita refocillato Iuuene, & accepta quantam petierat pecunia, nouam doli viam ingressa est, videsque Paulinâ non capi pecuniis: sciens porrò eam vehementer addictam Isidis cultui, tale quiddam comminiscitur. Conuentis aliquot ex eius sacerdotibus accepta fide silentij, & quod efficacissimum est, ostentato præmio in præsens viginti quinque millibus, & alteris totidem post nauatam operam, indicat eis amorem iuuenis, rogans, vt omnibus modis anniterentur eum reddere voti compotem: illi auri cupidine tacti benignè sunt polliciti; quorum nata maximus properè se ad Paulinam contulit, & admissus, impetratoque absque arbitris colloquio, venire se, ait, missum ab Anubide capto ipsius forma, & iubente, vt ad se veniat. Illa libenti animo accepit nuntium, moxque iactabat se apud familiariter notas mulieres, quòd dignata sit amore Anubidis: marito quoque indicat, conditam sibi cœnam, & cubile Anubidis: id eò facilius concessum est, quòd cognita, & probata esset viro pudicitia coniugij. Itaque in templum proficiscitur, & post cœnam, inflante somni tempore inclusa per sacerdotem, tenebris conciliantibus inlatentem ibi Mundum incidit: totamque eam noctem obsecuta est iuueni, Deo se gratificari existimans. Eo deinde abeunte priusquam sacerdotes doli conscij surgerent, Paulina mane ad maritum reuersa, congressum cum Anubide prædicat, & idem apud amicas quoque magnificis verbis exaggerat. Illis nec credere libebat rei naturam considerantibus, non mirari tamen non poterant ob insignem mulieris pudicitiam. Die deinde post rem patratam tertia Mundus admatæ sorte fortuna obuius, ô factum bene Paulina, inquit, quòd & ducenta illa millia mihi seruasti, quæ potius tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati gessisti. Nihil enim mea refert, quòd Mundum contempseris, quandoquidem prætextu Anubidis optata voluptate expletus sum, atque his dictis, abiit. At mulier tum primum deprehenso flagitio, vellem sibi lacerat, & re tota ad maritum delata, obsecrat ne tam infigne ludibrium impunitum sinat: maritus porrò Impe-

Digitized by Google

peratori totum significat. Tiberius posquàm accuratissima inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit, vnàque Idem ipsum centricem huius sceleris, cuius præcipua opera fuit in corrumpenda pudicitia mulieris: dirutoque templo statuam Isidis iussit mergi in Tyberim; Mundum autem mitiore pœna exilij castigasse contentus est, crimen eius in cupidinis impotentiam referens.

A

Aquileia mulier.

IActat & suam Lucretiam Aquilea, cuius ingenua mulier ab hoste capta Barbaro, dum ad stuprum cogitur, precibus, & lacrymis nihil proficiens, obtinuit saltem, vt in superiorem domus partem liber aditus fieret; quo facto, occupata feneſtra, quæ flumini imminebat ad Hunnum conuersa dixit. *Vis me potiri? me sequere*, refert Sabellius libro 5.

B

Michael Verinus.

VIr iste, teste Polyd. lib. 1. cap. 3. cùm in quendam incidisset morbum, & salutem reponerent Medici in solo concubitu, renuit medicinam, vitamque desperit, sic decantato adagio. *Potius mori, quàm fœdari*; ideoque meruit posteritati consecratum elogium:

Sola Venus poterat lento succurrere morbo,
Ne se pollueret, maluit ipse mori.

C

Thomas II. Eboracensis Episcopus.

EIusdem pietatis fuit dignissimus hic Præsul, qui, dum pro corporis salute consulerent medici, vt Veneri operam daret; adhibita muliere, quam consanguinei adduxerant formæ perfectissimæ, quique ad hanc rem incunctanter hortabantur, intrepidè detrectans consilium, ea verba promulgauit: *Propter salutem carnis, tandem moritura, immortale pudicitiæ decus non amittam*. Viuas æternùm, Thoma, qui corruptibilis vitæ periodum desperisti, ne Deo, & animę iniuriam faceres.

D

Galla Simachi consularis filia.

SEd, ne minoris virtutis fœmineus sexus videatur, afferatur in medium Galli Simachi consularis filia, quæ, vt refert Marcus Marullus, cùm intra puellares annos marito viduata ægrotaret, corpore toto in tabificam scabredinem verso; medicis affirmantibus, nisi iteraret matrimonium, vel morituram eo morbo, vel mentum pilosum veluti viri habituram. Neglexit medicorum consilium, & omnia perpeti maluit, quàm ad coniugium redire, ad quod repetendum si sana extitisset, fortasse nemine hortante, solus iuuenilis ætatis ardor eam compulisset.

Eubata Cyrenensis.

DE viri huius continentia sic legimus apud Ælianum lib. 10. cap. 2. *Lais, quum Eubatam Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eo amore cœpit flagrare; & de contrahendis inter se mutuò nuptijs sermonem ei detulit. At ille metuens eius insidias, recepit, se sè id facturum. Non tamen rem cum illa Eubatas habuit, sed castè, ac temperanter vitam peregit. Sponsio verò his conditionibus facta est, vt post ludos, certamenque rata deberet esse. Quum igitur victor abiret e certamine, ne conuentis non stetisse videretur erga fœminam, pietam Taidis imaginem deportauit secum Cyrenam, inquiens, se Laidem ducere, & pacta non fregisse: quam ob causam mulier, quæ ipsi nupserat, maximam ei statuam Cyrenæ ponendam curauit: sic remunerari volens ipsius temperantiam.* Præclarum vtrinq; facinus.

Hippolytus apud Senecam.

SEd cum Hippolyto claudamus sermonem: is apud Senecam sic suam continentiam iactat, & odium contra mulieres omnes profitetur:

Detestor omnes, horreo, fugio, execror,
Sit ratio, sit natura, sit durus furor,
Odisse placuit: ignibus iunges aquas,
Et amica ratibus ante promittet vada
Incerta syrtis, ante ab extremo sinu
Hesperiæ Thetis lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda præbebunt lupi,
Quàm victus animum fœminæ mitem gerã.

Cęterùm an sint pudicitiæ notæ quædam externæ, vti salacitatis, & libidinis, credendum esse aliquas, & illas fortasse, quæ signis contrariis e directo opponuntur; pauciores tamen esse verisimile est: quoniam pudicitia est virtus animi; libido verò corporis propensio, hæc proinde delineari potest, multisque caracteribus propalari; illa verò suas lineaturas in animo ipso inuisibiliter fingit. Erunt namque externa aliqua inditia frigiditatis potius, quę naturæ est impotentia, quàm pudicitiæ, quæ salaci etiam temperamento iungi potest, illudque moderari, vt in Hippocrate, & Socrate accidit.

Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

TRACTATVS TERTIVS.

De coniugio, siue nuptijs,

PRAELOQVIVM.

QVANDOQVIDEM apta generationis humanę principia vir, & mulier, de quibus dictum iam satis est, nonnisi per coniugalem societatem, & matrimonij honestum vinculum liberis operam dare honestè, licitèque possunt; tractatum iccirco de nuptijs ex ordine instituendum censui, quatenus ab vniuersalibus semper, & ab ouo, vt fertur, ad res magis determinatas progredientes, ipsius generationis opus plenius initiemur, ac tandem perficiamus. Nec deerit, Amice lector, iuncta varietati doctrina, vt tibi velut auido conuiuæ vndique grata propinentur. Perlege, nam plenè hauries mulierum mores, disces onera coniugij, quidve boni, quidve mali hoc secum ferat, palàm vndique fiet. Nec semel, obiterque percurras quæcunque in Tractatu exarantur, verùm sæpius, & attentiùs; nam tua res agitur, tuaque dicitur sententia, qua vel ad perpetuas triremes conijciaris, vel ad iucundum destineris consortium. Igitur tibi consule.

CAPVT I.

An sit nubendum.

MAXIMVS Plato, vt supra retulimus, nefas existimabat vxorem, & filios negligere, ex quibus mortale animal immortale fit. Vt proinde nuptias ex omni parte beatas censere valeamus; & verè quid vxore suauius? quæ iucundior familiaritas? quod fœlicius consortium? qui gratiores amplexus? qui demum meliores, ac dulciores fructus? quàm qui inde germinant? Sanè meritò Phocylides.

Huius amabiles nuptiæ, chare sodalis, optandæ tibi sunt.

Hinc etiam Catullus nuptias sic celebrauit, meritisque extulit encomijs in Talasione.

Quis Deus magis optimis
Expetendus amantibus,
Quem colant homines magis
Cœlitum? o Hymenæe, Hymen
Hymen, ò Hymenæe.
Nihil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobat
Commodi capere; at potest
Te volente; quis huic Deo
Compararier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier; at potest te
Te volente: quis huic Deo
Compararier ausit?

Et in alio carmine nuptiali idem;

Quid datur à Diuis fœlici optatius hora?
Hymen ò Hymenæe, Hymen ades ò Hymenæe.

Profectò hæc omnia nuptias affabrè commendant, nosque ad coniugium satis pellicere videntur. Verum enimuerò exaduerso stimulant rationes, & summorum virorum auctoritates, quæ nos à nuptijs deterrent, & auocant protinus. Quid enim? non ne in primis qui se se iungit vxori, iugo submittit caput, ligatque aurea catena collum? Non ne illecebrosis vinculis, blandisque compedibus deuinciri patitur? Quòd si libertas ex omnibus mortalibus bonis primas obtinet; vtique omnes, quicunque nubant, maximum amittunt bonum, & re omnium præstantissima denudantur; hinc Eurypides in Alcest.

Fœlices animo homines innuptos, & sine liberis.

Nam, vt Iuuenalis de vxore loquitur: *plus aloes, quàm mellis habet.* Sed præstat iam auctoritatibus fulcire sententiam. Vxor itaque cuiuscunque conditionis illa sit, sine diues, siue pauper, siue pulchra, siue deformis ducenda minimè est; inde carmina.

Quisquis vxorem ducere deliberat, non deliberat
Rectè; nam vbi deliberauit statim ducit,
Quod malorum vitæ multorum initium est.
Nam si quis pauper pecuniosam vxorem
Duxerit, non vxorem, sed dominam habet,
Cuius famulus est. Quòd si duxerit
Nihil ei affirrentem dotis, iterum sit seruus:
Opertet enim deinceps, vnius loco duos alere.
Duxit aliquis turpem, non amplius iucunda est ei vita;
Formosa si ducitur, non est illa
Magis mariti sui, quàm vicinorum.
Itaque nullo modo malum cauere potest.

Quid

Quid clarius, magisque rationibus consonum? Semper enim, vt colligitur, molestum, & ingratum coniugium est; ideoque Philippides. A

Nihil est in inclyta terra muliere grauius:
Noui expertus; fœlix ille, qui illam non curat.

Antiphanes autem, qui fortassis vxorem experiri maluit, eiusque proinde callebat morosam naturam, exclamauit.

Infortunium extremum nuptiæ sunt.

Pythagoras interrogatus, quam ob causam nuptam dedisset filiam inimico; respondit, *quia nihil ei dare poteram deterius*: & verè quid muliere deterius? Extat enim apud Græcos paremia: πῦρ καὶ θάλασσα, καὶ γυνὴ κακὴ ζῶα; id est: *ignis, fretumque, & mulier, hæc mala tria*; Quinimo inter hæc mala principatum tribuit Eurypides mulieri. B

Furore multo fæuit iratum mare,
Pronique fluuij, & ignis acris impetus:
Inopia acerba, acerba alia quamplurima;
Sed nil ita acerbum, & noxium, vt mulier mala.

Proinde Lacon quidam, qui vxorem duxerat perpusillam, venustè dixit, quòd e malis, quod minus, esset eligendum. Hoc autem malum, siue aloes, melle delinita, non apparet nisi postquàm coniugij vincula resolnere non licet; tunc enim amarè penitet; hinc metrum:

Similes sunt fenectus, & nuptiæ;
Vtraque enim consequi desideramus, C
Postquàm verò nacti fuerimus, tristamur.

Quotidie videre est amantes, qui mulierem, quam deperierant, non ita citò in vxorem duxerunt, quòd amoris flamma tepefcente illicò pertæsum est: etenim vbi primùm genialicupidini factum satis est, nupsisse piget, omnisque voluptatis restinguitur ardor. Inde Philippides,

Dicebam tibi, ne vxorem duceres, sed suauiter viueres:
Bini sunt cum vxore iucundissimi dies,
Alter, quo ducitur, alter, quo mortua effertur.

Refert secundo de oratore Marcus Tullius, quòd cùm Siculo cuidam amicus quereretur, dicens, vxorem suam se deficu suspendisse, respondit ille: *Amabo te, da mihi ex illa arbore, quos seram surculos.* Nec reticendum est Diogenis dictum lepidum, qui cùm vidisset aliquando, mulieres quasdam ex oliua pendere, laqueo præfocatas: *vtinam*, inquit, *& cætera arbores similes ferrent fructus.* Idem Philosophus interrogatus quando ducenda esset vxor respondit tulit μηδέποτε μηδέποτε; id est iuuenì nondum, seni nunquam, Sed enim, claudite iam riuos; nec simus adeò mulieribus infensi, ne me veluti Orpheum Thraciæ mulieres lapidibus obruant.

Porrò his non obstantibus pro nuptijs pronuncianda sententia erit.

CAPVT II.

Quod nuptiæ bonum aliquod sunt, aut saltem necessarium malum.

QVID? Num dicta superius dererrere hominem poterunt, quominus Generationi indulgeat, atque adeò vxorem negligat? An non potiùs pluris æstimãda erit opinio Mercurij Trismegisti, qui à Lactantio Firmiano inter Prophetas, ob ingentem eius prudentiam, ac sapientiam collocatur? Ille enim in Pymandro sic habet: *Liberorum procreationem apud Sapientes præstans studium in vita esse, in extrema verò omnium calamitate, & impietate eos versari, qui absq; liberis e vita decedunt.* Quinimmo inferiùs idem Trismegistus exclamat ibidem; *O Æsculapi cum homine, qui nullos genuerit filios, nullum habeto commercium; Supplicium enim est, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium mignet.* Plato etiam 6. de legibus lege sanxit, vt qui post annum trigesimum quintum non nuberet, multaretur & in pecunia, & in honore; in pecunia quidem, vt drachmas centum singulis annis solueret, si prædiues fuisset; si minus diues, septuaginta, aut sexaginta; si verò mediocris census extitisset, triginta drachmas; drachma autem denarium Romanum valet, qui constat ex decem assibus; ea insuper conditione, vt qui singulis annis non persoluisset, decuplum deberet, cuius etiam pecuniæ exactor, constituebatur quæstor Deæ Iunonis, cui pecuniæ hæc consecrabatur. Multabatur autem honore, quoniam cùm, qui vxorem haberent, multis honoribus donarentur, præsertim à iuuenibus; qui innuptus viuebat, nullum à iunioribus consequebatur honorem, aut obsequium. Rursus si fortè innuptus verberibus aliquem cedisset, omnes quot quot adstabant, iubebantur insurgere contra percussorem in offensi auxilium, alioquin timidi, ac mali ciues ex lege declarabantur. Tanta est igitur nuptiarum reuerentia, & vtilitas ex Platonis opinione. Nempè Generatio opus naturæ valdè proprium, ac delectabile est, vt proinde sit quantumuis fœmina mala, huic adhærere naturæ ipsius impulsu cogantur homines propagationis desiderio. Hinc fortè Numa Pompilius, vir omni prudentiæ culmine insignitus in lege duodecim tabularum edixerat: *Cœlibes esse prohibento.* Et hac ipsa lege moniti Camillus, & Posthumius censores, vt refert Valerius Maximus de Censoria nota libro 2. *Æra pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cœlibes peruenerant, in ærarium deferre iusserunt.*

Ite-

Iterum puniri dignos, si quomodo de tam iusta constitutione queri sunt nusi, eum in bunc modum increparentur: natura vobis quemadmodum nascendi, ita gignendi legem scribit, parentes, quos alendo nepotum nutriendorum debita (si quis est pudor) alligauerunt, &c. Sed omnium vt primum, ita celeberrimum Spartanorum institutum fuit, apud quos, referente Nicolao Gragio libro 3. de Republica Lacedæmoniorum ex Lycurgi sancito quadruplici pœna maltabantur Cœlibes; Prima, quòd rigida hyeme vestibus denudati per forum circumducebantur. Secunda, quòd ipsimet probrum in se iaciebant, clamantes, iusta se pœna multari. Tertia, quod à gymnicis spectaculis, & ludis, vbi virgines nudæ cum Ephebis decertabant, excludebantur. Quarta demum, quòd honore, qui magnus debebatur senio, priuabantur. Has omnes pœnas recenset in Lycurgo, & Apophthegmatis Plutarchus ijs penè verbis, ne quis rei fidem derogandam existimet. *Bruma ex Magistratuum edicto iubebantur forum vestibus spoliati obire. Qui ita circuibant, accinebant in se cantionem compositam, qua fatebantur, se iusta pati, quòd legibus non parerent. Ludorum nudorum spectacula interdicens Cœlibibus, addensque ignominiam accuratè prouidit, vt ciues liberis procreandis operam darent. Honore, & cultu, quem iuuenes senioribus exhibent, priuabantur.*

Est vulgata parœmia. *Neque cum malis, neque sine malis*; & illa etiam Aristophanis in Lysistrata *Nec simul cum pestibus, nec rursus absque pestibus*, viuere scilicet possumus. Etenim neque omnino mala, neque omnino bona mulier est, cius mixtæ sunt qualitates, & fortè prævalent bonæ. Hinc Metellus Numidicus disertissimus Orator cùm censoriam dignitatem gereret, ideoque ad populum pro ducendis vxoribus oraret, hæc verba protulit. *Si sine vxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis commodè, nec sine illis vllo modo viui possit, saluti perpetuæ potius, quàm breui voluptati consulendum esse, videtur.* Quod non sine venustatis lepore Phocylides his carminibus declarauit.

Ex quatuor hisce animalibus natum est
Genus mulierum, eane, Apicula;
Torua sue, aut equo iubato.
Ex Equo nata agilis est, velox, discurrens,
pulchritudine præstans;
Ex torua autem sue neque mala, neque bona est:
Ex cane verò molesta, & fera est; ex Apicula autem
Bene agit rem familiarem, & nouit operari,
Cuius amabiles nuptiæ, charæ sodalis, optandæ tibi sunt.

Porrò quæ mordicùs adhuc in mulierē iactata sunt, in malam potius vxorem, quàm secus concidunt; de bona siquidem Ecclesiasticus inquit capite 36. *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem, adiutorium secundum illum est, & columna otiquies*: & capite 26. *Mulieris bonæ beatus vir; numerus enim illorum annorum duplex, &c.* Profectò in parabolis, & prouerbijs apud Salomonem plura legere est, quæ mulierem bonam debitis exaltant laudibus; vt non sit ideo Terentij iu Hecyra scommà illud pronunciatum in mulieres amplectendum:

censen, te posse
Vllam reperire mulierem, quæ careat culpâ?

Quamobrem non temerè damnandum coniugium est, vt ideo Euripides

Nil sanè deterius existit malæ
Muliere; bona verò eximiè nihil
Esse melius, scio, &c.

Et Hesiodus idem ientit; at non omnium hic registranda sunt verba. Quibus consonat illud Cornelij Taciti in vita Tullij Agricolæ: *In bona vxore tantò maior laus, quantò in mala plus culpæ.* Quod idem Euripides etiam dictitabat.

Non omnes aut infortunati sunt in nuptijs,
Aut fortunati; calamitosus est autem qui incideris
In malam mulierem, felix qui in bonam.

Etenim non leue solatium illud est, quod in primis suscipitur ab vxore, qua cum libere agitur, animique affectus propalantur intimè, & partim etiam communicantur; quò fit etiam pondus ipsum satis leuius. Hinc Tacitus annal. 3. iure dicebat: *Reuertentibus post laborem, quod honestius, quàm vxorium leuamentum?* Quod si nosse quis piam aueat, qualis nam sit vxor bona, quæque ad ejus bonitatem requirantur, laconicè respondum velim, optimam vxorem illam esse, in quam conspirant vnanimiter *forma, probitas, nobilitas, dos*, & hanc vxorem (innat insuper addere) peculiariter, & ex gratia à Deo tribui hominibus, vt Salomon in Prouerb. manifestis edisserit verbis: *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens.* Insuper Seneca in Octauia bonam vxorem describens aiebat.

Probitas, fidesque coniugis, mores, pudor
Placeant marito.

His etiam si addatur illud Plauti in Sticho, nil aliud desiderari potest: sic enim de bonis vxoribus ibi loquitur.

Vt per orbem dum ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis meritò maledicat sibi.

Plura quære ex Plutarcho in præceptis connubialibus, quorum fortè aliqua recensebimus infra.

CAPVT III.

Cuius ætatis vxor esse debeat, quatenus conceptioni opportunè deseruire valeat.

AGE, quæratur potius, cuius ætatis opportuna generationi esse fenda sit mulier, cùm id plurimùm ad prolem conducat. Enimuerò hac in re extant plures, variæque sententiæ. Xenophon Philosophus nuptijs decimumquartum annum dedicat, cui patiter subscribit Hesiodus ijs verbis. *Virgo autem pubescens anno decimoquarto, nubat decimoquinto.* Tunc pubescés dicitur virgo, quum pilis ad inguina apparentibus incipiunt fluere menses; quo ipso tempore & libidinis prurigo titillat, vteruſq; conceptioni commodus designatur. Vult autem Hesiodus, post annum à fluore menstruo mulierem nubere debere, non autem ipsa inchoante pube, quoniam rei cuiusque principium imperfectum, ac debile est. Lycurgus Rex Lacedæmonum sapientissimus lege sanxit, ne quæ puella nuberet ante annos decem, et octo. Plato verò 11. de legibus hæc habet; pateant curiosis aures: iucunda simul, & scitu digna edicturus sum, *Conuenientiam verò ætatis ad nuptias, & e contra Iudex nudos omnino mares, nudas quoque ad pubem vsque fœminas conspiciens, iudicet.* Hanc Platonis legem aliquando extitisse in vsu, testatur Blondus, qui in calce primi libri Romę triumphantis narrat, propè oppidum Cyntianum templum fuisse, quod dicebatur *Fortunæ Virilis*, quò virgines viripotentes perductæ conuenire solerent, quas deinde templi illius sacerdos penitus nudatas vndique inspicere consueuisset, quatenus & approbaret opportunam conceptioni ætatem, & corporis vitia iudicaret apparentia. O quam libenter resolutæ viri libidinis lasciuum hoc sacerdotium curarent! Hoc idem planè inculcare videtur Iustinianus libro Institution. de nuptijs sub titulo: *quibus modis tutela finitur*, vbi sic habetur, *pubertatem autem veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant; nostra autem mansuetas dignum esse existimans rerum temporum existimans benè putauit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, ideò inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere; & ideo, sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimumquartum annum completum illico initium accipere disposuimus, antiquitatis normam in fœminis benè positam in suo ordine relinquentes, vt post duodecimum annum completum viri potentes esse credantur.* At iam Aristotelis examinemus sententiam, quam 7. Polit. tradit. Is igitur mulieribus præscribit ad generationem annum duodecimum, & viro consonum, atque commodum; idque duplici ratione probatur; prima quidem, quoniam si immaturius nubant, excepta inde proles imperfecta erit, & corpore etiam simul diminuta; siquidem ante hanc ab Aristotele præscriptam ætatem neque menstruum, neque semen adeò est copiosum, nec vteri capacitas adeò ampla; At ipso decimo octauo anno hæc omnia affatim exuberant, nihilque prorsus deest, quod ad fœtus complementum, plenamque sinceritatem apud illas necessaria sunt. Hæc ipsa his verbis protulit nuncupato loco Aristoteles: *Quibus in ciuitatibus hoc in more positum est, vt adolescentes cum puellis coniungantur, & minus absoluta sunt, & parua corpora natorum.* Secunda ratio est, quia si ante præsignatum tempus generationi, & liberis homines operam nauent, ingens proprio corpori detrimentum inferunt; quandoquidem naturæ progressum præpediunt; quare non modo incrementum inhibetur, verùm & magna defertur artubus imbecillitas, atque vniuerso corpori languor inseritur. Addit Aristoteles, quod iuniores plus etiam doloris in partu percipiunt, pluresque vita decedunt; nam cùm apud Trezenios plurimæ mulieres occumberent, & abijs ex hoc peteretur oraculum, numenque consuleretur, hoc latum fuit responsum: *multas periisse, quod puellæ ante tempus nuptui darentur.*

Et quam profectò probabiliorè putemus causam, quod cursus annorum hominum breuis adeò redditus est? Eam nimirum, quod acerbè nimis contingit homines nubere, adeò vt, & sibimet imprimis, & proli nascituræ noxam inferant; sibimet quidem; quoniam proprium eneruant corpus, exhauriunt, vitali succo denudant, spiritus dissipant, & frigiditatem mortis alumnam comparant; inde consequitur vlterius, vt semen etiam ipsum sit debilius, paucum, aquosum, necnon segnibus præditum spiritibus: & quoniam effectus assimilantur causæ, & ex Hippocrate libro de aere, aquis, & locis: omne animal secundum parentes nascitur à sanis sanum, à morbosis morbosum, ideoque ritè Horatius in Odis:

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquila columbam.

Fit iccirco, vt fœtus languidus, frigidus, ac diminutus oriatur; tanta est autem duratio vitæ, quanta caloris insiti, & primigenij mensura; debilis calor est, igitur debilis, & vita: pauciferus calor, ergo & vita modica, & breuis; meritò igitur 7. præcitato Polit. aiebat Philosophus. *est autem iuuenum coniugium incommodum liberorum*

rum propagationis. Quod ab exemplo videtur idem probare, cùm statim subiungit: *Cùm enim in omnibus animantibus imperfecti sint iuniorum partus, ac multò etiam magis fœminarum, eorumque statura exigua, id etiam in hominibus fiat, necesse est:* Sed Aristoteles sibimet parum constans videtur; primo enim œconomicorum scribit, oportere virum vxorem ducere puellam, vt eam doceat bonos mores. Vtique sibi constat Philosophus; nam hoc loco præmonere voluit, nil magis in coniugio aduersum esse, quàm morum disparitatem, & mulieris ritus improbos, ac proinde optimum fore, vt vxor puella conducatur, non quidem vt illam statim ad generationis opus adhibeat, sed vt valeat bonis moribus, & suis consimilibus imbuere; quanti enim referat ad coniugij iucundè ferendum onus morum, Genijque paritas, indicat quotidianus vsus, plenèque docent scriptorum calami.

CAPVT IIII.

Cuius ætatis ad onus coniugij subeundum elegi debeat vir.

CVM dicat Aristoteles 5. de historia animalium, hominem marem vsque ad septuagesimum annum posse generare; fœminam verò non vsque ad quinquagesimum; hinc opinati sunt plerique, debere hominem tantò ætate vxori præire, quantò generatione longiùs procedit: ac proindè cùm viginti annorum spatio sit vir generationis muneri amplius aptus, eundem viginti annorum pariter maioritate mulieri anteire par esse; & huius opinionis videtur esse Montanus. Verùm hæc sententia nec mihi, nec mulieribus arridet: non vtique his; quoniam iuuenem ætate comparem, aut saltem parum distantem excupiunt, ne potius filiæ, quàm vxores videantur. Haud mihi insuper arridet, siquidem id irrationabile est; significauit id nobis Aristotel. 7. illo Polit. vbi sic habet: *Spectandi sunt vir, & mulier, mas, & fœmina, & vitæ tempus, vt eorum ætates eodem tempore concurrant, neque ita vires discrepent, vt vir etiam suscipere liberos possit, mulier non possit, aut hæc possit, ille non possit.* Porrò non imus inficias, quin debeat aliquo ætatis tempore vir vxorem præire; verùm id non sine magna proportione fieri decet, adeò vt decem circiter annos ad summum præcedere illum conueniat, non autem viginti, vt præsignato loco traditur ab Aristotele dicente: *Quamobrem anno circiter duodeuigesimo collocandæ sunt* (scilicet mulieres) illi (videlicet viri) *septimo, & trigesimo, aut paulò ante;* consonat cum Aristotele Solon quidam Poeta apud Theocritum, vbi hæc leguntur carmina.

Quarto septenario quisque præstantissimus est
Robore, ipsique viri signa virtutis edunt:
Quintus maturum iam virum nuptias moliri suadet,
Et liberorum suscipere posterilatem.

Equidem æquis animis ferre non valeo, corruptis hisce nostris tempestatibus adolescentes, ore lac redolentes adhuc intempestiuo connubio iungi; & mediusfidius quam poterunt, nisi debilem, ac mucosam, fragilemque exerere prolem? Aristoteles de historia animalium 5. ait: *Homo incipit ferre semen circa annos bis septem, sed recipit vim genitalem circa annos ter septem.* Quibus certè verbis haud negat ille, posse ante vigesimum primum annum iuuenem opus moliri generationis: reclamaret enim quotidiana experientia; verùm significat ante hoc ipsum ætatis æuum vim seminis haudquaquam perfectam existere, itaut finceram vndique prolem pullulare faciat: Namque iugiter cõspicere est, pubescentium prolem & mucosam, & putibundam, imbecillemque viuere, nec vt prouerbio dicitur, *athleticè, aut paneraſticè valere.* Hoc explicitè decantauit Aristoteles 7. illo Polit. ijs verbis: *vir generat ante ter septimum annum, sed debile, & imperfectum.* Quod luculentiùs adhuc edisserit 5. de historia animalium capite 14. vbi hæc leguntur: *Ætate etiam differunt ad coitum animalia: primum enim magnæ eorum partis semen non simul incipit & externi, & posse generare; sed vis illa prolifica posita accedit; nouellorum enim in omnium animalium generibus prima emissio seminis aut infœcunda est, aut si fœcunda sit, imbecilliora tamen generat, & pauciora, quod potissimum in hominum, &c.* Adde quod in proprio adolescentum corpore noxa, ac decrementum efficitur, quia, vt idem Philosophus ait: *Virorum etiam corpora magnum in crescẽdo detrimentum capiunt, situm, cùm etiam semen augetur, Venereis rebus vtantur.* Nullo itaque pacto permittatur, pubescentes connubio iungi, vxorique, & liberis operam dare; vno enim, eodemque tempore malè cum illis agetur, & peius cum sobole. Hinc prudenter admodum Hesiodus:

Ætate matura vxorem ducito,
Neque multo minor natu triginta annis,
Ne ve multo maior. Ille enim tempestiuæ
sunt nuptiæ.

At non est minus dissonum, atq; improportionatum, viros declinante ætate connubia celebrare: namque.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Rursus, vt quidam non sine lepore concinit;

Militat in teneris annis amor hospes amæ-
nus;
Est in canicie ridiculosa Venus.

Siquidem vt primo offic. ajebat Cicero: *Luxuria omni ætati turpissima, senectuti fœdissima est.* Nec turpis duntaxat, ridicula, & fœda est senum libido, verùm etiam damnosa nimis sibimet, vxoribus, & filijs. Sibi quidem in primis, quandoquidem ad corruptionem propero pede labuntur; ideoque non immeritò dicebat quidam, quòd puella ducta à sene potest secum feretrum deferre pro tumulando marito. Nam senectus per se ipsa morbus est; quo pacto ergo muneri coniugali obeundo sat erit? ideo Philosophus quidam dicere solebat. *Si diues es, & sanus, quandoque potes*, puta vxorem ducere. Enimuerò senescunt magis viri vnico anno, quo cum vxoribus degant, quàm decimo, si soluti viuant, & nuptialem thorum nõ cognoscant; Venus enim quondam à quibusdã dicebatur *Murcia*, eo quòd homines murcidos, idest inertes, flaccidos, & impotentes reddat. Insuper sibi ipsis officiunt, si nubant senes: quoniam, vt inquit Aristoteles toties citato loco: *liberi nec parentibus ætate multò posteriores esse debent, quia neque senibus patribus filij gratiam referre possunt.* Nam vt. Oeconomicorum idem Philosophus tradit: coniunctio maris, & fœminæ in brutis est solum prolis gignendæ gratia; in hominibus verò non huius gratia solùm; sed etiam ut parentes in senio effecti impotentes iuuentur à filijs potentibus. Non immeritò igitur Iuuenalis in Satyris.

meritò suspecta libido est,
Quæ Venerem affectat sine viribus.

Et quod in viros dicitur, idem in mulieres cadit; quò pertinet illud prudentissimæ Saræ, cui cùm denunciatum esset, fore, vt in ipsa senectute prolem exciperet, ita respondit. *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Tandem illud addendum est, quod apud Aristophanem legitur:

Δίσσωνα γὰρ γέροντι νυμφίω γυνὴ. ideſt.
Regina si quidem mulier est sponso seni.

Noxium præterea est senum coniugium filijs, quia semen, à quo coalescunt, spiritibus denudatum est; quare frigidam temperiem, atque adeò morbosã natis inculcat; præterquàm quod, vt inquit Arist. parentes filijs subuenire non possunt. Denique damnosum simul, & ingratum est vxoribus, quia hæ nil magis, quàm senem abhorrent; eò quòd, vt à Luciano tradum adagiũ est Ἀηδὲς γέροντος ἀσκὸς τὸ κράνιον. ideſt, *viri senis velut vua passa cranium*; hoc est inualidũ, rugosum, & flaccidum senile corpus esse, succo exhausto, carnibusque adesis; à quo nemini dubium floridæ naturæ cupidini plenè satisfieri nequit. Adhuc senex vir adolescentulæ nimis insensus est, stomacabilis etiam fœtore, & putore, atque adeò mille, quibus deu incitur, morbis; nam, vt Iuuenalis de senibus loquens, aiebat:

Ille humero, is lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet.

Rursus

senectus
Plena malis deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & tales aspice rugas.

& infr.

Vsqueadeo grauis vxori, natisque, sibique.

Hisce autem defectibus iuuentus florida, & lacertosa nequit se se inauctorare. Hoc dolenter queritur Cornelius Gallus apud Amicam, eò quòd ab illa iam senex ferri non poterat:

Nauseat, & priscum vomitu ceu fundat amorem,
Imponit capiti plurima dira meo.

Inde etiam coguntur sæpè ad illicita degenerare, & senem ad necem odisse: quantum enim ad amorem conciliandum valeat annorum parilis ætas, nemo nescit, Oportet itaque, virum à muliere haud multum ætate discrepantem esse, quatenus mutua beneuolentia conseratur, atque ardentiùs, & incundiùs incumbatur ad generationem; ideoque audire est Euripidem in publica scena dicentem:

Nunc iuuenes adhortor omnes,
Ne in senectute nuptias celebrent:
Sed paulatim in iuuentute liberos procreent;
Nihil enim voluptatis habet,
Et res est mulieri inimica, vir senex.

Hic tandem non reticendum, Lycurgi Spartanorum Ducis, ac Legislatoris institutum, qui prævidens magnum receptum iri dedecus, atq; ignominiam apud senes, qui iuniores ducerent vxores, lege sanciuit, vt liceret seni marito vxorem suam adolescenti commodare, quatenus inde prolem exciperet. Testatur id Xenophon libro de Republica Lacedæmoniorum, & Plutarchus in Lycurgo, vbi sic ait: *Postquam matrimonio impositum verecundiam, & temperantiam, vanam illam, & muliebrem zelotypiam, seu emulationem abegit, honestum existimans petulantiam, & confusionem omnem excludere, liberorum verò, & procreationis communicationem concedere improbans, videlicet eos, qui hac velut seclusa, & ab communi vsu abstracta cedibus, & bellis persequuntur. Nam viro grandiori natu, cui florens ætate erat coniux, si quem probum, & honestum charum haberet, probaretque, ius erat eam huic iungere, & quum impleta esset egregio semine, sibi vendicare partum.*

Ve-

Verùm ab hac lege excludebantur Reges, quorum vxores custodiebantur ab Ephoris vt Nicolaus Cragius tradit de Republica Lacedæmoniorum. Vt finem imponamus, opportunum in viris ætatem nostris temporibus viginti quinque circiter annorum statuimus, in mulieribus vero decem circiter octo.

CAPVT V.

Genere, & fortuna parem vxorem ducendam esse vnicuique.

NON modò ætatem comparem in connubio eligere debemus, verùm etiam generis, & fortunæ similitudinem quàm maximè expetere: cùm enim coniuges ex duobus fiant vnum in carne vna, si partes inter se inæquales nimiùm sint, vir scilicet, & mulier plurimùm inter se status conditione distent, compositum perfectè vnum resultare nequit; quod autem non perfectè vnum, nec perfectè verum, & bonum est; igitur confugium erit in ijs aggregatum quoddam ex discretis, nec fœlix, aut iucundum dici poterit omni ex parte. Hinc Deianira apud Ouidium:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci
Tam iuueni magno coniuge nupta minor.

Et mox:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Inter alias, quæ apud Græcos, & Latinos pariter dictitantur paræmiæ, vna illa nō vulgaris est. *Parem vxorem ducito.* Siquidem communis opinio est, inæqualia connubia inauspicatò nimis cedere. Ideo Plutarchus de liberis educandis parentes admonet, ne suis liberis vxores iungant, quæ potentia, ac facultatibus præeant; eo quòd prouerbio dicatur. *Tua sortis vxorem ducito.* Diogenes Laertius in vita Pittaci ad rem nostram refert historiam quandam, quam hic meritò registrari, par est; sic igitur enarrat: *Fertur autem Sapiens ille, cùm ab Atarnete adolescente compelleretur, vt moneret, vtra sibi ducenda esset vxor; duas quippe se expetere, alteram quidem opibus sibi, & genere parem; alteram vtraque in re excellentem: bacillo fenum admiculo sublato admonuisse, pergeret ad triuium Ciuitatis, quò ludendi causa pueri conueniunt, eosque consuleret, quid facto opus esset, sequereturque illorum monita. Sicque factum esse, adolescentemque illum puerorum vocibus monitum æqualem sibi duxisse. Id factum Calimachus in Epigrammatis venustissimè scribit.*

Nuper Atarneus rogitabat Pittacon hospes
Hyrradij natum, quem Mytilena tulit.
Clarè Senex, gemina inuitat me teda puella
Vna mihi par est, gente, simulq; opibus.
Altera sed præstat, tu fare, quod expedit, oro,
Ducenda in thalamos vtra mihi vxor erit?
Dixerat, ille breui elato senis arma bacillo,
Ecce, ait, hi totam rem, mihi crede, docent
Illi autem celeres scuticis leuioribus orbes
Gyrabant latis in triuijs pueri.
I, sequere illorum vestigia, dicit, & illa
Accedit, recinunt: tu tibi sume parem.
Hæc vbi deprendit, iuuenum æquis lusibus hospes
Commonitus magnis edibus abstinuit.
At tenuem modicas vxorem duxit in ædes.

Ergo Dion post hac: tu tibi sume parem. Dionemque itidem admonet facere, parem vt eligat. Videtur autem ex effectu ita dixisse; nam nobiliorem ipse duxerat Draconis filij Penthili sororem, quæ illi immodicè superba erat. Nempè intolerabilis penè est mulieris fastus, si generis nobilitate, atque etiam opibus viro præcellat: nam illa vti domina imperat: hic ceu despectus inseruit famulus. Hinc Iuuenalis superbiam odoratus nobilioris vxoris aiebat Satira 6.

Malo Venusinam, quàm te, Cornelia, mater
Graccborum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.

Cæterùm si dote magna dines mulier conducatur, imperiosæ dominæ vir mancipatus sub fœua, ac tyrannica ditione perpetuò viuit miserè; nam vt idem Satyricus habet:

Intolerabilius nihil est, quàm fœmina dines.

Et Plautus in Asinaria:

Argentum accepi dote, imperium vendidi.

Siquidem vt idem addidit:

Nam, quæ indotata est, ea est in potestate viri:
Dotatæ mactant & malo damno viros.

Meritò iccirco Plato 6. de legib. dicebat: *O fili, qui ex bonis parentibus ortus es, eas nuptias contrahere deberet, quas prudentes viri honestas ducunt. Qui sanè monerent, nec pauperum fugere, neque diuitum affinitatem sectari, præcipuè oportere; sed cæteris paribus pauperiorem semper honorare, cumque ipso societatem inire. Nam & ciuitati, & familijs, quæ iunguntur, id conducit.* O quàm melius ageretur cum viris, si vxores mediocris conducerent dotis, cuius loco mores optimos, pudorem, atque pudicitiam potius reciperent; id enim facultas, & opulentia est mulieris maxima. Ideoque Horatius lib. 3. Oda 24.

Dos est magna parentum

Vir-

Digitized by Google

Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas,
Et peccare nefas, aut præcium mori

Hinc enim eueniret, vt pari concordia, absque imperio, dissidiis, atque rixis vndique sublatis tranquillam viuerent vitam, moribus, & coniugis probitate apprime fœlices. Id non ignorans Euripides dixerat in Rheso:

Nolim ex potentioribus me coniugem.

Et est illud prorsus, quod inter sapientum apophtegmata refertur Γάμει ἐκ τῶν ὁμοίων, id est vxorem ex æqualibus ducito. Siquidem ἥλιξ ἥλικα τέρπει; ideſt, vt fertur Adagio; *Aequalis æqualem delectat*, vel, vt in Catone Maiore à Cicerone luculentius edicitur: *Pares cum paribus facillimè congregantur*. Hinc 2. Rhetoric. Arist. inquit: *In totum ea natura sese inuicem delectari, quæ genere sint coniuncta, aut similia, vt hominem homine, equum equo, adolescentem adolescente* Atque hæc satis esse debent, si illud postremò addatur, Lycurgum lege sanxisse, vt mulieres absque dote conducerentur eo consilio, vt mulieres, quæ optimæ, & honestissimæ eligerentur, non autem quæ diuites: hominesque pudorem, non aurum captarent.

CAPVT VI.

Quo anni tempore nuptiæ, aut connubia celebranda sint.

APVD Romanos priscæ ætatis mos, erat nuptias celebrare Martio, & Aprili mense; Maio verò penitus inhibitum fuerat. Hinc Ouidius in fastis:

Nec viduæ tedis eadem, nec Virginis apta
Tempora, quæ nupsit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te prouerbia tangunt,
Mense malas Maio, nubere, vulgus ait:

Vnde hoc? Plutarchus in Problematibus has rationes adducit: *An quòd inter Aprilem, & Iunium medius interiectus est? Quorum quum alter Veneri, Iunoni alter dicatus sit, Deabus scilicet, quæ nuptijs præsunt, aut parum ante capiunt, aut parum expectant? An quòd hoc mense maximo piaculo vtuntur, effigies modo de ponte abijcientes, quum prius homines consueuissent? Vnde Flaminicam Iunonis sacerdotem triste esse eo tempore, quippe quæ eo mense nullo cultu vtitur, nec lauatur, moris est? An quòd pleraque Latinorum hoc mense mortuis parentant, et ob eam causam Mercurium quoque eodem mense venerantur, qui Maia cognominis est? An vt quidam dicunt, Maius à maioribus natu appellatus est, Iunius à iunioribus? Nuptijs verò accommodatior est iunior, vt inquit Euripides. Nam senectus Venerem valere sinit, ipsaque Venus senibus infensa est. Abstinent igitur nuptijs Iunium expectantes, qui Maium deinceps excipit.* Hactenus Plutarchus. Dicunt alij, mulieres ideo mense Maio haud nubere, quia eo mense vmbra Remi occisi à fratris Celere creditur apparuisse nutritio suo Faustulo, atque etiam Accæ Laurentiæ, hisque mandasse, vt suis manibus iusta persolueret, vnde festa Remuria, seu immutata littera Lemuria institutus fuerant, ac proinde illi dies nuptijs nefasti credebantur.

Putarem tamen ego, id apud Priscos Romanos, sicuti alios plerosque ritus superstitiosum fuisse; atque adeò rationabilius dici posse, ideo primis illis mensibus nuptias celebrari consueuisse, quia id temporis Veneri est aptissimum, siquidem vt Virgilius in Georgicis:

Vere redit vigor ossibus.

Quare vir, & mulier ad Venerem stimulantur, eo quòd sanguis dominatur, membraque affatim enutrit, vitalesque spiritus emicant magis; Vt hinc meritò Idus Aprilis apud Priscos Romanos Veneri sacri dicerentur; inde Horatius carminum 4.

Idus tibi sunt agendæ
Qui dies, mensem Veneris marinæ
findit Aprilem.

Hanc ipsam consuetudinem fuisse apud Persas, auctor est Strabo Geographiæ 15. At Maio ideo non licere; quoniam tunc æstiui calores persentiri incipiunt, in quibus Veneris vsus ablegari penitus debet: & ex hac causa neque Iunio mense par est inire coniugium; atque hæ naturales rationes esse debent. Verùm Arist. Politic. Opportunum tempus ad connubia statuit hyeme: Quare hoc? An quia hyeme vir ad Venerea procliuior, & aptior est ex Philosopho? An fortè tunc temporis Veneris palæstra minus affert virium dispendium ob caloris vnionem? An quòd hyeme seminis copia exuberat ob dapsiles cibos, quos adhibemus, eorumque perfectiorem concoctionem? vt enim habetur in Aphoristicis Hippocr. oraculis: *ventres hyeme, & vere calidissimi sunt natura, & somni longissimi; in histe igitur temporibus alimenta plura sunt asserenda.* An quia hyeme homines, vt plurimum vacantes à negotijs generationi, & liberis commodiùs operam nauare possunt? Nam otia Venus amat; Verùm de his libro 8. vbi de tempore, Veneree mixtioni congruo plenius agetur.

Tandem esto parergon, Calendas Martias Romæ celebrari consueuisse matronis, quibus solis illa dies erat festiua, qua etiam mariti pro vxorum suarum salute preces, & sacrificia dijs offerebant; hinc spectat illud Horatij Ode octa-

na libri tertij.

Martijs cœlebs quid agam calendis?

CAPVT VII.

Qua ratione mutua inter coniuges benevolentia perpetuò seruari possit.

NON æqualitas modò ætatis, Generis, & fortunæ ad amorem stabiliendum penes coniuges exigitur; verùm etiam sanguinis naturalis conformitas, Genij, & morum conspiratio, nec non etiam ipsius formæ similitudo; quo spectare videtur illud Titi Calphurn. in eclogis:

Esse pares, & ob hoc concordes viuite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociauit, & ætas.

Siquidem, vt moralium libro Aristotel. non semel ait ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, hoc est *Simile Simili amicum*, eò quòd ὁμοιότης φιλότητος μήτηρ. Hinc dicebat Empedocles apud Aristotelem 1. de Anima, iccirco entelechiam, ideſt animam, vnumquodque elementorum cognoscere, quoniam ex omnibus his elementis conflatur; immo etiam elementorum quiduis esse, atque adeò ex affinitate eadem cognoscere, ijsdemque congaudere: Empedoclis hæc sunt carmina,

Terra quidem terra sentitur, lymphaque lympha,
Aetherque aethere purus, at ignis noxius ignis,
Dulcis amore Amor, atque odio funesta simultas.

Præterea, vt reciprocus amor, & concordia semper apud coniuges retineatur, debent hi sibi ad inuicem morem gerere, adeò vt velle, ac nolle ambobus idem sit, neque vel in minimis discrepent. At in primis necesse est, vt vir sponsæ nullam prorsus zelotypiæ occasionem præbeat; hinc enim funditus perit amor, & concordia radicitus euellitur, ideo Seneca in Medea:

Nulla vis flamma, tumidique venti
Tanta, nec tel: metuenda torti,
Quanta cùm coniux viduata tedis
ardet, & odit:

Idem Seneca in Hercule Oeteo maiori adhuc energia Zelantis mulieris efferum animum, atque efferatum impetum sic expressit:

O quam cruentus fœminas stimulauit dolor,
Cùm patuit vna pellici, & nuptæ domus:
Scylla, & Carybdis Sicula contorquens freta
Minus est timenda, nulla non melior fera est.

Enimuerò amoris venenum, & interitus apud mulierem suspicio pellicis est; quot hinc scelera? quales rixæ? quæ odia insurrexerunt? sanguine commaculati sunt thalami, maciatæ proles, domus euersæ, dimissus pudor, nihil non infame, turpe, & execrandum patratum semper est. De Arte Amandi Ouidius lib. 2. mulierem coniugis zelotypia æstuantem similem esse dicit fuluo ardo, dum fulmineo rotat ore canes: lænæ, cùm catulos lactat; viperæ, dum læditur pede; & his deterior in ferrum, flammasque ruit, his crudelior læthale vomit ore venenum. Vna extitit nomine Tertia, Æmilij coniux, quæ tantæ fuit comitatis, vt non ignorans virum suum, Aphricæ domitorem ancillam domesticam decora quidem facie impatienter adamare, atq; in delicijs habere, rem perpetuò dissimulauit, nec tantum virum incontinentiæ reum declarauit; & quod magis est, Æmilio mortuo, non modo ancillæ iniuriam non vindicauit; sed illam & manumisit, et magna cum dote nuptui tradidit. At meritò commendatur historiæ insigne facinus tanquã prodigiosum, & non nisi Corneliæ Matre dignũ.

Narrat præterea Valerius Maximus libro 2. capite 1. extitisse olim Romæ sacellum dicatum Deæ Viriplacæ, in quod vir, & vxor, quoties aliquid intercedebat iurgij, conueniebant; ibique expositis ex vtraque parte querimonijs, & petitionibus, tandem omni sedata contentione concordes domum remeabant. O quàm foret necessarium, vt cuique domui vnum ex his anneteretur sacellum. Cæterùm si naturalia quędam exposcit is auxilia. Orpheus, Mizaldo referente, iubet sponsum ceruinum cornu gestare: sic enim futuram perpetuam concordiam sponsi cum sponsa, pollicetur. Ac longè cornua: virorum enim malè sonant auribus; & vereor ne mysticè sit locutus Orpheus. Idem ipse Mizaldus auctor est, quòd si cor masculinæ coturnicis à viro gestetur, & fœminæ à fœmina, fore, ait, vt nec lites, nec iurgia inter illas oboriri, aut spargi valeant. Vtinam vis hæc auferendi iurgia his pharmacis insideret; fortè enim thorus semper haud streperet litigioso murmure, siquidem vt Iuuenalis Satira 6. commonet.

Semper habet lites, alternaque iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.

Vtinam, inquam, aliquid esset in rerum natura, quòd coniuges vnanimes redderet, eorumque ita mentes faceret concordes, vt nulla opus foret diuortij lege, quam vel Plato Dialogo 11. sanxit his verbis. *Si vir, & vxor propter morum acerbitatem inuicem non conueniant, decem viri de legum custodibus, qui medij sint, & decem mulieres de curatricibus connubiorum prouideant, quorum sententia, si ita conclusi fuerint, valida, & stabilis habeatur; sin autem illorum animi vehementius, etiam irascendi flu-*

fluëluent, facto diuortio, illos pro viribus quærant, qui vtrisque conueniant. En quantum morum disparitas coniugum seditioni faueat. Athenis quoque, teste Plutarcho in Alcibiade, magistratus erat, qui de repudijs ius diceret, & publica auctoritate sublatis contentionibus virum vxori conciliaret. Nec insuper reticebo monitum illud, quod in epistola Iuliæ, & Mallij apud Catullum fœminis inculcatur.

Nuptatu quoque, quæ tuus
Vir petet, caue, ne eneges,
Ne petitum aliunde eat.

Tandem, & esto finis, dicebat quidam, ita citra querimonias, ac tranquillè matrimonium transigi posse, si videlicet vxor cæca, surdus maritus fiat. Nec amabo quisquam paruipendat isthæc monita, si quidem non parum ad humanæ vitæ fœlicitatem conferunt, iuxta illud Horat. 1. Carminum.

Fœlix ter, & amplius
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citius soluet amor die.

Coniugij tanta fœlicitas, ac beata conditio, quæ uis raro obtineatur, non est detrectanda tamen, siquidem illius consortes non pauci fuerunt.

Insolubilis namque, nec morte quidem coniugalis huius amoris exempla exstitere plurima, vti Pantasileæ, Portiæ Romanæ, Cammæ Galaticæ, quarum meminimus alibi; At hic vnum instar omnium ex Plutarcho in Amatorio adiungam æternis dignum caracteribus, & coniugum omnium mente altè reponendum. Sic ergo legitur: *Iulius, qui in Gallia defectionis auctor fuit, cum alios multos habuit, vt fieri solet, sui conatus Socios, tum Sabinum quoque, hominem non degenerem, & qui diuitijs, gloriaque omnes alios facilè vinceret. Hi rebus arduis tentatis, successu caruerunt; eumque supplicia se daturos præsentirent, partim se ipsos è vita eduxerunt, partim in fuga capti sunt. Sabino autem cæteroqui facilè licebat, fuga ad Barbaros facta, salutí suæ consulere. Sed vxorem duxerat optimam, nomine Emponam (Græcè Heroidem diceres) hanc cum neque dutere secum posset, neque deserere sustineret, & rure haberet sub terra effossas cameras, in quas reponi res vtiles possent, duobus tantum notas libertis: reliquos famulos omnes dimisit, se veneno sibi mortem consciturum simulans; duos, quos fideles norat, assumpsit, & in specus istas subterraneas descendit: misso ad vxorem liberto Martiali, qui patronum veneno extinctum, & casum villæ cum eo conrematam esse renunciaret. Volebat enim luctu vxoris fidem facere sui, quem fingebat, interitus. Idque etiam euenit; nam ea, vt erat accepto nuncio lamentans, & eiulans in terram proiecit sese, tresque dies, ac totidem noctes sine cibo ita exegit. Quod vbi resciuit Sabinus, metuens, ne se prorsus vita exolueret, occultè Martialem ei significare iussit, viuere se etiam num, & occultari: rogare autem, vt adhuc aliquantulum in lugendo perseueret, accuratèque mariti interitum simulet. Tragœdiam huius calamitatis vxor admodum artificiosè egit: tamen noctu desiderio viſendi ad maritum vêtitatis nemine obseruante, & tantum non apud inferos cum eo consuenit. Exactis septem mensibus facta spe impetrandæ veniæ vestè tonsura, & capitis redimiculo ignotum redditum obuijs Romam perduxit. Sedre infecta, in suam is specum redijt: ipsaque cum eo maiorem temporis partem sub terra exigens, interdum Romam iuit, amicis, & necessarijs mulieribus se visendam præbens. Et quod credita difficillimum est, cum ijs lauans fefellit vterum gerens. Nam medicamentum, quo mulieres comam inurgentes faciunt auri in morem rutilam, & fuluam, pinguedinem habet, qua caro siue fit grandior, siue rarescit, itaque diffunditur quasi, & maior fit eius moles, hoc illa in cæteris membris vsa affatim, attollens se, & turgidum celauit ventris onus. Partus verò dolores sola ipsa pertulit leænæ in morem, ad maritum in foueam sese abdens, natosque duos, vt sic loquar, catulos educauit, quorum alter in Ægypto occubuit, alter nuper admodum Delphis nobilium fuit nomine Sabinus.* Hactenus Plutarchus. Nunquid coniugalis beneuolentiæ monumentum potest esse maius? quòd enim apud Getas vxores viris e mortuis consepelirentur, falsumà plerisque existimatur. At hæc vna verè dici potest, in atro specu, suo adhuc viuo, sed extincto credito marito confunerata. Verùm enimuerò, ne quis putet beneuolentiam inter coniuges Veneris duntaxat in illecebris, amplexuque libidinis auido collocari, & non potius in officiosa consuetudine, & quodam perpetui, atque intimi amoris vinculo consistere, audiat seueram illam sententiam Sexti à Rhodig. 16. antiq lectionum capite 24. his verbis registratam: *Sextum in sententijs dixisse, auctor Hieronymus est, adulterum esse, quis quis in vxorem suam ardentior est amator; mox subiungit: quippe in vxorem alienam omnis amor turpis est, in suam verò nimius. Sapientis est vxorem amare, sed iudicio, non affectu libidinis pruritus rationis examine reprimendi, nec præcipites ferri in concubitum debemus: fœdius nihil, quàm vxorem amare perinde ac adulteram. Venit in mentem historia, cuius auctor Seneca est, qui à se cognitum quendam, tæstatur, ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia vxoris pectus alligabat; & ne momento quidem præsentia eius carere poterat, potumque omnino nullum sibi; nisi alterius præguſtatum labris vir, & vxor hauriebant, alia item pleraque, nec inepta minus facientes, in quæ improuida vis affectus erumpebat. origo quidem amoris honesta erat,*

erat, sed nimietas deformitate non caret bat.

Esto tandem πρόσφορον. Præcipiebatur in exodo, ne maritus denegaret vxori horam, vestem, & alimentum. Quid pro veste, & alimento intelligatur, notum est. Pro hora significatur tempus reddendi debitum iuxta illud Apostoli: *Vxori vir debitum reddat; similiter autem & vxor viro*; & quidem ex hoc maximè seruatur amor coniugij. Talmudistæ apud Hebreos nimis ridiculosè præscribunt horas, idest tempora reddendi debitum; aiunt enim, otiosos quotidie vxori debere debitum reddere: Opifices bis in hebdomada: Asinarios semel: Camelarios semel in mense: Nautas saltem bis in anno. Pape! An non ex his Heraclytus ipse rideat?

CAPVT VIII.

Problemata quædam ad nuptias pertinentia ex Plutarcho: In quibus Gentilium ritus valde mysterioſi continentur, & explicantur.

I.

QVID est, quòd nouæ nupta cùm in matrimonium datur, ignem, & aquam iubetur attingere? An quòd in elementis, ac principijs eorum alter maris, altera fœmina locum tenet, & is principium motionis injecit, illa verò subiecti, ac materiæ vim habet? An quòd ignis purgat, aqua verò lustrat; vxorem verò puram, & castam permanere oportet? An aliud potius? Quòd quemadmodum ignis sine humore, nec alitur, & ieiunus est, atque aridus; aqua verò sine calore sterilis & ignaua: sic mas, & fœmina, nisi coeant, disiuncti langueſcunt, & nihil efficiant necesse est? Quorum coniunctio in matrimonium coeuntibus coniugium perficit, qui deferendus non est, & omnis fortunæ casus communiter subeundus, etiam si nullius boni nisi ignis, & aquæ participes inter se futuri sint.

II.

QVid est, quòd nec plures, nec pauciores, sed quinque tantummodo faces in nuptijs ascendunt, quas cereos appellant? An illud est, quod Varro prodidit, Imperatores tribus vti solitos esse, ædilibus plures adhiberi? Moris est autem, vt ab ædilibus, qui vxorem ducunt, faces accendant. An quòd quum plurimis in rebus numeris vtantur, tum cæteris melior, ac perfectior sit, & ad nuptias impar numerus conuenientior, atque aptior habeatur? Par enim numerus & diuisionem suscipit, & eius paritas aduersatur, ac pugnat. Impar verò omnino scindi non potest, sed si diuidatur, semper aliquid commune relinquit; ex omnibus verò imparibus numeris quinarius potissimum nuptialis est. Tria enim primium imparis locum tenent, duo verò paris: ex quibus tamquam ex mare, & fœmina quinarius commisceatur numerus? An illud magis, quòd eum lux generationis signum sit, mulier vero non plures, quàm quinque vno partu natura possit edere, iccirco totidem vtuntur facibus? An quòd quinque Dijs opus habere eos putant, qui matrimonio coniunguntur, Ioue adulto, Iunone adulta, Venere, Suadela, & in primis Diana, quam etiam in partu, & dolore mulieres inuocant?

III.

QVid est, quòd vir ab vxore, vxor à viro donо aliquid accipere prohibetur? An quòd, vt Solon scripsit, morientium donationes ratæ sunt, nisi quis, inquit, necessitate coactus, aut ab vxore persuasus accipiat? Necessitatem enim quasi vim afferentem, voluptatem verò quasi decipientem excepit. Sic vxorum donationes, ac virorum suspicione non caruerunt? An quòd vilissimum benevolentiæ signum donatio sit? Dant enim & alieni, & qui non amant. Idcirco hoc dandi lenocinium ex matrimonio subtulerunt, vt non mercenarium, sed gratuitum, & spontaneum sit hoc totum amare, & redamari? An quòd accipiendo corrupta alienos admittunt, gratissimum visum est gratis suos diligere? An illud potius quòd viri, & vxoris rem communem esse oportet? Nam qui, quod datum est, accipit, is quod datum non est, id alienum esse censeri, didicit: quo fit, vt exiguum inuicem dando totum perdant.

IV.

QVid est, quòd à genero, ac socero viro, & vxori aliquid dono capere non licet? An idcirco à genero, ne forte per parentem munus ad vxorem redire videatur? A Socero autem, quòd qui nihil dedisset, eum nihil accipere par esse, visum est?

V.

QVid est, quod nouam nuptam ipsum limen transcendere, non permittitur? An quòd qui primas mulieres rapuerunt, sic eas domibus intulerunt, non ipsæ ingressæ sunt? An eò inuitæ ingredi videri volunt, vbi virginitatem sunt amissuræ? An quòd potius signum est, ipsam non sua sponte domo exituram, nec relicturam esse, nisi coacta fuerit, quemadmodum vi coacta ingressa esset? Nam apud nos quoque in Bœotia currus axem pro foribus comburunt significantes, sponsam intus manere oportere, tamquam eo sublato, quod eam asportaturus fuerat.

VI.

QVid causæ est, quòd sponsam introducentes iubent dicere: vbi tu Caius, ego Caia? An ita cum viro quasi depacisci tur, vt omnia communia sint; & pariter imperent, nec aliud his verbis offenditur, nisi vbi tu dominus, ac do-

mus compos, sic ego domus domina, atque hera? An magis propter Caiam Ceciliam honestam fœminam, ac bonam vnicam Tarquinijs liberis collocatam, cuius in sancti templo statua ex ære posita est? Inerant iam pridem & sandalia, & colus curæ domesticæ, & industriæ suæ certa monumenta.

VII.

QVid est, quod in nuptijs Talasij nomen crebrò iactant? An propter lanificium, quòd nos Talarum & Talasium quasillum vocant Romani, & sponsam introducentes pellem substernunt, ipsa vero colum secum infert, & fusum, viri autem ianuam lana coronant, ac cingunt? An illud verum est, quod historici tradiderunt, adolescentem quendam in rebus bellicis strenuum, & in primis præclarum, & alioqui virum optimum, Talasium nomine Romæ fuisse: sed postea cum Romani Sabinorum filias, quæ ad ludos venerant de composito rapuissent, virgo egregia specie Talasio ferebatur à popularibus quibusdam, & Talasij clientibus clamitantibus, quò tutius eam auferrent, nec quisquam accederet, qui eam abstraheret, violaretque, puellam Talasio ferri? Reliqua igitur multitudo Talasij honoris causa bonis ominibus, ac votis puellam prosecuta ad Talasium deduxerunt. ex illo, quoniam nuptiæ fœlices fuissent, solemne permansit, vt quemadmodum Græci Hymenæum, ita Latini Talasium ominis causa in nuptijs nominarent?

VIII.

QVid est, quòd maritus primò sponsæ, non in luce, sed in tenebris iungitur? An quia eum pudet, quòd antequam coeat, alienam putat? An & ad propriam verecundè accedere meditans, & assuefaciens? An quemadmodum Solon scripsit, sponsam malo cydonio degustato thalamo ingredi solitam, vt primus complexus nihil strictè, aut iniucundum haberet: Sic Romanus legislator, si quid absurdum, ac deforme corpori aderat, occultauit? An calumnia quædam, & accusatio illicitæ Veneris erat, quod fiebat cum legitimis, ac iustis connubijs, pudor quidam, & verecundia adhibebatur?

IX.

QVid est, quod veteri more vxores nec molere, nec coquere permittebant? An veteris aduersus Sabinos fœderis memoriam colentes? Nam post filias Sabinis raptas, facta pace, & societate inita in fœdere nominatim exceptum est: vxorem viro Romano nec molere, nec coquinariam facere.

X.

CVr nubentium comam hastæ cuspide discernunt, ac discriminant? An signum est, prima connubia violenta, & per bellum fuisse? An statim discunt, vxores viris fortibus, & bellicosis coniunctæ seuerum, & minimè effœmina-

A tum, & tenuem cultum, ac virilem ornatum probare, quemadmodum Lycurgus in foribus, & laquearibus domorum faciendis terebra tantum, ac securi vtendum, alijs instrumentis abstinendum, ratus, omnem intemperantiam, & superfluos sumptus funditus subtulit? An diuortium ea re significatur, quod solo ferro nuptiæ dirimendæ sint? An illud magis, quòd pleraque ad connubium pertinentia Iunoni attribuebant? Nam & hastam Iunoni consecratam esse, existimant, & eius statuæ, vt plurimum hastæ innixæ cernuntur, & Quiritis Dea appellata est: nam quiris antiquo nomine hasta dicebatur. Hinc, & Quirim Martem nominatum esse dicunt.

XI.

B QVid est, quòd publicis festis veteri more virgines non nubunt, viduæ nubunt? An, vt Varro dicit, quòd virgines cum in matrimonium dantur, doleant, mulieres verò lætentur? Die autem festo omnem tristitiam, ac necessitatem abesse oportere? An quòd virginibus decorum, viduis verò multis præsentibus fœdum nubere? Fœlices enim, ac faustæ primæ nuptiæ, secundæ verò tristes, ac detestandæ. Pudet enim, viuis adhuc eis, quibus antea nupserant, alios accipere, mortuis autem vti quæ luxerint: quò fit, vt magis quietè, quam strepitu, & deducentium multitudine delectentur. Dies verò festi multitudinem adeò distrahunt, vt his rebus per otium interesse non possit. An quòd Sabinorum filias virgines inter ludicrum die festo rapientes bellum excitauerunt, ideirco filias diebus festis nuptui dare omni causa noluerunt?

C

XII.

QVid est, quòd propinquis, & cognatis non nubunt? An quòd nuptijs necessitudines augeri volunt, & vltrò, citròque filias dando, & accipiendo multos sibi propinquos adiungere? An quod cognatorum dissidia inter se verentur, quibus naturæ iura vna cum propinquitate tollantur? An quòd mulieres propter imbecillitatem multorum, ope & auxilio egentes videbantur, & propinquis idcirco adiungere noluerunt, vt si quà à suis viris iniuria afficerentur, cognati opem ferrent

D Hæc erunt satis, qui plura cupit Plutarchum ipsum, & alios reuoluat; propero enim ad reliqua, vt suauiori palato philosophiæ opiparas mensas delibemus, ac pleno etiam ore conficiamus.

CA-

CAPVT IX.

Nonnulli antiquorum ritus, ac ceremoniæ penè ridiculæ in celebrandis nuptijs, breuibus appensis allegorijs.

INconnubijs faciendis non parum delirauit Gentilitas, quando ieiunibus mille ritibus, & ludicris ceremonijs vtebantur prisca ætatis homines; adeò vt ioci, vel nugæ, quàm ritus dici potiùs debeant. Quid enim an non ridiculum existimari debet in primis, quòd sponsus, nuptias celebraturus, nuces vndique e domo spargebat? Quò pertinet illud Catulli in Epithalam. Mallij, & Iuliæ:

Da nuces pueris iners,
Concubine satis diu
Lusisti nucibus, lubet
Iam seruire Talasio,
Concubine nuces da.

Quo nempè ludo monitos volebant sponsos, vt, omissis, puerilibus nugis, ad grauiora, magisque seria conuerterentur, vt coniugale poscit onus. Quamuis Plutus libro 15. aliam affert causam, ob quam in nuptialibus ceremonijs nuces antiquitus adhiberentur. Hæc sunt eius verba. *Nuces iuglandes quamquam & ipsæ nuptiarum fescenninorum comites, multum pineis amores vniuersitate, eademque portione, ampliarat nucleo. Necnon & honor his naturæ peculiaris, gemina ex electis operimenta, pulpitudini primum calicis, mox lignea putaminis. Quæ causa eas nuptijs fecit religiosas, fore maditi fœtu munito, quod est verisimilius, quam quia edendo tripudium fonumue faciant.* Addit Festus Pompeius, ideò à pueris nuces spargi solitas in nuptijs, vt nouæ nuptæ intrant, domum noui mariti fausium fierent auspicium. At nugas capite maiores.

Cimbri vngues sibi resecabant, & e sponsis alter alteri in mutui consensus argumentum segmen mittebat. Id sine vllo mysterio factum putandum est: Sanè crediderim, idcirco inter coniuges apud Cimbros consuesse vngues demandari, vt significarent, omnem prorsus immunditiam, ac dedecus ablegaturos se se esse, atque etiam omnem superfluitatem dimissuros. Nisi velimus dicere, vngium missione commonuisse, etiam inter coniuges, & sponsos vilia chara esse debere, & accepta; neque vlla ex parte alterum alterius defectus, & imperfectiones auersari, aut stomachari debere. Huic sententiæ consonat illud Pythagoræ symbolum: *Vngium, eximiumque præsegmina ne commingito*, ideſt, vt eruditus quidam explicat, asinos, humiles, & abiectos cognatos noli contemnere, nec floccipendas coniugis vel ipsa resegmina.

Apud Chaldæos consuetudo erat, vt ipsa nuptiarum die sacerdotes domum adirent neonymphi, ibique ignem accenderent, qui non nisi morte vtrius extingui mox debebat; & si casu vllo vnquam tempore inueniebatur extinctus, matrimonij vinculum dirimebatur, nisi tamen per quadraginta annorum spatium conuixissent. Mysterium huius ritus illud esse crediderim, vt nimirum commonerent, nunquam penes coniuges ignem, ideſt amorem, ac benevolentiam, restingui debere; amoris enim hieroglyficum, ignis est; namignis charitas est, & vt Saluator noster dixerat: *ignem veni mittere in terram*, charitatem videlicet, & amicam benevolentiam.

Apud Armenos, & Lydos, auctore Strabone, mos erat omnibus modijs detestandus, vt nubiles virgines prostituta fierent, & sibi scortando dotem compararent; deinde, verò nuberent. Huius impuritatis alij multi populi consortes extitere, vt Pomponius Mela, Iulius Solinus, Ioannes Aubanus, Alexander Sardus, & alij testantur.

Theutonici caput in nuptijs abradebant sibi, sponsus videlicet sponsæ, & hæc illi. An forte, vt significarent, opus esse, in posterum, vtrumbo coniugum vanis cogitationibus renunciarent, capilli enim ioanis cogitatus, & curæ superfluæ symbolum sunt?

Armeniæ populis hic ritus insuper erat. Sponsus abscindebat sponsæ acumen auriculæ dextræ: hæc autem sinistræ auriculæ verticem ipsius sponsi. Huius rei mysterium depromi forsitan posset ex vna, aut altera harum paræmiarum, vel ex hac videlicet: *nec aures habeo, nec tango*; quibus verbis denotatur, aliquem sic aliorum dictis fidem præstare, vt sibi ipsi non credat; atque adeò sponsos, ita sibi alterum alteri fidem præstare debere, vt alteruter propriis auribus nihil fidens, alterius quasi auribus audiat. Vel ex hoc alio dicterio, puta: *auriculam mordicus abstindere*: Quo significatur impotens odium, atque impatiens vindictæ cupiditas; hinc M. Tullius in quadam epistola ad Quintum f atrem, aiebat: *Ad inimicitias res venisset, si cum Esernino Samnite Pacideianus comparatus videretur; auriculam fortasse mordicus abstulisset*; Et sic Armeni auricularum amputatione commonere volebant, nunquam in posterum ad id odij, & vindictæ sponsos descensuros, vt hanc sibi particulam & morderent, & abscinderent; ideoque amputare prius in nuptiarum solemnitate consueuerunt.

Apud Romanos nouæ nuptæ flammeo velabantur, quod erat genus veli croceri; hinc Lucanus:

Lutea demissa velarunt flammea vultus,

Plinius libro 21. *Lutei video honorem in nuptialibus flammeis totum fœminis conceſſum. Et Catullus in Epithalam.*

Tollite, ò pueri, faces,
Flammeum video videor. Hoc velabantur, ne ductæ ad maritum erubeſcerent nuptæ.

Penes Thraces ſponſa tenue, & acuminatum ferrum incendebat, eoque candente caracterem aliquem ad libitum in fronte coniugis inurebat, & ſic e conuerſo. An vt ſignificarent, vtriuſque vitam haud amplius liberam eſſe, ſed alterius alteri deuinctam, non ſecus ac mancipia caracteribus obſignari ſolent? Etenim coniuges non amplius in propria viuunt poteſtate, ſed vnus alteri perpetuò inauctoratus ſeruitium præſtat; quod etiam D. Paulus ediſſerit.

Olim apud Romanos Nuptæ coronabantur amaraco; fortè quia ex Plinio herba hæc vuluam calefacit. Ideo Catullus:

Cinge tempora floribus
Suaue olentis amaraci.

Inter Dacas hic ritus frequens erat; ſponſi amplectebantur inuicem, & vnus alteri nouum nomen imponebat. An ita conſueuiſſe, putandum eſt, eòquòd coniuges nouam quaſi vitam initiabantur; ac proinde noua etiam nomenclatura eos nuncupari, conueniret. Verè quidem aliam, qui nubunt, vitam auſpicantur; ex libera nempe ſeruilem, ex cælibe voluptuoſam, ex tranquilla tumultuoſam, ex dulci amaram, & iniucundam; vt enim M. Tullius epiſtola 14. ad Atticum de Quinto loquens ſcribebat: *A ducenda autem vxore ſic abhorrent, vt libero lectulo neget, quicquam eſſe iucundius.* Quare Plautus in Pœnulo.

Negotij ſibi qui volet vim parare, nauem, & mulierem,
Hæc duo ſibi comparato.

In Regione Icyonia à Sicyone Vrbe vetuſtiſſima Pelopponenſi dicta, dum connubia celebranda erant, hic ritus præibat: ſponſus vnum ex ſuis calceamentis vxori demittebat, & ſi mulier nuptijs aſſentiebatur, illud recipiebat, vnumque ex ſuis retromittebat. An vt ſignificarent ſtatus mutationem apud ipſos faciendam eſſe? Nam calceos mutare, recepta parœmia à Cicerone, ſtatus conditionem immutare deſignat.

Apud Numidas in ſolemne nuptiarum coniuges in terram conſpuebant, & ex ſputis facto luto ſuos ad inuicem frontes inungebant. Quid eſt hoc? Nullus vel apud Barbaros ritus abſque myſterio, vt puto, extitit. An hominis primam productionem ex luto, adumbrato velamine reſignare volebant? An fortè, ex vtroque ſemine fœtum coagulandũ, indicare; eo modo, quo ex amborum ſputo lutum effingebatur? An potius ita eorum corpora ex duobus vnum fieri debere, ſicuti lutum ex duplici ſputo? An inſuper eo ipſo luto propriam fragilitatem notare curabant, quatenus illius memores, Venereo vſu corpora haud perperam macerarent? Plures tute ſenſus comminiſcere; mihi ſatis prædicti videntur.

Penès Tarentinos nymphus, dum nuptiæ peragebantur, vxoris manibus cibum aſſumere neceſſe habebat; & exaduerſo vxor e coniugis manibus; quod ſi fortè fortuna quicquam alter e coniugibus proprijs digitis comediſſet, protinus irritum fiebat connubium. An ex eo, quòd alter alterius coniugis vitæ curam habere debet? alter alterius inhiare ſaluti?

Solon iubebat, ſponſam non prius cum ſponſo concumbere, quàm málum cotoneum delibaſſet: innuens, vt Plutarcho placet, primam gratiam, quæ ab ore, voceque ſponſæ demanat; ſuauem, & benè compoſitam eſſe oportere. Hinc mos veterum, Mercurium iuxta Venerem collocare, vt innuerent, nuptialem voluptatem ratione, aptoque ſermone in primis indigere.

In Lepta Lybiæ ciuitate, referente Plutarcho, ritus patrius eſt, vt ſponſa poſtridie quàm celebratæ ſunt nuptiæ, ad ſponſi matrem petitum illam mittat. At illa nec dat, nec ſe aſſerit habere; vt videlicet principio cognitis in ſocru nouercalibus moribus, ſi quid grauius poſtea contingat, iniquo animo non ferat, neque ſuccenſeat. Plura, ne ſim prodigus, tute lege apud Polydorum Virgilium.

Tandem non ſileamus ἐπαύλια δῶρα, ideſt, dona magnifica apud Græcos, quæ poſtero poſt nuptias die ſponſæ pater ſplendido comitatu, ac pompæ cuiuſdam ſpecie ſponſo adducebat; namque puer candida toga prætextatus præcedebat, facem geſtans ardentem: ſequebatur caniſtrifer; poſt hunc longa ſeries aſportantium aurum, argentum, monilia, pelues, arcas, & reliquam ſupellectilem, cum dote ipſa. Poſcis auctarium? pete ab Ælian. 8. de varia hiſtoria, vbi Alexandri nuptias poſt victum Darium his deſcribit: *Cùm Alexander Darium ſuperaſſet, nuptias ſui ipſius, & amicorum celebrauit: erant autem, qui vxores ducebant nonaginta, totidemque thalami, eratque locus, vbi viri conuiuabantur, lectis centum ornatus, & argenteus tripes in vnoquoque poſitus, in Alexandri verò aureus: omnes menſæ ſtratæ purpura, & pictis ſtragulis barbarico more, & precioſo textu. Ad conuiuium quoque adhibuit ſuos hoſpites, quos e regione voluit accumbere in aula: conuiuabantur copiæ pedeſtres, nauales, equites, legationes, & peregrini Græci. Tubæ ſigno accumbebant, eodemque, ſed vario, finem adeſſe ſignificabatur; quinque integros dies propter nuptias ſacrij operam dedit: anteverterunt etiam cantores, aßoresque multi comœdiarum, & tragœdiarum: Indici quoque præſtigiatores, qui in ea*

Digitized by Google

ea arte, cæteris ea tempestate præstabant, dicuntur affuisse.

At nostræ sacrosanctæ orthodoxæ Ecclesiæ ritus in fide matrimonij iungenda omnibus honestior est, simplicior; atque omnis prorsus superstitionis expers. Nam proclamationibus palàm datis, terque repetitis in festiuis diebus ad hoc, vt si quæ affinitas inter futuros coniuges intercedat, reuelari possit, solo verbo, *Volo*, indissolubile nectitur vinculum Spiritu sancto conspirante; adeò vt duo sint in carne vna. Quodque Deus ipse coniunxit, homo non separat.

CAPVT X.

De quibusdam Legibus veteris testamenti spectantibus ad connubia.

DVÆ leges e diametro contrariæ in veteri pagina leguntur, vna quidem in Deuteronomio, altera in Leuitico. In illa præciebatur, vt quando e duobus fratribus simul habitantibus vnus absque liberis interiret, alter acciperet vxorem defuncti, & in ea semen fratris suscitaret. Verba Deutoronomij cap. 25. sunt hæc. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filiũ nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel. Sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque. Non vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel; nec me in coniugium sumere. Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit, nolo eam vxorem accipere; accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, spuetque in faciem illius, & dicet: sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui, & vocabitur nomen illius in Israel domus discalceati.* Ex vi huius legis, vt puto, Boho accepit Ruth vxorem propinqui defuncti, vt habetur a Ruth, vbi sic legitur: *Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ vxor defuncti fuit, debes accipere, vt suscites nomen propinqui tui in hereditate sua. Qui respondit, cedo iuri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere debeo, tu meo vtere priuilegio, quo me libenter careo, profiteor. Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat: vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo; hoc erat testimonium cessionis in Israel, &c.* Cæterùm filius, qui nascebatur ex tali coniugio, Hebræis dicebatur Iibun, qui tamen dicebatur filius fratris defuncti, & non viuentis; hic enim in vxore sua suam conserebat prolem, adeòut, sicuti colligit Franciscus Georgius; qui secundam vxorem tenere non poterat, nec poterat facere Iibun, ideſt filium fratris. At quorsum lex ista? num, vt habet textus, ne periret nomen fratris? An potius ne portio terræ distributę deueniret ad aliam familiam? Videant hęc, & iudicent sacræ paginæ doctores. Quæres, cur iuberetur expui in faciem fratris, nolentis facere Iibun? vt illi fieret opprobrium tamquam impio, & fratricidę, cò quòd renueret eius semen suscitare, in quo vita defuncti reuixisset. Quodcunque enim excrementum in aliquem iuijciatur, transit in eius infamiam; hinc Pythagora dixerat; Πρὸς τὸν ἥλιον τέτραμμενον μὴ λαλεῖν, ideſt, *ad Solem ne mingito*, Sol autem dicebatur ab antiquis oculus Dei. In Leuitico autem capite 18. & 20. mandabatur inflicta pœna, ne quis misceretur cum vxore fratris sui, verba Legis sunt. *Qui duxerit vxorem fratris sui, rem facit illicitam; turpitudinem fratris sui reuelauit, absque liberis erit.* Porrò hę leges conciliantur, si dicatur, in vxore fratris, nomine fratris licuisse generare; nomine autem proprio nefas fuisse: aut potius dicas, fuisse illicitum, vbi frater mortuus iam prolem fuscepisset,

CAPVT XI.

Præcepta aliqua connubialia ex Plutarcho selecta, aliquibus dilucidationibus locupletata,

QVONIAM moralissimus Plutarchus quadraginta nouem præcepta connubialia Poliano, & Euridici coniugibus conscripsit, operęprætium me facturum arbitror, si aliqua ex ijs, quæ præstantiora sint sellgam, atque hic apponam, vtiquoddam corollarium; quatenus tractatus de nuptijs & plenior, & iucundior vnicuique degustetur: erit igitur primum.

I.

Quemadmodum ignis in paleis, leporinisque pilis facilè accenditur, ocyusque restinguitur, ni aliqua materia, qua ipsum foueat, & alat, adhibeatur: ita breuem amorem nouorum coniugum corporis forma inflammatum, nec durare posse, nec firmum esse, existimandum est, ni in bonis moribus collocatus à prudentia foueatur, & animatum effectum capiat. Benè quidem Plutarchus

Digitized by Google

chus, nam statim euanescit amor, qui ad vxoris caducam pulchritudinem dirigitur solùm, ideòque Iuuenalis:

Erstringe subeant, & se cutis arida laxet;
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Colligat ut paruulus, dicit libertus, & exi,
Iam grauis es nobis.

II.

LVnam, cum abest a Sole, lucidam, claramque videmus: admota soli obscuratur, & occultatur. At contrà modestam vxorem, oportet cum viro existentem se se maximè videndam exhibere; quum verò abest, ædes custodire, ac latere. Respondet præcepto monitum Horatij ad Asteriam, Gygis familiaris absentis vxorem carminum 3.

Prima nocte domum claude, neque in uias
Sub cantu querulæ despice tibiæ,
Et te sæpe vocanti
Duram difficilis mane.

III.

VT speculum auro, gemmisque ornatum vitiatem nullam affert, nisi similem speciem referat; sic opulenta vxoris nullus fructus est, ni vitam, mores que præstet cum vita, & moribus viri congruentes, & consentaneos. O quàm bene illud Iuuenalis Satira 6.

Malo Venusinâ, quam te Cornelia mater, etc.

Vide etiam Plautum in Asinaria.

IV.

LAcæna Ancillæ à quodam interrogata, an iam accessisset ad virum; non ego, inquit, sed ipse ad me. Hoc mea quidem sententia in hera, matronaque esse debet, vt neque deuitet huiusmodi, nec egrè ferat incipiente marito, nec id ipsa prior tentet: vt enim hoc meretricis est, atque impudentis, sic & illud fastuosæ, nec virum amantis. Hoc monumentum 5. libro syluarum Statius inculcauit his metris:

Nec frons tristè rigens, nimiusque in moribus horror,
Sed simplex, hilarisque fides, & mixta pudori
Gratia.

V.

VXorem amicos proprios habere, non oportet, sed vti communibus cum viro, cum verò sit primus, & maximus Deus, quem vir censet esse colendum, solum eum cognoscere vxorem decet, eurioſaque religiones, & peregrinas superstitiones à vestibulo domus arcendæ sunt; nullis enim Deo sacra occulta, & absconditæ gratæ sunt, à muliere si fiant. Cultus disparitas coniugum impedit societatem, & perfectæ benevolentiæ inimica est.

VI.

HElena, diuitiarum appetens, Paris voluptatum fuit: Vlysses verò prudens, & modesta Penelope, propter eorum connubium felix, atque optabile: at nuptiæ Paridis, & Helenæ malorum iliadem Græcis, & Barbaris fecerunt. Calamitosum semper erit coniugium, cuius nexus voluptatis, vel opulentiæ magis, quàm virtutis vinculo nectitur.

Probitas, fidesque coniugis, mores, pudor
Placeant marito, monebat in Octauia Seneca.

VII.

SOcrates, vt se in speculo adolescentes intuerentur suadere consueuerat, vt deformes virtute corrigerent, pulcri, ne deturparentur vitio; Matrona quoque cum in manibus speculum habet, secum ipsa dicere debet, si deformis est. Quid, ni temperans, & pudica sim? Pulchra verò, quid si præterea sim honesta? Nam deformis, si propter mores, non propter formam diligatur, veneratio quædam accedit. Huc basilicè collimant Ouidij de medicamine faciei celeberrima illa carmina.

Prima sit in votis morum tutela; puellæ
Ingenio facilè conciliante placent.
Certus amor morum est, formam populabitur ætas,
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculi vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor:
Sufficit, & longum probitas perdurat in ævum,
Perque suos annos bina bene pendet amor.

Digna sanè verba christiano vate.

VIII.

LYsandri filiabus vestes, muliebremque mundum præciosum Tyrannus Siculus misit: at Lysander rapere noluit, fatus, hoc ornamentum deberestabit potius filias meas, quàm ornabit. Sed ante Lysandrum hoc Sophocles dixit: Non est hic ornatus, ô infelix, verum dedecus videbitur, tuque iusania mentis. Ornamentum enim est, vt inquit Crates, quod ornat; ornat autem, quod honestiorem mulierem facit: talem verò præstat non aurum, non smaragdus, non coccineus color, sed quæcunque grauitatis, moderationis, & pudoris specimen adsunt. Recte quidem ex Plutarcho hi Philosophi aiebant. Siquidem vt Plautus habet in Mustellaria:

Posse neque aquam ornata est bene, si morata est male.

Eridem in Aulo adhuc melius, & elegantiùs:

Pulchrum ornatum turpes mores peiùs cæno celant.
Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.

IX.

QVi nuptiali lustrationem faciunt diuinam, cum victima fel non consecrant, sed exemptum post diram abijciunt, innuente legumlatore, nunquam hilarem, & mansuetum in connubio esse oportere. Debet enim vxor viri, & matrona auditas iucunda, atque viris esse, non amara, vt olim, vsque prædicata. Sanè Plutarchus prudenter

ter loquitur; ira enim sæpius repetita amorem denique extirpat radicitus. Procul, ah procul mulieris ira, de qua Iuuenalis satira 6.

minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie tecum incendente feruntur
Præcipites &c.

X.

AEgyptijs mulieribus vti calciamentis, patrius mos non fuit, vt se se domi continerent. At pleræque fœminæ, si auratos calceos, & armillas, & femoralia demissi, purpuramque, ac margaritas, domi manent. Iure quidem præceptum hoc Plutarchus inculcat; nam comptæ mulieres, & ornamentis undique redimitæ vagari cupiunt, vt inspiciant, & inspiciantur; conuiuia, theatra, & choreas adire expetunt, vnde postmodum perit, qui redire nescit, pudor, vt ait Seneca in Agamen. Hinc meritò primo de arte amandi Ouidius.

Vt redit, itque frequens longum formica per agmen,
Grantifero solitum dum vehit ore cibum.
Aut vt apes, saltusque suos, & olentia nactæ
Pascua per flores, & thyma summa volant:
Sic ruit in celebres culti fœmina ludos;
Copia iudicium sæpe morata meum est.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ:
Ille locus casti damna pudoris habet.

XI.

ELiensibus Phidias Venerem fecit, testudinem calcantem, indicans, mulierum esse munus, & ades custodire, & silentium: Debet autem vxor aut cum marito, aut per maritum loqui, non ægrè ferens, si aliena lingua tamquam tibicen grauius loquatur. Prælarum vtique præceptum, quando mulieres natura omnes loquaces effrena lingua mille pariunt noxas; nec in vxore maius vllum præter silentium desiderari potest ornamentum; Vnde Sophocles in Aiace flagellifero, Γυναικὶ κοσμον ἡ συγὴ φέρει. id est mulierem ornat silentium, quod etiam vulgato frequentatur adagio.

XII.

COrpora, Philosophi dicunt, alia ex discretis constare, vt classem, & exercitum: alia ex coniunctis, vt domum, ac nauem: quædam vnita esse, atque concreta, vt singula animalia. Ferè igitur connubium, quod ex amantibus conflat vnitum, concretumque est; quod verò dotis, liberorumque procreandorum gratia est ex coniunctis; concumbendi causa coniugium ex discretis, quos simul habitare, non simul viuere arbitrari, quispiam possit. In omnibus omnino debent esse duo in carne vna.

XIII.

GRæci, qui erant cum Cyro duces, iubebant, vt si hostes vociferantes impetum facerent, cum silentio exciperent: quod si illi silerent, contra ipsi inuaderent cum clamore. At mulieres, quæ quidem sana mente sunt, quum irati mariti clamant, silentium agunt; quum verò silent, eos allaquuntur, & consonantes mitigant, ac leniunt. Ignem gladio ne scalpas, hoc est, ne verbis, operibusue iratum concites, lacessasque, in Symbolis monuit Pythagoras, quod præceptum dubio procul vxoribus apprimè seruandum.

XIV.

REctè Euripides accusat eos, qui lyra in poculis vtuntur. Ad iram enim potius, luctumque adhibenda musica est, non insuper cantu soluere, qui in voluptatibus existunt; existimate vos igitur, errare eos, qui cum gaudio, voluptateque gelliunt, re venerea vtuntur, & quum ira, dissidioque vexantur, seorsum cubant, quum tum maximè Venerem, optimum huiusmodi malorum medicum, accersere opus esset. Quam rem Poeta docet, dicente Iunone.

vestra ego iurgia soluam:
Vos & amore pares iungam, thalamoque locabo.

XV.

MVlier quædam, cùm à Philippo traheretur, Dimitte me, inquit, omnis enim mulier, sublata lucerna, eadem est. Hoc aduersus naturam adulteros, intemperantesque homines rectè dicitur. Nuptam autem decet remoto lumine, non cuiusque mulieris similem esse, sed tum maximè cum corpus non videtur, modestiam, moderationem, amorem, & charitatem erga virum præseferre, ac se illius esse propriam ostendere. His consonat Aristotelis monitum illud in Oeconomicis: Sit pudor in verbis, in operibus verò fas, atque honestas, nec partes quatiant sine verecundia, ac pudore; hæc enim meretrices ad mœchos pati, decet. Etenim vt contra Neæram Tullius aiebat; Meretrices quidem voluptatis gratia habemus: concubinas verò propter quotidianam corporis curationem: vxores porrò ad legitimos liberos procreandos.

XVI.

PLato senes hortatur, vt iuuenes verententur, vt & illi erga ipsos verecundiam conseruarent, vbi enim pudorem senes abiciunt, nullas in eos verecundia iuuenibus residet. Huius igitur memor maritus nihil minus vereri vxorem debet, quàm si thalamus officina modestiæ, non intemperantiæ sit futurus. Qui verò voluptatibus ijs fruitur, à quibus illam coerceat, nihil ab eo differt, qui vxorem cum hostibus iubet pugnare, quibus ipse se dedit. Prudens consilium; nam læso pudore apud coniuges facilè est eorum periclitari pudicitiam, ideo Boetius libro 2. metro octauo:

Hic

Hic & coniugij sacrum.

Castis nectis amoribus. Quàm ergo imprudenter, quàm stolidè coniuges illi agunt, qui nullam cum vxoribus verecundiam seruant, imo etiam gloriam æstimant, suas cum vxoribus parum honestas voluptates obloqui, illasque parum verecundè cum extraneis agere. Vtinam vtinam Romæ, imo vbique terrarum virorum lenitate, & inani ostentatione plerǽque mulieres sancti pudoris iacturam non facerent. Referam hìc non sine lectoris iucunditate Candaulis Lydorum Regis insignem, sed funestam historiam, qua poterit vnusquisque addiscere, quàm honestè, quàm verecundè, quàm religiosè sint vbique res vxoriæ habendæ: sic ergo Herodotus in Clio.

Hic igitur Candaules vxorem adamabat, eamque præ amore arbitrabatur, omnium fœminarum esse pulcherrimam. Hoc ita esse sibi persuadens apud Gygem Dascyli filium ex satellitibus suis (erat enim is maximè ipsi acceptus, eoque ministro in rebus magis arduis vtebatur) speciem vxoris supra modum extollebat. Ad quem non multo interiecto tempore (necesse namque erat, ei male euenire) inquit his verbis, Gyges, neque enim videris mihi fidem habere referenti de coniugis specie: (quod magis incredulæ sunt hominibus aures, quàm oculi) fac illam conspicias nudam. Hic autem vehementer exclamans, quemnam, inquit, here, sermonem profers haudquaquam sanum, qui me iubes, inspicere heram meam nudam? Mulier exuta tunica, & verecundiam pariter exuit. Iam olim hominibus sunt honestà excogitata, vnde discere debemus: ex quibus hoc vnum est: Quæ sua sint, quemque inspicere debere. Ego verò tibi fidem habeo, illam esse fœminarum omnium speciosissimam, teque oro, ne me oves illicita. Atque hæc dicendo Gyges repugnabat, pertimescens, ne quid sibi ex ea re mali contingeret. Cui vicissim ille his verbis, fidens, inquit, esto Gyges: caue timeas aut me, tanquam hoc te sermone tentantem, aut vxorem meam, ne quid tibi ex ea detrimenti creetur. Principiò enim sic ego machinabor, vt illa, ne deprehendere quidem possit, se abste fuisse inspectam. Te namque secundum fores cubiculi, in quo cubamus, quum aperte fuerint, collocabo. Vbi ergo fuero ingressus, aderit & vxor mea in cubiculum: iuxta cuius introitum sella posita est, super quam vestes illa (vt quamque exuet) reponet, se se per multum otium spectandam præbens: quæ cum à sella cubitum perget, ostendens inuicem terga, curæ tibi sit deinceps, ne te per fores abeuntem conspiciat. Gyges igitur vbi effugere non potuit, fuit paratus: quem Candaules postea quàm hora cubandi visa est adesse, in cubiculum duxit: statimque post & vxor adfuit; quam introeuntem, ac vestimenta deponentem Gyges intuitus, vbi auersa fuit illa cubitum vadens, ipse e loco prorepens, foras abijt: & inter exeundum à muliere conspectus est. Hæc, vt didicit à viro, quid actum esset, neque præ pudore exclamauit, neque visa est percepisse, habens in animo Candaulem vlcisci. Apud Lydos enim, & fere apud cæteros quoque Barbaros magno probro est, etiam virum conspici nudum. Ita tunc nihil aperiens mulier, silentium tenuit. Mox autem vbi dies illuxit, quos domesticorum maximè sibi fideles intelligebat esse, quum præparasset, Gygem accersit. Hic eam nihil suspicans scire eorum, quæ acta erant, accersitus venit: quippe qui antea solitus esset ad reginam concedere, quoties ab ea vocaretur. Vt venit, adeum his verbis mulier inquit. Nunc duabus tibi præsentibus vijs, Gyges, offero electionem in vtram malis diuertere. Aut enim me pariter, ac regnum Lydorum, vbi Candaulem interfeceris, aut te ipsum continuò occumbere sic oportet: ne in omnibus Candauli obsequendo posthac scias, quæ te scire non decet: sed aut illum, qui ista consuluit, interire opus est, aut te, qui nudam me ea conspicatus, & illicita fecisti. Ad hæc verba Gyges primum obstupefactus, postea obsecrare illam, ne se ad talem necessitatem adigeret, alterutrum eligendi. Vbi non persuadet, sed vtique propositam sibi necessitatem cernit, aut interimendi herum, aut per alios perecundi, elegit, vt ipse superesset: atque ita percontans illam inquit. Quandoquidem me adigis inuitum ad herum meum occidendum, age audiam, quo pacto illum adoriemur? Excipiens illa, ex eo, inquit, loco adoriendus erit, vnde ille me nudam ostendit; in sopitum impetus dabitur. Postea quàm igitur insidias instruxerunt, & nox aduenit, Gyges nihil cunctatus est, quippe cui nulla deuitandi facultas esset, sed necesse aut perire, aut Candaulem perimere; mulierem in thalamum sequitur, quem illa, dato pugione, subter eadem fores occulit, vnde postmodum ipse procedens quiescentem Candaulem obtruncat, vxoreque eius, & regno potitus est. Hactenus Herodotus.

Lex erat apud Lacedæmones in hunc finem, vt vi rapta sponsa à Pronuba adduceretur, atque in thoro sine lumine collocaretur; ad quam deinceps clam, sobriè, & modestissimè sponsus ingrediebatur: vnde illud Plutarchi in Lycurgo: *Sponsus non vino grauis, nec delicijs confectus, sed sobrius cum solito more in Phiditijs cœnatus esset, latenter ingressus sponsæ cingulum soluebat, eamque tollens in lecto transferebat, nec longo tempore ibi commoratus abibat modestè dormiturus, vbi solitus cum reliquis iuuenibus.* Rem totam Plutarchus ipse claudit: inquiens, *thalamum Stholam esse aut modestia, aut impudicitiæ.*

CA-

CAPVT XII.

Felix, atque auſpicatum nuptiarum omen, earumque hieroglyphicum.

EX veterum inſtituto cornices in nuptijs omine auſpicatiſſimo ſolitum fuit nominari; ideoque Zezes apud Heſiodum vxorem auſpicatò ducendam monet, ſi duæ cornices obuiam quoquo modo conueniantur; ſi verò vna tantum obſeruetur, inauſpicatum coniugium creditur. Huius rei fortè ratio eſt, quòd ex alitis huius ouis, vt naturales tradunt, duo tantum excluduntur fœtus, mas, & fœmina vt plurimum; & ſi fortè ambo mares, aut fœminæ exurgant, cœlibem vitam agere dicuntur; & ſi rurſus altera cornicum intereat, altera nunquam copulatur, ſed, vt Maro dicebat:

Sola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.

Aque ex hac eadem cauſa duæ cornices maritalis copulæ ſymbolum fiunt; quo nempe myſterio Martem, & Venerem per duas cornices ſignificabant Ægyptij, auctore Pierio. At ſicuti cornicum occurſus propitius erat, ita earundem garrulitas infauſta, ideoque Virgilius:

Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.

Cæterùm ſi quis nubere cogitans, vt onirocritæ docent, lyram per ſomnium videat, fœlices, & concordes nuptias inire creditur. Atqui vana hæc. Præterea apud Ægyptios numerus xvi. voluptatis Hieroglyphicum erat; xxxii, vt coniugatus, nuptiarum ſymbolum. Item, vt ſcribit Pierius, maritalis vitæ indicia, proprièque ſimilitudines catenæ ſunt; Adhuc anularis digitus coniugij hieroglyphicum eſt. Noua nupta rurſus per puellam depingebatur apud veteres, verbenam ſub auriculam occultantem, quomodo in ſacro nuptiarum faciendo mulier adſiteb t. Et hoc, vt exiſtimo, pluribus de cauſis; vel quia herba hæc ſexu diſtinguitur, altera enim recta dicitur, & eſt mas; altera ſupina, & eſt fœmina. Vel quia hæc ipſa herba columbina dicitur, ac proinde aliquo modo ſecunditatem ſignificat; ex quo, aiunt, eadem non parum columbos congaudere; vt proinde indicaretur, nuptam fœcundam eſſe debere; vel quia verbena ſacra dicitur, nam ea olim apud Romanos domus purgabatur, familia luſtrabatur, Iouis menſa ad ſacrificium, & epulas verrebatur, & Fœciales in ſacris legationibus illa coronabantur, atque adeo ſignificaretur, nuptias rem quandam ſacram eſſe. Vel quia aqua verbenacæ, ſi ſpargatur triclinium, lætiores conuiuas facit; & proinde nuptiarum lætitiam denotaret, & augeret;

A Vel tandem, quia ex Dioſcoridis notha, verbena recta genitale intendit, id quod in nuptijs requiritur neceſſariò. Has Verbenæ proprietates lege apud Dioſcoridem, Plinium, & alios.

CAPVT XIII.

Quo vſque coniuges Generationi apti ſint.

NON toto ſuæ vitæ curriculo vir, & mulier generationi deſeruire poſſunt, ſed vſque ad ſtatum, quoddam à natura tempus. Verùm antequam hunc ſtatum terminum requiramus, operepræ-
tium erit animaduertere, quo nam tempore generationis opus tam in viro, quàm in muliere opportunè inchoetur. Virum itaque generare poſſe decimoquarto anno, communis eſt ſententia; vt plurimum tamen in eo anno generare non accidit; at potius in decimo ſexto, aut ſaltem decimo quinto. Et hoc ſanè nec poteſt abſque diſtinctione affirmari; Siquidem iuxta & viri, & mulieris diuerſam complexionem diuerſimodè etiam id accidit. Qui enim frigidam, ac ſegnem à natura temperiem adepti ſunt, hi dubio procul in decimo quarto anno haudquaquam generant, ſed virtus eorum genitalis ulterius prorogatur; Exaduerſo, quicunque præcalidum, fortiuſque temperamentum ex utero obtinuerunt, non modo in decimo quarto, verum etiam decimo tertio anno generant aliquando; quod tamen rariſſimè accidit, ſique fortè contingat, naturæ conatus præcox indicatur, & conſequenter uitæ breuitas; namque naturæ quodcunque præmaturum opus breuem eiuſdem curſum portendit, Siquidem ut decantatum axioma eſt: *Violentum nullum durabile.* Ex quo Marcus Cato in declamando edixit Romæ: *Odi puerum præcoci ingenio.* Inde enim unum, aut alterum ex his conſequi neceſſe eſt; aut nimirum illum in ætate matura fore imprudentem, & rudem; aut uitam breui extinctum iri, eo prorſus modo, quo quæ nimis immaturè prolificant arbores, aut citò exiccantur, ut ait Ariſtoteles, aut ſteriles euadunt; ſiccantur autem, quia nutrimentum tranſit in ſemen.

Simili modo fœturæ principium in muliere eſt ut plurimum in decimo quarto anno, ſed poteſt etiam eadem in decimo tertio concipere, ut ſæpius accidit, cuius rei ratio eſt, quòd multò plura ad agendum, quàm ad patiendum requiruntur; Quocirca cùm uir agat, & mulier patiatur, nihil mirum ſi ad patiendum aliquantò ante mulier à natura diſponitur; Agens autem paulò longiori ſpatio temporis indiget, quatenus ad actionem tempeſtiuè progredi poſſit. Inſuper naturę

Digitized by Google

equitati consonum videbatur, ut quę citius opus aliquod initiantur, citius etiam relinquant, & quę seriùs, diutius prorogent. Quare cùm multò ante, quàm uir, uirtute genitali mulier destituatur, eadem ante etiam donari debet. At non erit fortassis alibi, miras quasdam, atque intempestiuas generationes ex classicis, & fide dignis auctoribus hic fideliter apponere; & primò quidem ex ueteri biblio intemerata monumenta producantur. Phares nonum agebat annum, cùm genuit Ezron. Salomon undecim annorum genuit Roboam. Achaz autem decemnis Ezechiam procreauit. Vide secundum, tertium, & quartum Regum librum.

Refert Agatarchides, & meminit etiam Plinius libro 7. capite 2. historiarum naturalium, apud Indos populos quosdam esse, qui Mandri, & Calingæ nuncupantur, quorum fœminæ quinto, & septimo anno concipiunt, quod an sit verum, sit fides penès auctores.

Phlegon de mirabilibus refert ex Cratero Antigoni Regis fratre, quòd homo quidam illi notus septem annorum spatio & puer fuit, & adolescens, & vir, & senex, & uxorem duxit, & progenerata prole mortuus. Vtique, si uera est historia, senex in septennio hic mortuus est, siquidem, vt ille ait, *Qui ad finem suæ ætatis uenit, senex moritur*.

Diuus Hieronymus, siue fuerit Diuus Gregorius, vt placet Hostiensi in decretis, asseueranter narrat, nutricem quandam, quæ cum puero decem iam annorum cubabat, quadam nocte libidinis æstu irritatem ob uini meracioris largiorem potum, infantem obscœnis motibus ad libidinem induxisse, & inde concepisse.

Leonhartus Fuchsius & ipse testatur, quandam puellam nouem annorum concepisse. Confirmat hoc idem Sauonarola, auctor alioquin magni nominis, fideque dignissimus, qui scribit, se uidisse puellam nouem annorum, quæ conceperat, cui quidem euentui fidem non derogo, non solùm quia refertur ab eximio uiro, sed quoniam possibiliter id fieri potuit: *possibili autem posito in actu nullum sequi debet absurdum*. Siquidem ex supra deductis rationibus de uiri præpropera fœcunditate ob feruidius temperamentum, mulier quoque potest uirtute genitali non parum anteire. Nam cùm nono illo anno potuerint effluere menstrua, uel ob magnam caliditatem, uel ob uenarum latitudinem, potuit etiam puella concipere, quoniam ad conceptionem sanguis ille necessarius est, vt habeat fœtus vnde coalescere, ac nutriri. Cæterùm dum excurrunt menses, semen quoque in spermaticis loculis sufficienter detineri, manifestum est; non enim natura sanguinis recrementa expelleret, nisi iam omnibus partibus alimento præstò fuisset, atque etiam prolificum semen elaborasset: sed iam quis sit vltimus generationis terminus in hominibus, examinemus.

Aristoteles, vt ab Archisopho exordiar, docet 5. de historia animalium, hominem vsque ad septuagesimum annum generare posse; mulieres autem non vsque ad quinquagesimum, sed magna ex parte uiris procreandi finem esse in quinto, & sexagesimo anno; mulieribus verò circa quadragesimum quintum. Enimuerò neque hoc absque exceptione asseri debet; quandoquidem fieri potest, vt ex meliori, deteriorue temperato aliquis seu vir, seu mulier hunc terminum uel prætereat, uel non attingat: calidior enim uir dubio procul genitali uirtute diutius præditus est; quod significauit Aristoteles 8. de historia animalium, dum dixit: *Mares plurimi ad sexagesimum generant, quem si excesserint, ad septuagesimum usque procedunt*. Eodem modo mulier maiori prępollens caliditate vlteriùs multo conceptionem protrahit; quod identidem significatum est ab Aristotele prætacito loco dicente: *vt plurimum menstrua desinunt mulieribus circa quadragesimum annum, & illis, quæ excesserint tale tempus, seruantur usque ad sexagesimum, & nonnullæ illo tempore peperuerunt, sed ultra non possunt protrahere*. Euentus etiam plurimi Aristoteli, & rationibus saquent.

Plinius libro 7. capite 14. scribit, Volumnium quendam (Volusium alibi) natum ex matre, iam sexagesimum secundum annum excedente: mater autem erat Cornelia e Scipionum familia. Idem auctor eodem libro testatur, Masinissam Regem post octuagesimum annum genuisse filium, itemque Catonem Censorium in ætate octuaginta annorum. Idem supra relatus Sauonarola tract. 6. capite 22. auctor est, Nicolaum de Pallauicinis filium à se genitum in centesimo anno excepisse. Alexander Benedictus de curandis morbis libro 25. narrat, tempestate sua Germanum quendam nonagenarium prolem suscepisse. Valesius à Taranta vidisse se puerperam testatur, quæ sexagesimo septimo ætatis anno prolem dedisset. Cardanus libro de variet. 8. sic habet: *Albertus vidisse se refert, mulierem in Germania, cuius primogenitus vltimum quadraginta annis superabat*, & statim subiungit, *fieri potest quandoquidem ad sexagenarii usque parere potest mulier*. Id comprobari potest ex Cordeo comm. 6. libri 1. Hippocratis de morbis mulieb. vbi narrat, Damiselam quandam septuagenariam ex concitatiori motu rhedæ, qua vectata fuerat, abortum fecisse. Plura si cupit auidus lector exempla, Marcellum Donatum adeat; qui libro 4. de medica historia mirabili, eo, quo solet ingenij candore, & eloquentiæ flumine plurima ex clarissimis auctoribus colligit. Nec prętereundum est e sacra pagina, Abrahamum iam octogenarium ex Agare Ancilla filium genuisse Ismaelem; sed hoc fortè ni-

nihil mirum esse debet; quandoquidem priscæ ætate octuagesimus annus erat potius ætatis flos, quàm senilis, vt penes vetus testamentum centum leguntur monumenta; vnde Moyses, qui annos viginti quinque supra centum vixerit, querebatur, quòd iuuenis interiret: sed responsum tulisse fertur, neminem imposterum plus esse victurum. Elysabeth autem, quoniam supernaturali gratia in extremo senio concepit, à rem nostram minimè facit. Omnes profectò recessiti casus naturæ curriculo rarissimè contingunt, quoniam, vt inquit Aristoteles, in prima ætate; in senioribus, & in infirmis non est sperma; præterquamquod spiritibus algentibus, virtute oblanguente, Genio marcescente, ac tandem pene flaccescente, nequaquam fit in viris erectio; id quod querulus dolebat Cornelius Gallus iam senex, quo tempore totus torpescebat, ac priapus alto sapore tenebatur, hæc sunt eius verba:

Mentula festorum cultrix operosa dierum,
Quondam diuitiæ, deliciæque meæ.
Quo tibi feruor abit, per quem feritura placebas?
Quò tibi erectatum, vulniferumque caput?
Nempe iaces, nullo vt quondam suffusa rubore:
Pallida, demisso vertice, nempe iacet.
Nil tibi blanditiæ, nil dulcia carmina prosunt:
Non quicquid mentem sollicitare solet.

Verum enimuero si quis eum in prolificam virtutem vterinis multò producere, variisque vtatur Venere; huius enim intemperato vsu redditur semen aquosum, in quo vis genitalis fernari nequit; redditur pauciserum, quare non fat est ad conceptionem; redditur frigidum, atque adeo generationis officio ineptum. Hinc Læuinus Lemnius asserebat, senes multos & ualidos, & robustos, qui adolescentiam continenter, ac moderatè transegerint, ad septuagesimum annum fœcundos permanere, & in concubitu peragendo uiriliter substinere; idque satis experiri Barbantes, Gothos, & Sueuos. Addit, accepisse à Nauclero fide digno, imperante Gustauo, interfuisse nuptijs viri cuiusdam annorum centum, qui in matrimonio sponsam triginta annorum fæciuerat, quiq; ex hac numerosam suscepit prolem. Propterea qui diutius mulieri geniali voluptate desiderat, concumbat rarò; eò magis, quòd proles ab ijs proditur perfectior, qui Veneris limina quotidie non calcant. O quàm magis præstantaneum foret, homines etiam non secus, ac plenaque animantia tunc solùm adhibere certamen, quando prolis conceptio fieri deberet; & illa habita abstinere! Verum hæc alibi, sicuti etiam alibi proponentur medicamina, quæ seruando diutius natiuum calorem, spiritusque reparando vim generandi vlteriùs prorogant.

CAPVT XIIII.

De his, qui transeunt ad secundas nuptias.

QVI semel nuptias celebrant, vt lætam excipiant prolem, nullo crimine insimulandi sunt: honorandi potius. Memini me legisse, forte apud Plutarchum, penes Coryncthios nuptias vsque adeò fuisse in honore, vt innupti, & qui filios non haberent, post mortem carerent sepulchro; & vt supra relatum est, Mercurius ille ter magnus eorum consortium fugiendum iubebat, qui liberorum generationi minus incumberent. Vtique, vt satis probatum supra est, frugi, castæ, ac bene inoratæ mulieris inire coniugium, est magnæ felicitatis incrementum, vt Simonides in suis carminibus exp. essit lepidè sic:

Exape creatæ coniugis felix vir est,
Quæ sola nulli crimini est obnoxia,
Vitamque longam, & floridam facit viro,
Charoque chara consenescit coniugi:
Fœcunda pulchra, & splendidæ propaginis,
Interque cunctas fœminas spectabilem
Decore circum gratia ambit undique
Diuina: Segnes nec frequentat circulos,
Vbi de venereis fabulantur fœminæ.
Tales mulieres Iuppiter longè optimas,
Et singulari præditas prudentia
Præbet benignus, & fauens mortalibus.

At palinodiam recinamus. Qui post primas nuptias iterum sese coniugio iungunt, recti consilij expertes uitam incommodam, infelicem, asperamque uiuunt. Proculid genus hominum, quorum fortè commercium magis, quàm innuptorum euitandum est. Infelix, ac miser admodum ille censendus est, qui proprio periculo non didicit vitare malum, arcere nefas:

Perdatur ille pessimè, qui fœminam
Duxit secundus, nam nihil primo imprecor,
Ignarus, vt puto, mali primus fuit.

Canebat Eubulus in Crisilla apud Atheneum Dipnos. 13. Franciscus Petrarcha dial. 76. cum dialogista dixisset: *Secundas nuptias celebrabo*, respondit illico: *Si nosses ad liquidum, quidest fœmina, quòd de illa magni scribant viri, ne primas quidem nuptias celebrasses.* Porrò quæ in mulieres à pluribus dicta, aut scripta sunt propemodum legi, ac numerari nequeunt conuitia, & opprobria; nam & in prouerbium transijt: *Fœmina nihil pestilentius*; quò pertinent septem illæ mulierum proprietates, passim decantatæ, videlicet eas esse *canellas in Ecclesia, Angelos in aceruis, Dæmones in domo, Bubones in festis, Picas in porta, Capras in horto, in lecto soto-*

fœtorem. Sed illa in primis maxima sunt, quæ à D. Antonino Episcopo Florentino, contra mulieres per alphabetum regiſtrantur tertia parte, tit. primo, capite 26. videlicet: Mulier.

A. Auidum Animal.
B. Beſtiale Barathrum.
C. Concupiſcentia Carnis.
D. Damnoſum Duellum.
E. Æſtuans Æſtus.
F. Falſa Fides.
G. Garrulum Guttur.
H. Herimnis Horrenda.
I. Inuidioſus Ignis.
K. Kalumniarum Chaos.
L. Lepida Lues.
M. Monſtruoſum Mendacium.
N. Naufragij Nutrix.
O. Opifex Odij.
P. Prima Peccatrix.
Q. Quietis Quaſſatio.
R. Ruina Regnorum.
S. Sylua Superbiæ.
T. Truculenta Tyrannis.
V. Vanitas Vanitatum.
X. Xantia Xerſis.
I. Idolorum Imago.
Z. Zelus Zelotypus.

Nec profectò plura, nec deteriora in fœmineum genus euomi poterant maledicta, quę omnia ab ipſo Diuo Antonino citato loco pluribus declarantur, ac dilatantur; videat Ginomaſtix. Quo pacto igitur ſana mente quis ad ſecundas nuptiarum illecebras proficiſcatur? Quòd ſi primis accedunt & rixæ, & mala, & incommoda mille, quid in ſecundis aduenient? Benè quidem Petrarcha Dialogo præcitato dicebat; *Si non ſatis à primis depreſſus es, ad ſecundas nuptias proceđe*. Malè, ac deteriùs cum iſis actum eſſe, putandum eſt, qui vel ex praua conſuetudine, vel ex ferina incontinentia duas, et plures ſimul conducunt vxores. Heu miſeri! quæ iuga infauſta ſubeunt? Nunquid vna ſeruitus leuis erat, quòd compedes multiplicant, & catenas? Socrates duabus junctus vxoribus inquietiſſimam degebat vitam: altera junior illi canos erines e capite, & barba eradicabat; altera ſenior nigros omnes auerruncabat; adeò vt infelix Philoſophus breui tempore vndequaq; depilis euaſerit.

Apud quaſdam nationes vnica vxor pluribus erat ſatis, imo omnibus eiuſdem gentilitij deſeruiebat; vtique leuius onus, ac tolerabilior ſeruitus hæc poterat exiſtimari; Siquidem vnum bonum vni non eſt ſatis; vnum malum pluribus obeſſe, ac multos afficere poteſt. At quæres, cur antiquis tot vxores concederentur; nobis autem vna tantummodo? Forte vt à principio humanum genus diminutum ocyus augeretur, vxorum multitudo permitterebatur; ſed etiam ob origine mundi, licet pluribus miſceri mulieribus ad prolem conſerendam fas eſſet; vna tamen duntaxat erat legitima, & propria vxor, quod colligitur ab iis verbis; *Vnica eſt columba mea, vnica eſt electa mea*. Cęterùm ex Auctore Operis imperfecti, quod D. Chryſoſtomo tribuitur homilia 22. in Matthæum, illud poſtremò lubet adiungere, quòd nuptiæ ſecundæ ſunt ex traditione Apoſtoli ob incontinentiam hominũ, ſecundùm autem veritatis rationem verè fornicatio ſunt; ſed dum, permittente Deo, publicè, & licenter committitur, fit honeſta fornicatio. verba ſunt illa penè. *Secundum quidem accipere ſecundum præceptum Apoſtoli eſt: ſecundùm veritatis autem rationem verè fornicatio eſt; ſed dum, permittente Deo, publicè, & licenter committitur, fit honeſta fornicatio*.

Hoc ipſum regiſtratur in Decretis 31. quæſt. 1. vbi Rubrica; *Secundum veritatis rationem fornicari conuincitur, qui ſecundam duxerit vxorem*. Verus autem Chryſoſtomus eadem homilia ſic habet: *Quod præcipimus, ſemper placet; quod autem permittimus, nolentes præcipimus*. Atqui Diuus Hieronymus libro 1. contra Iouinianum rem luculentiùs his penè verbis enunciat: *Vbi numerus maritorum eſt, ibi vir, qui propriè vnus eſt, eſſe deſijt. Vna coſta à principio in vnam vxorem verſa eſt (& erunt, inquit, duo in carne vna) non tres, neque quatuor, aliaqui non iam duo, ſed plures. Primus Lamech ſanguinarius, & homicida vnam carnem in duas diuiſit vxores: fratricidium, & bigamiam eadem cataclyſmi deleuit pœna*. Plura adhuc ibidem Hieronymus habet. Præterea in edicto vnionis ſub Conſtantino Porphyrogenito Imperatore, relato à Theodoro Balſamone in Nomocanone Photij, multa ad rem hanc facientia leguntur; vt illa imprimis; quòd ſcilicet quartum matrimonium ſit omnino reijciendum, & qui in eo permanſerit excommunicari debeat: quòd tertium matrimonium permittatur, ceu inquinamentum quoddam, & ſordes in angulo poſitæ. Inſuper quòd qui triginta, vel quadraginta annos natus tertias nuptias celebrat, præſertim ſi ex priore vxore liberos ſuſceperit, ad quinquennium Sacramenti perceptione priuetur. Atqui nunc pia Mater Eccleſia non tam rigidè in bigamos, trigamosque inſurgit; verùm tacitè permittit, ne maius aliquod conſequatur abſurdum. Ad hæc autem, quæ vltra meſſem meam videri poſſunt, Pater Melchior Inchofer e Societate Ieſu Theologus, & Mathematicus eximius, virque eruditiſſimus, viam aperuit, cuius conſuetudinem ſubire mihi contigit, cùm, ipſo arbitre, Meſſana ciuitas me ad Medicinæ ſublimiorem Cathedram aduocauit.

CA-

CAPVT XV.

Cento nuptialis Ausonij.

PAPE! lectionemice, pollicitus tibi
sum iucunditatem, atque au-
rium obtectamentum, ne te
legendo irreperet fastidium. Li-
ber est in fine: exodium faciat
Ausonius suo nuptiali centone
nõ illepido quidem; id vbi præfatus ero cum ipso
auctore:

Ridere, nil vltra expeto.

Cœna nuptialis.

Expectata dies aderat, dignique hymenæis
Matres, atque viri, iuuenes ante ora parentum
Conuenium, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, pinguisque farina
Viscera tosta ferunt, series longissima rerum,
Alitum, pecudumque genus, capreæque sequaces:
Non absunt illic nec aues, hadique petulci,
Et genus æquoreum: damæ, cerui que fugaces
Ante oculos, interque manus sunt mitia poma.
Postquam exempta fames, & amor compressus edendi,
Crateras magnos statuunt, Bacchumque ministrant:
Sacra canunt, plaudunt choreas, & carmina dicunt;
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
At parte ex alia histrorem dat tibia cantum,
Omnibus vna quies operum; simul omnibus vna
Vellicies
Consurgunt mensis, per lumina læta frequentes
Discurrunt: variantque vices, populusque, patresque,
Matronæ, pueri; versemque per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

Descriptio egredientis sponsæ.

Tandem progreditur Veneris iustissima cura
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis,
Virginis os, habitumque gerens, cui pluri-

mus ignem.
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit
Intentos volueus oculos, vritque videndo.
Illam omnis tectis, agrisque effusa iuuentus,
Turbaque miratur matrum: velligia primi
Alba pedis, deceratque comam diffundere ventis,
Et picturatas auri sub tegmine vestes,
Ornatus Argiuæ Helenæ.
Cœlicolæ, et quanta solet Venus aurea cõtra,
Talis erat specie, talem se læta ferebat
Ad soceros, soliogue alte subnixa vesedit.

Descriptio egredientis sponsi.

At parte ex alia sponsus se intulit altis
Ora puer prima signans intensa iuuenta
Pictus acu chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura: Maandro duplici Mælibœa cucurrit,
Et tunicam molli mater, quam neuerat auro.
Os, humerosque Deo similis, lumenque iuuentæ,
Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda
Extulit os sacrum Cœlo, sic ora ferebat,
Sic oculos, cunsque amens ad limina tendit.
Illum turbat amor, figitque in Virgine vultus,
Oscula libauit, dexteramque amplexus inhasit.

Oblatio munerum.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt, pallam signis, auroque rigentem
Munera portantes, auriqué, eborisque talenta,
Et fellum, & pictum croceo velamen acantho.
Ingens argentum mensis, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis, auroque coronam.
Olli seruabatur, geminique sub vbere nati
Quatuor hinc iuuenes, totidem innuptæque puellæ,
Omnibus in morem tonsa coma: pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Epithalamium vtrique.

Tum studio effusæ matres ad limina ducunt,
At chorus æqualis pueri, innuptæque puellæ
Versibus incomptis ludunt, & carmina dicunt.
O digno coniuncta viro gratissima coniux
Sis

Sis fœlix: primos Lucina experta labores
Et mater, cape Mœonij carchesia Bacchi.
Sparge, marite, nuces, cinge hæc altaria victa
Flos veterum, virtusque virum tibi ducitur vxor.
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchram faciat te prole parentem:
Fortunati ambo: si quid pia numina possunt,
Viuite fœlices, dixerunt, currite fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Ingressus in cubiculum.

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta.
Peruentum, licito tandem fermante fruuntur,
Congressi iungunt dextras, firatisque reponunt.
At Cytherea nouas artes, & pronuba Iuno
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella.
Ille vbi complexu molli fouet, atq; repente
Accepit solitam flammam, lectumq; iugalem;
O virgo noua mi facies, gratissima coniux,
Venisti tandem mea sola, & sera voluptas:
O dulcis coniux, non hoc sine numine Diuum
Inuenimur, placido ne etiã pugnabis amori?
Talia dicentem iam dudum auersa tuetur,
Cunctaturque metu, telumque inflare tremiscit.
Spemque, metumque inter, dubitatque hæc ore loquelas:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
O formose puer, nocturn non amplius vnam
Hanc tu, oro, solare inopem, & miserere precantis.
Succidimus non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires: nec vox, nec verba sequuntur.
Ille autem causas, nequiequã nectis inanes;
Præcipitatque moras omnes, solutque pudorem.

Imminutio.

Postquam congressi sola sub nocte per umbram,

A
Et mentem Venus ipsa dedit, noua prælia tentant.
Tollit se arrectum: conãtem plurima frustra
Occupat eo, faciemque pedem pede feruidus vrget.
Per fidos alta petens, o ramum qui vestlatebat
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.
Nudato capite, & pedibus per mutua nexis
Monstrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen adeptum.
Eripit à fœmore, & trepidanti feruidus instat.
B
Est in secessu tenuis, quo semita ducit
Ignea rima micans, exhalat opaca mephytim,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Hic specus horrendum, tali se halitus arctis
Faucibus effundens nares contingit odore.
Hinc iuuenis nota fertur regione viarum,
Et super incumbens nodis, & cortice crudo
Intorquet summis ad nixus viribus hastam:
Hæsit: virgineumq; alte bibit acta cruorem,
Insonuere cauæ, gemitumque dedere cauernæ;
Illa manu moriens telum trahit, ossa sed inter
Altius ad viuum perfidit vulnere mucro.
Ter sese attollens, cubitoque innixa leuauit,
C
Ter reuoluta thoro est: manet imperterritus ille,
Nec mora, nec requies: clauumque affixus, & hærens
Nusquam amittebat: oculosque sub astra tenebat,
Itque, reditque viam toties, vtroque recusso
Transadigit costas, & pectine pulsat eburno,
Iamque ferè spatio extremo, fessique sub ipsum
Finem aduentabant: tum creber anhelitus artus,
Aridaque ora quatit, sudor fluit vndique riuis:
D
Labitur exanguis, defillat ab inguine virus.

Finis Secundi Libri Geneanthropeiæ Io. Benedicti Sinibaldi.

SYL-

SYLLABVS TRACTATVVM, ET CAPITVM, quæ in præcedente secundo libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De ratione sexus. pag. 105.

Cap. I. *De hominis eminenti perfectione, ac diuina propemodum excellentia.* col. 107.

Cap. II. *An vir, & mulier accidentaliter tantum, & per sexum differant.* 111.

Cap. III. *An fœmina sit mas læsus, occasionatus, & monstrum Naturæ, vt videtur significare Aristoteles.* 113.

Cap. IV. *An sint Hermaphroditi, & Androgyni.* 118.

Cap. V. *Num intendatur à natura Hermaphroditus, & quomodo generetur.* 122.

Cap. VI. *An potuisset natura melius vtrunque sexum indiuisum producere, ita vt omnes essent Androgyni; & an Adam statim creatus fuerit Hermaphroditus.* 128.

Cap. VII. *An possit immutari sexus, ita vt mulier degeneret in virum, vel e contrario* 134.

Cap. VIII. *Qua ratione, quibusque causis contingat sexus immutatio* 136.

Cap. IX. *An etiam bruta, & plantæ specificè, vel iuxta sexum immutentur.* 140.

Cap. X. *In quo sexu natura maiorem pulchritudinem pingat.* 144.

TRACTATVS SECVNDVS.

De salaci complexione, & naturis Epicatapharis. pag. 149.

Cap. I. *De Satyris, & Sileno, Faunisque, aut Aegipanibus: necnon Tritonibus, & Nereidibus.* col. 149.

Cap. II. *Quid sit dicendum de Priapo, & cur mutone rigido pingeretur.* 154.

Cap. III. *De Genio Veneris.* 156.

Cap. IV. *Homines, an bruta salacioris naturæ sint.* 159.

Cap. V. *Viro, an mulieri maior insit salacitas.* 164.

Cap. VI. *Cur viri magis hyeme, mulieres magis æstate libidine ferantur.* 167.

Cap. VII. *Quænam inter mulieres mollior sit, aut petulantior.* 169.

Cap. VIII. *Humanæ salacitatis indicia ex temperamento, ætate, habitu, & regione.* 172.

Cap. IX. *Proeliuitatis ad Venerem notæ ex corporum statura, colore, partium conformatione, pulchritudine, viribus atque anni tempore.* 178.

Cap. X. *Salacitatis Epiphænomena ex corporis morbosis affectibus* 183.

Cap. XI. *Petulantis naturæ argumenta ab incessu, moribus, ministerio, voce, & sermone; corporis, & vestimentorum cultu, capillamento; vnguentis, & odoribus, aliuijs, & otio.* 191.

Cap. XII. *Præferuidæ, salacisque naturæ Physiognomonici caracteres, breuissima epitome comprehensi.* 198.

Cap. XIII. *An sint vlla metaposcopica salacitatis hominum indicia.* 205.

Cap. XIV. *De Neuis petulantiam, & libidinem redolentibus* 206.

Cap. XV. *An sint lasciuiæ chiromantica lineamenta quapiam.* ibid.

Cap. XVI. *An sint aliquæ libidinosæ complexionis notæ Astrologicæ.* 208.

Cap. XVII. *De Maltbacia, seu virorum mollicie, quam nonnulli hæreditariam affectionem existimant* 212.

Cap. XVIII. *Quænam inter brutorum genera maiori libidine turgeant, ac primò de animalibus terræ* 214.

Cap. XIX. *De quorundam piscium refractaria salacitate.* 221.

Cap. XX. *De auium quarundam indomita, ac multiuaga luxuria.* 224.

TRA-

Digitized by Google

De coniugio, siue nuptijs. pag. 253.
Cap. I. *An sit nubendum fol. 253.*
Cap. II. *Quod nuptiæ bonum aliquod sunt, aut saltem necessarium malum. 256.*
Caq. III. *Cuius ætatis vxor esse debeat, quatenus conceptioni opportunè deseruire valeat. 259.*
Cap. IV. *Cuius ætatis ad onus coniugij subeundum eligi debeat vir. 261.*
Cap. V. *Genere, & fortuna parem vxorem ducendam esse vnicuique. 265.*
Cap. VI. *Quo anni tempore nuptiæ, aut connubia celebranda sint. 267.*
Cap. VII. *Qua ratione mutua inter coniuges beneuolentia perpetuò seruari possit. 269.*
Cap. VIII. *Problemata quædam ad nuptias pertinentia ex Plutarcho: In quibus Gentilium ritus valde mysterioſi continentur, & explicantur 273.*
Cap. IX. *Nonnulli antiquorum ritus, ac cæremoniæ penè ridiculæ in celebrandis nuptijs, breuibus appensis allegorijs. 277.*
Cap. X. *De quibusdam legibus veteris testamenti spectantibus ad connubia. 281.*
Cap. XI. *Præcepta aliqua connubialia ex Plutarcho selecta, aliquibus dilucidationibus locupletata. 282.*
Cap. XII. *Felix, atque auspicatum nuptiarum omen, earumque hieroglyphicum. 289.*
Cap. XIII. *Quousque coniuges Generationi apti sint, 290.*
Cap. XIV. *De his qui transiunt ad secundas nuptias. 294.*
Cap. XV. *Cento nuptialis Ausonij. 297.*

GE-

Digitized by Google

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE;

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER TERTIVS.

De virilibus Inſtrumentis ad humanam Generationem opportunè paratis.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. ALPHONSVM COMITEM Gonzagam Archiepiſcopum Rhodienſem.

N tandem ſtudiorum meorum, Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Antiſtes, meſsis prima ſub Eſtenſibus auſpicijs lecta, in Vrbe tanquam in ampliſsima Orbis area exponitur trituranda. Scio non defuturos flagellatores multos, ac ventilatores; Attamen quò plus ingeniorum tribulis agitata, eò paleis, & ariſtis exempta magis litteratorum horrea celeriùs merebitur, & conſequetur etiam faciliùs: immo ſi æqui, & periti non deſint Æſtimatores, maiori quoque precio ſuo tempore æſtimabitur. Te propterea vnum, Illuſtriſſime, & Reuerendiſsime Præſul, pro meis frugibus Æſtimatorem, & Iudicem ſupplex interpello; nec ſanè poteram aut æquiorem, aut ſapientiorem nanciſci. Et quale nimirum precium ſperare non poterit litteraria merces a ſummo litterarum Patrono, ab Heroe munificentiſsimo, ab Antiſtite ſapientiſſimo; ab vno demum Alphonſo Gonzaga, auitę generoſitatis ſplendore fulgentiſsimo, qui magnitudine animi, vultus maieſtate, & liberalitatis gloria

Sum-

Digitized by Google

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER TERTIVS.

De virilibus instrumentis ad humanam generationem opportunè paratis.

PROEMIVM.

POSTEAQVAM in libris de generatione animalium statuerat Philosophus, principia generationis viuentium esse marem, & fœminam; continuò subiunxit. *Et si de toto animali mas, & fœmina dicitur; tamen non quauis sui parte; potentiaque idem mas, aut fœmina est; sed certa quadam virtute, siue potentia, & parte. Partes verò eiusmodi sunt fœminæ vteri, & vulua, maris testes, & coles.* Quocirca ex ordine visum est, de viri, mulierisque genitalibus agere, atque etiam plura ad eadem spectantia, appositè pertractare. Siquidem agens naturale non nisi per apta, & à natura indita instrumenta exire potest ad opus; ideoque frustra essent humanæ generationis principia vir, & mulier, de quibus abundè superiori libro disseruimus, nisi illorum adessent parata organa, quibus ad operationem actualiter determinarentur. At quia A vir mulieri in omnibus præstat; dignitatis ratio exposcit, vt primò de virilibus, mox libro sequenti de fœmineis agatur instrumentis. Illud interim præfari conuenit, horum instrumentorum nomina, posito parum pudore, & refricato fronte, vt dicitur, toto tractationis progressu repetenda esse, eò quia sunt verba nihil præterea, & puris auribus nimium dissona; Verùm scribendi necessitati parcendum est; id quod Cornelius Celsus libro sexto capite 18. sui operis, vbi de obscenarum partium vitijs agit præludione vtens graphicè satis edisserit his verbis: *Proxima sunt ea, quæ ad partes obscenas pertinent, quarum apud Græcos vocabula, & tolerabiliùs se habent, & accepta iam vsu sunt, cum in omni ferè medicorum volumine, atque sermone iacientur: apud nos fœdiora verba, ne consuetudine quidem aliqua verecundiùs loquentium accommodata sunt. vt difficilis hæc explanatio sit simul & pudorem, & artis præcepta seruantibus. Neque tamen ea res à scribendo deterrere me debuit; primum vt omnia, quæ salutaria accepi, comprehenderem, dein quia in vulgus eorum curatio, etiam præcipuè cognoscenda est, quæ inuitissimus quisque alteri ostendit.* B

TRACTATVS PRIMVS.

De genitali maris instrumento, seu cole virili, eiusque apta conformatione: vbi de Oscillis, Fascino, Ecliphallo, seu phallo declarantur aliqua.

NATVRA, teste Aristotele, & A experientia comprobante, dat simul operationem, & instrumenta ad illam accomodata; hæc in Viris ad mirificum, & excelsum Generationis opificium sunt virga, & subiacentes testes; quæ partes ita sunt à natura connexæ, vt vna absque alia irrita sit, nec possit ad Generationem hominis quicquam conferre. Idcirco in primo hoc tractatu de cole agemus ex professo, eiusdem naturam, dispositionem, & formam perlustrabimus exactè. Quod si aliquis in cute Xenocrates, intus verò impurissimus. Clystenes ab hoc, vt parum honesto tractatu, oculos auertendos, & aures putet, cùm nequeant multa, nisi aliquatenus posito pudore, inuestigari; sciat, agi de generationis humanæ

cessarium vt dictum est, quoniam celeriter peragatur earum coitus, necesse est, qualis natura piscium, & serpentum est; pisces enim incurrentes attingunt, absoluuntur que paucissimè; nam vt in hominum, & eiusmodi omnium genere semen genitale spiritu retento emitti, necesse est; sic in piscibus mari non in branchijs accepto emittitur: facilè autem pereunt, nisi id assiduè faciant; ita que non ijs semen tantisper concoquendum est, cùm cocunt, vt pedestribus, & viuiparis, sed tempestatis tempore iam concoctum continent vniuersum, ita ne dum contingunt, conficiant, sed concoctum, paratumque emittant. Quamobrem testibus carent, meatusque simplices, rectosque habent; qualis particula quadam circa testes quadrupedum est: replicationis enim meatus pars altera sanguinea est, qua recipitur materia seminis: altera exanguis, qua factum iam semen transit: Itaque cùm genitura eò deuenit, celeriter ea quoque absoluuntur. At piscibus talis totus meatus est, qualis in homine, cæterisque eiusmodi animalibus pars replicationis altera est. Serpentes complexu mutuo coeunt, carent testibus, & pene, vt dictum iam est: Pene, quia cruribus carent: testibus propter sui corporis longitudinem; meatus modo piscium habent; quod enim eorum natura porrecta in longum est, si præterea in testes protraberentur, refrigeraretur genitura propter moram longioris itineris, quod ijs quoque accidit, quibus penis immodicus est; sunt enim infecundiores ijt, quibus medioeris; propterea quòd semen frigidum infœcundum est, refrigeratur autem, quod longè admodum fertur. Hactenus Aristoteles: plura ad hos meatus pertinentia legenda sunt apud eundem Aristotelem 3. de historia animalium cap. 1.

Dices, priuata saltem fuisse à natura genitalibus minima illa, & vilissima animalcula, quæ sicuti è putrilagine sunt educta, ita nihil ad mundi complementum, & ornatu faciunt; huiusmodi sunt vermiculi, culices, muscæ, pulices, & huius census mille. Respondeo, his quoque genitales quosdam meatus, atque obscura sexus instrumenta indita esse ob rationes, quas paulò suprà in primo libro deduximus, idque fieri conspicuum à coniunctione illorum iugi, & incubatu, non nisi ad genitales illecebras, Veneriique dulcorem. Cæterùm nolim putares, lector, cunctis animantibus eiusdem naturæ genitalia, & eodem loco sita fuisse; quandoquidem hominū cartilaginosa, carnosaque sunt; Camelorum præneruosa, vt veluti arcus illa tendi valeant ex Aristotele: luporum, vulpium, ac mustelarum ossea. Rursus alijs foris prominent, vt equo, homini que; alijs intus latitant, vt delphino; alij ante, alij retrò obtinent. Esto parergon: homo, vbi ad ætatis complementum peruenit, genitalis partem superiorem obtinet longè minorem, quàm inferiorem; cætera verò animalia non item: nam glandem videntur, quàm reliquam longiorem, obtinere. Vide Aristotelem 2. de Generat. animal. capite 1.

CAPVT II.

Virilis penis anatomica obseruatio, & eius substantiæ per singulas particulas compendiosa examinatio.

CAPTEM illam, quæ prominet insignis ad extremum collū vesicæ sita, quā Græci καύλην, alijsque innumeris designarunt nominibus, quæ ab Andrea Laurentio 9. de historia Anatomica referuntur, Latini pluribus vocibus nuncuparunt ceu, penem, colem, veretrum, virgam, verpam, scapum, Priapum, caulem, mutonem, mentam, ac mentulam, phallum, & virile pudendum, seu membrum seminale. Hæc non simplex corpus est, sed pluribus, iisdemque particulis diuersis constatum existit. De toto prius, mox de partibus integralibus differendum est.

Etenim penis corpus est neruosū, prælongum, pendulum, cauum, & vndequaque fistulosum præterquam in glande; hinc dicebat Aristoteles 4. de partibus animalium: *partim enim neruum, partim cartilaginem habet; itaque & contrahi potest, & extendi, atque etiam flatus capax est.* Cæterùm omni humore vacuum est, & ad seminis iaculationem accommodatum.

Exoritur idem ex pubis ossibus, ex eorum nimirum superioribus partibus; qua ratione ab ano plurimum distidet, atque ad actum Veneream opportunum adeptum est locum. Ex osse autem emergit, non secus ac reliqua omnia ligamenta; idque eo consilio factum est, vt putat, ad agendum foret efficacius, & rectum, ac stabile seruaretur magis, eo quod à corpore stabile procedit. Vide Galenum & 15. de vsu partium, & 6. de locis affectis, & alibi; & hæc quoad totum.

In inferioribus ipsius penis partibus constitutus est seminis meatus, qui etiam vrinæ deseruit, secundum longitudinem exporrectus; cui superstat, & incubat neruus canus, qui dum flatuoso spiritu impletur, tenditur, ex quo penis erigitur. Cæterùm vtrinque duo adhærescunt musculi, quatenus meatus ipse, veluti à quibusdam manibus in vtranque partem distractus dilatetur, vnuersoque pudendo manente stabili. Sanè hunc eundem cœlis meatum vtilissimum est, seruari per huiusmodi structuram, & latissimum, & rectissimum ad hoc, vt semen totum sibi continuum quàm celerrimè iaculari possit in vteram. Quo circa sapienter Galenus 15. de vsu

partium aiebat: *Non enim solitus voitus causa pudendum tensum exactè esse, est utile, sed quo meatu diductio, ac directio, semen quàm longissimè euibretur. Qui meatus nisi rectâ serretur, sed aut obliquus esset, aut alicubi in se ipse concideret ibi tu semen haereret; Siquidè ὑγρὸν quod ἀείσι (quod vocant) qui ob id vinculum, quod ad finem virgæ habent, meatus eius si contortus, generare non possunt: non quòd semen secundum non habeant, sed quòd in virgæ flexibus haerent ferri prorsus nequeat; quam rem curatio ipsa comprobat; vinculo enim abscisso generant. Hoc certè vitium omnibus semper cõtigisset, nisi natura prouidisset, vt in coitibus meatus latus simul, & rectus omnino esset.* Hactenus Galenus.

Circum eundem penem pili necessariò exoriuntur, quoniam partes hæ præcalidæ, & humidæ sunt; ornamentum quoque, atque operimentum eidem præbent, non secus ac nates ano, vel præputium pudendo.

Præterea penis vertex βάλανος græcè dicitur, latinis glans, in quam fistulosus neruus haud quaquam ingreditur, ideòque semper eandem seruat magnitudinem, licet, Genio pruriente, ac spiritibus turgentibus Veneris, ipsa quoque ferueat, ac fermentetur. Illa verò cuticularis, excrescentia intus cauа, quæ glandem ipsam obtegit, verbo græco ἀκροποσθιον, latino præputium nuncupatur, licet Aristoteles 1. de historia animalium capite 3. hanc eandem particulam absque nomine esse asserat; præputium verò dici illud torum, quod ex cute, & glande constat: iubet apponere eius verba. *Maris penis foras postremo thorace propendens, parte sui prima carne propemodum constans, & aquabili facie turbinata nomen à glande part hæc mutuata est, quam quæ integit, cutis, vocat nomine, quæ vulnere obducto coalescere nequit, sicuti nec genæ, aut palpebræ pratisa reduci ad vnitatẽ queunt. Totũ tamen quod ex ea cute glandeque constat, præputium est.* Excusatione dignus est Arist. si à communi Anatomicorum schola dissentit; siquidem huic facultati fortè nimium operæ ipse nõ fuit addictus.

Demum inferior penis pars, quæ in longitudinem vergit ἔσω, quasi futura diœta est, quæ verò ad vsque sedem producitur ταῦρος appellatur. Ipsum verò spatium inter anum, & penem ἀπόστημα Græci, Latini semen nuncupant.

In tam artificiosa genitalis particulæ fabrica, vtique licet cum Galeno ipso 15. de vsu partium diuinum artificem commendare, & simul admirari. *An non igitur,* inquit Galenus, *mirari quidem oportet primum sapientiam opificis simul ac prouidentiam? cum enim multò sit facilius rerum omnium artum verbis explicare, quàm rem ipsam opere construere: tantum tamen verba nostra sunt sapientia eius, qui nos condidit inferiora, vt ne exponere quidem possimus ea, quæ*

A *ille nullo negocio condidit.* Vt hinc propterea Paternus ille Heresiarca obiter damnari debeat, qui inferiores has corporis partes ab Antitheo constructas, & conformatas tradidit; nisi fortè id moraliter dixerit ob illarum partium ferinam inobedientiam; & rationis imperio defectum; quomodo legislator ille, in adulterio ab vxore deprehensus, ac propterea acriter insimulatus, eò præsertim nomine, quòd alijs iura, legesque scriberet, respondit, veniam intercedens, nullis legibus partes illas coerceri posse. Et huc facere videtur illud Boetij: *Maior lex est Amor sibi.* Nunquid etiam eò spectet illud D. Pauli 7. ad Romanos? *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Galenum ipsum perlege nuper citato loco, vbi hanc penis necessariam, atque oportuniorem constructionem addisces; probat siquidem efficaci sermone, illum haud quaquam vtilem futurum fuisse, si ex venis, aut arterijs, aut ligamentis, aut tendonibus, aut ex alia simplici particula constatus fuisset. Sed operæpretium fuit simul ex quatuor musculis, venis, ac erijs, neruisque quam plurimis, neruosa membrana, & cute mirò contexta artificio fabricari. Plura si arrideant, lector, consule Anthropographos.

B

C

CAPVT III.

An potuisset natura commodiùs alibi viri genitale collocare; Et cur vnum tantum, non duo ediderit.

D

CVM de mirabilis structura penis, eiusque omnibus particulis iam brevibus statutum sit, ne quid relinquatur, quod ad maiorem eiusdem perfectionem quoquomodo pertineat, meritò inuestigandum videtur, an potuisset idem aptiori alioquo loco reponi, & quidem controuersiæ statim Galenus it obuiam 15. de vsu partium eo ties nuncupato, vbi hæc exarata reliquit: *Nullam enim in ipsis partem reperias superfluam, neque quæ desideretur, aut quam transponi, aut transformari oporteat, non in qua non sit densitas, aut raritas, si illis esset opus, vel meatus, quibus excernere humorem aliquem, aut capacitates, quibus recipere, esset necesse; sed omnes, vt cuiuscumque vsus postulat, summe ornatas inueniat; neque enim alium quemuis totius corporis locum excogitare queas, in quo vtrumque pudendum locari commodius potuisset. Neque his quidem verum exiguum quiddam ab hoc ipso loco in vtramque partem deductum vel in anteriorem, vel posteriorem, vel superiorem, vel denique*

inferiorem. Reddit autem huius necessariæ locationis rationem Galenus: dum ibidem subiungit. *Quod verò ne minimum quidem ab hoc ipso loco in commodiorem alium transferri potuerit, mihi, dum explico, animum attendas. Quonam tandem vellet maris pudendum transponi ab eo enim incipiam, vtrum propius anum, quàm nunc est? Verum illi ipsi incumberet, negociumque egerentibus exhiberet: nisi fortè satius esse, crassissimas, id semper oblongum, atque intensum habere. Sed sic molestiam in tempus diuturnius transponas. Egerentibus enim nihil negocij faceſſet, sed tota reliqua vita erit per molestium, tum autem iniurijs expositum, non aliter, ac si quis manum protensam semper circumferat: fortè superius alicubi supra pubem, vel ad hypogastrium locatum esse præsitterat. Sed adde hic rursum, vtrum tensum esse semper, an laxum, an horum alterutrum vicissim esse debeat? At si tensum semper fuerit, præterquam quod iniurijs esset expositum, in omni reliqua vita esset molestiæ, soloque coitui tempore commodabit: sin verò laxum semper esset omninò, sic quidem esset inutile, vt quod non posset id agere, cuius gratia extitit. Quòd si vicissim nunc laxum, nunc tensum erit, in primis, quidem admirari est æquum, si cuiusmodi ipsum iure esse oportet, tale nunc esse appareat.* Hactenus ille. Patet ergo, oportuniorem locum, quo apud viros genitalia collocaret, naturam non habuisse, nec alibi nisi monstruosè eadem fore apponenda; sicuti, natura aberrante, visa sunt aliquando alibi situata. Quod si quæras, an in dextris, siniſtrisue partibus opportunius membrum hoc locaretur, responsum feret Galenus, qui præfato loco de vsu partium, & alibi etiam asserit, quòd quando pars aliqua est sine coniuge, positionem mediam requirit; quod conspicuum est in ore, & naso.

Ac hic meritò sciscitaberis, cur natura de generatione maximè sollicita, duos potius in maribus non effinxerit phallos? Absit certè: nimius est vsus. Nunquid non intolerabilis est, quę ab vno recipitur molestia? qui in vno excitatur pruritus? Si duobus indulgendum foret, quid cæteris negotijs relinqueretur? Vtinam & vno carerent homines; longè enim pacatiorem traducerent vitam, nec tanta corporis corruptione polluerentur, aut animi æstuarent cupidine; immo vitam viuerent, qualem in cœlis cohors beata possidet. Præstringat homo libidinem, æthera conscendet ilicet. Ex vno veretro inquies, anxietas, æstus, furor, insania manant; quid ex duplici? Poterit interdum aberrare natura, & monstruosè bina edere genitalia, quemadmodum in asello me obseruasse, libro primo huius operis exaraui, & in viro vidisse Bononiæ in publicis dissectionibus Ioannem Iacobum Vueckerum, testatur Schenchius 4. obseruat. atqui id semper portentosæ libidinis præsagium est habendum. Cæterùm, vt nouum huius generis monstrum ex visu recenseam, dum hęc ipsa typis cudebantur, puer quindecim mensium in hoc Romæ Theatrum delatus est, qui brachijs, coxis, cruribus, pedibusq. omnino caret. Caput solum satis magnum obtinet cum pectore, abdomineq. valde paruis, gracilibusq. ipsius capitis proportione, & ętatis respectu: Scrotum loco suo cum testibus, ac superiacente penè retert; vtrinque tamen ad latera, vbi fœmora incipere deberent, caruncułę, absque scroto tamen, prominent; siniſtra quidem teres, oblonga, velut coliculus, carnosus tamen potius, quàm nerueus, & imperforatus, muliebri clitoridi valdè similis: dextra verò non ita prominens, sed veluti verruca quędam, aut vmbelicis apex exurgit. Ambę tamen intendi videntur, & præsertim dum vrinam reddit, protenduntur, subrigentque, præcipuè siniſtra illa, quę penis figuram magis expreſſam refert. Nondum constare potest, an huiusmodi particulis vis aliqua genitalis insit. Fortè in ijs natura luxuriauit, vt partium deficientium iacturam rependeret. Credidi, futurum fore, vt in adulta ętate siniſtra illa particula quoquo modo Venereis more Tribadum implicari posset. Editus est in eodem partu gemellus alter, qui eosdem partium defectus, eandemque caruncularem multiplicitatem retulit, sed obijt.

CAPVT IV.

Qua ratione, & à quibus causis fiat Priapi erectio.

QVONIAM colis intensio ad generationis operationem neceſsaria est, quærendum iccircò videtur, quonam pacto, quibusnam causis eadem contingat. Quo circa præſciendum vnicuique est, vt superius anatomicè demonstrauimus, substantiam penis plurimis, diuersisque integrari particulis, sine quibus opificio redderetur ineſficax, neruis videlicet in primis, ligamentis, arterijs, venis, glande, & meatu, quę omnia vnum conficiunt corpus oblongum, ac fistulosum, ad quod spiritus à corde per arterias, sensus à cerebro per parates neruos, sanguis per venas ab hepate collabuntur, nerui autem à quibus intenditur, è spondilibus caudę procedunt, sed ipsi, vt inquit Auicenna 3. Fen. 20 *non sunt nisi nerui, quorum substantia est ligamentalis priuati sensus*. Iam erectio pluribus de causis contingere potest, de quibus enucleatim disceptandum. Intenditur itaque interdum virga ob

ob tensionem cannę concaue, vt loquitur Auicenna, dilatatæ, & prolongatæ; dilatatur autem, & prolongatur duplici modo, vtpote vel à flatu, vel à spiritibus: à flatibus quidem, quoniam quandocunque hi partem aliquam corporis inuadunt, illam distendunt, vt patet in conuulsionibus, à flatibus oriundis (vocant Latini Gramphos) in quibus quàmprimùm flatus discutiuntur, cessat ipsa conuulsio, vt 5. Pathologiæ Fernelius egregiè notat. Quippe huiusmodi Phalli extensio, siue intentio accidit, vt plurimùm in somno tum ratione coctionis, in qua semper aliquid ex calore flatus excitatur; cùm etiam ex arteriarum calefactione, quæ sunt in membris spermatis: omnes enim internæ corporis partes incalescunt in somno, qui, teste Hippocrate, visceribus calorem adauget. A spiritibus autem ideò fit genitalis distentio; quoniam secum hi semper cum calore aliquid flatus deducunt, & quia propria caliditate dilatant, aperiunt, amplificant, attollunt; quæ omnes operationes caloris existunt propriæ, & in partibus etiam neruaceis relucent magis.

Sed magna hic prestò repit controuersia, an videlicet fistulosus, neruosusq. penis à naturali facultate, vbi in Venerem procumbit animal, distendatur, ac dilatetur, ita vt vbi ad instar folium ex se expansus fuerit, spirituali impleatur substantia, an verò ideo ad instar folium dilatetur; quoniam spiritibus ipsis defluentibus expandatur. Galenus primæ assertioni adhæsit, nituntur probare aliquibus instantijs, hoc sermone detentis, *Natura*, inquit, *corporis partes augens, perspicienſque, fecit, vt ipſe citra doctrinam propriας actiones aggrederentur, cuius quidem rei exactiſſimum fecit periculum, hædum, nuper natum, & clam matre ſtatim ſublatum alendo. Igitur mirum eſſe non debet, genitales partes eas actiones, quarum gratia factæ ſunt, protinus ab initio cognoſcere. Quid enim in rerum natura poteſt eſſe admirabilius, quàm quòd nouem perpetuis menſibus claudatur os vteri adeò exactè, vt nec ſpecilli acumen admittat; perfecto autem fœtu vſque adeò diſtenditur, vt totum animal per ipſum egredi poſſit? Populares tamen hæc propter crebrum euentum deſpiciunt, quippe qui non quod res vera mirabile ſit, ſed ea ſolum, quæ rarò vident, admirari conſueuerunt. Non igitur dubites pudendorum facultatem per ſe doctam eſſe, vt fiſtuloſum hoc, neruoſumque corpus, vbi ad coitum inſurgit animal, à naturali facultate, quæ ipſum attollere poteſt, protinus diſtendatur, cuius rei ſimile in corde, & arteria videre eſt, niſi quòd horum motus perpetuus eſt, eo quòd neceſſaria ſit nobis eorum actio; fiſtuloſus verò neruus non ſemper, ſed cùm vſus requirit: Quum ergo ſic fuerit extenſus, ſequitur ex arterijs ſpiritus, vti pulmo thoracem ob eam, quam habet ad motum ipſius ſequelam, &c.*

Sed contra hanc doctrinam insurgit ex recentioribus clarissimus ætate nostra Eustachius Rudius lib. 2. de arte medica cap. 46. vbi fortissimis argumentis Galeni opinionem destruere nititur, arbitratus distentionem, dilatationemque huius particulæ ad arterias, eorque ipsum referendum esse, non autem ad neruum à natura dilatatum. Rudij rationes compediatim sunt illę, cur videlicet, si à natura penis attollitur, semper non attollatur? siquidem facultates circa propria obiecta otiari non debent, verùm semper existere in actu secundo. Quod si dicat Galenus, non semper dilatari neruum, quia non semper vsus requirit. Instat Rudius, quisnam sit hic vsus, & quando requirat? Portò arridet hæc opinio, & satis intellectui plausibilis accedit, ideòque libenter & ipse assentior. Tu interim apud Eustachium ipsum pluribus cape, & nos institutum prosequamur. Quòd si dicas, quomodo ab arterijs spiritus, & non sanguis etiam emanet, dum illi ad erectionem, & distentionem prosiliunt, præsertim cùm dicat Galenus idem, arterias fistulosi penis eundem vsum habere, ac facultatę, quam in reliquo corpore obtinent. Rudius leui negotio responderi posse existimauit, si dicantur penis arteriæ id pluſquam alias habere, vt scilicet in ea parte, qua penis radici inſertę sunt, quàmplurimis foraminibus, ijsque sensum nostrum effugientibus sint pertusæ ad hoc, vt spiritus non sanguis arteriosus in fistularem illum neruum influat. Ingenioſa quidem speculatio, sed meo arbitrio dici probabiliùs, ac tutius poterat, vt omnes rodarguendi abrogaretur occasio, naturam huiusmodi arterias genitales leuiori tunica, & rariori textura construxisse, quatenus facili negotio, ad libitum ferè animalis, parua qualibet actione possent per meatus spiritus affatim exilire: aut, si magis placet, dicas, vberes spiritus geniali percitos furore, & fomite ignitos vim vndique facere, & sibi ipsis viam parare, tunicas disgregando; adeò namque intensam concipiunt libidinis flammam, vt genitalia, quasi ebria euadant; ideoque inuentus est, qui sibi veretrum in eo furore auerruncauit absque vllo ferè doloris sensu.

Emanat secundò virtus erectionis à corde, quia vt præcitato loco dicebat Auicenna, *Virgæ aduenit virtus erectionis, & ventoſitas à corde.* Sed cur inquit Auicenna, à corde ventositatem euenire? Dupliciter ex meo sensu responderi potest: primò quidem, quòd cordis caliditas, dum sanguinem in spiritus elaborat, atque attenuat, partes aliquæ tum sanguinis, tùm aeris per inspirationem admissi in flatus degenerant, qui postmodum inde per arterias demittuntur; hoc autem tunc potissimum contingit, quando ipsius cordis caliditas, aut nimis feruida, aut nimis est segnis, & languida, siquidem va-

Digitized by Google

vapor flatuosus tam excessu, quàm defectu casoris gignitur. Id satis manifestum fit ex cordis palpitatione frequenti à flatibus: quotiescunque enim à vegeta cordis expultrice flatus propè eam regionem undecunque geniti non deturbantur, moram facientes tremorem pariunt, & palpitationem: quòd autem flatuosi halitus, & aer cæsior arteriali sanguini admisceantur, Hippocrates libro de flatibus apertis verbis edixerit, quæ talia sunt. *Dico itaque & sacrum morbum tunc fieri, quum plurimus spiritus per omne corpus vniuerso sanguini fuerit permixtus, tum enim, &c.* Cæterùm virtus erectionis à corde prouenit, vt ait Auicenna, quoniam spiritus à corde, vt supra dicebamus, per arterias demissi partem extendunt, augent, attollunt; & hæc ipsa ratio est, cur homines, & pleraque animantia, quæ paruo prædita sunt corde, vt plurimum falaciora sint; namque sicuti cor magnum est frigiditatis indicium; quò spectat illud Aristotelis, quòd nempe magni cordis animal timidum est; sic etiam cor paruum caliditatis est argumentum: contrariorum enim eædem sunt rationes; cuius euentus Auicenna rationem reddens lib. 3. fen. xi. tract. 1. cap. 1. de anatomia dicebat sic; *quoniam calor eorum paruus est: in illis verò qui sunt parui cordis, caliditas in ipso est plurima, & coarctatur, & fit vehement.* Cùm itaque cor paruum & latiores arterias, & spiritus plurimos influat, profectò penis intentionem fortiorem efficere potest, atque adeò iure dictum est ab Auicenna, erectionis virtutem à corde manare: At non tamen ibi is inficias, sitam erectionis opificem, in ipso quoque fistuloso penis corpore gigni posse, qui mox distentionem moliatur, sed vt plurimùm aliundè excurrere, probabilius est. Tertio fieri potest genitalis intentio ab imaginatione, quæ supra subditas corporis facultates ingens dominium obtinet: nam secum quis animo concipiens Veneris illecebras, ac mulierum lasciuiam, continuò circa infrenas libidinis partes motum experitur irregulatum, cupidinemque micare persentit; hinc iure, si rectè memini, dicebat Plutarchus, quòd cogitatio de rebus Veneris excitat pudendæ. Quinimò ad genium excitandum tantam vim cõfert imaginatio, vt nisi illa concurrat, quantum vis flatus, & spiritus excitent, vix fiat erectio, aut si fiat, mentis applicatione haud fouente, non perduret. Et hoc ipsum significare voluit Auicenna, dum textu supra citato scripsit, quòd inter causas erectionis est meditatio. Ex dictis inferri licet, quòd multitudo sanguinis flatuosi, è quo semen conficitur, potens causa est virilium distensionis. Infertur secundò, quòd fortior membri genitalis audacia, vt plurimum fit à semine, & ab hoc vel quantitate, vel qualitate. Protenditur à qualitate, dum semen ipsum vel quia præcalidum est, vel quia ex accidentali aliqua ratione mordicat, acuie stimulat, facultatemque ad expulsionem irritat; ex quo colis præparatur, & insurgit, vt vellicantem humorem extrudat. Fit extensio à quantitate, dum genitalis humor nimis exuberans continentia vasa distendit, quæ postmodum propter affinitatem affectum intensionis peni communicant: addequod in largiori seminis vbertate maior ineft, si ritè concoctum fuerit, spirituum affluetia, à quibus efficaciter huiusce modi motus proritatur. Hinc demum patet, penis omnem distentionem naturalem esse motum quendam conuulsiuum, breui tempore durantem absque læsione, vt proinde 4. de partibus anim. illi dicerat Aristoteles. *Virga virilis inter omnia alia membra crescit, & diminuitur sine sui læsione.* Siquidem intentio, ac distentio, cùm primùm semen effunditur, desinit, quo cum semine flatus multi, & spiritus emittuntur, qui inflationis sunt origines; aut cessat, dum eiusdem halitus flatuosi materiæ ad alias partes defectunt.

Quæres, an sicuti viri colem intendunt, dum ad venerea concitantur, ita etiam aliquid mulieres attollant, cùm libidine accenduntur? Dicendum, mulieres quoque, dum genij dant operam illecebris, aut indulgere cupido est, particulas illas, quæ dicuntur Nymphæ, arrigere, & aliquatenus magnificare; eo ferè modo, ijsdemque causis, quibus in viris virga protenditur; at particula eadem non sic necessariò exciri debet, quatenus mulier generationi valeat incumbere, sicuti necessarium est, vt attollatur in viris genitale, vt Veneri, ac seminis fœcundæ iaculationi deseruiat.

CAPVT V.

An penis vel in magnitudine, vel in paruitate excedens Generationi incommodet, vbi etiam de eiusdem rectitudine læsa.

CVM facultates fermè omnes in instrumento ritè proportionato seruentur: habent enim naturalia quæq; magnitudinis fuæ mensuram, hic dubitare quisquam posset, num etiam in organo genitali terminus magnitudinis requiratur, & apta quædam dimensio. Profectò quoad latitudinem, & longitudinem attinet, nemini dubium esse debet, quin colis in ambabus his dimensionibus excedens Veneris fœcunditati officiat; siquidem 4. Problem. Aristoteles apertis fidibus, ait, eos, qui habent virgam maiorem, & longiorem, debilius erigere, & minus perdurare; cuius rei ea prorsus ratio est, quòd videlicet spirituum fulcra haud possunt magnam adeò molem erige-

re;

re; & minus perdurare; Cuius rei & prorsus ra A
tio est, quòd videlicet spirituum fulcra haud
possunt magnam adeò molem erigere, & erec-
tam diù sustentare; sicuti enim congregata vir-
tus fortior existit, sic dispersa longè magis est
imbecilla, & impotens. Quamobrem cùm in
grandiori pene calor genitalis, qui spiritibus,
inhæret, nimium dissipetur, nihil mirum si apud
eundem diminutè, & languidè protensionis actio
efficiatur. Quod experientia palàm comprobatur
in ijs omnibus, qui mutonem ingentem, &
crassiorem obtinent, omnes enim ad Venereum
palestram frigidiores, ac segniores existunt:
cùm autem virile instrumentum tantò generationi
sit efficacius, quantò intentius arrigitur,
hinc fit, vt nimium excedens penis, & qui ritè B
nequeat protendi, sterilitatis noxam pariat. Ad-
de quod, vt sæpius ex 1. de generatione anima-
lium testati sumus, qui prælongum à natura
penem adepti sunt, infœcundiores viuunt, eò
quòd per longum ductum spiritus obtundi, ac
dissipari contingat.

Sed quid de paruo dicendum est? Porrò om-
nis error in defectu longè deterior est, quàm in
excessu, & fortè huc addicari posset illud Hip-
pocratis 1. Aphorismorum 4. Omne enim pec-
catum, quodcumq; fuerit, maius fit in tenuibus,
quàm in paulo crassioribus. Et quidem natura
potius vti manca, quam vt superflua insi-
mulari solet, deteriùs vt auara, quàm vt pro-
diga lacessitur; Auarus enim ex Aristotele in
œconom. prodigo deterior est. Quamobrem
paruum nimis genitale ineptius est, tum quia
nequit eousque pertingere, quò necessitas exi-
git; cum etiam quòd eodem nequit mulier sic
demulceri, vt generationi præstare valeat con-
cursum, suam seminis afferens portionem;
ideoque Auicenna, & alij de generatione folli-
citi medicamina docent, quibus exilis impen-
sè, & breuis virga magnificari, & produci
possit. Illud non negauerim breuius, & exi-
lius genitale fortius inrendi posse, atque adeò
quoad protensionem, & seminis efficaciorem
iaculationem ex hoc aptius esse; at nihil pro-
dest, dum ex alijs capitibus sterile idem est, plu-
rimumque conceptioni aduersetur. D

De gibboso, & inflexo pene satis sit dixisse
illum ineptum esse, non modo quia imperfe-
ctè erigitur, sed quòd rectà fundere nequit;
quantum verò necessaria sit seminis recta ia-
culatio, docuit Galenus xv. de vsu partium,
& nos retulimus supra.

CAPVT VI.

De producentibus virgam.

CORPORIS pulchritudo in qua-
dam partium symmetria, & pro-
portione consistit, ita vt vnaquæ-
que particula & magnitudinis,
& figuræ consonam dimensio-
nem obtineat, qua sine deforme
iudicetur corpus. Sanè huic membrorum pro-
portionatæ mensuræ maiores nostri operæ mul-
tum impendebant: quandoquidem palæstrarum
occasione, ac thermarum, quibus communi con-
suetudine vtebantur, quotidie nudata corpora
ostendi erat necesse: turpe autem, ac monstruo-
sum existimabatur, corporis partem aliquam
informem iuueri, aut eiusdem aliquod mem-
brum vel inconcinnum, & mutilatum, vel defi-
ciens, vel quoquomodo improportionatum
apparere; vt proinde nec parcerent remedijs,
quatenus concinnam particularum symmetri-
am, aptamque seruarent dimensionem. At
nostris hisce temporibus quando gymnastica
exoleuerunt certamina, ludusque omnes, & pa-
lestrici, & pancratiastæ dimissi sunt, necnon etiam
balnea cesserunt; ideòque corporis, partiumque
defectus minus apparent, nemo nostrùm mem-
brorum studet rectæ dispositioni, aut æquæ con-
formationi dat operam. Cùm autem prisca illa
ætate contingeret, quempiam habere penem vel
decurtatum nimis, vel præputio nudatum; quod
haud minus turpitudini adscribebatur, quàm si
corporis alia quæcumque pars princeps mutila,
& imperfecta fuisset, indè magno studio & co-
lem obtegere dissendendo præputium, & exilem,
breuioremque dilatare, ac producere nitebantur.
Verùm enimuerò licet balnea, & palæstræ
exoleuerint, vt iccirco breuioris admodù penis
non videatur ampliùs habenda ratio: non tamen
cessit Veneris vsus, aut generationis opificium
est exoletum; imò hac nostra tempestate multò
magis floret, & viget; vt ex eo tantò magis ge-
nitalis proportioni studere debeant homines,
quantò egregius est generationis opus, quàm
Gymnastica. Enimuerò recta naturæ operatio
ab instrumentis emanat, debitam & magnitu-
dinem, & figuram seruantibus, quibus si careant,
dubio procul imperfectè illa eadem agunt. Quo-
tiescunque igitur impendiò breuis, ac tenuior
est genitalis fascinus, vtique generationi est inu-
tilis, quoniam in Veneris tripudio, vel ad ma-
tricis collum non pertinet, vel ab eiusdem orifi-
cio non complectitur; si non complectitur, ne-
que in muliere, neque in viro nectar Cytherai-
cum delibatur. hoc si desit, semen neutra ex par-
te

te emittitur; at nisi semen effundatur, generatio nulla fit; igitur à primo ad vltimum si veretrum nimia peccet breuitate, prolis germinatio fieri non potest. Vt ergo eidem generationi, quæ non est quicquam in rerum natura præstantius, occurratur, medicis auribus & produci, & magnificari debet penis. Meritò ideò Gabriel Fallopius libro de decorat. scribit solitum se esse monere parentes, vt studerent in ætate infantili magnificare membrum puerorum; magnum enim, vt ille ait, inutile nunquam erit, & si fuerit inutile, hoc rarissimè accidet; tunc enim tantum quando scapus excedit in longitudine, eò quòd contundit vterum, & os matricis, conceptionem impedit; sedenim vna è potissimis causis sterilitatis in viro est breuitas virgæ. Agamus igitur prius de modo producendi penem, qua in re nil de meo, sed de Fallopij penu eruta cuncta apponam, vt meo plus pudoris sit calamo, plus honestatis & auribus.

Fallopij libro de Decoratione cap. 17.

DE MEMBRORVM BREVITATE, & primo de cholis longitudine.

IN hoc tractationis genere non solum arte emaciatæ partes continentur, sed, quæ naturâ breuiores, & tenuiores sunt effectæ: continentur quoque & partes decurtatæ aliquo casu, vel egritudine, vel sectione, & vulnere, qui omnes affectus cum pendeant à diminutâ qualitate infrà id, quod est secundum naturam; ideò curationem aggredi debeo. Partes supra modũ auctæ ladentes actionẽ, requirunt eandẽ curationis rationẽ, quia supra naturam sunt. sed primum de tenuibus partibus, atque breuibus à naturæ defectu genitis, non demaciatis, agamus. inter quæ primum locum obtinet cholis, vel pudendum, quod ita breue est, vt turpitudinem non leuem faciat in compositione corporis humani. Hoc non tractant Recentiores, quia honestius factum genus hominum non videtur nudum, vt antiquitus, quando in palæstra, & balneis continuò inuicem videbantur. Verum hæ partes, cùm iam tectæ ferantur, turpitudo cessit loco, & ideò de hac non tractare deberemus, neq; enim videtur pertinere ad Medicum, qui ornat, sed ad eum qui curat. At quia hæc præternittitur à practicis, ideò ego de magnificatione cholis aliquid tradam si pulchritudo requiritur pro pulchritudine tradam. sin minus cum Auicenne excusatum habeant sonenti isti, & tetrici viri qui dum vult docere modũ magnificandi cholem, cui turpe videatur Medico de his agere, respondet huic obiectioni, quòd tanta est necessitas conseruationis speciei, quòd obscœnorum etiam habenda est cura; nam nisi pudendum conseruingatur à vulua, voluptate non afficitur mulier, non emittit semen, nec fit conceptus, ideò arte crassum faciendum membrum hoc. Ego moneo parentes, vt studeant in ætate infantili, vt magnificetur membrum puerorum: magnum etenim inutile nunquam erit, & si fuerit inutile, hoc rarissimè accidet, quum enim nimis longum erit, solet vterum contundere, & os matricis, & impedire generationem. nimis autem breue, aut semper, aut frequentius incommodum erit. De magnificando igitur membro agamus. in hoc autem duo obseruanda sunt, & quòd possumus producere pudendum, & quòd possumus crassius reddere. producimus, quùm facimus in longum crescere: augemus verò, si efficiamus multam, & frequentem extensionem. non n. augetur augumento pinguedinis, & carnis, sed oportet, vt nerui cauitas fiat maior, nam quoties cauitas ampla facta fuerit, & protenditur membrum, & si adsint vapores, ac spiritus, crescit: primum aut loquamur de longitudine. Hoc potest fieri. si impedimenta auferamus: inter impedimenta est frenum, vel canis constrictus pudendi, canem vocamus partem illam, quam filellum vulgò appellant, qui ligat præputium in parte inferna cum glande iuxta canalem. qui habent canem decurtatum, non possunt in longum producere pudendum, quoniam fit dolorem canis ille, & sic non potest diu consistere tensum pudendum, & impeditur eius incrementum: nam causa magnitudinis pudendi est frequens eius distensio; vnde incumbentes Veneri, & continuò tensum habentes priapum, longum habent; & magnum. ideò secemus per transuersum canem; alterum est, vt obseruemus loca neruorum. in dorso pudendi sunt nerui in dextro latere (vt vidistis in anathome) quoniam neruosus est priapus. oportet videre, an nerui sint tensi, an aliquæ chordæ tensæ sint, vel percipiamus aliquot grana, vt grana millij: & si hoc est, sunt ganglia non dolorosa in neruis, & velati nodi impedientes neruos: in hoc casu auferenda tensio, laxandi sunt nerui, per emollientia, & laxantia, vt ol. amigd. dulcium, vel communi maturo. facit & ad productionem aliud. vt aliquando nos efficiamus, vt tumore aliquo præter naturam laboret pudendum. potest autem intumere, vel ratione spirituum, & non erit præter naturam, potest vel tumore præter naturali tumere. & ideò ad illa acria confugere debemus. pueri per ludicrum solent vti his medicamentis. Antiqui solebant inungere glandem, vel præputium lacte ex volubilis latifolio, quod similacem lenem appellamus, aere est medicamentum; inflammat, & facit quasi priapismum. similiter lac ficulneum præstantissimum est, si vel glandem, vel totum pudendum inunganus. lactaria, tithymalos vocata à Græcis, si accipiamus charatiam; vel aliud simile, præstantia sunt. Verum in vsu istorum medicamentorum opus est, vt ineumbamus ardori,

ri, & doloriinsigni, & pueri bis foràs deludere alios. Ratio medelæ est, vt contemperemus feruorem cum vsu lactis, & limeolis lacte repletis, vel decocto maluarum, vel decocto violarum, vel oleo cerato violato, vel ol. ros. Mesues, & obuoluamus caput pudendi. Ego resecto freno, & emollito dorso, duplicato hoc medicamento vidi crescere ad quartam partem. Faciunt ad productionem etiam tractationes, calefactiones, vsus veneris, atque medicamenta, scilicet synapismi, dropaces, &c. at inter extendentia ineptius instrumentum est vsus veneris; quia non diu remanet tensum: concidit enim. oportet autem, vt diu tensum maneat, & enim copiam spirituum adesse, necesse est. Hoc fit medicamentis calidis, & aliis rebus calidioribus, etiam quòd non sint medicamenta. Hac ratione vtuntur Rhasis, & Auicenna, vt continuò ter, quater, sexies, & decies in die fricetur membrum; fricandum autem non sicca manu, sed inunctis lacte ouino sed qua ratione? non reddunt rationem. addamus nos. quia lac obstruit meatus, & ita non discutiuntur spiritus. lac etiam potest gignere ex se spiritus similes spiritibus sanguinis præterea lac emollit, ac laxat, præcipuè si pingue est. præterea quasi suà natura experimento confirmata, illud facit. Addit Auicenna, vt fricemus saltem aliquo pingui. & si esset ex pinguibus, quæ faciunt ad proritationem veneris, tantò præstantius, vt sieri pinguedo ex castoreo: in summa fricatio est, quæ facit tensionem. Addunt etiam, vt ab exterioribus tensum reddatur: hoc autem fit picatione, imposita pice eadem ratione, qua dictum est supra. Possumus etiam vti dropacibus reliquis. Nos vtamur vnguento ex thapsia; sed cum his omnibus adhibete portiunculam moschi: vel, si moschum, & zibettum adhibeatis mixta cum oleo amygd. dulcium, non inuenietis medicamentum præstantius; concitat, proritat sanguinem, & excitat appetitum Veneris, & hoc habent pro secreto maximo. His rationibus per transuersum fricando, extendimus priapum. Fit etiam hoc calefacientibus, vt testa ignea accepta intra crura, vel pannis calidis: sed obseruate, vt statim quam concidit pudendum, erigatis, vel pannis calidis, vel alio calido; nam hoc iuuat pueris, & etiam consistentibus; sed aduertant imbecilles, non abundantes copia spirituum, ne extensa vasa spiritu implere non possint. Hoc autem fiet per medicamenta proposita à practicis. Hoc quod dico, & quod in posterum dicturus sum, necessitate generationis coactus affero, non quòd quid contra legem, aut contra bonos mores promulgare audeam. Scriptores proponunt medicamenta pro amplificando pudendo, quæ agunt à tota substantia. Ego non vsus sum ipse, sed semper deueni ad illa inflammantia dicta. Ipsa autem medicamenta sunt primo vermes terrestres, quos vino ablutos exiccamus, & in puluerem veremus, & cum ol. sesam. vel amygd. dulcium misceimus. Aliud proponitur à Rhasi, & desumitur ab Auicenna, vt accipiamus recentem nucem Indicam, & aperiamus, in illa nuce reperiemus aquam dulcem in interna medulla. accipimus sanguisugam, & relinquimus in illa aqua septem diebus, postea extrahimus, & contundimus, & pudendum illinimus. Ego non expertus sum. Referunt Recentiores ex Dioscor. quod vsus coniandri in cibariis præstans est. tardè hoc agit; nec ego nimis fido, cum alia habeam medicamenta. si scirem modum leniendi priapismum ex cantharidibus, illud esset præstantissimum remedium, sed est dolor incomparabilis, ego nescio antidotum, ideò de medicina non sum sollicitus. [Anno 1539. superueniente Quadragesima, quo coronatus est Carolus V. Rom. Imp. & capta est Florentia. Exercitus Hispanus Mutinensi hybernauit in agro, in loco, qui dicitur, La Bastia, septimo lapide distante à Ciuitate, erant insolentes milites male tractantes villicos, ex quo apud Ducem cum hi conquesti sunt. Dux misit Scribam suum, qui non erat homo admodum sanus, cui Militum præfecti exhibuere cantharidas, incidit in priapismum, & cum redijsset in ciuitatem in concione ostendit mentulam timens se venenatum esse. sumebant quartam partem cantharidis, contundebant, addendo piper, cinnam. & garioph. efformabant pillulam, & exhibebant. sanatur autem sine dolore, & subitò, & tuto succo cuiusdam herbæ, quam illi Hispani propinarunt. cuius figuram ego ignoro.] Sed in hoc augumento etiam municipales leges ponunt terminum: nam aliquando non nulli volunt habere nimis vastas hasce partes. Ego vellem, vt tantum in paruis hoc fieret, decurtatæ partes tantum debent corrigi, & magnæ suo in situ permittendæ, & non in maiorem attollendæ molem.

CAPVT VII.

De mentagra ad Generationis humanæ opportunitatem amplificandæ.

NON sat est, Viri genitale opportunè longum existere, si exilius nimium idem sit; fortè enim phalli apta amplitudinis moles magis necessaria est, quàm longitudo. Nam si breuis est, eò quod semen è longinquo iactari potest, atque ad verum ipsum peruenire, tecnogoniæ penitus inutilis minimè erit. Verùm si tenuior, ac subtilior impendiò sit, cùm neutiquam ab ore matricis,

cis, vt par est, complectatur; nec ex parte viri, nec ex parte mulieris fiet voluptatis resolutio, ac seminis colliquatio, sine qua conceptio haberi nequit; Vt ideò Auicenna magis fuerit sollicitus de crassitudine, quàm de virgæ longitudine. Quamuis autem recensita superiùs auxilia identidem ad colis amplitudinem faciant; sunt nihilominus quæ peculiariter eiusdem molem elaborant. Quamobrem, relicto volubili folio, quod etiam ab Auicenna commendatur, lenitio in primis ad penis amplitudinem plurimùm confert, si vt placet Arabibus calidis oleis, atque adipe fiat; vel si super eo copia calidi lactis affundatur, facta prius cum aspero panno fricatione; quatenus intimè penetrare valeat. Verùm dicet aliquis, cur tantopere, tum ad productionem, cùm etiam ad corpulentiam penis commendetur lac; est ne in hoc uirtus aliqua occulta, qua incrementum hoc efficiat, an secus? Non occulta qualitate, sed manifesta prorsus, & extemperie id operatur, cùm enim lac sit pinguis, & crassa quædam substantia, dum se se in colis meatus insinuat, illos obstruit, occluditque, quare spiritus indè nec exalant, nec discutiuntur, sed imbi persistentes, atque etiam concrescentes dilatant, amplificant (vt est caloris natura) penis neruaceam texturam, quæ distentionem apta est facillimè recipere. Similiter quoniam lac optimè, facilisque substantiæ particeps est, spiritus eò affatim enutriri, & restaurari possunt; nam cùm lac nihil aliud sit, quàm purior sanguis per maiorem coctionem elaboratus; hinc fit, vt perinde ac e sanguine spiritus ab illo gigni, & foueri valeant: spiritalis enim substantiæ nutritio non solum ab interni alimenti coctione fieri potest; verùm etiam ab appósito extrinsecus nutrimento, & grato, nutricioque vapore. Præterea lac emollit, laxat, pinguefacit, incrassat, id quod clara experientia manifestum est. Pari modo pícationes, ac dropacismi efficacissimi erunt; & quidem longè magis ad ampliandum, quàm ad elongandum; quoniam, vt inquit Auicenna: *attrahunt sanguinem; & retinent viscositate sua, & coagulant sua pinguedine.* Commendatur insuper ab Auicenna aqua albedarungi, idest basilici adhibita pro fotu in pene. Adhuc vermes terrestres vino diluto, & dein exiccatos, ac tandem in puluerem redactos, oleoque sesamino, vel amygdalarum dulcium oblinitos arcana quadam proprietate efficaces, plerique auctores extollunt; cuius identidem facultatis, & proprietatis dicuntur esse sanguisugæ eodè modo, quo lumbrici paratæ.

Rhases proponit medicamen hoc è sanguisugis, tale arte paratum. Accipiatur nux Indica recens, & aperiatur; in istanuce inuenietur aqua dulcis in interna medulla; includatur in aqua ista per septem, aut octo dies sanguisuga, extrahatur postea, contundatur, & illinatur. Sanè hoc linimentum, vt ipse arbitror potentissimum est ob vnitas proprietates sanguisugæ, & Indicæ nucis liquoris. At quæres, quanam facultate, seu virtute putandum sit agere sanguisugas? Profectò licet hæ ratione visciditatis ingenitæ dici possint agere qualitate manifesta, vt supra dictum est de lacte, quatenus prohibent spirituum exalationem; nihilominus non est ipsidem deneganda occulta quædam proprietas, qua id præstent arcano quodam instinctu, naturæ cognito, nobis autem occulto: Dici enim posset, quòd sicuti proprius est hirudinum instinctus, dum viuunt, venas vel absconditas inuenire, atque exugere auidè sanguinem; ita etiam quòd eundem liquorem allicere possint extinctæ, quacunque corporis parte amplicentur; & hæc meo iudicio haud spernenda speculatio est; nam arcanæ proprietates naturę vel à Cœlo insitę, si credamus Astrologis, vel consequentes ad tale temperamentum, vt meliores Philosophi ratiocinantur, in aliquo viuente ex obitu statim non desinunt, sed tam diù seruantur, quandiù illa qualitatum harmonia, atque elementorum mixtura persistit; quousque per putrefactionem soluta, proprietas insuper arcana inde resultans, dissoluatur. Quod quidem posset multis experimentis confirmari; sed paucis contenti erimus. Primum experimentum elicere lubet ex Horapolline in Hieroglyphicis, vbi scribit, quod si vespertilionis alæ applicetur foramini, in quo formicarum plena respublica degat, formica potius deperire fame, quàm foras ad predam egredi eligent, ob innatam, quam habent cum vespertilione antipathiam, & ferale odium. Iam dico ego, isthæc proprietas inest vespertilioni, dum viuit; at quoniam est virtus ad eiusdem temperamentum consequens, quod quidem temperamentum anima recedente, statim non perit; fit ideò, vt etiam vespertilione mortuo, aliquandiù in suis partibus remaneat arcanus instinctus; quousque insigni putredine accedente, facta in qualitatibus eximia alteratione, elementorum symmetria dissoluatur; anima enim temperatura, eiusque proprietati nihil addit, vel derogat, sed seruat eadem. Sic in cheli, & fidibus, si ex ouillis intestinis cófectis chordis vna è lupo associetur, præterquamquod harmonia discrepat, nec vlla ratione cum cæteris temperari potest, statim reliquæ chordę fraguntur, fugientes insito odio naturam lupi aduersam, sibique perpetuò infensam. Sic pariter si ouis, & lupi corium simul collocentur, pellis ouina maceratur, expilatur, penitusque tabescit. Eodem modo videre est plurimas herbas, quæ ob arcanam virtutem fugant serpentes, dum virent, ac vigent in pratis; nec tamen dum à radice excerpuntur, aut exiccantur proprietate illa denudantur, vt patet; quandoquidem etiam tum à Venenis præseruant; Id

autem ex eo contingit, quòd licet herba viuere, ac vegetare desierit, non tamen primam elementorum temperaturam, aut si volumus Astrologis blandiri, illam cœlitus à stellis emissam proprietatem, amisit. Verùm vbi primùm putrefit, quoniam ex putredine qualitatum primarum soluitur nexus, & harmonia, cessat hęc virtus, & secreta qualitas. At quò sermo lapsus est? Quippe digressi parumper sumus, vt instantijs quibusdã probaretur, sanguisugas contusas, & emplastico modo peni illitas arcana proprietate eò sanguinem accersere posse, & consequenter augere Priapum. Ad hunc igitur, ex quo discessimus, regrediamur sermonem. Sanguisugæ tum ex proprietate, quam statuimus, cùm etiam ex eo, quòd altæ sint liquore nucis. Indicæ, quæ maximè pinguefacit: vnde emaciatis apprimè commendatur, colem amplificant, dilatant, & incrassant.

Recentiores ex Dioscoride referunt, coriandrum etiam facultatem obtinere amplificandi virilia; fortè ex eadem ratione, qua creditur semen augere, & libidinis motus excitare ex eiusdem Dioscoridis opinione Fallopius cantharidum oblinitionem, vt præstantissimum auxilium celebrat; sed quo pacto inungi debeant, se nescire fatetur. Forsitan cantharides ex eo id faciunt, quòd humores per renes, & sanguinem per vasa vretera, & vesicam statim deducunt, vnde est, quòd priapismum inducunt, & à multis in lithiasi, & affectibus nephriticis passim vsurpantur. Quin sæpius in praxi obseruare est, eos, quibus ex tebris malignitate vrina supprimitur, aut etiam ex alijs causis, si cruribus è cantharide applicentur vesicantia, paulò post lotium reddere, & sæpè etiam sanguineum. Sed (parergon) vis eliciendi sanguinem aufertur cantharidi, si ameos portio immisceatur; mirum sanè est, quantum noxiæ, seu deletheriæ qualitati eiusdem hoc semen resistat. Verùm enimuerò cantharidum vsus ad genitalia mihi nullatenus arridet; ex violentia namque cruciatus maximi, doloresque atrocissimi inde exoriri possunt. At Priapus non doloribus, & pressuris, sed illecebris potius, & blanditijs nutritur, & concrescit; non tristi, sed suaui magis sensatione extollitur; nec erigi, aut extendi gaudet ab inflammatione, sed à naturali calore, leni, & miti. Cæterùm nemo studeat has partes reddere sibi nimis vastas, quoniam erunt simul & segnes, & flaccidæ, atque adeò geniali symplegadi, generationisque operationi magis ineptæ, eò quòd, sicuti ex Aristotele supra diximus, difficilè, ac segniter eriguntur. Profectò sunt molliores iuuenes, libidini obtemperantes, genioque fauentes impuro, qui nihil aliud exactius student, quàm educare virilia: adeò vt oportuerit, Municipalibus legibus eos coercere, magnitudinis harum partium statuendo terminum. Ad hæc tandem quæ scribo, iubet apponere id, quod Fallopius idem piè profitetur. *Hoc quod dico, & quod in posterum dicturus sum, necessitate generationis coactus asseru; non quòd quid contra legem, aut contra bonos mores promulgare audeam.*

CAPVT VIII.

De penis vasta mole diminuenda.

SALAX ille Priapus à ratione apostata amœnos deliciarum hortulos peruagans: molles eruicarum syluulas perambulans: circa geniales libidinis flosculos oberrans; mellitas Veneris vndas assiduè potizans, illecebrosas luxuriæ scaturigines iugiter delibans; prurienti Genio semper blandiens fermè hydropicus euadit, & ad tantam molem excrescit, vt per angustos nympharum canales pernatare nequeat: Dryadum, & Napearum fores penetrare non valeat, quatenus Generationis moliatur opus, semenque fundat prolificum. Quid igitur in tali negocio opus est facto? Nempè optima in primis institutenda est victus ratio, vt mos obtinuit in omnibus præter naturam affectibus, necnon ciborum qualitatem, & quantitatem præscribere. Quòd pertinet ad quantitatem, ciborum parua moles adhibeatur; in omnibus enim tumidis corporis affectionibus parum comedendum est: siquidem ex Hippocratis doctrina: *Corporibus humidas carnes habentibus famem adhibere conuenit, fames enim exiccat*; semper autem corporis excrescentes tumores humiditatem arguunt superfluam. Et verè ex omnium fermè opinione non est luxuriantis alicuius particulę frenandæ, & minuendæ remedium efficacius, quàm nutrimentum demere. Quare parciùs prandere, parcissimèque cœnare debet, qui vasta aliqua corporis parte exuberat. Adhuc vino vale, dicere debet: hoc etenim affluenter humores, & sanguinem in primis ad protuberantia membra deducit. Omnino insuper ea omnia, quæ Venerem excitant, Priapum etiam nutriunt, augent; vt ideò vitanda, quoad qualitatem, sint vniuersa, quæ ad colis erectionem faciunt cibaria, cuiusmodi sunt bulbi, pineæ, nuces amygdalæ, ciceres, carnes columbarum, & cuncta prorsus calida, ac flatulosa, quæ apta sunt excitare, ac tumefacere phallum. Adhibenda potius lens, cucurbita, lactuca, & frigida quæque olera, quæ vel semen minuunt, & extinguunt, vel genitalis rigorem infringunt; sicuti enim tensio penem producit, atque amplificat: ita reclinatio minuit eundem.

Ve-

Digitized by Google

Verùm, & hic oritur non indigna quæstio, num videlicet ad colem diminuendum, seu extenuandum conferat vsus Veneris; & quidem aliquo pacto conferre videtur, quoniam vti ante Veneris voluptatem protensus instat colis, ita post illam concidit, & languescit illicò. Cùm itaque extensio magnificet, eò quòd spiritus calidi conspirent vndique dilatantes, ac protendentes; iccirco Venus magis, quàm ejusdem abstinentia conducit ad imminutionem.

Verùm hæc ratio profectò probaret, si penis ipse deberet seruari protensus absque Venere, vt ratione allata infertur. At nos volumus, illum esse omnino suppeditatum, & refractum. Sed qui fiet hoc? semen vtique, & spiritus infrigidando, ne pruriant, ac titillent; sic enim haud quaquam cauda rigebit: quibus verò auxilijs id fieri possit, alibi fusè demonstrabimus. Quòd pertinet ad Chirurgiam, quæ secundum præstat in affectibus auxilium, abstinendum penitus est à frictionibus ipsius virgæ, quoniam spiritus, ac sanguinem aduocant. Administrari nihilominus possunt in sepositis partibus ad derinandum, vtputa in brachijs, & spatulis sursum, non deorsum agitando, eo quod semen à spinali medulla delabitur. Cæterùm propè hanc ipsam regionem applicari debent cucurbitulæ cum, & sine scarificatione, idque non semel, sed sæpius efficiendum, & si opus insimul fuerit, sanguinem haurire è dextra basilica primùm, deinde à vena pedis, vel poplitis.

Postremò quòd spectat ad pharmaciam ex hoc fonte plura legi possunt auxilia, multa interna, externa plura; interna quidem, vti sunt apozemata sanguinem refrigerantia, exiccantia, seminisque acumen hebetantia, nec non potiones, calidos purgantes humores: externa medicamenta alia sunt, quæ ex proprietate, seu tota substantia agunt, alia quæ manifestis qualitatibus operantur. A tota quidem substantia in partes tumefactas mirabiliter agit sanguis testiculi porcini, quo vtitur Auicenna, & alij ad nimium exuberantes mammas extenuandas: item sanguis terrestris eryci, vel etiam testudinis, qui & ipsi excrescentias adimunt. Refert Fallopius libro de decorat. cap. 23. edoctum se esse à Vetula quadam medicamentum, luxuriantia nimis, vbera mira quadam ratione infrenans, illudque esse menstruum sanguinem, qui primò à Virgine fluit; quamuis, eodem Fallopio auctore, siue decimus, siue centesimus fluxerit cruor, identidem existit commodus, & vtilis; idque expertum se esse, profitetur. Hoc ipso pariter medicamento putarem ego, valdè constringi, corrugari, & penis luxuriantem audaciam cohiberi, cuius neruacea natura facilè compescitur. Quæ verò primis qualitatibus agunt, plurima sunt, sed potissimum inunctiones, & emplastra exiccantia; Verùm quia cum siccitate ambæ qualitates associari possunt, nimirum caliditas, & frigiditas, animaduertendum est, quòd licet emplastris potentialis frigiditas inngi saltem debeat, quatenus deiectus penis, at prostratus decumbat, ipsum tamen frigus haud multum excedens esse, par est, ne forte genitale mortificet, impotensque, ac segne reddat; vt est exempli gratia cicuta, hyoscyamus, Iolium, & solanum. Quarè aut his abstinendum, aut sunt calidis contemperanda; Quæ quidem calida, & ipsa refracta esse debent, ne spiritus, & sanguinem ad pudenda ducant vberius, ex quo deindè suppeditetur incrementum. Poterunt igitur emplastra confici partim ex alumine, abrotano, cumino, sulphure viuo, cœpæ alborum liliorum; partim e scoria ferri, eiusque limatura, è creta, quæ colligitur ex cultrariorum rotis, cerussa, camphora, bolo orientali, farina lolij, psillio, galla immatura, lente, plantagine, cicuta, & similibus, quorum ingens sylua est apud medicos; non quidem ex his omnibus, sed ex paucis. Erit quoque efficax ex cochleis emplastrum, si præsertim admisceatur aliquid rubræ terræ, & melle excipiatur vnà cum radicibus consolidæ maioris, & nullo modo auferatur, donec ex se decidat. Linimenta erunt uaria, in primis oleum lenticei, therebintinum, menthæ, masticis, papaueris, & similium; Perfusiones ex gelida potentes etiã existunt, quandoquidem delabentem sanguinem, & spiritus confluentes reuellunt, atque constringunt insuper, & corrugant, vt frigoris natura est constipandi, & compescendi. Hisce ergo adminiculis poterit Mutonus hydropem exuere, & se in arctas quasque cellulas insinuare. Atqui interim relinquat deliciarum hortulos, syluas erucosas, lasciuos flosculos, Venereos latices, & genio increpet; hydrops namque Priapi diuersus in curatione est ab aliarum partium hydrope: illi enim prodest aqua, huic interdicitur: illi frigida, calida huic, & feruida etiam competunt.

CAPVT IX.

De nodo Verpæ.

VENERI *nimium addictis*, inquit Stenkius 4. obseruationum medicinalium *rarum affectionis genus antiquis ignotum, quod specici propagandæ aduersatur, interdum accidit; Etenim* (ipsa prosequar auctoris verba) *genitale distentum, ac spiritu turgens trifli cum doloris sensu distorquetur, quo fit, vt semen in vterum recta ejaculari nequeat. Hoc morbi genus appellant nonnulli nodum penis, nam, & si demisso, & flaccido*

do genitali nihil percipiatur incōmodi; particulam tamen pertractanti paruulus quidam tumor, fabæ, vel glandulæ speciem referens percipitur. Huic affectui pleroſque vidi cauſæ ignaros emollientia adhibuiſſe, quòd arbitraventur, ſe durius culam illam ſubſtantiam, quaſi humore affluxo imbratam diſcutere poſſe, ſed tantum abfuit, vt id præſtarent, quòd etiam quotidie in deterius lapſi fuerint: Nam arietini cornu in modum in illud latus, quo tuberculum eſt, mentula reflectitur. Sed agè cauſam patefaciamus. Primum tamen in memoriam reuocare oportet genitale viri nihil aliud eſſe, quam duo ligamenta à pubis oſſe exorta rotunda, atque intus arundinis in modum cauа, fungoſa tamen, & rara ſubſtantia prædita, quæ ſpiritu influente turgent; Qui verò Veneri nimis indulgent, frequenterque, & diu, vt mulierculis placeant, diſtento ſunt genitali, in hoc malum incidunt; etenim ſpiritus ille incluſus in aliquam alterius ligamenti concaui partem impetum faciens, eius particulam, ita impellit vt eam releuet, ac protuberare faciat, quo fit, vt quantum latitudini affecta particula adjcitur, tantum longitudini detrahatur. Quod verò protuberat mentula, id ex propria natura ligamentali, non autem ob noui humoris affluxum accidit, vt morbus in figura, non in magnitudine cenſendus ſit. Satis igitur ex iam dictis conſtare videtur, quòd emollientia adhibentes à ratione recedant, & affectum quotidie augeant, cùm laxatum compingi, & roborari poſtulet. Hactenus Skenkius ex Aurantio, Euſtachius quoque Rudius huiuſce obſeruationis ſe auctorem facit, verùm ab Aurantio ipſo ſententiam excerpit, nec illi tamen acceptam refert. Sed ex eodem Aurantio præſtat remedia recenſere his verbis: *Conueniunt igitur, quæ prouidenti vmbelico, atque hernijs deſcripta ſunt; fotus præterea ex vino auſtero, nigro, in quo gallæ, abſyntium, myrtilli, balauſtia, ſumach, & eius generis effer buerint. Commonefaciendi ſunt interim ægri, vt à Venereis abſtineant, vel penè vtantur vſque quo affecta particula confirmetur. Sed hæc ad noui affectus cognitionem, & curationem dicta ſint ſatis, ſi mihi ad hunc vſum probata medicamenta adjecero.* ℞. *Aquæ nucum pini, nucum cupreſſi, omphacij, aquæ myrtilli aā vnc. 3. miſce, & ex his tepidis lintea madefiant, genitaleque obuoluatur. Aliud* ℞. *corticum myrobalanorum citrinorum, myrob chebul. aā vnc. 5. nucum cupreſſi numero 15. pini numero 4. roſarum rubr. p. 1. abſynthij pontici. m. 1. gallarum, granorum myrti, ſeminis ſumach. aā drach. 1. Contundantur, incidantur, macerenturque omnia in vino nigro auſtero, & aqua nucum pini, ac deſtillentur per balneum, egrediturque aqua magnæ virtutis ad conſtringendum. Hac decoctione tepida. madentia lintea adhibeantur: prædicto enim affectui curando, aptiſſima eſt, admirabilique ad*

A

præcauendum è lue Venerea facultate pollet; ſi quis imbuta lintea inter glandem, & præputium contineat, & eadem aqua interdum mentulam lauerit; eſt enim quaſi antidothus, quæ prohibetur, ne ob infectæ mulieris ingreſſum. quod longo vſu compertum eſt, venenoſa morbi malitia concipiatur. Sit parergon, eos, qui diſtortum obtinent penem dici à Græcis Hypoſpadiæos, qua in re mirari ſubit Sennertum, virum tam oculatum, qui tertio ſuæ Praxis hoc nomine imperforatos vocari, ait.

CAPVT X.

De ignauia phalli,

VENERIS impotentia tribus è fontibus emanare poteſt; à ſemine, à teſtibus, ab ipſa virga. A ſemine, dum virtutis defectu, aut idem non gignitur, aut frigidum nimis ab intemperie producitur. A teſtibus exoritur impotentia, vel quia deficiunt, vt in Eunuchis, vel quia minimi, frigidi, & inertes, alia quauis de cauſa ſint, ob quam ſemen, & ſpiritus aut non recipiunt, aut non elaborant, ſed mortificant potius. Neutra hic impotentia examinatur; ſed oportuniori loco relinquitur. Tertiò ab ipſius genitalis virgæ defectu prouenit generationis impotentia, & Aphroditis *aduaria*, de qua in præſentiarum agendum, dum videlicet facultate, & reliquis coeundi inſtrumentis ex omni parte integris, penis neque protenditur, neque excitatur, quantumuis laſciuiat Venus, aut ſi parum eleuatur, ſtatim recidit, aut ſi modicum perduret ex flaccitie ad certamen ineptus eſt, vt ſic vel ad ablatam, vel ad imminutam erectionem læſio in præſentiarum referenda ſit: vt enim ad deprauatam attinet, dicetur alibi. Porrò huius euentus cauſa eſt frigida, & humida impenſius intemperies, ex qua neceſſariò emanat languor, & inertia. Aut etiam ex paralyſi muſculorum, illum attollentium idem accidere poteſt: reſoluti namque muſculi naturali ſuo munere fungi nequeunt. Etenim ſpirituum calor, flatus, ſeminis copia, imaginatio, & omnes reliquæ tenſionis cauſæ efficientes, ni oblongum ipſum inſtrumentum benè paratum, & aptè diſpoſitum inueniant, fruſtrantur ab actione, quæ vt philoſophia docet, ſemper fit organo benè diſpoſito. Quamobrem cùm genitalis virga frigido, humidoque induta temperamento apta conformatione, & aptitudine careat; ideo fit vt penes illam commoda non ſequatur erectio; nam erigi eſt rigere, & indurari, induratio autem in humi-

do

Digitized by Google

do affluenti effici nequit; reclamat enim; & aduersatur humiditas ipsa. Quòd si quæras, an sicca valde eiusdem partis temperatura præstare idem possit: respondeo, siccitatem, vt talis est, erectionem & ipsam admuare, & perficere; siquidem è sicco habetur indurati o; dixi vt talis est, quoniam si ipsa cum frigiditate excellenti connectatur intensio præpedicturi satis.

Verùm exquires, quonam pacto distinguendum sit, an ignauia à facultate, seu testibus, an verò à pene procedat. Sic vtique tibi erit dignoscendum. Propria penis intemperati, & male affecti signa sunt primò flaccities, necnon laxitudo quædam ipsius partis, quæ contingere, vt plurimum solet ijs, qui nimis longum, aut nimis etiam crassum, vt aiebat Aristoteles, colem obtinent. Secundò quando vitium est in virga, inquit Auicenna, cognosci ex immissione illius in aquam frigidam: nam si in aqua non contrahitur, signum est, defectum à frigitie membri deriuare; sed quare hoc? Auicenna nullam appinxit rationem; Existimarim tamen ego, hanc esse posse probabilem, quòd nimium obrigeant nerui, & chordæ in illa; rigor autem frigoris effectus est; cùm enim præter modum frigidum, & impensè humidum ipsum per se ignauum genitale existat, à frigido, & humido non læditur; quia simile à simili non patitur; ac proindè in aqua frigida non contrahitur; contrahitur tamen, cùm debitum temperaturam adeptum est, quoniam tunc à contrario pati contingit; nam calor, & siccitas, quibus textura penis naturalis, & concinna habetur, à frigore, & humido, qualis est aqua refugere, & contrahi debent; ita prorsus contingeret, si cadaueris pars aliqua neruosa gelida perfunderetur: nam haud quaquam contraheretur; eò quòd calor contractionis, atque cuiuslibet vitalis actionis principium deest. Siquidem nihil est aliud contractio, quàm constipatio quædam, & compactio partis, consequens per accidens ad calorem, qui ob alicuius contrarij præsentiam refugit, & cessat à proprio munere, quod est dilatare, & expandere.

Tertiò quando vitium est in virga cognoscitur, quia semen exuberans, & spiritibus affluens prurit, & turget, exitum quærens, & cole, quamuis flaccido essluit aliquando; quod multò erit euidentius argumentum, si cum ignauia membri nequaquam admatur cupiditas, sed vegeat magis, ac ferueat. Cæterum quæ sint signa defectus, à maleficio procedentis, ex professo pluribus examinabitur infra tertio huius libri Tractatu.

Curatio huius affectionis est primò, vt intemperies auferatur, & caliditate, & siccitate pars roboretur. Tollitur intemperies medicamentis, vniuersum corpus primò respicientibus, indeque humiditatem affluentem detur- A bantibus, & exiccantibus. Huius census existunt Agaricum, turbith, mechoacham, coloncynthis, & similia è simplicibus; è compositis verò Diaphenicum, hiera, pillulæ variæ, de tribus, de agarico, de hiera, cocchiæ, aggregatiuæ, & similes centum, quę phlegmacogæ dicuntur. Paulatim autem exiccantes medicinæ sunt penè mille, vt guaiacum, sarzaparilla, sassafras, lentiscus, iuniperus; condita varia, conseruæ, pulueres, apozemata, theriaca, mithridatum, & similia, quæ perito medico notissima sunt. At quæ extrinsecus applicantur nec pauciora, nec minoris virtutis existunt; efficacissima tamen erunt in primis fel tauri, fel leporis, coagulum eiusdem, leonis adeps, cucumeris agrestis decoctum: oleum de nuce myristica, sambucinum, cypyrethro, ex euphorbio, ex caryophillis; quibus omnibus souenda, & oblinenda sunt genitalia; præsertim verò perinæum, locum illum videlicet, qui iacet inter penem, & anum inungere, & irrorare oportet, vbi facta inunctio efficacissima est, eò quòd chordæ ipsius penis à cauda retrò procedant; ideoque si posticæ partes calefiant, & roborentur, penis quoque confortatur, atque erigitur ob earum partium eximiam communionem, atque societatem. Quòd si musculorum paralysis ignauiam faciat, post vniuersalem purgationem à suis scopis educendam, partibus ipsis adhibenda erunt roborantia, & confortantia, vt balzamum, &c. verùm de penis paralysi statim aliqua subnectenda sunt consultò.

CAPVT XI.

De penis paralysi.

PENIS resolutio fit, quando existente flatulenti seminis vbertate, affluente spirituum copia, necnon principe quoque vegete membro, mentula erigi nequit. Pluribus autem de causis resoluitur; ac primò quidem ob violentam extensionem arte factam, siue ob ductionem fortiori manu celebratam. *Solent enim*, inquit Rondeletius, *meretrices ob zelotypiam iuuenibus mentulam extendere*. Secundò resolui potest ob natationem in gelida aqua diutiùs factã; hinc namque maximopere perinæum refrigerari contingit. Rursus ob compressionem, ictum, & equitationem, si præsertim in ephippijs admodum duris sedeatur; id quod ijs præsertim accidit, qui clunes admodum demissas, & ex carnes obtinent. Tandem ob totius corporis extenuationem genitalis membri paralysis effici solet.

Cu-

Digitized by Google

Curatio suis celebratur scopis; nam detur- A
bandi e corpore primò sunt omnes illi humores, qui musculos laxare, & mollè afficere solent, sed cautione, vt catharticis medicamentis paralysin non augeamus; inquit enim in methodo curandi morbos Guglielmus idem Rondeletius: *Obseruare tamen oportet, ne eos vrgeamus multis, aut ingentibus vacuationibus. Nam omnis vacuatio insignis maximè contraria est distentioni penis, & Veneri* Quin potius alimentis euchymis sunt alendi, & ijs, quæ adaugeant semen. Erunt itaque pro topicis remedijs supra nates prius, mox circa inguina applicandæ cucurbitulæ. Inunctiones fieri debent circa os sacrum, iliumque ossa, necnon tota mentula vsque ad podicem fouenda, & inungenda; ibi B
enim ipsius veretri collocati sunt musculi. Inunctionum materiæ petendæ erunt e Practicantium ditissimo penuario; solùm interim commendare præ cæteris placet oleum balzaminum, e nuce myristica, balsamum ipsum, oleum mastichinum. Lixiuium præsentaneum erit e cineribus iuniperi, nucum cupressi, priapi tauri, ac cerui, & similibus, & hoc foueri membrum, ac perinæum poterit, ac postea inungi. Cæterum sicuti in principio miscenda sunt, quæ partem ipsam roborent; ita in declinatione vitanda erunt, quæ nimium calefaciunt; siquidem semen absumunt, & flatus discutiunt, quæ omnia erectioni fauent.

C

CAPVT XII.

De colis proteruia, ac palpitatione, vbi de Priapismo, ac Satyriasi.

CVM ignauum, ineptumque interdum sese prodit generationis opifex Mutonus, votisque suis coniuges, Amasiosque defraudat; ita non rarò tam audax, pertinaxque succenset, ac riget, vt nullis demittatur pressuris, nullis declinet iniurijs, nullo insuper Veneris certamine debelletur; sed D
semper promptè dimicaturum audet, strenuè feriturum instat. Priapi alacritas huiusmodi aut *κατὰ φύσιν* accedit, apud illos videlicet, qui sanguinea sunt vndique temperatura, atque polispermia prædicti, affatimque, spiritibus ad genitalia salacibus confluentibus, libidine turgent; de quibus libro secundo abundè egimus; aut *παρὰ φύσιν*, dum videlicet morbosis causis accedentibus stabilis, ac perennis in pene exoritur tensio, dolori potius, quàm voluptati finitima; adeò vt non adaucta, verùm illius deprauata actio censeri debeat. Profectò ad penis depraua-
tam erectionem pertinet Priapismus, ac Satyriasis nuncupati affectus, in quibus mentula vsque adeo intenta fœuit, vt neque ad lotium reddendum inflecti valeat, sed proprium irroret, polluatque ventrem; quæ calamitas Heraclitum Imperatorem peremit, auctore Pomponio Læto in compendio Romanæ historiæ; nam testium folliculum altè retractum vnà cum ipso veretro perpetuò tenso, ac adeo rigente incurrit, vt quoties meieret, nisi tabula vmbilico admota prohibente, proprium respergeret vultum. Quin vsque adeò interdum genitale proteruè intenditur, vt cornu instar durissimum appareat, quo nomine apud Cælium Aurelianum li. 3 acut. passionum cap. 18. priapismus describitur his penè verbis: *Eius est memor in libro signorum Demetrius Attalæus dicens, quod hoc in quodam videret fieri. Tensionem autem fuisse nimiam veretri cum paruo dolore, vt cornu putaretur, & ita perseuerasse multis mensibus, nulli quoque adiutorio medicinali cessisse: sed tardò, atque longo tempore acquieuisse...* Similem ex Recentioribus historiam describit ex visu accuratissimus Zagatus lib. 2. Praxis medicæ admiran. vbi in quinquagenario veretrum instar cornu redditum se curasse, profitetur.

At illud alto silentio non erit occultandum, quòd ex eodem Cælio Aureliano Arabes, & Latini Priapismum à Satyriasi distinguunt; ex eo videlicet, quòd in illo nullum aphrodisiæ voluptatis desiderium reperiatur; in hac verò intolerabilis coeundi cupiditas; necnon etiam ex Paulo Ægineta ipsius colis palpitatio quædam iungantur; quod signum tamen neque in priapismo videtur præteremissum à Galeno 6. de locis affectis cap. vltimo vbi hæc leguntur: *In illo enim, cui assidue colis palpitatio præcesserat, causa erat spiritus, ad quem cum omnem curationem conuertissem, hominem sanaui.* Quo loco Galenum Priapismo laborantem describere, classicorum auctorum opinio est, & in primis Thomæ à Veiga in commento eius loci. Sed propero breuitatis studio ad causas huiusce affectionis, quarum relictis externis, quæ in multiplici genere reperiuntur, internas duntaxat medio ponemus. Intimę Priapismi causæ ex Galeno citato loco sunt vel spiritus arteriales, ex reseratis arterijs ad penem descendentes, aut flatuosi vapores vel supernè demissi, vel in fistuloso ipso penis neruo congeniti; verba Galeni lubet ascribere, & sunt illa. *Quippe ex ijs, quæ supra proposita sunt, constat, vel ob arteriarum ora immodicè patentia, vel vaporosum spiritum in fistuloso neruo ortum, hunc fieri affectum; nam ab vtrisque ipsum fieri posse, mihi videtur: crebrius tamen arteriarum ora patentia sequi, quippe facilius est hæc dilatari, quàm flatuosum spiritum in neruo fistuloso generari, &c.* Enimuerò vbi calidiores iuuenes libidinis æstro citantur, semine exuberante, spiritus arteriales excitantur, in-

flam-

Digitized by Google

flammantur, ideoque exilire explendescere, atque prorumpere aiunt, & affectant; quo circa arteriales meatus dilatando, rarefaciendo, & rarò eorundem oscula aperiendo, sibi ipsis viam parant, ac tamquam in portum in penis cauitatem sese recipiunt; ibique tumorem, auctionem, ac tentiginem secundum omnem dimensionem efficiunt, quod absque doloris sensu contingere nequit; siquidem nimis rigidè, ac violenter nerui eius particulæ intenduntur, & inflammantur: quo circa à Cælio Aureliano putarim priapismum dici, licet impropriè, seminalium vasorum paralysin, aliorumque ad fistulam ipsam tendentium neruorum. Dixi impropriè paralysin dici; eo quia cùm non retineantur semen, & spiritus musculorum ope, & famulitio; neque huic vsui nerui quicquam deseruiant, resolutio proprio nomine appellari nequit; vt in Tractatu de inuoluntario seminis exitu libro 6. ex Rondeletio dicetur. Flatuosi halitus, & ipsi tumorem hunc, ac tensionem genitalis virgæ efficere solent, & fortè frequentius, ac facilius à flatu, quàm ab arteriali spiritu accedere consueuit; quandoquidem licet Galenus censeat, ex eo quòd rarius in fistuloso neruo flatus excitari, ac progigni valeat, rarius etiam priapismum indemanare: nihilominus putarem ego, aliunde satis peruiè demandari flatum hunc posse, qui in parte genitali occlusus tensionem, stabilemque auctionem efficere posset. Etenim quo pacto referentur patulis osculis arteriæ, indeque sanguis insimul fere totus non effluat, ruatque in penem? vbi sanè collectum, & quasi in grumum concretum calidissimum apostema producere par esset; aut saltem demitti ab expultrice per ipsius penis meatum ad modum vrinæ; quod tamen nequaquam accidit. Rursus si huiusmodi spiritus præteruidus è seminalium vasorum osculis dilatatis, & hiulcis prosiliret; qua ratione insimul non emanaret & genitura, ita vt semper cum priapismo gonorrhea iungeretur? Sanè haudquaquam ex patentibus arteriarum, seminaliumque meatuum oris huiusmodi spiritus, satyriasis auctores, explendescere dixerim, vt alibi contra Rudium astruximus; verùm ex rarefactis tunicis; ab his namque concitatiores, & incorporei spiritus nullo negotio exilire queunt, absque quo semen, sanguisque arterialis insuper delabatur. Et hæc, ni fallor, probabilior est opinio.

Quo pacto autem distingui valeat, num à flatu, an à spiritu calorifico morbus hic ortum duxerit, existimarunt multi; dum affectio est à flatu, palpitationem quandam ad penis regionem persentiri; idque si à calido spiritu dependeat, minus contingere. Si verò priapismus à turgente spiritu duxerit originem, ex præcedentibus discernere posse, autumant; videlicet ex pleno, & succulento corporis habitu, ex seminis repletione, ex longa à Venere abstinentia, exciborum vsu, spermaticam substantiam producentium, ex violentia adhuc, ac nimia in lucta Veneris agitatione, qua calor, ipsique spiritus ad genitalia detruduntur, vasaque cuncta dilatantur; atque id tunc facilius accidere potest, cùm Venus non expletur: hoc est post diuturnam commotionem nihil seminis emittitur: hinc Cælius Aurelianus narrat, senem quendam in priapismum incidisse, eo quòd in cassum labore diuturno genitale tractasset. Rondeletius ex glandularum, quæ parastatæ dicuntur, inflammatione, nec non ex vlcere ipsius penis hunc eundem affectum propigni posse, in sua methodo descripsit; quod qua ratione dijudicari valeat, nihil erit arduum; vlcera namque proprijs, ipsique manifestis deprehenduntur indicijs. Modo breuibus adscribenda curatio.

In iuuenibus nil efficacius, quàm assatim sanguinem de basilica minuere, sæpiusque repetere. Victus omni ex parte frigidus consert; dummodo à flatuum vbertate affectus primarió non originetur; Tam autem flatus, quàm sanguis, & spiritus alió dinertendus; Parum dormiatur, in somno enim sanguis, & calor ad viscera refunditur, præsertim arterialis: cubatio verò sit in paleis, nimphæa, papauere, & solatro commixtis; nec supra dorsum vlla ratione efficiatur, dicente Auicenna capite proprio: *multitudo dormitionis super lumbos, ex qua liquefit sperma, & conuertitur in ventositatem, Priapismi causa est.* Motus abnegetur, ille præsertim, qui renes, & lumbos excalefacere solet, qualis est equitatio præcinctis renibus; qua ex causa vir ille apud Galen. loco citato priapismo correptus fuit. Alius leniatur vel clímate refrigerante, vel lenibus eccoproticis, vt malnis, lactucis, prunis, moris nigris, & consimilibus. Sit procul omnino vinum, & vt calidum, & vt humorum, flatuumque ductor. Cæterum si in corpore peccantis alicuius humoris, ac præsertim bilis, & melancholiæ illuuies reperiatur, per vomitum, nunquam per aluum purganda erit, prius adhibitis alterantibus potiunculis, dicente Auicenna: *timetur, quòd ventris solutio descendere faciat materias desuper.* A purgantibus namque deorsum medicamentis seminalia vasa, præterquam quòd eorum calidiate incalescunt, salsuginosos, acresque excipiunt humores, a quibus semen ipsum incandescit, agitaturque; ab huius verò feruore, ac motione fomes continuò proritatur, Veneris telum intenditur.

Etenim nisi intra suos meatus genitalis humor canderet, & fluctuaret, nunquam libidinis vrgeret assus. Rem obseruatio, τοῦ αὐτοπάθους comprobat; nam sæpè contingit, vt ab assumpto pharmaco deiectorio homines, cæteroquin parum salaces, Aphroditis agitentur aestus.

leis. Iucunda est Plateri hac obseruat. historia, qui, cùm viro cuidam iandiu viduato, atque à Veneris palæstra abdicato pillulas quasdam aromaticas præscripsisset, nihil ille infra fecessit, verùm integra die, noctuque libidinis fuit vexatus stimulis. Fuit & alter apud eundem, qui cestri impatiens ab assumpto medicamento, vxorem strenuè compressit. Noui & ego, qui nunquam ferociùs in Venerem inflammarentur, nisi cùm pharmacum aliquod cathar-ticum præseruationis gratia assumerent; idque in atrabilaribus viris frequentiùs obseruaui, eo quòd flatus, & succi exusti ad genitalium regionem ea occasione procumberent. Caue ergo, si sapis, Medice, priapismum exacerbare catharticis.

Quòd si priapismus à flatu potissimum excitetur, prudenter Medico agendum; nam sæpe accidit, vt adhibitis temere ijs per os auxilijs, quæ flatus dissoluunt maior ipsorum prouentus ad affectam partem deferatur. Tandem si affectio ex rarefactis à calore arteriarum, aliorumque vasorum tunicis deducatur, refrigerantibus, & constipantibus auxilijs est opus: Sanguis insimul compescendus, & incrassandus, quo vagantes spiritus tenacius retineant; spiritusque ipsi ad æquabiliorem temperiem reducendi. Extrinsecus lumbis, perinæo, ac pectini frigida apponenda, & vel plumbeæ gestandæ laminæ. Ita nempe Galenus duos illos priapismo laborantes, misso prius sanguine curauit cerato rosaceo, frigida aqua imbuto. Nec morbi huius deridenda conditio est, aut paruifaciendus impetus; siquidem, teste Aretæo, breui temporis curriculo, præsertim Satyriasis (nam inter chronicos priapismus recenseturi) homines interimere potest; nam conuulsionem, ingentem cruciatum, necnon extremorum frigus inurere cum fato ipso consueuit. Practicantes adi, si hæc tibi non suppleant.

CAPVT XIII.

De pene, seu glande imperforatis, necnon de gemino in ijsdem foramine.

IMPERFORATIO longè magis, quàm cuncta hactenus relata membri virilis accidentia, Generationis incommodant ministerio; siquidem in illa semen in vterum nullatenus influere potest, licet alioquin integra polleat fœcunditate. Affectio est satis nota, cùm in genitalibus non solùm, sed etiam in ano contingat, ideoque ab ipsomet Aristotele non ignorata, qui 4. de generat. animalium cap. 4. eiusdem meminit, vocatque sic affectos orbatos, & inter monstra connumerat: medici verò ἀτρήτους, idest imperforatos appellitant. Nempe affectus iste facultatis formatricis errorem sui causam nosci; nam de ijs nos agimus, qui ab initio sui ortis vitium sunt adepti; non autem de ijs, qui vel ob vlcus, vel ob tumorem, ac relictam cicatricem phimosin aliquam in parte pudenda contraxere, de qua & Galenus, & Paulus, Celsusque satis agunt. Ingenitæ huius imperforationis exempla non desunt apud Medicinæ polihistores. Refert Amatus Lusitanus centuria prima curat. 23. puello cuidam, cui nullum in glande foraminis vestigium apparebat, prope testes ad ipsius penis radices meatum à natura adapertum fuisse, & per hunc vrina reddebatur affatim. Consimilem euentum narrat Beniuenius de Abditis morb. causis cap. 7. his verbis: *Sed Pauli Bonini filium nouimus, qui glande cœlis clausa natus, paulo infra eam, itinere patefacto, vrinam reddebat.* Ista ergo in viris imperforatio (nam de atretis mulieribus sequenti libro agetur) dupliciter contingere potest, aut scilicet, quia præputium ipsum coaluerit, de quo infra; aut quia penis, glandisue meatus sit impertius, cuius curationem hic agere consilium est.

Confestim itaque manus adhibenda erit, nam chirurgico duntaxat opere ista cura absoluitur, licet ante ferrum ipsum non sit ab re aliquam adhibere purgationem. Ignito autem ferro glandis perforatio fieri debet, vt Mercurialis primo de morb. Puerorum monet, idque eo consilio, vt sanguinis nimirum largior compescatur effluxio, & vulnus ipsum duriorem cicatricem adipiscatur, ne coalescat iterum. Ita verò foramini inducto plumbea, vel argentea fistula immittenda erit, ibique tandiu detinenda, donec vulnus callum contraxerit. Cæterùm tam ante, quàm post chirurgicam operationem congruum vitæ præscribi debet regimen; quandoquidem vel præ intenso dolore (nam exquisitissimo sensu genitalia fuerunt à natura donata, & vbi plus voluptatis, ibi etiam & plus doloris percipitur) vel præ igne, & vulnere leui negotio in inflammationem particula traheretur. Et hic est ex Albucasi curandi modus, præter quem Hieronymum ab aquapendente, si libeat, consulat lector.

Verùm è diametro contraria alia est penis affectio, quam Vesalius 5. de corporis humani fabrica cap. 14. obseruauit, geminatum scilicet eius foramen, ita vt per vnum vrina, semen per alterum redderetur. Atqui id minus damnosum censeri posset, quando nullum generationi infert incommodum. Apprimè deterior fuit coitis affectus, quem Platerus 3. obseruat. censet, vt qui & generationem præpediret, & patientem ipsum iugi-

Digitized by Google

iugiter polluerent. Nouit namque is nobilem quendam virum, cuius in pene duo aperiebantur foramina, vnum quidem in glande ipsa, vbi naturaliter apparere solet, alterum verò paulò infra, circa glandis radicem ad præputij exortum, & per istud tam vrinam, quàm geniturā emittebat. Porrò quoad huius geminati foraminis curationem, tametsi tale vitium ab ortu contrahatur, curari tamen haud difficilè poterit, foraminis videlicet inferiùs incisis, abrasisque labijs, moxque vulnere curato, vt vndequaque coalescat.

Fallopij libro de Decoratione cap. 18.

DE PRÆPVTII BREVITATE corrigenda.

QVandoque aliquis accipiet vulnus in naso, qui secatus facit turpitudinem maximam. docent Medici ratione pulchritudinis sanare. pariter ob frigus decurtantur aures, ne videantur hæ iure decurtatæ, oportet iterum reflituere. aliquando pars labij superioris in medio diuisa est, & leporarij dicuntur pueri, ideo iungenda illæ partes: pariter Antiqui (vt dixi cum nudati incederent in palæstra, & ablatio præputij esset valdè infamis: ideò solliciti erant de tegenda glande; quare primum de hac reflitutione tractemus, deinde de alijs. in præputio tractando notare debetis, an natura factum, vel arte sit. Secundo, an valde, vel parum breue sit. Ità. si parum fuerit decurtatum; leui ratione producemus: si valdè, opus erit maiori actione, & tandem chirurgica. Solemus enim medicamentis, deligationibus, & chirurgica actione producere. sed notate, quod quamuis hoc faciat ad pulchritudinem, facit tamen ad generationem, & ad voluptatem maiorem. ratio est, quoniam naturaliter lubrica non est illa pars, qua non habet præputium, & requiritur lubricitas insignis in Venere, & cum maior adsit voluptas, mulier emittit semen, & materiam opportunam pro formatione fœtus, & pro generatione membranarum. Si autem quæratur, cur DEVS altissimus in populo electo instituit, vt auferretur præputium, cause sunt æterna, & posite in mente Altissimi, quas non oportet dicere in profanis scholis. fortasse id iussit DEVS, quoniam si, vt dictum est, præputium Veneris voluptatem adauget, resectum minuit, DEVS populum suum dilectum & castum, & à venereis voluptatibus, quantum fieri poterat, abstemium quærebat, vt non ita delectationibus illis allectus Creatoris cultum negligeret. & ad hoc fortasse eximius ille Theologus Moyses respiciens. Puellam sanxiuit, pro virgine ductam, si corrupta fuerit, lapidibus obrui, aut corruptam comremuri. & si quis eam non inuitam vitiauerit; vterque extremo supplicio afficiatur. Adulterio, incesto, sodomiticaque fœditati capitalem pœnam lex irrogabat. Quin etiam ad idem respiciebat promulgatum illud institutum, ne qua mulier belli tempore attingat virile instrumentum, neque vir muliebre. & hoc est, quod dicit Aristoteles, esse in prouerbio legum diuinarum, lucem non habens, quæ ad hoc dirigebantur, vt populus sicus abstineret à venereis, quoniam corpora nostra hebetat, refrigerat, imbecillia reddit, atque corrumpit. quòd autem præputium in causa sit; vt maiorem sentiant fœminæ delectationem, inditio sunt Iudæa, Turcæ, ac Mauritanæ, & infideles mulieres, quæ libentius mancipijs christianis, quàm dominis resectis se subijcere patiuntur, & volunt. Si ergo curtum sit præputium, quid agendum? Galenus docet per membranulam cartaceam. Faciebat enim hoc modo: producebat præputium ad anteriora, quantum fieri poterat (& hic locus à nullo notatur, quia fortasse non intellectus est) actractum obuoluebat membranula cartacea sirica cum gummi circa pellem, & faciebat siccare membranulam, & ita non poterat recurrere, ideò necessarium erat, vt produceretur ad partem anteriorem. Verum notandum est, quòd dum volumus apponere istam membranam per transuersum, quia cadit nimis præputium, non potest applicari. præterea necesse est mingere, ideo oportebat relinquere canalem. Galenus fistulam plumbeam ponebat in parte anteriori; secata membrana, removebat fistulam, & sic membranula ad duos, & tres, & quatuor dies relinquebatur. membranula autem sit tenuis ex carta. ego volo, vt capiatis cartam coriaceam, & videte, an adsit filamentum, vos ex illa carta tenuissimam auferatis, qua nihil tenuius. librarij capiunt cartam pecorinam ex ea parte, qua erat pilus, & euellunt membranulam tenuem, trasparentem, veluti cristallum, & hanc conglutinant supra cartam impressam fractam, & sic apparent litera, & fractum restituitur. Galenus hanc vocat fibram cartaceam, hoc est, de qua loquitur: mollis est, & robusta. Alij solebant producere hoc modo: accipiebant fistulam, apponebant ad glandem, & supra fistulam trahebant præputium, & alligabant, & imponebant medicamentum ex thapsia, quod rubrum redderet præputium: tamen hoc habet incommodum: quia deligatio illa dolorosa est: succedunt aliquando gangrenæ: ideò placet ratio Galeni, & ego illa vtor. quamuis credam, quòd toto vitæ meæ curriculo non tractabim bis, aut ter hanc rem. Præterea alia ratione producitur pudendum dicta à Galeno ibidem, à Paulo lib. 6. cap. 53. ab Auicenna etiam. vt per sectionem producamus præputium. & vti solent interna, &

externa sectione, trahimus præputium vt ad exteriora, postea secamus circulariter, & vna sectio spacio vnius, vel duorum digitorum ab alia distat, postea linimenta partibus sectis applicamus. sed ego possum testari, quod nunquam secuti, neque reperi aliquem illatum, qui voluerit patibuns crucitum, præterea videtur in media parte, vbi facta est sectio, decurtatum: ideo notate, quod sectio fienda prope telles, prope scrotum. primo, vt scarificatio fiat, & tegatur præterea, vt cutis à prima origine scarificata prolongaretur, in interna parte scarificabant præputium circa coronam: sed oportet applicare linteolum molle, quo impediatur, ne glans cum præputio coalescat, sed madidum sit primum albo oui, postea vino austero, vt obducatur cicatrice. Hæc igitur sint dicta, quo ad præputij productionem: quam rari sunt, qui affectant, tum quia dolorosa est, aut nimis fastidiosa ratio curandi, tum etiam, quia etiam quòd natura in hoc deficiat, præstat tamen, eo quòd, qui habent glandem detectam, rarissimè lue gallica inficiuntur, quia crassa, & dura cutis aeri exposita reddita est, & ideo excoriationem, aut virulentiæ illius ingressum facilè non admittit. modo ad cæterorum membrorum restitutionem transeamus. Hæc ille dictè satis.

CAPVT XIV.

De Præputij Phimosi, atque rectima ingenti mole eiusdem.

PRÆPVTII breuitas licet indecora Generationis officio nihil incommodat; At phimosis & incurua eiusdem magnitudo certam inducit sterilitatem. Fit phimosis, cùm ita glandem præputium occupat, integitque, vt infra reduci, atque adeò glans ipsa detegi nequeat; vndemox contingit, vt seminis recta iaculatio impediatur; ac totum in venereo certamine ipsi præputio, glandique aspergatur. Affectionem hanc Græci ϕιμὸν appellant, quemadmodum cùm ita præputium deducitur, vt amplius adduci nequeat, παραϕιμὸν dixere.

Phimosis ex Paulo Aegineta curatur: corporis vniuersali purgatione præmissa, recta linea ita per mediam, superioremque præputij partem attramento notatur, vt grandiora vitentur vasa. Post hæc falcata cuspide inter præputium ipsum, & glandem insinuata cutis secundum lineam rectam vno tractu diuiditur, ita vt interna cutis externæ respondeat, sitque incisio conueniens pro glandis magnitudine. Post hæc sanguinis fluxio immoderata compescitur, linteoque rosaceo, quique albumine madido operitur, & cerato lapis vulnera curatur.

Insuper adeò immensum interdum latinitate, atque simul refimum obtinetur præputium, vt vrinæ non minus quàm seminis impediatur naturalis modus effluuij; adeò vt dum vna, vel alterum redditur, totum ipsum cum abdomine membrum pollunatur. Sckenchius 5. obseruat. ex Gaspare V Volfio huius effusionis historiam enarrat, & 4. centur. obseru. 81. Guillelmus Fabritius iuuenem recenset, qui vastum simulque repandum ab origine præputium retulit, adeò vt quotiescunque mingeret sursum lotium affluens totum cum vestibus madefaceret ventrem; quam turpitudinem, vt effugeret solutis ligulis latrinis insidere cogebatur. Huius quoque affectionis curatio celebrari potest primò ijs auxilijs, quæ carnem compescere, & exiccare solent, necnon habita totius corporis cautione chirugicæ manui committi potest.

CAPVT XV.

De viris quibusdam Onobelis, ac mentrosè mutoniatis.

HACTENVS Paulus, & Fallopius multa, quæ ad rem perlegisse, ne te pigeat lector. Ad nauseam, si qua forte surrepserit, seras epidipnidas parabo, vt Martialis loquitur, & quasi ad stomachum tragemata. Sume. Non omnibus breuis inest ab ortu fascinus, ac symmetros; sunt qui immanem, deformemque referunt. Quotquot ergo à natura prælongo, extensoque sunt Priapo imbuti, Onobeli appellari possunt, vt ex Lampridio in Heliogabalo eruditiores obseruant, quasi telum asini obtineant. Huius census extitit apud eundem Lampridium in Commodo Cæsare Mutoniatus ille, quem his verbis describit: *Habuit & hominem, cuius prominebat penis vltra modum animalium, quem Onon appellabat, id est asinum, sibi charissimum, quem & ditauit, & sacerdotio Herculis ruffici præposuit.*

Ad vastam hanc veretri molem collimare crediderim illud Catulli:

Grandia te medij tenta vorare viri.

qua voce vsus est etiam Horatius inquiens

tentaque rumpit.

At recentibus vtamur historijs. Noui iuuenem iam vita functum (patriam iusta causa reticeo) qui vsque adeò immensum à natura penem obtinerat, vt vel in vulgi iocum, dicteriumque apud conciues, finitimosque illeiret.

Digitized by Google

iret. Tantæ molis erat, vt ægrè attigere posset, A
arrectum verò nec fatiscens scortum, cui, vt
Martialis

Infinito lacerum patet inguen hiatu.

admittere audebat. Quare vbi semel cum meretricula congressus redibat, repulsam protinus reportabat. Consueuerat, vt erat ceteroquin, facetus, in conuentu amicorum arrepta occasione suum ostentare sesquipedale: veretrum, non sine omnium cachinno, & admiratione. Hic mihi in mentem redit elegantissimi Petronij adolescens ille, cuius tantus erat Priapus, vt reliquum totum corpus appendix, atque lacinia eius videretur; hoc est breuior longè totus ipse homo, quàm suus esset fascinus: verba sunt illa. *Illum autem frequentia circumuenit cum* B
plausu, & admiratione timidissima. Habebat enim inguinum pondus tam grande, vt ipsum hominem lacinium fascini crederes. Quibus sanè in verbis perpendendum illud, *cum plausu*. Nam quotiescunque in balneo, vbi renudabantur publicè viri, impendio maior aliqua inspiciebatur mentula, continuò magnus excitabatur plausus; quò spectat illud Martialis

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum,
Mutonis illic esse mentulam scito.

Quocirca beneuasatorum virorum delectus non alibi quàm in balneis ipsis fieri solebat. Inde primo natural. quæst Seneca cap. 16. Hostium illum profligatissimæ obscœnitatis auctorem, damnans ait: *In omnibus balneis agebat ille delectum, & aperta mensura legebat viros.* C
Sic etiam scelestissimi Heliogabali Emissarij, quibus mentulatorum perquirendi prouincia delegata erat, vt Lampridius refert, per balnea discurrebant; immo publicum Imperator ipse in aulicis ædibus lauacrum instituerat, populoque palam exhibuerat, vt proprio visu Onobelorum probaret condicionem. Verumenimuero hos omnes parum strenuè in Venereæ palæstra dimicare, compertum est; nequit enim calor, & spiritalis materia pondus id immensum eleuare, ac fulcire diu; Quare ad certamen paulò minor fascinus promptior esse solet; dummodo tamen non sit adeo breuis, exiguusque, D
vt illud Martialis epigram. xj. dici valeat.

Drauci Nata fui vocat pipinnam,
Collatus cui gallus est Priapus.

Pipinnam vocat interpres, vulgato etiam nomine mulierc[illegible]arum, quæ puellorum exilem penem, qualis est in minimis pullis, ita nuncupare solent; alia tamen lectio habet *vepenem* quasi vix penem. sed *μάσχεγον*.

Iam monstruosam verpam describamus; error namque formatricis virtutis, non modo in magnitudine, aut breuitate contingit, verùm etiam in figura. Erit instar omnium Philippi Hœchstetteri historia decade 6. obseruat. medicinal. 1. *Consistentis vir ætatis, habitus crassi, sed carochymi, ruber facie monstrauit in Nosocomio monstruosum mentulam verrucis pregnantem, innumeris, acinos botrys agglomeratione æmulantes. Pars quædam tumida, renitens, cuti eò-color instar globi rotunda abdomini adhærebat, quæ capiti modò nati infantis magnitudine respondebat, hæc carebat verrucis. Coles ad fluporem magnus, tumidus, longitudinis cum scroto circiter vlnæ Augustanæ. Præputium retractum circa glandis radicem, nescio quem tumorem cristæ dedit, qui copiosis subfuscis verrucis luxurians, glandem instar collaris moderni, quod ex multiplici panno ad fibriam flocculi ornato conficitur, ambiunt. Glans tuberosa, & in vesicam quasi sublata, palma fuit longior, & pugno maior ob ligamentum aliquo modo retracta, quam verrucæ obtegebant copiosissimæ: quales in collo Gallorum Indicorum conspiciuntur, cum furor eos agitat.* plura vide apud auctorem, apud quem portentosæ huius mentæ icon exprimitur, licet nil bene distinctus, rudique minerua delineatus. At id genus enormia pudenda bestijs relinquantur.

CAPVT XVI.

Quibus planetis in quibus signis, cuique Cœli domui ex Astrologorum opinione subiecta sint genitalia.

SINGVLI planetæ, quælibet Zodiaci signa, & Cœli vnaquæque domus singulis humani corporis particulis dominantur, si fides vlla est Astrologis adhibenda: quamobrem genitalia etiam suos agnoscunt patronos, ac tutelares Regulos. Et ideo Iuppiter è planetis respicit sperma cum sanguine: Venus vtriusque sexus genitalia, & circa eadem ægritudines, atque etiam sperma. Luna pudenda mulicbria. E signis solùm Scorpio subdita pudenda tenet. Verùm planetæ iuxta existentiam, quæ in diuersis signis habent, diuersimodè etiam partes ipsas genitales respiciunt, & sic Saturnus existens in Cancro, & Leone virilia respicit: Iuppiter in Geminis: Mars in Libra: Sol in Aquario: Venus in Scorpione, & Capricorno: Mercurius in Sagittario: Luna in Aquario identidem Verenda respiciunt. Cæterùm octaua Cœli domus continet sub se pudenda, & circum adiacentes partes. Sin tibi hæc satis, Astrologorum penu compella, nec non Mathematicorum Musæa perlustra.

CA-

CAPVT XVII.

Proponuntur varia Problemata ad viri seminale membrum pertinentia.

CVR aues, & quę pedibus carent, penem habere nequeunt? Quoniam alteris crura sub media aluo posita sunt, alteris nulla sunt crura. Natura autem penis, vt primo de Generatione animalium capite 5. monet Aristot. à pedibus, & cruribus dependet, ideoque accidit, vt in coeundo crura contendantur; nam & instrumentum hoc neruo constat, & crurum natura neruosa est. Quarè subiungit Aristoteles, cùm penem habere nequeant, testes etiam vel non habent, vel diuerso loco constitutos obtinent.

Cur genitalis virga tot neruis composita est? Ex eò profectò, quòd vt Galenus testatur 14. de vsu partium virga maris, & matricis collum, atque alia, quæ ad pudendum ipsum pertinent, tam quam sensum quendam exactiorem ob coitum venereum postulent, meritò neruos plures sunt adepta. Etenim neruaceæ partes omnium maxime exquisitò sensu præditæ sunt, vndè est, quòd dolor circa illas contingit maximus, vt in podagris manifestè cognoscere quisq; potest.

Cur penis æquè commodè ex venis coalescere non poterat, cùm ex venis constructus & facile impleri potuisset, & facilè euacuari, nec non tensionem validam, ac sufficientem adipisci? Quoniam sanguinis substantia non ita saltem celeriter replere, & euacuari potest, vt aer, & spirituosus halitus, qui de repente affluere, & euanescere etiam potest. Adde, quòd venarum tunicę validam tensionem ex molli earum natura non subsistenerent; quarè fortior, atque adeò neruosa substantia ad huiusmodi erectionem, ac tentionem opus fuit, vt placet Galeno 14. de vsu partium.

Quid est, & quo modo veritatem habet id, quod ab Aristotele traditur 4. Problematum, crura videlicet varicosa hominem rebus Venereis inutilem, aut inefficacem reddere? Respondeo, id nequaquam contingere defectu virgæ, hæc enim vel in varicoso satis integrè vigere, & constare potest. Verùm potius culpa seminis, & eclipsi accidere, verisimile est; nam cùm sanguinis vberrima copia ad varices declinet, spermatica vasa minus implentur; sit itaque, vt semini nihil elaboretur, aut fortè tam paucum, vt nullo pruritu, ac virtute agat, mulceatque. Adde ex ipso Aristotele, quòd varices flatum transferunt, qui ad erectionem necessariò exquiritur.

Quæres, quid magis imbecillo, flaccidoque peni conferat consuetudo, an Veneris abstinentia? Respondet Auicenna lib. 3. fen. 20. tract. 1. soluitque problema his verbis, *& vsus coitus confortat hoc membrum, & facit ipsum lacertosum, & ingrossat ipsum, & dimissio eius liquefacit, & arefacit.* Et est omnino illud idem Platonis, quod ignauia exoluit, proprij autem officij exercitatio robur augere solet. Verùm de vsu Veneris temperato id intelligas velim; alioquin contrarium prorsus eueniret.

Cur nullus adeps in verpa cernitur, quamuis in obæsis vndiq; corporibus dissecetur? An quia potuisset adeps eius tensioni impedimento esse? molliunt enim, & laxant adipes. An verò ne præ pinguedine in molem excresceret enormem? Mirum sanè, quò plus corpora pinguescunt, eò breuiorem, & graciliorem reddi Priapum.

Cur si toto corpore frigidi sunt melancholici, omnes tamen Priapi sunt, hoc est iugiter penem gestant inflatum, ac tensum? Causa est, quam etiam alibi significauimus, quòd melancholici flatulentis halitibus abundant; potissima verò è causis erectionis existit flatus, qui neruosæ fistulæ cauitatem occupans, vt supra diximus, tensionem parit.

Quam ob causam qui mingendi tenentur desiderio, concubare nequeunt? An quod, Aristotele arbitre, meatus implentur? Quod autem plenum humoris est, id nullum præterea humorem suscipere potest.

Cur duplicem meatum in pene natura non efformauit, unum, quo semen, alterum, quo vrina educeretur; ita enim non contingeret, vt ex duobus humoribus alter altero inquinaretur? Vnum, eundemque meatum fieri, satius fuit, vt communione ductus alteri aiter prodesset; siquidem, vt alibi diximus, vrinarium foramen genitali humore obliniretur, neque ab vrinæ acrimonia læditur, neque vnquam excoriatur. Rursus vrinæ ipsius transitus liberiorem viam semini ipsi parat; si enim proprium obtineret foramen, contingeret, vt Veneris raritate apud multos meatus vel occluderetur, vel coalesceret, vel saltem minus redderetur spermati peruius, quod cùm natura sua sit lentum, & viscidum, indè liberè prosilire nequiret. Illud postremò non reticendum ex Vesalio lib. 5. Humanæ fabricæ capite 14. extitisse Patauij adolescentem, qui legum studio nauabat operam, qui in glandis apice duos obtinuerat meatus, vnum semini, alterum vrinę apparatum. Verùm id monstruosum potius; & nos supra ventilauimus.

Cur is, qui concumbunt, si desiderio mingendi tenentur, penis intendi vehementius potest? An quòd foramina plena reddùtur humoris, semen verò per angusta se promens molè efficit ampliorem, atque extollit? Penis enim ad ipsos meatus est positus. Ex Aristotele 4. Problem.

Cur

Cur vetustiores aliqui genitale hoc membrum strutheum, & fascinum appellarunt; vnde Horatij carmen.

Minusque languet fascinum?

An à passeris salacitate vt Festo placet, strutheon dicitur. An fascinum etiam, quòd fascinandis rebus hujus membri deformitas apponi soleret? An quia teste Varrone, & referente lib. 4. Rhodigino, obscuro illo gentilitatis tempore in Italiæ compitis Liberi patris orgia tanta turpitudinis licentia celebrabantur, vt palàm exultante nequitia, in ejusdem honorem virilia colerentur pudenda? Namque ipsius Bacchi genitale (vtique in his præfandus erat honos) per dies festos magna celebritate plostellis per agros prius, mox & in Vrbem vectabatur, inde spectatore vniuerso populo, honestissima matrona coronam illi imponebat, sertisque redimebat; & his impurissimis cæremonijs existimabant, propitium futurum Liberum agrorum seminibus, & ab ijsdem omnem ablaturum fascinationem. Huc nimirum allusit Aristophanes in Anacharnensibus ijs versibus.

Vobis quidem rectus tenendus phallus est,
Eam sequendo, quæ Canistrum baiulat:
Post vos ego canam cantionem phallicam.

Cur virilia cùm detumescunt, in ventrem resiliunt? An ob id, ne frigore debilitentur? Et enim natura prouida de Generatione nimium sollicita, calorem in parte hac studet enixè seruare; nam cùm sit neruosæ substantiæ, leui negotio lædi à frigore posset; si quidem receptum est Hippocratis axioma, frigidum inimicum neruis, ijsque bellum indixit. Hinc Rhodiginus 4. lect. Antiquarum subscribens aiebat: *Quo argumento rigoribus nimijs percuntes genitalia, tum vestibus, tum manibus conjoutre deprehenduntur; in ea namque parte primus fit sensus frigoris.*

Cur qui vesicæ laborant calculo, penis erectionem frequentius subsistinent? An quòd natura, dum quod præter naturam est, expellere conatur, huic regioni spiritibus, & calore præsto est? An quia lapis attritu suo penis tentiginem excitet? An fortè etiam quia calculosa vesica feruidior quodammodo ex sui natura est, ideoque suum illum extraneum calorem virgæ ob vicinitam communicare facilè valeat? Etenim ad lapidis generationem in vesica biliosissimum etiam excrementum quodammodo concedit, Hippocrate magistro libro de aere, Aquis, & locis tex. 23. in quo, an legi debeat, βιλωδέστατον, an χολωδέστατον ingeniosissimè disquirit, probatque D. Baldus Baldius ex Vrbis Medicis Coriphæis vnus, prudentia, ac doctrina multiplex, in Romano Archigymnasio Practicæ medicinæ Professor, omnium, & meo in primis calculo, celeberrimus, dissertissimus,

CAPVT XVIII.

An penis intensio, & erectio sit naturalis actio, vel animalis.

COLIS inflatio cùm actio quædam sit, eo quia locali motu peragatur, meritò controuertitur apud recentiores Anatomicos, & medicos, num sit illa naturalis, an potius animalis. Et quidem animalem potius esse, videntur suadere concursus facultatum imaginatiuæ, & sensitiuæ: imaginatiuæ quidem, quoniam rei Venereæ meditatio excitat pudenda, non in vigilia tantum, sed in somno ipso, in quo tam sæpè libidinis agitat ludibria, semenisque molitur effusiones. Rursus hoc ipsa imaginatiua, cuius ditioni ferè omnes deseruiunt, & subiacent potentiæ, motrici imperat; quare statim persentitur penes genitalia, imo corpus vniuersum commotio, & alteratio magna mediantibus musculis quatuor, ad huiusmodi actionem paratis; at modo musculorum omnium motus animalis est, vt patet. Et quia huiusmodi genitalis alteratio non est absque voluptate, & voluptas non absque sensu, ideò concurrit etiam sensitiua facultas, vt proinde colis erectio tota videatur animalis.

Ex aduerso penis erectionem esse naturalem actionem, nō animalem, nituntur quamplurimi probare ex causis, instrumentaria, efficienti, & finali; ex causa finali, quia procreatio, cuius gratia erectio est, ad naturalem faeultatem, minus autem ad animalem dirigitur, & refertur. Ex efficienti, quia nō sicuti, vt volumus, brachia mouemus, ita ad libitum erigimus. Ex instrumentaria, quoniam organa eiusdem actionis non sunt nerui à cerebro, & spinali medulla oriundi, sed ligamenta duo fungosa, & caua, ab ossibus ischion, et pubis originaria. Quid erit ergò statuendum, duabus his è diametro pugnantibus sententijs? Porrò dicendum est, penis erectionem mixtam quandam actionem esse ex animali, et naturali; si quidem ratione imaginationis, et sensus negari non potest, quin sit animalis; ratione verò motus, naturalis potius est, quamuis ab animali etiam quadantenus adiuuetur. Adde, quòd nolentibus fit aliquando erectio, volentibus fieri nequit. Doctissimus Andreas Laurentius 7. lib. suæ Anatom. quæstione 6. hanc opinionem huiusmodi exemplo confirmat. *Quemadmodum appetentia, quæ in orificio superiore ventriculi excitatur ob diuultionis sensum animalis est, motus verò quo cibos nondum bellè mansos, attritosque rapit ab ore famelicus ventriculus, naturalis est; ita colis erectio: quia cum sen-*

Digitized by Google

sensu est, & imaginatione animalis dici potest, sed motus ille localis, quo in ampliorem molem assurgit naturalis est, sitque à ligamentorum insit. 4. & vernacula facultate, qualis est veteri, & cordis motus, A *illius quidem, dum semen prolectat, huius verò, dum aerem, & sanguinem haurit.* Hactenus ille, & hæc pro quæstionis veritate quàm brevissimè dicta sufficiant. Nam ad reliqua properandum.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Testibus, eorumque natura, necessitate, munere, & accidentibus.

INTER principes humani corporis partes recensentur etiam, & non immeritò testes, non modo quia vniuerso corpori influunt, ideòque ad eiusdem perfectionem, & robur maximè faciunt; sed etiam quoniam ad generationem necessarij sunt, quicquid in contrarium non benè sentiat Aristoteles, & perperàm cæteri effutiant Peripatetici. Quamobrem cùm superiori proximo tractatu de pene viri egerimus, vt ad Generationem dirigitur, cùmque absque testibus idem prorsus inutilis foret, hinc iure tractatum de testibus instituendum censui, quatenus instrumenta vndequaque ad generationis opus commoda, & opportuna contexerem. B

CAPVT I.

Testium onomatopœia, dissectio, & eorundem per singulas particulas anatomica examinatio.

SVBLIMIS Deus, inquit Auicenna, *creauit duos testiculos, sicut sciuistis, qui sunt membra principalia.* Horum itaque fabricam operæpretium est intueri, dininum planè artificium admirantes in ijs instrumentis, quæ ad diuinum esse communicandum per Generationem tradita sunt. Vt itaque à nomenclatura exordiar: partes hæ Latina voce dicuntur testes, seu testiculi, quòd virilitatis testimonium præbeant. Cicero libro 9. epist. ad Pætum obscuriori onomatopœia uocat lanuuinos, & cliterninos: uerba sunt: *honesti colei, lanuuini; cliternini non honesti.* Etenim lanuuini a pube, seu lanugine, qua tegantur, appellantur; qua uoce usus est Propertius postremo elegiarum libro, ut uersiculis illis apparet:

Cantabant surdo, nudabant pectora cœco,
Lanuuij ad portas, hei mihi, solus eram.

Cliternini verò, seu clitorini melius, ut Rhodigino 4. lect. Antiq. arridet, cap. 7. ab obscœno uerbo deducuntur; nam clitorium muliebre pudendum est apud Græcos; unde uerbum κλειτοριάζειν, id membrum turpiter attrectare. Græcis verò dicuntur ὄρχεις, & peculiariter ab Herophilo Δίδυμοι, idest gemelli. Ab Arabibus verò, & præsertim ab Auicenna oua nuncupantur ob similitudinem, quam cum ijs referunt. C

Quoad situm, testes in mare ambo sub uentre abducti foras penduli prominent, & ob id ad ipsorum utrumque ab ilibus musculus unus deducitur, ut uoluntarij etiam motus participes sint.

Substantia est mollis omninò, & ut inquit Auicenna lib. 3. fen. 20. *Substantia quiest ex membro glandoso, albæ carnis, quæ est res magis similis carni mammillæ*; & quidem ratione diuersi tantumodo finis differunt mammæ, & testes; *hi* enim sanguinem elaborant, & perfectè coquunt ad generationem, ille verò eundem ad nutritionem iam genitifetus apparant. Ideòque figura oblongi, rotundi, laxi, & cauernosi effecti à natura sunt, vt nimirum humorem, qui in spermaticis vasis aliquatenus excoqui, & parari cœperat, in ijsdem digeratur, & percoquatur vlteriùs ad sobolis perfectam productionem.

Differunt autem testes alter ab altero ex eo duntaxat, quòd dexter sinistro uaricosior est, flexuosior, fortior, & calidior etiam; & ex hac causa masculorum generationi etiam aptior est, eo magis, quòd sanguinem in maiori copia, & calidiorem etiam recipit. Qua in re apponenda sunt Galeni uerba è libro de usu partium 14. quæ huiusmodi sunt. *Tàquam autem ren dexter propè iecur sit locatus; sinister autem inferius, solis ijs vasis, quæ in renes inseruntur peculiare quiddam obtigit, cuiusmodi alijs nullis, neq; eorum, quæ à vena caua, neq; eorum etiam quæ à magna arteria prominant. Illa enim omnia bina ex ijsdem locis vasis, vtriusq; exoriuntur: Vena autem, & arteria, quæ ad renes pertinent, à magnis quidem vasis, at non ijsdem locis oriuntur, sed quantò ren dexter altero est altior, tantò & vasorum, quæ in ipsum inseruntur, productio ea est altior, quæ in alterum inseritur. Quoniam verò partes genitales bi subiacent ijsdem vterarum, & arteriarum, quod ad eas fertur, ex ijsdem partibus proficisci* D

Digitized by Google

ficiſci erat neceſſe. Non enim amplius, alia quidem ipſorum ad editum, alia autem ad imum pertinent inſtrumentum, ſed matrix ſiniſtra eandem cum dextra habet poſitionem tum teſticuli utrique æquali loco ſunt ſiti. Quocirca vaſorum, quæ ad ipſa feruntur, quæ ad dextram matricem, atque ipſius teſticulum progrediuntur, à magnis ipſis vaſis, quæ ſunt ad ſpinam proficiſcuntur, vena quidem à cæua vena, arteria autem ab arteria magna. Quæ verò ad ſiniſtrum teſticulum in maſculis, aut ad matricem ſiniſtram in fœminis perueniunt (ſunt autem hæc etiam duo: vna ſcilicet arteria, & vna vena) non amplius à magnis ipſis vaſis, ſed ab eis, quæ ad renes ſeruntur, emergunt. Ex quo intelligi poteſt, teſticulum ſiniſtrum in maribus, & matricem ſiniſtrem in fœminis ſanguinem impurum adhuc, atque excrementoſum, humidum, ac ſeroſum recipere. Qua ex re accidit, vt ipſa quoque inſtrumenta, quæ recipiunt, temperamentum habeant diuerſum; quemadmodum enim ſanguis purus excrementoſo eſt calidior: ita & partes dextræ, quæ ex ipſo nutriuntur, ſiniſtris ſunt calidiores, tametſi natura principio ſuperabant. Demonſtratum enim nobis ſæpe eſt, id quoq; ab Hippocrate rectè fuiſſe dictum, quòd partes, quæ ſecundum rectitudinem ſunt ſitæ, neceſſariò plus inter ſe communicent, ac fruuntur. Non igitur amplius mirabere is, ſi matricum dextra, ac teſticulorum dexter, non ſolum quod ſecus, ac ſiniſtra nutriantur, ſed quòd etiam ſecundum hepatis rectitudinem ſunt locata, ſiniſtris admodum ſint calidiora. Hactenus Galenus, et hinc eſt, quòd ex Empedoclis, et Hippocratis opinione mares in dextra, fœmineæ in ſiniſtra, vt in regione locantur, et è dextro marem, è ſiniſtro teſte fœminam emitti, communis eſt opinio. Tametſi contra Galeni relatam opinionem non deſunt recentiores quidam Anthropographi, qui inſurgunt, et conuellere nituntur.

Tres denique tunicæ, ſeu membranæ teſtem vtrumque veſtiunt; duæ ſingulæ ſingulis adhærent, vna quidem interna ſubtilior, quæ Græcis ἐλυτροειδὴς dicitur; externa paulò craſſior, & valentior, Græci ἄωρον appellant; altera verò tertia, quæ ambobus teſtibus communis eſt craſſa, errugoſa, quæ ſcortum, ſeu ſcrotum appellatur, et vulgo burſa teſticulorum; Græcè autem proprio nomine ὄσχεον.

Cæterum teſtes muſculos habent, qui cremasteres, hoc eſt ſuſpenſores nominantur, vt ſcilicet ſeminalia vaſa, quibus connectuntur ſuo pondere deducerent, atque extenderent. Rurſus neruos tum à coſtali, tum à lumbaribus recipiunt; quemadmodum venas, arteriaſque à ſpermaticis; vt propterea hinc enaſcatur mirus ille cum toto corpore conſenſus. Et hæc de teſtium anatomica obſeruatione ſint ſatis; de reliquis adiacentibus vaſis ſpermaticis in præſentiarum nihil addemus amplius.

CAPVT II.

An cuncta animalia teſtes habeant, & cur non omnia eodem loco, & eadem ratione à natura receperint.

PISCIBVS, & quibus branchiæ ſunt, ſerpentibus, & omnibus animalibus, quæ carent pedibus; ſi Ariſtoteli 3. de hiſtoria animalium cap. 1. fides habenda ſit, teſtes à natura denegati ſunt; forte ob illam pedum, & genitalium communionem, & harmoniam, quam tantopere idem Philoſophus probat, & ſæpius in libro de animalium hiſtoria, & generatione explicat: ſed licet hæc teſtibus careant, quoſdam tamen receperunt meatus, qui humorem prolificum inſtar eorum ad Generationem parent. His præterea cum præ imperfectione genitalia membra derogata ſint, ex eadem cauſa teſtes quoque denegandi erant; Si etenim teſtes obtinniſſent, longè perfectiorem adepta eſſent animalia illa naturam; ſiquidem teſtes robur, vigorem, audaciam, caliditatem, & omnimodam perfectionem viuentibus cunctis influunt. At natura ſerpentes, piſces, & ſimiles nec fortè potuit, nec ſaltem voluit edere perfectiores.

Cæterùm animalia quæque perfecta ſanguinei generis, ouipara, & viuipara teſtes habent, poſitione, & ſitu tantummodò differentes; quædam enim intus continent, & vel lumbis circà renes adhærent, vel aluo adnexi teſtes ſunt. Aliis verò foris dependent, quibus nimirum genitale aut aluo adnexum ſubſtinetur, aut demiſſum pendet cum teſtibus, nec omnibus eodem modo ad aluum continentur; ſiquidem aliter iis ſunt, qui ex aduerſo mingunt, aliter iis qui ex auerſo. Auibus omnibus, auctore Ariſtotele, præcitato loco, teſtes ſunt, non quidem foris penduli, ſed intus lumbis adhærentes; quò etiam ſitu dati ſunt à natura quadrupedibus quibuſdam ouiparis, vt lacerto, teſtudini, crocodillo, & inter viuipara herinaceo. Rurſus qui conſpicuos teſticulos foris geſtant, non omnes eodem modo locatos, ſed cum quodam diſcrimine ferunt; nam aut hærent annexi retro, nec tremuli pendent, vt ſuibus, aut propenſi, demiſſique geruntur; vt homini. Quòd ſi quæras, quamobrem viris intra aluum teſticulos natura non locauerit, & an fuiſſet præſentaneum magis, eoſdem intus occulere? Reſpondeam cum Galeno 14. de vſu partium, quòd ſi natura teſtes *in ventre collo-*

cæsset; præterquamquod arctiarentur simul, & partes, quæ illic sunt, arctarent. Vasorum etiam spermaticorum necessariò longitudinem minuissent, quæ nunc quidem infernè sursum subeuntia, ac rursus supernè deorsum descendentia longitudinem acquirunt commemorabilem. Tunc enim supernè deorsum duntaxat tendentia, de ea longitudine, quam nunc habent, partem totam dimidiam amissent: fœminarum verò testiculi, subiungit Galenus, *cum paruipenitus essent, vasaque exigua essent producturi, loco, quem nunc possident, oportunissimo sunt siti, vtraque quidem matricis parte positi, paulò ante supra cornua adducti.* Iccirco autem auibus potissimum penes diaphragma locati sunt didymi, quoniam fœcunditatis eorum ratio postulabat, vt semen affluentissimum acciuaretur; quare, vt vasa citius humorem in semen excoquerent, operæpretium fuit, illa eadem in præcalente loco reponi, nō autem iuxta meatum, per quem semen ipsum excernitur; est verò impendio calidum ipsum diaphragma, quandoquidem à quatuor principibus visceribus operitur, & foueatur; nempè supernè quidem à corde, & pulmone; infernè autem ab hepate, & liene. Atqui virisisthęc positio, vt Galenus ait, non erat opportuna; non enim semen sic affluenter parare debebant iugiter, neque erat operæpretium, eosdem ad libidinem adhuc atrociùs incendi; indè eorum testes absque quò calidioribus viscеribus foueantur, ex se, ea qua sunt innata caliditate, & magnitudine mediocri semen satis gignere possunt.

Sed cùm pleraque animalia, quibus foris testiculi prominent, eosdem pendulos, ac tremulos habeant, posset aliquis exquirere, cur iidem suibus hæreant annexi, & stabiles? existimo id ad maiorem suum libidinem factum esse; iam enim sus nequitiæ hieroglyphicum erat apud Ægyptios. Quarè vt natura hanc exararet libidinis notam, dedit ijs testes ad cōgressum fortiores; nam quò testes contractiores existunt, eò sunt ad Venerem aptiores; pendulientim, ac dimissi, vt patet. Languorem, aut minorem aptitudinem præsignant; quin ex contractioribus corporis vniuersi robur, & sanitas arguitur; ex demissis, & nimium pendulis non bene constans, aut valetudinaria natura coniicitur. Vnde est quod fixi, quoniam non sic distant à principio caloris, ab hoc fouentur magis, nec veluti in pendulos influentes ex longa intercapedine dissipantur spiritus. Quocirca testes omnes, qui intus latent censendi sunt calidiores, fortioresque, & ad libidinem propensiores.

Dices, an sit alia vlla differentia inter didymos intus locatos, & foris pendulos? Profectò nullum inest essentiale discrimen; accidentale aliquod; nam qui intra corpus iacent, communi feroto non obnoluuntur, sed singuli sua tegumentum membrana. Secundò qui intùs locati sunt, adhærent, nec suspensi dissident. Tertiò semen citius parant ob rationes desuper allatas. Quartò Veneris opus ocyus expediunt. Quinto seminales meatus breuiores efficiunt, non enim in tam longinquum spatium produci debent. Et hinc addiscere quispiam poterit, quid dicendum sit de mulierum testibus, nam his prorsus accidentalibus differentijs discriminantur; solum ex eo, quòd minores admodum sunt, frigidiores, & ineptiores existimandi erunt: etenim dum supra diximus, internos testiculos calidiores esse, de ijs planè intelligendum est, qui paritate conueniant, nec magnitudine, & facultate dissideant; qua ratione licet muliebres didymi internè locati sint; nihilominus virilibus vndiq; impotentiores, & frigidiores putari debent; alioquin principalius agens mulier, quàm vir in generatione dici posset; quod quàm sit absurdum dicere, vel ipsarum iudicio mulierum iudicandum relinquerem. Ideò Galenus cùm pluribus locis, tùm maximè 14. de vsu partium, hanc nobis veritatem reseruauit his præsertim verbis ad calcem libri: *Nam maris testes humidiores sunt, ac molliores fœminarum testibus, & vasa spermatica duriora; contraria verò ijs sunt in fœmina. Ipsa enim spermatica minus sunt dura ob memoratas iam causas: testiculi autem minus vari, & laxi, ac humidi, quòd substantia sint frigidiores. Nequaquam enim ab calore natiuo flatu distenti fuerint, & vt dicat quispiam fermentati:* & adhuc clariùs non multò ante dicebat. *Videbis vasa spermatica marti non parum superare, sed longitudine, profunditate, & latitudine multis partibus reperies fœmininis esse maiora; ob has igitur causas mulierum testes parui admodum extiterunt, & matricibus vtrinque adhærentes ad epigastrion. Virorum autem testes tum magnitudin. fuerunt longè maiores, &c.* Illud ad calcem silentio non inuoluam, Aristotelem, qui serpentibus testes denegauit, fidem auribus maiorem, quàm oculis credidisse; quandoquidem sensu ipso, & experientia deprehendere est, Vipereum, alterumque reptilium genus testes prope caudam gestare; vide Fabritium ab Aquapendente, in iconibus anatomicis libro de formato fœtu.

A B C D

CAPVT III.

An, & qua ratione testes sint corporis partes principes;

QVEMADMODVM in ventriculo chilus, in hepate sanguis, in corde spiritus vitalis, animalis in cerebro elaboratur ad vniuscuiusque vitam conseruandam; ita

ita prorsus in testibus ad speciei propagationem, seu immortalitatem semen conficitur; quicquid Aristoteles, & eius Peripatetici incontratium sentiant, & recens cum his Parisanus ille nimis in sua microcosmica subtilitate subtilis. Quamobrem testes non minus, quàm ventriculus, hepar, cor, & cerebrum, censendi sunt animati corporis partes principales; immo etiam tantò cæteris principaliores, quantò generationis operatio quibuslibet alijs vitæ functionibus longè antecellit; vt hinc meritò Auicenna loco paulo supra citato dixerit, Excelsum Artificem Deum duos creasse testiculos, hosque esse membra principalia, in quibus generetur sperma. Sed video e discipulis Aristotelis quendam statim insurgentem, nostramque hoc theorema pessundare, seu euertere conantem hoc argumento. Partes corporis principes dicuntur illæ, sine quibus nequit consistere vita; at sine testibus bellè viuitur; igitur hi principales partes dici non debent. Assumptum aduersarij probatione non videtur egere, quando experientia ipsa palàm confirmatur; quin sæpè accidit, vt sine testibus melius agatur, quàm cum his; siquidem Eunuchi haud videntur esse nimium ægritudinibus obnoxij. Verùm hæc minus probant: nam, testibus excisis, non benè vitam duci, luce clarius est, idque in ipsismet Eunuchis intuerilicet, qui deturati meritò dicuntur, eò quòd virilitatem vires, & vim naturæ amiserunt: satis manifestè insuper apparet, quòd ex testium vel offensione, vel excisione temperamentum eximiè immutatur. Enimuerò deperditur masculus, ac generosus animus. Vitæ flos, ac decus viridè funditus extirpatur; splendor viuacitatis caligat, natura tota in frigidum habitum conuertitur; non sanguis purus producitur: non color, & formæ dignitas apparet: arteriæ pulsum edunt imbecillum, & languidum, vt in senibus; pallescit corpus, inersque euadit, & graue; opimum denique debile, & penitus effœminatum redditur; adeò vt iure Ægyptij, dum Regem fractum, hebetem, & impotentem exprimere consilium erat, Typhonis pingerent simulacrum absque testibus, perinde ac sine his desit Regi digna generositas, & maiestas. Putas ne ergo testes principes partes non esse?

Porrò asseuerandum est, testes etiam in vniuersum corpus, præter vsum generationis, robur, spiritus & vitam influere? Nec tamen putet quispiam, roboris, & melioris vitæ causas; & principia existere, vt aliqui perperam opinati sunt per reflexionem, quòd videlicet illabentem in se ex vniuerso corpore calorem, & spiritum propria eorum densa, compactaque substantia, tanquam speculum radios in vniuersum corpus refundant, & reflectant; sed persuasum habeat, hanc eandem virtutem ex se, & proprio marte obtinere; vt apertè deducitur ex pluribus accidentibus, quæ ex testium ablatione tanquam à propria causa exoriuntur, vt leuitas, imbecillitas, languor, linor, mollities, & similia: qua ratione Terentius in Eunucho eum appellabat stolidum, frigidum, veternosum, & quasi amentem: ait enim:

Hic est vetus, vietus, veternosus senex,
Colore mustelino

Adde rursus, immutari etiam animos in viris, sicuti enim horum temperies, ablatis testibus, mutatur in fœmineum habitum; ita etiam animus dolosus, versutus, & prauus euadit; inde Auenzoar lib. 2. tract. 3. cap. 1. scriptum reliquit, nullum fuisse vnquam virum castratum, qui esset optimi intellectus, & bonorum morum: placeat illius excipere verba. *In Eunuchis præ tenuem vocem audimus, malos agnoscimus mores, rationis item sunt pessimæ, nec ferè inuentus est aliquis exactus bonæ legis, aut intellectus non diminuti.* Quò etiam illud Claudiani in Eutropium spectat.

Adde, quod Eunuchus nulla pietate mouetur.

An fortè ad morum prauitatem respexit olim lex illa diuina Deuteron. cap. 23. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro Ecclesiam Domini.*

Cur verò, his partibus resectis, calore, lumenque naturę hebetari contingat, & obscurari, existimarem has posse esse plausibiles rationes; quòd nimirum accidat inde retineri primò seminariam colluuiem, qua natiuæ flammulæ vis præstringitur: secundò quod spirituum confluxus, & congregatio ad partes illas tanquam fine, qui est generatio, deficiente, nequaquam fiat: tertiò tandem, quòd virtus illa plastica, quæ femini elaborato accedit, ceu quædam lux diua, ætheriusque calor cuncta refouet, vegetat, viuificat. Quid ergo si deficiat?

Præterea cùm testes faciant ad conseruationem, & vitam totius speciei, quæ sine his nulla ratione propagari potest, tantò principaliores partes dici debent, quantò potior, & nobilior est totius speciei perennitas, quàm vnius individui, & quantò omnium simul animalium præstantior vita est, quàm peculiaris cuiusdam viuentis; illa enim stabilis, & perpetua, hæc nimis existit fragilis, & caduca. Adhuc viscera, illa ventriculus, hepar, cor, cerebrum, hominem breui tempore seruant; quinimmò hæc eadem sunt, quæ sæpè illius interitum accelerant; nam vbi ventriculus primæ digestionis domicilium, frigidus, aut imbecillis euaserit, vt proindè chylificatio lædatur, gignuntur affatim cruditates, quæ ex Auicennæ sententia omnium penè morborum parentes, & origines sunt,

dum hepar malè afficitur, suamque temperiem amittit, vniuersa corporis œconomia labefactatur; quoniam cùm iecur sit sanguinis officina, quo partes corporis omnes aluntur, eiusdem ἀμοιροτης dum læditur, sanguis vndequaq; producitur impurus: impuro, crudoue sanguine partes enutritæ nostri corporis in cachexiam, hydropem, & prauum habitum non multò post abeunt, ac tandem propero pede ad marcorem, & mortis tabem deducuntur. Cerebrum & ipsum, vbi à proprio rithmo, crasiq; discesserit, omnium fit morborum origo, subiectas omnes partes lethali stillicidio inficit, potentias animi, & corporis hebetat, imminuit, aut etiam deprauat. Quod idem vehementiùs de corde accidit, in quo vitæ radix implantata est; si enim minimum quicquam patiatur, vitale germen aresci illicò, purpureum decus fatiscit protinus, floridus honos recedit eminus; quo ni fallor spectat illud Hippocratis libro de ossium natura *Colorum mutationes, corde venas constringente, ac laxante fiunt; laxante igitur rubicundi calores fiunt, & benè colorati, ac pellucidi; constringente verò virides cum pallore, & liuidi.* Atqui testes hominem ipsum non quidem æui breuiori curriculo, sed perpetuò tutantur à fati casu, & ruina; nam generationis beneficio, cuius illi sunt potissima iustrumenta, vita patrum in filijs primò, mox in nepotibus longa serie propagatur, & in sæcula perennis diffunditur. Nunquid igitur testes principalissimæ partes non sunt? Profectò (& fortè videbitur paradoxon) principatu iidem vel ipsi cordi præstant. Id nobis insinuauit Galenus primo de semine, vbi hæc prorsus habet de testibus loquens. *Quarè & roboris principium sunt animalibus, & multam caliditatem irrigant, ac effundunt toti corpori*, & paulo infra subiungit. *Quarè hæ parte testes etiam ipso corde præstantiores sunt, nempe qui vltra hoc, quod caliditatem, ac robur animalibus exhibent, amplius etiam generi conseruando præsunt*; mox addit, quod cor solum viuendi, testes benè viuendi principium sunt; *quantò autem melius est, benè viuere, quàm simpliciter, & solum viuere, tantò sunt in animalibus testes corde præstantiores.* Quid plura? Hæc adeò perspicua sunt, vt longiori non egeant probatione.

Verùm si quæras, qua ratione testes ad Generationis opificium necessariò concurrant, scies dum tibi erit, didymorum id esse munus potissimum, vt semen apparent, & elaborent; à venis enim descendunt humiditates ad testes, vt loquitur Auicenna, vbi eædem alterantur, coquuntur, & in spermatis formam reducûtur; non secus ac sanguis ad mammillas delatus, ibi vlteriori coctione in lac degenerat; similis enim est generatio seminis, atque lactis. Similis vtique quoad materiam: vterque enim succus à sanguine per vlteriorem coctionem perficitur. Similis quoad colorem, nam ex perfecta coctione vtraque alba sunt: Similis demum quoad secundas quasdam qualitates, vt lentorem, crassitiem, & serosam humiditatem admixtam. Id tamen non ita intelligas velim, vt putes in ipsis tantummodò testibus consistere, & elaborari semen; siquidem, vtar Hermeticorum terminis: residet etiam in mumia, balsamo, & vitali sulphure, hoc est in omnibus solidis partibus, in radicali humido, & sanguine, quæ per vniuersum corpus disperguntur, suoque fauore omnia irrorant, & complectuntur; quod non negauit ipse Galenus in libris de semine, vbi seminalis materiæ initium intra venas confici testatur, & nos infra libro de semine pluribus obtestamur. Verùm testes id peculiariter efficiunt, præparant nimirum idoneum seminj corpus, cuius beneficio ab externis iniurijs, tanquam in testa seruantur illæsi mechanici spiritus, spiritualesque tincturæ, generationis auctores; donec nutricatione, & definita digestione corroboratæ, signaturis, & partibus interea absolutis in lucem prodire possint. Pete Seuerinum Danum.

At scisciteberis, quæ sit causa, cur lac, & semen alba sint. Respondetur, ex eo id accidere, quod omne agens in agendo nititur in cunctis qualitatibus assimilare sibi passum, ac proprias inserere tincturas: ita quidem ventriculus, ne discedamus à corporis partibus, dum coquit, & elaborat cibum, quoniam neruaceus ipse est, & quodammodo albescens, colore quodam sub albido illum aspergit. Hepar quoniam rubræ, & sanguineæ substantiæ est, dum chylum elaborat, purpureo spargit rore, & sanguine madet. Eodem planè modo testes, & mammæ, cùm sint ambo ex substantia alba, rara, & glandulosa, humores quos parant, & conficiunt, albissimos reddunt. Idcò Auicenna libro 1 llo 3. fen. 20. dicebat. *Et est substantia vui ex membro glandulosa albæ carnis, quæ est res magis similis carni mammillæ, & assimilat sanguinem, qui effunditur in ipso cum calore suo, quarè albificatur, & propriè propter illud, quod commouetur in ipso de veritate, & propter spiritum.* Quod sanè in testibus multò magis verificatur, quoniam in ijs multi sunt flexus, & anfractus, in quibus diutius semen immorans coquitur magis, ac spumescere potest. Obseruet ingeniosus in verbis Auicennæ, hunc sentire, semen album effici non modo, quia testium substantia alba est; verùm etiam, quja in eiusdem seminis elaboratione plurimum aeris, ac spirituum immiscetur, & agitatur; & hinc existimo, opinionem suam duxisse non vulgarem iatrophysicum nostra tempestate præclarum, qui non quidem à parte conficiente, lactis, ac seminis tincturam proficisci, arbitratus est: verùm ab aere, & spiritu commoto, attenuato,

& in

& in spumam elato. At quia huic de testibus opinioni dissentit palàm Aristoteles, qui negat, testes semen elaborare, sed in alium vsum creditos esse affirmat; iccirco quæstionem hanc operæpretium erit vlterius enucleare.

CAPVT IV.

An vera sit Aristotelis opinio de testibus, quòd ipsi semen haud parent, sed sint vt pondera spermaticis vasis appensa.

SVAM de testibus opinionem 1. de Generatione animalium exarauit Aristoteles ex professo. Vt autem eius sententia radicitùs euelli possit, operæpretium censeo, ipsa eiusdē verba registrare ex 1. ipso de generatione animal. cap. 4. *De differentia instrumentorum genitalium, quæ in maribus sunt, qui quas ob causas sint, considerat, accipiat primum necesse est, cuiusnam rei gratia testium constitutio habeatur; ergo si natura rem quamcunque facit, aut quia necessaria est, aut quia melius ita est, hoc etiam membrum ob eorum alterutrum esse debet. Sed non necessarium id esse ad generationem patet. Omnibus enim, quæ generant adiunctum esset, si necessitatis ratio haberetur. Nunc verò nec serpentibus testes sunt, neque piscibus, visi sunt enim coire, plenosque seminis genitalis habere suos meatus. Restat igitur, vt melioris cuiuspiam notæ gratia testes habeantur. Sed enim maximè animalium parti munus nullum ferè aliud est, nisi quod plantarum semen, & fructus; vtque in ratione cibi voraciora, auidioraque sunt, quibus intestinum rectum, sic ea, quæ testibus carent, meatusque tantùm habent, aut non carent, sed intus habent, omnia propensiora, celerioraque ad venerem sunt. At verò quæ castiora esse conuenit, ijs, vt in cibi vsu intestino opus est non recto, sic meatus illi reuolutionem, anfractuisque habent, ne libido vehemens, crebraque citetur. Testes autem ad hanc rem emolita natura est; motum enim excrementi genitalis stabiliorem faciunt in viuiparis, vt equis, cæterisque eiusmodi, atque etiam hominibus, cùm replicationem seruent. Sed quemadmodum se habeant, petendum ex animalium historijs est, nullam enim partem meatuum testes complent, sed adiecti pendent, eo modo, quo pondera testrices telis annectunt; his enim detractis meatus intrò se retrahunt, quò fit, ne exacta possint generare: nam nisi ita retraherentur, possent generare; etiam taurus quidam, cùm flatim à castratione inijsset, impleuit, quoniam non dum retracti essent meatus, &c.* Expressit eandem sententiam Philosophus in problem. libris, vbi quærit, cur puberibus vox transmutetur in grauem. Sed, vt Galenus ait: vtinam Problema illud non tractasset. Tauri allatum ab Aristotele exemplum confirmare satis posse videntur aliæ historiæ, & in primis quam exarauit Bartholomæus Cabrolius Monspelienfis in obseruationibus anatomicis, vbi hæc habet. *Anno 1564. Monspelij Dominus Memorancius ex cuius stipatoribus quum cuidam vim faceret virgini, Memorancius, vt fortè illuc iter faciebat, audito matris clamore, reque intellecta, hominem, vt erat, ipso momento à fenestris suspendi iubet. Cadauer eius theatro anatomico illatum est. Ecce quum ad genitalia ventum stupratorem illum, Plauti ioco intestatum, hoc est testibus carentem tam exterius, quàm interius, præsentibus, &c.* Cæterùm iuuenem quendam absque testibus numerosam prolem seruisse, non pauci referunt.

Sed, vt Aristotelis fundamenta ex ordine euertamus, sic procedendum erit. Nam quoad primam eius rationem, qua probare nititur, ex eo testes ad generationem necessarios non esse, quòd in omnibus animantibus non reperiuntur, vt de serpentibus, ac piscibus probatum est, quibus seminalia vasa satis sunt ad humoris prolifici coctionem, & productionem. Respondetur primò, multis animalibus multa præ imperfectione à natura denegata esse: alia enim pedibus carent, vt serpentes: alia pene, vt reptilia, & pisces: alia oculorum vsu, vt talpę: alia pulmone, alia selle, & alia alijs: vt mirum ideo non sit, si quibusdam testes natura denegarit, ijs præsertim, quę vero sanguine prædita non sunt, vti piscibus, & serpentibus; ac proindè sat fuit naturę prouidentię, illis loco, testium quosdam tribuere meatus, qui humorem sanguini consimilem in semen elaborarent, ac perficerent. Quid corde ipso vitę animantium est magis necessarium, quòd fons vitę, atque animę domicilium creditur? At nihilominus quędam animalia sine corde viuunt, vt exanguia multa. Natura enim vice cordis particulam aliquam, vt vitalis aurę principium sufficienter exhibuit. Ita prorsus, quamuis testes ad seminis elaborationem necessarij apprimè sint, vt ideo perfectioribus cunctis animalibus traditi fuerint; imperfectis nihilominus denegari potuerunt, meatus loco testium concedendo. Rursus natura in suis effectibus rithmum quendam seruare solet, ita vt quemadmodum animalia quędam produxit, quę sine semine, ac testibus generent, vt sunt insecta omnium imperfectissima: quædam quę cum semine, ac testibus speciei propagationem agunt. Sic efficere debuit media quædam, quæ nimirum cum spe-

speciei propagationem agunt. Sic efficere debuit media quædam, quæ nimirum cum semine quidem, sed absque testibus producerent simile, cuiusmodi sunt serpentes, & pisces; tametsi serpentes omnes haud quaquam testibus carent, vt Aristoteles supponit.

Ad secundam rationem, qua dicebat Philosophus, testes ad generationem haud quaquam necessarios esse, eo quòd visus sit taurus quidam, qui statim exctis testibus iniens generarit, sanè pluribus modis responderi potest; & primò quidem, vnum exemplum ab inductione non probare; singularia enim, ipsomet sæpius dictante Aristotele, scientiam non efficiunt. Secundò dixerim, cur animalium inuestigatores missi ab Aristotele decipi in hoc non potuerunt? An non potuerat paulò antè, vel post ex alio tauro vacca illa concepisse? Vel quo modo dolore plenus, & excisionis pressura vexatus, & lancinatus, ita citò taurus in Veneris voluptatem inclinauit? Quo pacto sic promptè abiit fœmina? Vtique ex omni capite difficilis videtur assertio, nec non Aristotelis ingenio, & maiestate haud satis digna. Verùm detur Aristotelis, taurum illum post testiculorum exectionem, illicò generasse, inferri inde non potest, testes ad generationem necessariò non conferre; siquidem in tali casu effundi potuit seminis portio, quæ Cyrsoidibus, hoc est varicosis parastatis, ac deferentibus vasis reperiebatur, vel etiam in ipsis glandulosis prostatis, quæ collo vesicæ vtrinque adhærent, & in quibus spermaticus quidam humor continetur ad multos vsus ex Galeno paratus, & ad ipsam generationem satis efficax, quod colligo ex Galeno ipso 14. de vsu partium, vbi loquens de muliebribus parastatis hæc habet: *At fœmina, cùm masculo frigidior sit, inconcoctum adeò, tenuemque in glandulosis parastatis hunc humorem habet, vt nihil ad prolis generationem conferat.* Igitur humor qui in viri parastatis continetur, eò quòd calidior, & magis coctus confert, & ad generationem supplet. Semper enim in Venereo congressu semen, quod in hisce vasis varicoformibus, ac deferentibus nuncupatis, aut in parastatis continetur, emittitur; vt proindè doctissimus Mercurialis in hoc decipiatur, nam vt hanc tauri difficultatem effugeret, ait, potuisse decipi castratores, vnum tantum extrahentes testem; vel taurum tertium testiculum obtinere à natura potuisse, qui in eunuchismo relictus foret; perindè ac in coitu illo statim facto, vt asserit Aristoteles, testis quocunque modo relictus ictu oculi semen conficere valuisset, & continuò per deferentia vasa ad meatum demandare. Pari modo & Auerroes deceptus est, qui instantiæ allatæ de tauro tantum tribuit, vt dixerit spem totam victoriæ pro Aristotele in hoc experimento, & exemplo collocatum esse. Commodè igitur, & rationabiliter hic de tauro, vti explanauimus, nec alio modo posset recipi, & probari casus; alioquin dicat mihi Aristoteles, cur semel tantùm, & non sæpius taurus ille generauerit? Dicet fortè, eò quod meatus retracti mox fuerunt; at non satisfacit, quoniam in ipsa exectione testium illicò ob vim, & consensum retrahi, & corrugari debebant. Sic igitur Aristotelis rationes erunt confutandæ, & cum his aliæ quoque historiæ; nam quoad illam Cabroli, dici posset, potuisse quidem ituproratorem illum vim Virgini inferre, fœtam tamen reddere nequiisse; siquidem etiam eunuchi, excisis testibus, ad Veneris alicuius certamina prodeunt, sed infœcundè, nullaq; fata prolis: sic pariter Iuuenis intestatus ille, qui numerosæ fuit prolis parens, potuit, vt mulieres, testes intus reconditos obtinere.

Præterea idem Aristoteles, dum negauit inesse testibus vim σπερματοποιητικὴν, propter quid à natura ijdem dati sunt, in medio ponit; & quidem in triplicatum vsum effomatos esse, asserit; in primum, vt nimirum suo pondere seminalia vasa miro modo flexuosa, & implicata patentiora, seu laxiora præstarent, instar eorum ponderum, quibus ad telas conficiendas textrices vtuntur; atque adeò tali pacto seminis ipsius iaculationem adiuuarent, firmioremque redderent. In secundum autem vsum, vt à testibus cordi maius quoddam robur impertiretur, ita vt per partem post partem illud ab ijsdem veluti confulciretur, ac firmius redderetur. In tertium denique vt scilicet instar ponderis vectis penis erectioni auxiliaretur; testes enim, vt idem inquit quarta sectione Problematum, vicem fulmenti uectorij capiunt. Verùm vt rationi minus consentanei vsus etiam tales ab Aristotele allati refellendi erunt. Ad primum dicendum est, ex omnibus nostri corporis partibus glandulas, & quæ naturam glandium referunt, leuissimas esse; multum enim aeris, & spiritus intra earum raritatem includitur; quo modo ergo testes, qui omnium maximè glandulosi, rariique sunt instar ponderum deseruiant? Porrò magis vnus meatus varicoformis, quàm ambo licet magni testes, si æquilibrio iudicentur ponderæ, prævalebit; si quidem vt supra ex Galeno 14. de vsu partium diximus, testes in viris sunt humidiores, ac molliores; vasa verò spermatica duriora, & sicciora; igitur hæc semine præsertim repleta grauitate præcellent iis præsertim didymis, qui à natura parui crediti essent. Præterea cùm vasa ipsa tortuosa nimis, & in anfractus implexa sint, si verè testes vt pondera subiacerent; illa adeò explicarent, vt scrotum ipsum vsque ad pedes protendi, ac demitti posset. Adhuc cur testes solum in actu venereo ponderent, cum semper penduli, vt planè textricum pondera suspendantur? Et si semper ponderant, semper deberent seminis flexuosos meatus explicare, atque adeò sper-

spermatis suorem facere. Quid si dicamus etiam, nullam licet grauem corporis particulam in proprio loco pondus efficere, eo modo, quo aiunt Philosophi, nullum elementum in propria sphæra grauitare?

Et hinc ad secundum etiam vsum confutandum patet responsio; nam quo pondere, qua contentione indiget cor, vt suas vitales exerceat functiones? Cùm præsertim cor, & testes adeò distent & loco, & natura, & operatione, vt ipsemet Aristoteles dixerit in fine libri de motu Animalium; Cor, & genitale esse veluti vnum quoddam animal separatum.

Ad tertium dicendum, penis erectionem fieri à calore, à spiritu dilatante, excitante, & fouente; neenon à statu cauitates implente, vt supra diximus, & ab alijs causis, non autem à pondere testiculorum; quinimo hi potius tensioni aduersantur; dum enim scrotum, ac testes elongantur, & extenduntur (quo tempore maiori pondere grauant, videmus penem) & ipsum flaccidum, & segniorem decumbere. Sequeretur adhuc, quòd penis perpetuò tensus rigeret: semper enim adsunt fulmenta, quibus assimiles esse dicebat testes Aristoteles; cuius opinio satis, ni fallor, iam dictis explosa erit. Plura vel superflua, vel auribus molesta esse possent, vide Galenum 1. de semine.

CAPVT V.

Testes ex vera opinione sanguinem in semen conficere, eique plasticam facultatem tribuere.

CVM ostenderimus, testes haud quaquam à natura eo consilio formatos esse, vt veluti lapides suspensi telarum staminibus deseruirent, id quod in mulieribus, auibus, cæterisque animalibus, quæ testes intra peritonæum sunt adepta, vt Galenus ait, asserere nec possit Aristoteles, par est veram sententiam aperire, atque asseuerare, testes in hunc scopum à natura productos esse, vt semen coquerent, pararent, perficerent; & sine his generationem haberi non posse. Quod ita probatum volumus. Quilibet effectus eius causæ dici primariò debet soboles, cui primò assimilatur: nam simile à simili progignitur; qua ratione sanguis, vt effectus tribuitur hepati; cui substantia compar est. At perfectum semen secundum formam, & pleraque accidentia simile est glandulosæ testium substantiæ, ideò semen testibus, vt effectus debetur. Præterea vnaquæque pars nostri corporis illud alimentum & coquit, & parat, quod sibi adiungit, & ex quo nutritur, & sic iecur sanguine, quem elaborat alitur: cor spirituali humore, quem in suis officinis conficit: venæ, & arteriæ humore spermatico: cystis fellis ex multorum sententia bile: splen melancholia, & similia similibus. Sed testes nutriuntur semine, igitur ipsi semen elaborant, & excoquunt: id quod anatomica obseruatione manifestissimum est, siquidem dum testes execantur, semen copiosè exudat, eoque refertos meatus, totamque substantiam didymorum turgidam videre est. Porrò vbi experimentum præsens est; superfluæ sunt rationes, siquidem vt primo de Dict. Hippocr. aiebat: oculis magis, quàm opinionibus credere oportet. Id si obseruasset Aristoteles, in errorem adeò perspicuũ nunquam incidisset: & verè tanti ponderis est hæc experientia, vt Auerroes, qui alioquin iurauit in verba Aristotelis, eiusque dogmata mordicus tuetur, visa dissectione testiculorum, statim didascalum suum deseruerit, medicisque adhæserit, vt 2. coll. cap. 10. apparet.

Cæterum dum opponitur Aristoteli; cur testibus excisis sterilis homo euadit, si illi semen non conficiunt; respondet, id ex eo contingere, quòd ablatis testibus vasa retrahuntur; si dicatur, cur frigescentibus testibus sterile fiat animal? Quia etiam, respondet, seminalia vasa infrigidantur, à quibus sterilitas procedit; si quæratur similiter ab eodem Philosopho, quare contusis testibus continuò incidat homo in sterilitatem; idcirco euenire ait, quoniam vnà contunduntur spermatica vasa; & omnino, vt argumentorum aciem auertat, quicquid ipsis testibus adhæsit, spermaticis vasis communicari affirmat, ideoque generationem præpediri. Atqui Aristoteli non erit Asylum, quo confugiat: quandoquidem licet, dum testes extrahuntur, nihil offendantur seminalia vasa, infœcundus nihilominus euadit homo, esse minatus, & imbecillis; & si eodem pacto fœminis testes enellantur, nullum hæ præsentient amplius libidinis fomitem, nullam appetent maris coniunctionem; Ideoque Galenus primo de semine aiebat. *In his, quibus bi excẽti sunt citra venæ testicularis contactum, nihil patitur vas seminarium. Deperit autem animalibus non solum seminis emissio, sed & virilitas, & ita vt dicam masculositas, sic verò &c.* Qua ratione igitur negari potest testes ad generationem non conficere semen? Id cùm luce clarius innotescat, pluribus, vndè roboretur, non eget.

Potius inuestigandum postremò erit, qua ratione ab ipsis testibus perficiatur humor in semen, quoue pacto genitiua facultas, seu λόγος πλαστικὸς eidem præbeatur; quod ut intelligatur, supponendum est, id quod primo libro statuimus, duas ui delicet in semine portiones reperiri, materialem unam, & efficientem alteram, seu ma-

materiâ, ac facultatẽ, & ut Hermetici, ac Theophrastæi, balsamum, & scientiam mechanicam. Iam non recipitur facultas hæc, nisi in materia apta, & bellè apparata; quocirca necessarium in primis est, vt humor seminalis perfectè excoquatur, & elaboretur. Coquitur autem, & elaboratur in triplici officina, nempè in solidis partibus, in vasis spermaticis, & in testibus ipsis. In partibus quidem solidis; quoniam cùm sint hæ de genere spermaticarum, non quidem sanguine nutriuntur, sed humore quodam seminali, & materia perlata, vt ait Hermes; & sic tam venæ, quàm arteriæ, nerui, aliæuè particulæ sanguinem in consimile sibi nutrimentum elaborent; ex eadem enim materia, ex qua membra corporis procreata sunt, alimentum recipiunt. In vasis spermaticis adhuc semen conficitur, quoniam, & hæc, vt nutriantur, familiare sibi parant nutrimentum; nec non sunt insuper à natura vt generationis meatus instituta. Demum in testibus ipsis vltimò perficitur semen, in quibus adipiscitur insuper facultatem, energiam, seu virtutem integram genitiuam, quam λόγον πλαστικὸν Græci dixere. Nam dum in venis, arterijs, alijsque particulis primò elaboratur, hanc potentiam, vt inquit Fernelius, neque expetit, neque recipit: dum in vasis spermaticis apparatur, expetit quidem, sed non recipit, aut saltem imperfectam acquirit; in testibus autem expetit, & perfecto modo capessit; adeò vt licet seminalis materiæ apparatus in pluribus corporis partibus celebretur: non nisi tamen in didymis, omni calculo absolutâ perfectionem nancisci vr.

Si verò qua ratione secretus humor hic intestes adducatur, exposcas, scias oportet, quamlibet nostri corporis partem familiaris succi vim attractricem possidere; ita vt non secus ac lien facultate sua humorem prolicit melancholicum, renes vrinam, intestina excrementa; ita prorsus virtus pelliciendi semen testibus ineft, quod per seminis vasa exugit à vena cava, hęc à circumpositis maioribus venis, & hæ tandem à minutis quibuscunque, & capillaribus attrahit; nec suctio, & attractio cessat, quousque & seminales meatus, & testes vndique seminali succo affluenter scateant. Rursus hæc eadem seminalis materia suum decus, facultatemque à testibus neutiquam excipit, donec ab vniuerso corpore, singulisq. eius particulis aura quædam illabatur, quæ singularum partium caracterem, aut imaginem imprimat in semine, quod deinceps valeat eosdem caracteres, & imagines in conceptu singulatim exprimere. Vbi primùm igitur aura ipsa medijs spiritibus à cerebro per neruos, ab hepate per venas, & corde per arterias proficiscitur, & in testes defluit, hi calore suo innato perfectè omnia misceant, coquunt, attemperant, & in vnam redigunt seminis formam, quod fœcundum, & vndequaque generationi opportunum in vterum infunditur.

En ergo, vt semen à testibus conficitur, & perficitur, quicquid inter recentiores arbitrati fuerint Bartholomæus Cabrolius, & Adrianus Spigelius, qui vim testibus σπερματοποιητικὴν, ideircò denegarunt, quòd multi absque testibus coeant, vt plerique Eunuchi. Atqui Eunuchi, vt dictum est, licet coeant, fœcundum tamen haudquaquam semen emittunt; & Cabrolij stupratorille, de quo supra, habuit fortè aliquid, quod testibus esset analogum; nec insuper infertur, quòd semen illius esset fœcundum, licet strenuè fœrtaretur. Quod idem responderi poterit ad Smetij in miscellaneis historiam, qui, referente Sennerto tertio suæ practicæ, narrat, maniacum quendam ambos testiculos sibi extirpasse, cum vxore tamen, vbi sanæ menti restitutus fuit, belle congressum cum seminis effusione. Esto, sed non cum semine prolifico. Verùm de his plura in libro de semine.

CAPVT VI.

Cur natura binos testes in maribus effinxerit, vbi de Monorchis, ac Triorchis.

DECANTATVM adagium apud naturæ indagatores est, & non semel à nobis vsurpatum, frustra fieri per plura, quod paucioribus consequi valeamus. Id si verum est, natura non immeritò insimulari posset, quòd binos testes animalibus inseruerit, quando sat vnus erat ad generationem; quod quidem probatione non eget, plures enim & olim, & nunc altero teste orbati homines prolem & cõmodè propagarũt, & propagant; quod & iuris prudentia firmatur. Nam ex Arriano iureconsulto digestis de re militari, vt Rhodiginus refert, habetur, Syllam, & Cottam vno tantùm fuisse testiculo à natura donatos; quin Vlpianus Digestis de ædilicio edicto sanciuit, satum censeri debere, qui vnum testiculum obtineat; quoniam vno generare valet; id quod ego in plurimis certo didici experimento. Illud quidem arbitrari fas est, eos omnes nihil, aut parum strenuè Veneris in castris militare. Verùm tantum abest, vt id naturæ exprobrari possit, vt potius eiusdem prouidentiam admirari ex hoc debeamus; eo quòd membra, quæ paria producuntur, vt Galenus ait, ad maiorem vtilitatem duplicentur, vt nimirum si alterum fortè lædatur, aut etiam deficiat, possit alterum suum obire munus: sic duos oculos, duas aures, mammas duas, duasque nares efficit; quod eo magis fieri par erat in

in testibus, quo instrumenta hæc aliis longè magis antecellunt, & quo generatio ipsa visioni, auditui, & olfactui præstat magis: Quid insuper? nonne maior copia seminis è duobus, quam ab vnico teste paratur, & perficitur? & si hoc est, nonne perfectior proles à maiori, quàm à pauciori seminis vbertate coalescit? Belle igitur cum animalibus factum esse, censendum est, quibus bini testes appensi fuerunt; semper enim duplicata virtus fortior, & à pluribus agentibus efficacior manat effectus. Hæc autem cùm sole ipso clariora sint, longiori non indigent probatione. Verùm enimuerò præter hoc dixerim ego, binos testes non ad maiorem duntaxat vtilitatem, sed necessariò etiam, productos fuisse: nam cùm, vt supra in secundo libro statutum fuit, fœmina non sit animal occasione natum, sed necessarium, eiusdem dari oportuit efficiens instrumentale; & sic natura sagax vnum fermè testem ad maris productionem, & est dexter, alterum ad fœminæ, & est sinister procreauit, vt sequenti capite patebit.

Tandem nec reticendum, tres aliquando testes in profusæ libidinis argumentum à natura exantiari; quemadmodum supra in Tractatu de falaci complexione libro 2. ediximus, quod nimirum noua, & vetera monumenta probant. Nempe Siciliæ Tyrannus Agatholes τριόρχης ob tertium testiculum dictus fuit à Timæo. Franciscus Philelphus, vt narratur tribus pariter testibus insignis fuit. Quin etiam in toto gentilitio aliquando trini relati sunt, vt Fernelius primo Pathologiæ cap. 8. testatur, & nos quoque supra de Bergomi illustri Coleonum familia, hinc nuncupata retulimus. Quòd verò id semper immoderatæ salacitatis indicium fiat, obseruat Montuus 4. Anasceu. morb. cap. 37. qui tertium testiculum in præseruiæ libidinis viro aspexit; & Forestus in Antuerpiano ciue profusæ nimium lasciuiæ pariter tres agnouit coleos; vide lib. 27. obseruat. 15. in scholio. Denique vel in tota specie natura tres testes expromit; nam buteo, quæ auis est ex accipitrum genere, ob hanc eandem rationem τριόρχης à Græcis dicitur, vt Gaza in Aristotele exponit; nam eius speciei mares omnes ternis ditantur cliterninis, atque etiam falacissimi existunt. Cæterum vt arbitror, si quando contingat, vt mulier aliqua tertium testem obtineat, lasciuiam susque deque, petulantiam vndique redolebit. Huic nec Hercules, nec Proculus Cæsar, qui portentosæ libidinis monumenta dedere, plenè satisfacere poterunt.

CAPVT VII.

An, & qua ratione verum sit, dextrum testem producere masculum, sinistrum verò fœmellam.

HIPPOCRATES Epidemiorum 6. quo loco intima philosophiæ reserauit arcana, & quasi Apollo ex tripode abdita, & obscura decinit oracula sect. 4. circa finem hæc habet. *hircire incipiens vter testis extra apparuerit, siquidem dexter masculum, si verò sinister fœmellam portendit.* Quibus verbis manifestissimè docet ab altero teste, puta dextro, mares gigni, ab altero, putà sinistro, fœminas; quod confirmauit etiam Gal. in comm. 27. epidem. supra illud idem Hippocratis edictum, inquit enim, quod si adolescentibus, dum pubescunt, prius dexter testis intumescat, huiusmodi ephebi cùm primùm ad perfectam, virilemque ætatem peruenerint, pueros masculos potius, quàm fœmellas sint procreaturi; contra verò si sinister; hinc multi asseruerunt, quòd si in coitu sinister testis ligetur, masculus producetur, eò quia impediatur causa fœminæ effectiua. Porrò ea ipsa ratio, quæ militat in vtero mulierum, valet etiam in Virorum testibus, vnde Gal. loco nuper citato *vna*, inquit, *atque communis tam maribus, quàm fœminis causa est, cur sinistræ partes fœminarum, dextræ masculorum sint genitrices.* Tum Cous idem Senex 5. Aphorism dicebat: *Fœtus mares in dextris, fœminæ in sinistris magis.* Ex horum itaque doctrina infert, mares à dextro, fœminas à sinistro teste originari. Præterea mammæ, & testes similitudinem quandam obtinent, quare sicuti dum concepit mulier, aut etiam antequam concipiat, si dextra mammilla magis protuberat, signum est, vel productum esse masculum, vel forc, nisi aliquid obstet, vt concipiatur, quo circa scribebat Auicenna in 3. fen. 21. tract. 1 cap. 13. *Plurimum enim cùm incipit mammilla augumentari, & alteratur, color fit in ea, quæ habet masculum ex latere dextro, & propriè papilla dextra, & ad ipsam currit lac in primis, & prouocatur in primis*; & Hippocrates 5. illo aphorismorum dicebat, quòd in vtero dum gemina proles est mas videlicet, & fœmina, si extenuetur mamma dextra, fit maris abortus, si verò sinistra, abortus fœminæ. Ita prorsus in Viris quotusquisque è testibus fortior erit, ac tumidior, ille prævalebit magis, adeò vt si dexter fortior sit, marem conserat, si sinister fœminam. Sed iam huius effectus rationem expiscari conuenit, & cur dextræ partes sint fortio-

res inuestigare. Dicendum itaque cum Galeno 14. de vsu partium, sexus discrimen partim quidē aspermate, partim verò à matrice procedere; cùm enim vir temperatura calidior sit, in parte calidiori is concipi debet, sicut in frigidiori fœmina: etenim quælibet substantiæ indiuidua natura propriam, & peculiarem locum, vbi germinet, sibi vendicat; sic videre est margaritas, & corallia in maritimis conceptaculis pullulare, gemmas è propria minera coalescere, nec aliundè concrescere; aurum, & electrum non vbique, sed in germana matrice compingi. Rursus ex agricolarum experientia compertum est, alias plantas in arido, alias in humido edere germen; alias in pingui, alias in arenosa, aut argillosa terra coalescere, & excrescere meliùs, multaque opacos magis, quàm apricos optare locos. Id 2. Georgic. canebat Virgilius.

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni
Littora myrtetis lætissima, denique apertos
Bacchus amat colles, aquilone, & frigora taxi.

Neque id Hermetici diffitentur; aiunt enim ea omnia, quę semine propagantur, locis consentaneis recepta foueri, & custodiri, quousque tempora germinationis, ortus, & ascensionis aduenient.

Nec verò peculiarem terram duntaxat planta quærit desiderat, verùm etiam præcipuum solis influxum, & irradiationem. hinc apparet, mixta plurima in Orientali regione exoriri, & adolescere, in Meridionali non pauca, multa alia in Septentrionali, & Occidentali, non aliam quidem ob causam, nisi quia non eadem intentione, seù cono, vt Mathematici loquuntur solis radij in eois, aut occiduis, in meridionalibus, aut septentrionalibus regionibus feriunt, quod summus idem Vates, ac Philosophus loco nuper citato significauit ijs verbis,

sola Indianigrum
Fert ebenum: solis est thurea virga Sabais.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, & baccas semper frondentis Acanthi?

Docuit hoc ipsum, simulque rationibus firmauit Magnus Hippocrates 4. de morbis mulierum, cuius hic verba referre, cùm ad rem valdè faciant, opportunum maximè existimo. *Quamobrem etiam*, inquit, *in plantis humor similem trahit de terra, habet enim modo terra omnigenas in se ipsa, ac innumeras facultates, quæcunque enim in ipsa nascuntur, omnibus exhibet humorem similem vnicuique, qualem & hoc ipsum quod nascitur sibi; similem iuxta cognationem habet, & trahit vnumquodque de terra alimentum; quale etiam ipsum existit; nam & vasa de terra trahit talem humorem, qualis ipsa in potentia est, & allium de terra humorem eiusmodi trahit, quale ipsum in potentia est, & alia omnia terræ nascentia ex terra trahunt singula iuxta se ipsa. Si enim hæc res non ita se haberet, non nasterentur plantæ similes seminibus. cui porrò plantæ in terra cognatus humor vberior est, quàm conuenit, ea planta ægrotat; cui verò paucior, quàm opportunum est, ea resiccatur; at si ab initio non insit terræ humor, quem plantæ iuxta cognationem trahat, ne germinare quidam poterit. Intelligentia autem huius rei, quod si non habeat planta humorem secundum naturam, ne ab initio quidem germinet, inde nobis suppeditatur. Ionia enim Regio, & Peloponesus pro temporibus anni à Sole non minimè calet, & illustratur, vt Sol nascentibus e terra sufficere possit: attamen fieri non potest, multis frustra iam id tentantibus, vt in Ionia, aut Peloponeso silphium nascatur; at in Libya sua sponte nascitur, non enim est neque in Ionia, neque in Peloponeso eiusmodi humor, qui ipsum alere possit. Quum autem sint & aliæ multæ medicinæ, quas Sole sufficiente Regiones alere & non possunt, alia verò sua sponte producunt, hoc ipsum eius, quod nunc dicturus sum, considerandi occasionem exhibet; quantum videlicet locus alteri loco, etiam valdè vicinus præstet ad iucundi vini productionem. Sole æqualiter sufficiente, sic etenim in terra humor est, qui vinum suaue exhibere potest, illic non est.* Age quàm præclarè hactenus Hipp. arcanam philosophiam reuelauit? nimium scilicet ingratus fuit Aristoteles, qui cùm ab illo multa ad rem etiam præsentem attinentia didicerit, nunquam tamen ob inuidiā auctoris meminit: etiam Philosophus ipse 8. de historia animalium eandem planè doctrinam exarat his verbis. *Diuersitate etiam locorum differentia oritur; vt enim locis nonnullis gigni omnino aliqua nequeunt, sic alijs generantur quidem, sed pauciora, & vita breuiore, nec prospera; locis etiam vicinis discrimen huiusmodi existit, vt agri Millesij locis sibi propinquis cicadæ alteris gignuntur, alteris non. Amnis in Cephallenia insula dirimit, cuius citra alterum latus cicadarum copia est, vltra alterum nulla. In Pordoselena via interiacet, cuius vltra alterum latus gignitur catus, citra alterum gigni non potest. Terræ Bœotiæ in Orchomenio agro talpæ habentur multæ, & in Lebadico vicino nulla sunt, neque si aliunde portatæ ibi fuerint, volunt insodere, in Itacha insula lepores si aliunde allati dimittantur, viuere nequeunt, sed eodem reuersi, vnde maris introierint insulam, moriuntur. In Sicilia formicæ, quæ equites appellantur, non sunt. In Cyrenensi agro ranæ vocales præterito tempore deerant. In Africa non Aper, non Cervus, non Capra syluestris est.* Sed quid plura ex Aristotele registrabimus.

mus. Huius arcani euentus idem Philosophus rationem reddens ait inferius: *Cæli, & situs conditio causa est;* Cœlum quidem, quoniam non quolibet climate, non in qualibet Regione, nec semper eodem modo similiter influit. Terra quoniam, vt ait Aristoteles, ea vt ventre, eiusque calore plantæ fruuntur, & vtuntur, habetque in se innumeras alimentorum species, iuxta innumerabilium speciem plantarum, & aliasprolis terrenæ differentias. Sed nimium sermo progressus videtur.

Iam ad pensum nostrum. Eodem prorsus modo mas, & fœmina diuersum semen quoad qualitates ex quo; diuersum locum in quo; diuersum caloris influxum à quo coalescant, exposcunt. Quare vir semen calidius, calidiorem locum, necnon spirituum vberiorem desiderat influxum; vt proinde dixerit Aristoteles, à calidissimo, & copioso semine pullulare marem. Hippocrates marem in dextris, fœminam in sinistris germinare; idem Aristoteles dominante Austro fœminas; afflante Borea masculos concipi. Quòd cùm ita sit, quid mirum si mas à dextro teste, qui calidior est, semenque calidius, purinsque elaborat, procedat, & in dextra vteri parte, quæ identidem calidior est, pullulet? Ideoque Galenus summa cum ratione libro de semine dicebat, quòd propter temperaturam, quæ statim ab initio calidior existit, fœtus masculus generatur; sed cur à sinistro testiculo fœmina feritur? nempe ex eo, quòd vel Galeno docente comm. 5. Aphorif. 48. ferosior est, atque frigidior, quæ in sinistro testiculo continetur genitura, & ex hoc conceptus in læua parte vteri constitutus, non absque ratione statim inter initia est frigidior. At quænam causa est, cur sinistri testiculi genitura frigidior sit, vterique dextro regio calidior? ab Anatomicis addiscendum est; siquidem quicunque in dissectionibus vel parum versatus est, inueniet sinistrum in maribus testem sinistrumq. in fœminis matricis sinum, sanguinem impurum adhuc, excrementosum, ac ferosum magis excipere ob eam rationem, quam supra in testium anatomia attulimus: quo fit, vt ipsa etiam conceptacula, puta sinister orchis, & sinistra matrix impuriorem, ac proinde frigidiorem temperaturam adipiscantur; nam, vt Galenus inquit 5. de vsu partium. *Sicuti sanguis purus excremento so est calidior, ita partes dextræ, quæ ex illo nutriuntur, sinistris sunt calidiores.* Iam verò quoniam virorum natura mulierum complexione feruidior est, apparet ex eo viros in calidiori loco produci, & à calidiori etiam causa, cuiusmodi sunt dexter vteri loculus, dexterq; didymus. Adde etiam, quòd sicuti ex Galeno superius diximus, partes, quæ secundùm rectitudinem sitæ sunt, necessariò plus inter se communicant; quò fit, vt testiculus dexter, dextraque vteri cellula, eo quia secundùm hepatis rectitudinem sunt locati, calidiores existant: & quidem ob eandem situs rectitudinem brachium dextrum sinistro magis lacertosum, & agile est; crus, & pes dexter aptiores, & fortiores: oculus dexter audacior, seu vinacior, omnesque vt plurimum partes vinaciores, & valentiores; vt proinde mirum non sit, si partes dextræ, vt ait Galenus, masculorum, sinistræ fœminarum sint generatrices; & vt idem 2. de semine scriptum reliquit: *Si vero etiam ex testiculis magis faginatus dexter exsiliit, & prius quidem tempore pubertatis inflatus, generatores masculorum facit; macrior verò, & posterior tumescere incipiens fœmellarum genitores ostendet;* & est illud idem, quod ex Hippocrate 6. epidemiorum in principio dicebatur.

Id autem de eo, quod vt plurimum contingit, intelligendum est; quod ipsemet Hippocrates in illo aphorismo 5. libri significauit. Siquidem fieri potest, vt semen, quod à dextro testiculo excisum marem procreaturum erat, in sinistram matricem decidens refrigeretur, atque adeo fœminam producat, & sic e contrario. Quapropter, vt Hippocratis axioma verum vt plurimum sit, necesse est, vt ambæ causæ concurrant, puta dexter testiculus, & dextra matrix; sinister testiculus, & sinistra matrix. Hanc doctrinam famosissimi Hermetici transplantationis nomine subsignant; aiunt enim, individuorum transplantationes in generationis lithurgia illas esse, in quibus manente radice, seu vitali principio signaturæ duntaxat immutantur, colores videlicet, sapores, figuræ, magnitudines, & similia multa; qua ratione viri accidit transplantatio, cùm videlicet consito semine, quod ex sui natura virum producere debebat, fœminam pingit.

CAPVT VIII.

De singulis testium, vasorumque spermaticorum temperamentis, eorumque indicijs.

QVANDOQVIDEM testium, seminalisumque vasorum plures, ac variæ possunt esse temperaturæ, iuxta quas diuersimode etiam ipsum semen elaboratur, à quo postmodum diuersa etiam proles & quoad sexum, & quoad alias accidentales affectiones exoriri potest; vtile iccirco, & pretium operæ arbitratus sum, cuiusuis temperiei penes has partes probabilia signa recensere. At quoniam quatuor sunt cuiuslibet membri temperamenta, siue simplicia, siue composita, considerentur; videlicet calida, frigida, humida, ficca: vel iuxta elementorum combinatio-

nes, calida, & humida; calida, & ficca: frigida, & humida, frigida, & ficca. Simplicia minus perſcrutabimur, quia nulla humani corporis particula ſimplici temperamento prædita eſt. Poſſumus tamen cum Galeno de Art. medicin. cap. 14. dicere duntaxat, quòd calida teſticulorum temperatura ad Venerem procliuis eſt, & maſculorum generatrix, & fœcunda, celerrimèque genitales partes obſepit pilis, ſimul autem & circumiacentes attingit partes. Frigidior verò contraria efficit: humida multo, & humido ſemine abundat; ſicca parum, & modicè craſſum generat ſemen. Pleniùs iſta delineat Auicenna in 3. fen. 20. tractatu 1. capite 4. his verbis.

Signa complexionis calidæ ſunt apparitio venarum in virga, & pelle teſticulorum, & groſſitudo eius, & aſperitas ipſius, & velocitas ortus pilorum ſuper pectinem, & quæ ſequuntur ipſum, & aſperitas, & multitudo, & ſpiſſitudo ipſorum, & velocitas conſecutionis; & qui vult cognoſcere complexionem ſui ſpermatis, rectificet regimen, deinde attendat colorem ſui ſpermatis. Signa complexionis frigidæ ſunt contraria illis ſignis. Signa complexionis humidæ ſunt ſubtilitas ſpermatis, & multitudo eius, & debilitas erectionis. Signa complexionis ſiccæ ſunt contraria illis ſignis, & quandoque egreditur ſperma in ipſa filoſum.

Cæterùm quoad compoſitas temperaturas ex ordine incedemus, Galenum, & Auicennam imitati, quorum verba ipſa inſuper adſcribemus.

Teſtium, ac membrorum ſpermaticorum calidæ, & ſiccæ temperaturæ diagnoſis ex Galeno in Arte medicinali.

CAlidior, ac ſiccior & craſſiſſimum ſemen habet, & fœcundiſſima eſt, ac celeriter ab initio protinus ad coitum excitat animal; ſed & his genitales partes citiſſimè biſpidæ fiunt, atque omnes, quæ circumſtant, ſupra quidem uſque ad umbilicum, infra verò uſque ad media femora. Petulca igitur eſt, & ad libidinem prona huiuſmodi temperatura, ſtatim vero ſatiatur, & ſi cogatur, offenditur.

Eiuſdem complexionis diagraphia ex Auicenna ibidem.

Sunt ſpiſſitudo ſubſtantiæ ſpermatis, & aſſiduitio deſiderij apud quamlibet præſentiam, & quòd impregnat plurimum, & efficit maſculum, & eſt deſiderium vehemens, & velox, & eius erectio eſt fortis; veruntamen abſcinditur à coitu iterum velociter; quòd ſi ſuperfluat caliditas, & ſiccitas, erit parum aquæ, & parum deſcenſionis cum velocitate erectionis. Pili verò, qui ſunt ſuper pectinem, & anchas, & qui ſunt inter eas, ſunt in calida, & ſicca plures ſpiſſi.

Calidæ, & humidæ temperaturæ diagnoſis ex Galeno ibidem.

SI caliditas humiditati coniungatur, hirſuti quidem tales minus, plus verò ſemine abundant, non tamen plus cæteris appetunt; ſed minori detrimento præter modum Venereis indulgent. Quòd ſi ſatis exercuerint & caliditas, & humiditas, non ſine detrimento à Venereis abſtinent.

Eiuſdem complexionis diagraphia ex Auicenna ibidem.

Eſt pluris ſpermatis, quàm calida, & ſicca, ſed eſt pauciorum pilorum, & minus impregnans, & vehementioris fortitudinis ſuper coitum, plurimum, & non eſt pluris deſiderij, & erectionis, & læditur à dimiſſione coitus ſuperflua, & eſt plurimæ pollutionis, & velocis executionis.

Frigidæ, & humidæ temperaturæ diagnoſis ex Galeno ibidem.

SI frigidiorem, & humidiorem temperaturam teſticuli habuerint, partes circumpoſitæ glabræ ſunt, & tardè rem Veneream exercere incipiunt, neque proni ad actum huiuſmodi ſunt. Aquoſum verò, & tenue ipſis eſt ſemen, & infœcundam, & fœminarum generatiuum, vel omnino non generans.

Eiuſdem complexionis diagraphia ex Auicenna ibidem.

Sunt lenitas pectinis, & tarditas deſiderij coitus, & tenuitas ſpermatis, & paucitas impregnationis, & tarditas ortus pilorum, & paucitas eorum.

Frigidæ, & ſiccæ temperaturæ diagnoſis ex Galeno ibidem.

FRigidior verò, & ſiccior temperatura ſimilis quidem in reliquis eſt antedictæ, craſſius verò in ipſa ſemen exiſtit, atque omnino paucum.

Eiuſdem complexionis diagraphia ex Auicenna ibidem.

Sunt groſſitudo ſpermatis, & paucitas eius, & eſt

& ijs adiuta à calida, & humida in modis omnibus.

Hæc referre volui, quoniam licet coincidant cum signis Galeni vt plurimum; multò plura tamen apud Auicennam leguntur, quæ non solùm ad testes, verùm etiam ad reliquos meatus seminis, & penem ipsum faciunt. Ex his autem poterit vnusquisque addiscere nimij, aut etiam effæni Veneris ardoris causam, vel nimiæ torpedinis, ac frigiditatis ad illam; item penis flaccitiem, & aliam quamlibet ad humanæ generationis organa attinentem imperfectionem.

Illud hic obiter coronidis loco adscribam, testes ex multorum arbitrio exquisito sensu prædiros esse, atque adeò vim doloris persentire intensiùs; cuius rei Alexander in Problematibus rationem affabrè expiscatus hæc habet libro secundo problem. 36. *Cur*, inquit, *vehementiùs per ictum testium dolemus? Quoniam appendices testium sentire maximè omnium interiorum possunt. Adde, quòd natura summam voluptatem ex pene oriri voluit, vt propensiores essemus ad rem Veneream, qua vna genus humanum seruari potest. Atqui testibus cum pene cognatio, & sedes communis est, ergo communem etiam affectionem, sensionemque sortiantur, necesse est; at vbi magna sensio est, indidem etiam magna voluptas exultat; vbi autem magna voluptas est, dolor etiam indidem vehementior; bono enim maiori malum obijci maius, certum est.* Sed neque desunt, qui testibus omnem omnino sensum abrogent, solumq. in membranis, ac tunicis experiri sensum dicant; si quidem glandulosi ipsi per se existunt: vnde Celsus aiebat: *Dolent in ictibus, & inflammationibus tunicæ, quibus bi continentur.*

CAPVT IX.

Testes à natura vti optima temperie, ita admirandis virtutibus, ac varijs medicinis fuisse insignitos.

CVR tantum in testes sæuit Aristoteles, vt putaret illos tàquam Marpesiam cautem, inutiliaque pondera duntaxat virili sexui appensos fuisse? quare apud Lyceum vsque adeò partes illæ demeruere, sine quibus iandiu animantium vita defecisset? Profectò non tam vili seruitio addicta censeri debent membra illa, in quibus mirificæ apud varia animalia explendescunt virtutes, præclarè collocantur medicinæ. Enarremus aliquas, quatenus odio minus ferali Peripatetici imposterum didymos prosequantur, & ex admirandis dotibus eorum præmientiam addiscant. Exordiamur à celeberimis.

Castoris testes.

EQuis adeo parum versatus in re medica est, qui Castoris testiculi, quem Castorium dicunt, ignoret? plena omnium auctorum sunt monumenta, plenius experimentum. At in eorum gratiam, qui Artem medicam non profitentur (nam non ad medicos tantum nostrum dirigitur opus) aliqua ex Aetio, relictis quę Hippocrates, & Galenus tradunt, breuiter apponere non grauabor: sic ergo ille sermone 2. cap. 177.

Calfacit itaque, & siccat, eslque multum tenuium partium medicamentum, siue quis humido corpori adhibeat egenti siccationis, siue frigido indico caliditatis, siue his, qui ex repletione conuelluntur, vbi ea, quæ præter naturam in neruis continentur euacuare oportet, magnam quidem vtilitatem ex se ostendit, & nulli parti vllum aliquod detrimentum afferat, præsertim si homo non vehementi aliqua febre laboret. Eadem ratione & tremulis ob crassorum, ac viscosorum humorum multitudinem, commodissimum est potum. vtile est & singultui, ex humorum frigidorum, ac viscosorum copia, oscylo ventris insecta oborto. Si verò ex siccitate, aut immodica euacuatione, aut atrum humorum mordacitate, singultus, aut conuulsio oriantur, castorij vsum velut insignissimum fugere oportet. Sed, & febrientibus non adeo calida febri, sed vt ita dixerim tepida, velut in altiore sopore, ac lethargo fieri solet, valde multis castorium exhibuimus cum pipere, vtriusque cochlearium ex aqua mulsa, & nemo ex ipsis vlla parte læsus est. At verò in lethargicis, ac alti soporis febribus, castorium roseo cum dilutum capiti imposuimus, ac cerulei. Ad suppressos autē menses ob copiam, ac crassitiem sanguinis, sanguine à talo moderatè detracto, cochlearium castorij cum pulegio, aut calamintha exhibui, cognouique meditamentum ipsum purgationem mentruam ciere. Excitat & secundas detentas, & morantes, similiter cum aqua mulsa potum. Inflato ventri, & torminosis propter crassum, ac flatuosum spiritum contusum ex posca potum sauat. Datur & orthopnoicis, recta seruiue spirantibus cum aceto mulso, aut posca. Suffitur & in carbonibus, hiante ægro, & vaporem excipiente.

Galli gallinacei testes.

GAllorum testes, præterquam quod mirè corpus reficiunt, succumque spermaticum abundè reparant; vnde ægnibus in Venere, ac neogamis auxiliantur, ex Tralliano lib. primo capite de epilepsia comitialibus prosunt; *Galli*, inquit, *gallinacei testiculos in puluerem tritos ex aqua,*

Digitized by Google

aqua ex lacte ieiuna præpinato, tribus quinque facito. Pisanellus eosdem vicissim vrinarij meatus prodesse tradit; & Ioannes Khetan conceptionem iuuare; scribit etiam illos sub lecto coniuges detineant. At ludibrium hoc.

Apri, & paruuli Suis testes.

IN libro quodam arcanorum memini, medicasse, paruipori ex cocto, ac testiculos exiccatos, atque in pollinem redactos tam viro, quàm mulieri exhibitos ab infausta sterilitate liberasse, ac numerosa prolis parentes efficere. Apri verò testes comitialibus opitulari, scribit Sextus Platonicus, & confirmant plerique Empirici; Democritus etiam testatum reliquit, quòd ad lætam sobolem excipiendam mirificè conducit apri, seu verris testiculi in vmbra exiccati puluis, si per aliquot dies coniugibus ieiuno stomacho in galli veteris iure propinetur.

Vulpis testiculi.

VVlpis pariter exiccati testiculi, atque assumpti lacertosos neonymphos præstare possunt, pigrosque Veneris excitare milites. Rursus ad parotides, arthritidem, aurium dolores præpollere, literis consignarunt Haly, Sextus Platonicus, ac Dortenius.

Equorum testiculi.

AT equorum testiculi longè maiori insigniuntur virtute ad calamitosum in primis mulierum morbum. Quippè ad secundas depellendas tantæ existunt efficaciæ, vt Gesnerus in epist. testetur, rusticum quendam in quinquaginta mulieribus hoc fuisse remedio semper faustè, & fœliciter vsum. Confirmat Horatius Augustus, qui pariter euentum probauit: Curauabo sæpe omnes mulieres hunc apud se tamquam thanasion, pulueremn non asseruant? Rursus Fonseca consule 57. eosdem tamquam arcanum admirabile ad colicos dolores extollit. Nec te verò, pharmacophile, tam nobili præstantique defraudem auxilio, disce apparatum: Sumuntur equi castrati testes, frustularim concisi in furno exiccantur, teruntur in pollinem; Huius quantum tribus capitur digitis in iure assumitur bis, terue, si sit opus.

Canis fluuiatilis, ac terrestris testes.

FLuuiatilis canis testes eadem, sed paulo minores, quàm Castoris vires obtinent ex Aetio; Terrestris verò exiccati testiculi puluis ad rheumata, ventriscue tormina, necnon etiam ad Venereos conflictus valide celebrandos præstat, quod ex celebri quodam auctore significa-

A uit mihi Paulus Mancinus. Acumulentius vir eximius, deque re medica optimè meritus.

Tauri, Asini, & Cerui testes.

AD vulua vbera taurini testiculi puluis commendatur: asinini verò, ac cerui ad venena expugnanda ex Commentatore, ut fallor.

Arietis, Veli, & Leporis testes.

AD epilepsiam arietinos didymos celebrat Sextus Platonicus: vrinos ad eundem affectum idem, alij, experimentatores: leporis verò ad inuoluntariam compescendam vrinam, necnon masculinos fœtus producendos empirici quidam ex Dioscoride, atque Aetio præscribunt.

B

Hirci, & Anseris testes.

HIrci quoq; testiculi iis, qui se noctu vrina in lecto polluunt, vtilissimi censentur ex Rhase; quemadmodum ex eodem, & Alberto testes anseris, si statim sedatis mœsibus à muliere comedantur, ad concitandam earum libidinem, necnon prolem concipiendam apprimè facient.

Zibettum animalis cuiusdam testium recrementum.

C

NEc prætereundum erit, quòd inter animalis cuiusdam testiculos, feli valde similis, veluti sudor quidam concrescit, tantæ suauitatis, & energiæ, vt myropolæ magno coemant pretio, vt magnum, & concupitum suis vnguentis odorem concilient. Huius testicularis humoris præstantiam, atque medicum vsum ita breuibus Matthiolus in primum Dioscoridis cap. 20. describit. *Gignitur id in exteriori testiculorum vtriculo cuiusdam animalis, feli, qui veteribus ædificiorum ruinis oberrat, non absimilis. Catos hæc animalia vocant, quos sapius Venetijs ad ex Syria delator. Est autem Zibettum tamquam sudor inter huiusce animalis testiculos concrescens calida, humidaque facultatis. Id cauernulæ umbilici impositum vultæ strangulationibus mirificè prodest: proinde nec mirum est, si eo viri pene circumlito magnum mulieribus in coitu afferant solatium.*

D

Testes viriles.

SEd ne quis putet, humanos testes cæteris inferiores, atque inutiliores à natura productos esse, sciat ex ijs ab Hermeticis Mumiam confici præclarissimam, atque ad omnes pene morbos pharmacotheon: Vide Crollium; ac reliquos Theophrastæos. At naturę cunctas vires

te-

Digitized by Google

testibus consignatas, & nos ignoramus, & impendiò longum describere foret.

CAPVT X.

De testium exuberantia diminuenda.

QVEMADMODVM accidit, aliquando, vt genitalis virga in tantam molem excrescat, quòd Generationi redditur inutilis, vt supra significatum est; ita pari modo contingit interdum, vt pinguedine, siue spermatis vbertate nimium testiculi etiam extuberent, atque adeò fœcunditatem adimant. Nam sanguinem, quem recipiunt, in alimentum proprium totum conuertunt, suæque substantiæ adiungunt, vt minus remaneat iccirco, quod per deferentia vasa deductum seminis generationi suppetat, Veneremque proritet: vnde insuper est, vt ingentes apprimè didymi libidinem potius exhauriant. Immensæ molis didymos describsit Satyricus Poeta non illepidè ijs metris,

Ergo expectatos, & iussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.

Quare, vt humanæ generationi vndique consulatur, testium etiam excrescentiam curandi modum edocere decreui. Porrò illud præfari necesse est, hic non agi de qualibet testiculorum exuberantia, qualis esse posset ex apostemate, atque alia morbosa causa: verùm tantummodo de magnitudine illa, quæ præ copia alimenti à potente calore partium sibi iniuncti solummodo sermonem instituit; eò prorsus modo, quo non rarò accidit, vt in mulieribus mammæ in superfluam molem luxurient, non sine aliarum partium emaciatione.

Curabitur igitur hæc testium dispositio ea prorsus ratione, qua curari solent vbera in magnitudine excedentia: sic adhiberi poterit in primis, vt à leuioribus cura instituatur, decoctum cumini cum aceti portione, quo scrotum fouendum erit; Coriandri decoctum, in quo limatura plumbi & maduerit, & bullierit. Acetum chalibeatum vel cum cote, & lapide molendini accensis excalefactum. Auicenna commendat decoctum, vel oleum sambucinum intra virgam frequenter iniectum. Quum perdicis ex occulta qualitate mammas, ac testes imminuit, vt in primis Democrito placuit. Rursus didymorum ingentem exaurire posset molem, si scrotum iugiter deferretur intra capsulam plumbeam ad formam, & aptitudinem illius concinnatam, & oleo hyoscjami in interna parte oblinitam. Cæterùm quælibet refrigerantia, & adstringentia medicamenta ad hunc vsum parari possent, & ea etiam ex Auicenna, quæ debilitant virtutem nutritiuam; quo pacto celebratur in primis ab eodem Epithema cum iusquiamo albo, & nigro. Sed illud præterire non debeo, vsum similium medicamentorum, eò quod aduersam naturali calori qualitatem seruant, parce, & rarò adhibendum esse; siquidem excellenti frigiditate, ac stupore omnium partium segnitiem, atque etiam caloris mortificationem inducere valent. Quod multò facilius in testibus euenire posset; cùm enim rara, glanduloſa, & spongiosa substantia prædita sint, frigidam, ac stupidam qualitatem imbibere facillimè possunt, vnde spirituum deinceps extinctio, & genituræ facultatis abolitio accedunt repente: imo etiam & interitus consequi potest, quemadmodum nō semel ex opio ano in suppositorio indito mors secuta est; licet pars illa ignobilior sit, & minorem cum toto corpore, ac principibus membris communionem obtineat. Hinisce euentus plura exempla auidus lector habere poterit apud Galenum 2. de morbis vulgar. Rhasim 9. Continē. Auicennā in cura fluxus alui, Marcum Gattinariam in sua Praxi de cura fodæ cholericæ, apud Nicolaum, Alexandrum Benedictum, Marcellum Donatum, & alios. Quòd si ex hac affluente testiculorum nutritione accidat aliarum corporis partium tabes, aut emaciatio, in tali casu diuersiones adhibendæ erunt; quāmobrem vsus Veneris in primis erit ablegandus, vt qui ad genitalia sanguinem, & spiritus allicit; nec non vinum, quod renes calefacit, humorumque vehiculum existit, aut penitus interdicendum, aut parcè, sumn ęque dilutum combibendum erit. Cæterùm si testes à fatibus crassis protuberent, & in magnam molem intumescant, ea omnia adhibenda erunt, quæ flatus discutere valeant; inter quæ principatum obtinent fimus columbinus cum sabis contritis, cumino, & baccis lauri ad modum cataplasmatis cum vino redactus; & emplastrum ex fœnu græco, seminc lini melilloto, fabis, & oleo de scorpionibus.

CAPVT XI.

De testium paruitate ad vsum generationis adaugenda.

EXTREMA quęque naturæ inimica sunt, ideoque apta functionum naturalium instrumenta medio quodam circumscripta sunt termino. Quare, & immodicè exiles, paruique testiculi generationis muneri sunt impares; non enim sufficientem humorem coquere, & in semen elabora-

borare queunt, nec ea, quæ sunt facultate parua muniti spiritus accersire, purasq; sanguinis portiones attrahere. Modo sicut magnitudo ab eximio calore prouenit, ita paruitas à debili caliditate, aut potius à debilitate, & frigiditate procedit. Quo circa in vsum veniunt calida omnia tum intrinsecus adhibita, cùm extrinsecus illita, quæ tamen hic recensenda minus erunt, sed ab eo tractatu petenda, quo ex professo, & plenè agetur de auxiliis Venerem confortantibus, & semen augentibus: quæ enim ad Venerem faciunt, eadem testes amplificant, spiritus ad eas genitales partes, & humores prolectando. Testium diminutionem extremam, ac veluti tabem obseruauit Vidus Vidius in quodam monacho in Agro Barcinonensi, cui ob seruatam integrè castitatem exaruerant didymi alioquin in adolescentia satis conspicui, & insignes.

A ba Auicennæ sunt huiusmodi: *& quandoque necessarium, secundum quod scripserunt antiqui, vt intromittant opium in virgam, & suffletur donec corpus eius subtilietur, & desecndat testiculus*. Sit vsus medicamenti penes antiquos: mihi enim ob relata in præcedenti capite rationes arridere neutiquam potest, cùm præsertim citato loco Auicenna huiusmodi ægritudinem à frigiditate, ac debilitate partis ortum ducere, testetur; Quomodo ergo à summo opij frigore (si frigidum ex vulgari opinione illud est) & ab eius narcotico sulphure magis, ac magis non stupescant, & algescant didymi? Martinus Rulandus Curationum empiricarum cent. 5 duos proponit adolescentulos, qui huiusmodi testium transpositione laborabant, quos balneo aquæ dulcis, & vnctione ex oleo sulphuris calente supra pubis ossa celebrata se curasse, profitetur. At opium, & oleum sulphuris nimium distant. Sed hic adscribendum videtur illud Aristotelis problema sectione 27. *Cur* videlicet *homines metuentes suos testiculos contrahunt? contrarijs enim, vt remittantur, & flacceant, congruum dixeris, cùm calor metuentium in eum locum se colligat. An metuentes omnes ferè similes frigentibus sint? Cum igitur calor summa corporis deseruit, retrahendum sanè est; Quamobrem ventris quoque murmur citatur, cùm timor vehemens detinet; Cutem quoque algentium summam videmus contrahi, vtpote cum calor inde defluxerit omnis, ex quo subsequi horror consueuit: scortum ergo sursum conuellitur, atque eo contracto vnà testiculi contrahuntur, quod melius in coitu Venereo patet: metus enim excernit, multisque conturbatis, aut perterritis genituræ mouetur profluuium.*

Testium contractioni contraria est elongatio, dum videlicet nimis pèdulij didymi fiunt, id quod à longa equitatione, frigidaque in aqua innatatione diuturna contingere potest; siue etiam ex humida intèperie cremasteres laxante. Curatur affectus huiusmodi calidis exiccantibus, & in primis fotibus ex iunipero, maiorana, saluia, calamento, rosis, & origano in vino decoctis; itemque in vnctionibus ex oleo nucis myristicæ, iuniperino, costino, balzamo, & consimilibus. Nec minus infructuosa erunt balnea naturalia ex nitro, & sulphure.

CAPVT XII.

De situ testium immutato, vt eleuatione, seu oc cultatione illorum in abdomine, nec non eorundem demissione, aut elongatione.

ACCIDIT interdum, vt fugiat, & occultetur testiculus, vt loquitur Auicenna, & ad mirach ascendat, quo quidem situ Veneri, & generationi incommodat, nam vasa etiam seminalia sursus retrahuntur: est itaque necessarium, vt ad suum locum reducatur, quod fit fomentationibus, atque irrorationibus; Balnea itaque in primis humectantia, & mollientia erunt administrantia, cuiusmodi essent ex aqua dulci, e maluarum, violarum, betarum, & similium decocto; Cùm enim elocatio hæc proueniat à spermaticorum vasorum siccitate, à qua semper fit corrugatio, & contractio, vbi primùm humectata, & emollita erunt vasa, facilè ad naturalem locum testes descendent. Quocirca & olea similiter laxantia, & emollientia commoda erunt. Auicenna lib. 3. fen. 20. tract. 2. ex veterum opinione commendat vsum opij, quod in virgam demittatur nec; tamen causam assequi possum, cùm præsertim intrinsecus effusum opium nimium stupefacere, ac refrigerare valeat; genitales autem partes confortatione magis, quàm virtutis mortificatione opus habent. Ver-

Geneanthropeiæ Io. Benedicti Sinibaldi.

TRA.

Digitized by Google

TRACTATVS TERTIVS.

De Eunuchismo, vbi de Apocopis, Spadonibus, Eunuchis, Frigidis, & Maleficiatis.

HABERI à natura instrumenta ad generandum; quæ tamen integra non sint, aut ægritudine aliqua præpedita, aliove quouis modo præstricta detineantur, vtique nihil procreationi deseruiunt, & ac si non essent, opus generationis patrare nequeunt. Quamobrem, cum de natura, & aptitudine virilium organorum in præcedenti tractatu disceptatum fuerit; rerum ordo (priuatio namque est posterior habitu) exposcere videtur, vt in sequenti eorundem ineptitudinem aperiamus, omnemque impotentiam pro viribus curemus, præter eam, quę ex ablatione procedit; haud enim excisum membrum, testesque aut colliſi, aut excisi reparari amplius ad generationem possunt. Talis ratione ad testes præpediri vario nomine nuncupantur; nam Iulius Maternus appellat Apocopos ab ἀπὸ, & κόπτω, quod est amputo; vnde figura apocope apud Grammaticos dicitur, cum postrema litera, vel syllaba tollitur. Dicebantur etiam Megabyzi, vel Megalobisi, quo nomine Dianæ Ephesiæ sacerdotes vocabantur, quoniam hos Eunuchos esse oportebat. Spadones dicti ducunt ethimologiam à verbo Græco σπάω, quod est euello; illis autem euulsi sunt vel testes, vel cremasteres. Eunuchi demum dicuntur ab ἐυνὴ cubile, & ἔχω custodio, quod seruandis Regum cubilibus, id genus hominum adhibeatur. Frigidi sunt, qui, integris genitalibus naturæ defectu, atq; segnitie Aphrodisio constituti extant inutiles. Maleficiati demum, qui Magorum, vetularum, & veneficorum astu, ope dæmonis, aptitudine Venerea defraudati viuunt.

A

B

C

D

CAPVT I.

De castrandi ratione ex Paulo Aegineta, Aristotele, & recentiori quodam auctore.

EMOS obtinet apud magnos Principes, ac præsertim apud Turcarum Imperatores, vt qui reginis, aut concubinis ad cubiculis inseruire debent, testibus enudentur, quatenus nullum regio thalamo decorem accedat. Nec ad mulierum custodiam quisquam, nisi exectis testibus destinabatur, nisi forte eximia vultus deformitate, corporisque turpitudine signatus fuisset; quò pertinet illud Iuuenalis.

nullus ephebum
Deformem seua castrauit in arce tyrannus.

Nostris etiã temporibus ad vocis incuditatem, ac subtilitatem in musicis concentibus arte concinnandam solent pueris execari, aut colliditesticuli. Quamobrem huiusce ministerij artificium in medio ponere non erit vtique à proposito alienum. Paulus itaque de arte meden. lib. 6. cap. 68. his verbis castrandi modos edocet. *Cum nostra huius artis scopus sit, vt à præternaturali affectione in naturalem corpora restituamus, contrariam videtur castrandi ratio professionem habere; sed quoniam sæpe numerò euenit, vt à potentioribus aliquibus castrare homines vel inuiti cogamur, huius rei modus quàm breuissimè referendus est. Castrandi duplex ratio est, vna per collisionem, altera per excisionem; per collisionem ita fit; puerulos, adhuc infantes in peluin aquæ tepidæ collocamus sic, vt in ea desideant, deinde vbi partes illæ remollitæ aquæ, lassataque fuerint, testes digitis comprimimus, ac collidimus, quoad dissipati euanescant, neque sub tactum amplius occurrant. Excisio verò in hunc modum administratur, hominem in sedili aptè resupinamus, deinde sinistræ manus digitis serotum vna cum testibus compressum extendimus, idque scalpello admoto in rectum duabus lineis ad singulos testes vnà incidimus. Tum vbi prouperint testes, eos ab alijs partibus diligenter resoluimus, ac diducimus, solaque tenuissima illa naturali vasorum continuitate relicta excecamus. Hic modus collisioni in eo præstat, quòd qui collisi sunt, propterea quod pars aliqua testium, vt verisimile est, in collidendo subterfugit, ac remanet, concubitum appetere minimè desinunt.* Hæc Paulus.

Sed neque Aristotelis castrandi modum reticere debemus, licet conueniat cum ratione Æginetæ superius relata; necnon Philosophus potius ad bruta, quàm ad homines, respexerit. Sic enim habet vltimo capite de historia animalium. *Modus castrandi hic est. Tractos deorsum testes, atque obtentos, præsertimque in imum feroti, cultello adacto extrudant, mox fibras sursum quoad maximè fieri poterit reprimunt, & plagam infarciunt sapillamentis, vt sinues effluere possit, & si inflammatur, ignem adhibent sero-*

to, & respergunt. Illud postremò addatur, in pueritiæ tate castrationẽ celebrandam esse, non in viris tantummodo, sed etiam in brutorum genere, quæ ab excisione testium meliora euadunt. Id significauit Aristoteles vltimo de historia animalium his penè verbis. *Sedcium cætera nisi nouella castrentur, intereant, aper vnus qua ætate castretur, non refert, &c.*

Verum enimuero ars longo perficitur vsu. Plures apud antiquos operationes erant & laboriosæ, & magno periculo iunctæ, quæ apud recentiores tutò, & nullo ferè negocio administrantur; vt verum ideo sit illud Claudiani de raptu Proserpinæ.

Vique artes pariat solertia, nutriat vsus.

Talis profectò erat olim castrandi operatio; siquidem audebant pauci opus aggredi, atque ex timore, qui in omnibus chirurgicis operationibus infensissimus est, vel etiam præ imperitia multos perimebant. Nostri æui chirurgus insignis Pauli Æginetæ castrandi rationibus posthabitis, nouum modum magis tutum, & expeditum adinuenit absque vlla testium exectione, aut collisione; & est profectò mirabilis, ingeniosus, omnique vacat periculo. Quatenus autem operatio hæc intelligi possit, illud in mentem reduci debet ex anatomica obseruatione, superiorem scilicet testiculi partem, positam inter vas spermaticum, ipsumque testem, quæ Græcis κρεμάστρα appellatur, id muneris obire, vt meatibus seminalibus didymos connectat, atq; etiam ex ijsdem semen educat, & ad vas spermaticum deferens deducat; vnde postmodum ad generationis vsum transmittatur; adeo vt nisi esset epididymis, semini transitus ad vasa, & hinc ad pudendum intercideretur. Quamobrem peritus hic artifex huius particulæ situm, & locum probè, atque adamussim tenens acuto instrumento eã pungit, offenditq; adeo, vt cicatrice obdurescens semen haudquaquam à testibus trãsferre possit. Quare & libido amittitur, & ad Venerem impotentia emergit. Atqui hæc praxi melius, quàm theoria inculcantur.

CAPVT II.

An, & cur si vena secentur prope aures, homines infœcundi reddantur.

PROPOSITIO omnibus planè medicis in confesso est, atque in primis Hippocratis libro de genitura, vbi manifestis verbis eam tali pacto exarauit: *Quibusdam; iuxta aures vena scelta sunt, bi cum coeunt quidem, & genituram emittunt, verum modicam, debilem, & infœcundam.* Cuius quidẽ euentus rationem idem auctor infra hisce verbis adiũgit: *plurima genituræ pars à capite iuxta aures in spinalẽ medullam procedit. Ipso autẽ transitus cicatrice sectione inducta consolidatus est.* Fit itaque, vt si venæ post aures incidantur, seminis impediatur transitus, cuius magna portio à capite procedit. Et hæc eadem ratio est, cur Scythæ plurimi, vt est apud Hippocratem libro de aere, aquis, & locis, impotentes ad Venerem frequentissimè fierent. Libet historiam ab ipso Hippocrate excerptam hic registrare, illud præfatus, huius quæstionis veritatem, ac resolutionis totum eardinem pendere ex eo, vndè nam, an à toto, an potissimum à cerebro semen secedat; quod in tractatu de semine, fauente numine ex professo agitabimus. *Amplius autem*, inquit ille, *plurimi Scytha eunuchi fiunt, & muliebria officia obeunt, indutique fœminarum omnia faciunt, & loquuntur, vocanturque hi effœminati; & regionis quidem incolæ causam ad Deum referunt, coluntque hos ipsos homines, & adorant sibi ipsi timentes, ne quid tale accidat. Mihi verò hi affectus diuini quidem esse videntur, sicut & reliqui omnes; neque vllum aliquem alio esse diuiniorem, aut humaniorem, sed diuinos omnes: verum vnusquisque eorum suam propriam habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videtur, narrabo. Ab Equitatione ipsa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum pro pendentibus semper ex equis eorum cruribus; deinde claudi fiunt, contrahunturq; coxendices cum inualuerit morbus; medicantur autem sibi ipsis hoc modo: à principio morbi vtrãque venam retro aures incidant, quo facto, sanguine multo promanante somnus eos corripit præ imbecillitate, sicque abdormiscunt, quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt, aliqui verò minimè: Atque mihi sanè videntur ea medicatione se ipsos perdere. Vena enim retro aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem inferat ijs, quibus secantur; quare id etiam ipsis ex earum incisione accidere certum est. Quando igitur posita vxores adeunt, impotentesque se factos vident cum illis coire, primùm quidem nihil molestius cogitãtes quiescunt; cum autem bis, aut ter, aut amplius frustra opus tentarunt, neque quicquam proficiunt mox putant, se Deum offendisse, in quem culpam reijciunt, induuntque se veste muliebri. Palam se euiratos esse confitentes, ad mulierumque conubernia transeunt, earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditissimi Scytharum afficiuntur, minimè verò infimi, imo qui maximè & genere, & potentia præualent, ex nulla alia, quam continua equitationis causa hoc perpetiũtur: pauperes verò minus quum nõ multum equitent. Vnde si hæc affectio alijs diuinior censenda esset, nõ nobilissimis, neque ditissimis Scytharum ferè solis accideret, sed esset omnibus aqualiter peculiaris, imo magis in-*

incæderet pauperes circa cultum Deorum negligentiores; si saltem gaudent Dij in hominum admiratione constituti, & pro hoc beneficio hominibus retribuunt. Diuites enim sapiut Dijs sacra faciunt, victimas offerunt, statuas erigunt, coluntque; quum pecuniis abundent: pauperes autem minus id faciunt, quum non habeant: quin etiam aliquando Deos detestantur, qui eis opes non suppeditent, vt verisimilius esset, pauperes, ac parum abundantes hoc malo propter crimina sua puniri, quam diuites, & qui opibus abundant: verum (sicut & prius dixi) diuinus quidem hic affectus est, secundumque naturam accidit similiter, vt alij omnes, neque alia eius causa, quam ea, quam dixi, Scythis exisiit. Hactenus Hippocr. recenter, & peculiariter hoc in loco translatus a doctissimo Mercuriali in suo Hippocrate, neenon 3. variarum lectionum. Hinc autem luculenter apparet, quantum Herodotus aberrarit in Thalia, vbi Scytharum historiam ex Hippocratè legitimè recensitam diuersimodè describit; ait enim, Scythas, prælio fusis Medis, vniuersa Asia potitos, iamque, vt in Ægyptum contenderent, Syriam Palestinam ingressos Apsammitichо Rege precibus, & muneribus fuisse persuasos, vt ea regione intacta relicta, in loca sua reuerterentur; cumque in Ascalonem Palestinæ Vrbem peruenissent, multi ipsorum, verutissimum Vraniæ Veneris templum depeculârunt; ob quod facinus Dea illa templi spoliatoribus, eorumque posteris omnibus morbum fœmineum immisit, quo quicunque laborabant à reliquis Scythis ἐναρεῖς, sine ἐναρεῖς, idest enirati vocabantur.

Sed huius occasione historiæ quæres, an, & quomodo in doloribus, & affectibus crurum, & coxendicum præsentaneum sit, eo modo secare venas post aures. Ad quod dicendum, præstans id esse remedium, & ab ipsomet Hippocrate celebratum 6. epidem. ijs verbis: *In fluxionibus ad coxam venas retro aures secato*; quo loco ex Cõmentario Galeni intelligi debet non de venis existentibus in ipsis auribus, sed retro, & propè, incluſa colli peripheria, ex quibus cum e capite fluens ad infernas partes delabatur pituita per spinalem medullam; hinc est, quod coxarum, & crurum tendones, ligamenta, & neruos obrepens dolores, similesque sæuos affectus parit. Adde, quod cùm crura, & genitales partes inter se miro modo communicent, vt abundè satis comprobauimus: Cùmque genituræ magna pars immixta pituitæ à capite per venas post aures, vt vult Hippocrates, destillet, ideo mirum nõ erit, si venis illis incisis fluxioni aditus intercipiatur; ex qua per communionem obleduntur coxendicum, & pedum neruaceæ partes. Et hinc addiscere licet rationem, cur à veteribus potissimum in pluribus partium infernarum, aut medij ventris affectibus iuberetur, secari venas post aures, aut circa illas; nimirum, vt per proximam partem sanguis emissus morbi origo interpellaretur, qua ratione deriuatio etiam fiebat humorum; etenim aut omnes morbi sunt à capite, aut saltem ab hoc incrementum deducunt.

A

At recentiores quidam Anatomici, inter quos principem agit Andreas Laurentius, acriter Hippocratis præcitatam sententiam de sterilitate, à venis post aures incisis oriundam impugnant, eo quòd nullas viderint venas de Colli lateribus ad pudenda, & extremos vsque digitos perreptantes, quemadmodum libro de natura Hominis, & libro de ossium natura Hippocrates ipse ijs verbis designat. *Alterum par principium iuxta aures habet per ceruicem, & sphagitides appellantur, hoc est iugulares, deferuntque vtrinque ixxta spinam intrinsecus ad lumbos in testes, ac femora, & per poplites ex interna parte, deinde per tibias ad malleolos intrinsecus, & in pedes, qua propter in doloribus lumborum, & testium venæ sectionem de poplitibus, ac malleolis facere intrinsecus oportet*; Sed optarem hos Auctores, & alios omnes paulò magis reuerenter cum Hippocrate illo agere, qui nec falli, nec fallere didicit vnquam: tantum quippè senem, incertam, ac futilem sententiam protulisse, non est verisimile; igitur non simpliciter ex copiosissimo sanguine, ac venis illis emisso sterilitatem induci, sat est existimare; sic enim vndecunque ille hauriretur, corpus vniuersum refrigeraretur, & per cõsequens fœcunditas allideretur, sed ex insigni, communione, quam Venæ post aures cum genitalibus obtinent. Neque est, cur dicat Laurentius, quòd iugularibus venis exterioribus, eo modo, quo de Scythis relatum est, prepeditis, per interiores longè patentiores deferri de Capite, posset seminalis materia; siquidem tanta non est cum istis societas, & communio; quæ societas in quo consistat, an scilicet in rectitudine fibrarum, seu staminum intra venas existentium secundum longitudinem tantùm considerata, vt Brissottus, & Fernelius existimarunt, an in mentum directione quadam, & an in vasorum, seu occulta, seu manifesta communicatione, & conspiratione, non est hic examinandi locus.

B

C

Quid si dicamus, ingeniose lector, Hippocratem pro Venis post aures arterias carotidum, propagines designare, quæ procul dubio incisæ corpus ad summam refrigerationem deducere possunt, & consequenter ad Veneris impotentiam ob spirituum summam iacturam, quorum in generationis opificio tanta desideratur copia? etenim Arteriotomia antiquis in vsu frequentiori fuit, quàm nostris temporibus, nescio an peritorum Artificum defectu: neque id videatur absurdum, siquidem apud Hippocratem, & vetustissimos alios Medicos Venarum nomine Arteriæ simul, & Nerui designabantur, vndè libro de Ossium natura celeberrima illa sententia legi-

D

tur, *Vena per corpus diffusa spiritum, & fluxum, & motum exhibent ab vna multæ germinantes, profectò spiritum deferunt Arteria, fluxum, hoc est humores, Vena, motum verò Nervi.* Huc spectat, & illud Persij.

Tange miser venas, & pone in pectore dextram

Nec interim silentio inuoluenda erit ingeniosissimi Vessalij ratio, quâ Hippocratem tueri nititur; ait enim, obseruasse se neruulum quendam à sexto pari oriundum, ponè aurium regionem perreptantem, & ad genitale vsque, vasaq; spermatica descendentem; & hunc in venarum, post aures vstione, aut sectione dilacerari plerumque, indeque generationis vitium infligi; id verum si fuerit, nil ad aliarum rationum complementum deerit: nam deficiente animali spiritu minor in pudendis excitatur sensus, atque adeo nec motus erectionis, quiab eodem partim pendet; nec voluptas, eiusque cupido incitantur.

CAPVT III.

Quare Spadones, & Eunuchi Generationi sint inutiles, & hi an differant inter se.

HIPPOCRATES, quem in omnibus profiteor, huius euentus rationem attulit libro de Genitura, vbi ait: *Cæterum Eunuchi propterea non coeunt, quia genituræ transitus ipsis sublatus est. Est enim per ipsos testes via eius, & nerui tenues, ac crebri ex testibus in pudendum tendunt, quibus & eleuatur, & demittitur: atque hi nerui in excitione dum castrantur, resciduntur, quapropter, non sunt vtiles Eunuchi. Nam neruis ipsorum extritis genituræ via obturata est; callus enim obducitur testibus, & nerui duri, ac torpentes à callo facti pudendum neque tendere, neque laxare possunt.* Differunt autem Spadones ab Eunuchis, & castratis, quòd illi à natura impotentes sunt, vel quia paruis omnino, atritisue testibus sunt, aut meatus seminis cœcos, vt aiunt: obtinent; illi quidem parum omnino seminis, & infœcundi etiam producunt: his verò omnis humori prolifico transitus intercipitur. Adhuc Eunuchi à natura, & castrati arte coëssi, aut execti gentrare non possunt. Spadones, si ob meatus obstructos, & cœcos impotentes sunt ab ætatis principio, natura vigescente, vasaque calore dilatante, & aperiente aliquando à sterilitate liberantur, & concipiunt; & quidem apud Aristotelem tum alibi, cùm præsertim 4. sect. Problem. 28. Spadones peculiari nomine appellantur, qui seminis meatus cœcos habent. Adhuc Spadones illi dici debent, qui eodem modo præpediti testibus sunt ex aliqua naturali causa; vel quia testes parui omnino sunt; vel quia ex defectu nutritionis nimis emaciati, aut aliquo modo simili affecti; ex quo nequeunt generationi operam nauare; sed futurum fore, vt aliquando possint, non desperant, cuicto morbo, & superante natura. Quod autem verissimum id sit, quod assermus, vel ex eo patet, quòd Iustinianus castratis adoptationem denegauit, vt qui nullam futuræ prolis spem possent nutrire: Spadonibus permisit, vt qui temporali tantummodo sterilitate offensi, fœcunditatem, vt diximus, in futurum recipere valent. Atq; vt vno verbo rem totam complectamur, in castratis, & Eunuchis est negatio fœcunditatis, in Spadonibus priuatio tantum. Et hinc insuper moneri possumus, cur Spadones licet infœcundi, aliquatenus tamen concumbant, ac delectentur etiam; siquidem cùm obstructos meatus habeant, per hos quidem portio seminis crassior, atque adeo fœcunda permeare nequit; at potest per eosdem serosi aliquid humoris delabi, qui aliquatenus pruriat, ac titillet, necnon Venerem quoquomodo excitet; Quod idem castratis etiã contingere potest, si testes vndequaq; attriti, aut execti, vt sæpe accidit, non sint. Quare Claudianus in Eutropium:

Hinc bonor Eutropio, cui; omnibus vnica virtus
Esset in Eunuchis thalamos seruare pudicos
Solus adulterijs cessuerit

Plura qui cupit ad hæc spectantia nomina, adeat eximium virum Paulum Zacchiam 2. quæst. medico-legal. vbi insuper elucidata inueniet per obscura illa Spadonum nomina nempe Thlibias, Thladias, siue Thlasias; mihi enim, vt verum fatear, si diutius in hisce nomenclaturis immorarer, tempus in cassum terere viderer. Ad seria.

CAPVT IV.

In quas corporis partes abscedat in Eunuchis humor genitura, qui ad testes primò, mox ad penem in re Venerea deferri debebat.

HVMOR genitalis, qui in semen à testibus perfici debebat, & in Venereo congressu demitti, cùm penes Eunuchos ex intercepto transitu, calleque inducto, vt inquit Hippocrates, aut etiam ex meatuum cœcitate iactus retineatur; quæret hic aliquis, quò nam confluat, quasve potissimum in partes regurgitet; non enim est modicum id, quod in alimentum proprium testes adsimilant, quodque in veneris luctu foras effluit. Porrò sicuti non ignobile quæsitum id est, ita nec erit ineruditum responsum. Quamobrem sanguis ille, qui vigentibus testibus in genituram coqui debebat, non vnam, sed plures corporis par-

partes irrorans inuadit, afficit; & primò quidem

Caput grassatur, cuius celeriter crines inficit canitie: humiditas enim excrementosa, quæ semini præsertim crudo immiscetur, capillos dealbat, quorum quidem color à siccioribus fumositatibus exoriri solet. Sed cur iidem ex hoc non decidunt potius, faciuntque caluitium? Profectò caluitium à diuersa causa manat, nimirum ab excellente, & exurente caliditate. Quocirca Spadones cùm in frigidiorem habitum ex testium defectu degenerent, mirum non est, si calui nunquam euadant; deest nanque acris, & exurens caliditas, quæ capillorum radices arefaciat. Sed huius euentus diuersam afferunt Hippocrates, & Aristoteles rationem; ille enim libro de genitura sic habet. *Verum Eunuchi propterea calui non fiunt, quòd vehementem motum non faciant, neque pituita in coitu calefacta pilorum radices exurit.* Hic verò Problem. sectione 10. quærens, cur Spadones calui effici nequeant, respondet: *an eo quòd multum cerebri obtineant? quod sanè his contingit, quia rem veneream non agunt: Semen enim labi per spinam è cerebro videtur. Qua de causa boues quoque castrati cornua gerere maiora putantur, necnon & mulieres, & pueri, cur calui non sint, eadem ratio esse creditur.* Sanè Hippocratis sententiam de caluitio, quod à nimia humiditate eodem loco ait procedere, examinabimus alibi, dum quæritur, cur Venus immodica caluitium pariat. Interim dixisse sat erit, Aristotelem hoc in loco nihil ab Hippocrate differepare. Siquidem qui multum cerebri obtinet, vt inquit Aristoteles, vehementem non facit motum, & minus pilorum radices exurit, vt loquitur Hippocrates: cerebrum enim ea, qua pollet, exuberante humiditate, haud omnino excrementosa, radices ipsas pilorum, ne arescant, irrorat iugiter, accedente præsertim naturali caliditate humidum terminante, non aeri, sed benigna, qualis est in habitu Eunuchorum. Et hæc eadem ratio est, cur Spadonibus posteriori pili haud nascantur, vt citato libro de historia animalium idem asserit Aristoteles; Nam cùm à fumosis halitibus id genus pili soleant exoriri; Spadones, vt inquit Aphrodisæus primo Problematum, quia iusto humidiores sunt, excrementisque admodum redundant, illos emittere nequeunt: *hæc enim ratio est* (ait ille) *cur loca neque præhumida, neque præsicca, saxosaque edere valeant.* Patet igitur ex his, quomodo ex humore seminali Spadones canitiem referant.

Diuertit secundò humor idem generationi destinatus ad tracheam, quam obstruens, & attenuans est in causa, cur vocem acutiorem habeant castrati; ideo Alexander Aphrodis. problem. 1. prudenter aiebat: *humor ille immodicus fauces, eandem asperam cognominatam obseparans, atque insuescens longè reddit angustiores, & cùm spiritus per angusta se promat, vocem agat acutiorem, quàm integeris fiat hominibus, necesse est. His enim vox ampla per meatus laxitudines informatur, & ducitur. Argumentum ex tibiarum foraminibus accipi aptissimè potest.* Et eadem fere ratio est, quam affert Aristoteles 11. sectione problematum, vbi ait, Spadones vocem acutiorem ex ea causa reddere, qua linea, cæteraque tenuia dimensionem vnam dumtaxat sortiuntur, ideoque tenuem esse Eunuchorum vocem, quod præ debilitate vnicam tantum dimensionem habeat. Illa rursus genitabilis humiditas ad linguam, eiusque radices defectens loquelam sæpè impedit, vnde est, quòd cuirati non rarò balbutiunt, aliove modo lingua offendunt.

Tertio regurgitat in corporis vniuersum habitum; quò fit, vt Spadones pinguescant magis, mammas, vel fœminarum modo explentes, genasque turgidulas plurimùm habentes. Præterquàm quòd in hunc vsum castrari solent sues, capri, & agni, vt nimirum obesiores, & præstantiores euadant; quod enim superat alimenti, cùm in geniturarum non exeat, in pinguedinem degenerat. Adhuc corporis proceritatem efficit, quod Aristoteles 10. sectione problematum, & vltimo de historia animalium affirmat; hic enim habet peculiariter sic: *Omnia denique, si dum crescunt castrantur, maiora, & elegantiora quàm in castrata euadunt;* & infra: *Castrata denique auctiora, quàm incastrata euadunt.* Ibi verò videtur innuere, quod cùm Spadones in fœminas immutentur, ideo proceritatem acquirere debeant, quod fœminarum corpus in longitudinem excrescere soleat iuxta illud Homeri.

Virgo Diana dedit prælongi corporis vsum.

Verùm id, quomodo verum sit, hic examinare necessarium non existimo, solùm Alexandri problema illud apponam: *Quid est, quòd Spadones proceros, blesosque faciant? Proceros humoris copia reddit, & caloris inopia; blesos imbecillitas facit. Cum enim eorum partes inferiores nequeant sustinere superiores, facile peruertuntur. Itaque vitium, quod blesitatem pedum vocamus, committitur.*

Quartò superfluus ille succus ad pedes, & crura delabitur; quæ putrida interdum, & vlcerosa fiunt ex Aristotele 10. problematum, vbi eam videtur rationem adiungere, quòd sicut mulieres, in quas Eunuchi degenerant, calore deorsum tendente, menstrua promunt; ita Eunuchi ipsi ad partes infernas superflua deponant excrementa. Agitat hanc eandem quæstionem Aphrodisæus 1. problematum, vbi ait, quòd rerum bases, ac fundamenta oneri sustinendo inepta, sunt, si mollia nimis, & humida existant; ideoque Spadonum crura, & pedes humore superfluo emollitos, impotentes euadere. Plura vide apud illum.

Quin-

Digitized by Google

Quintò eadem seminis materia ad sedem, eiusque finitimas partes decedit, vbi ex Aristotele 4. problematum patiendi cupiditatem excitat. *Cùm enim*, inquit ille, *omnibus excrementis locus determinatus à naturâ sit, in quem secerni debeat; quibus meatus habitiu suo naturali priuatur, vel quia obcæcati sunt, qui ad penem tendant, quod Spadonibus, hisque similibus euenit, vel etiam alijs de causis, his talis humor in sedem confluit*; & hoc probare nititur Aristoteles, tùm ex contractione partium sedis in concubitu, cùm etiam ex earundem, & natium præsertim consumptione ex frequentata Venere; quod eadem sectione problematum clarius explicat, dum quærit, cur ijs, qui rem Veneream immodicè agunt, oculi, & clunes manifestè subsident: ait enim, quòd *partes hæ in coitu perspicuè collaborant, cùm rem studiosius ipsâ perfequantur, & se cogant, nitanturque in semine emittendo. Itaque quantum alimenti facilè liqueſcere poteſt, id preſsum extruditur, &c.* Quare ex genitalis humoris confluxu ad anum Veneream attritionem in ijs partibus desiderari, concludit Philosophus, qui seminis eandem ad sedem deriuationem explicat 1. de generatione animalium capite 18. his verbis: *Item meatus idem excrementi, & seminis eſt, quibusque excrementum amborum tàm ſicci, quàm humidi alimenti, ijs quò humidi, eòdem seminis quoque ſecretio agitur; humidi enim excrementum eſt, namque omnium alimentum humidum potius eſt: At verò quibus hoc deeſt, ijs quà cibi ſicci ſedimentum tendit, ſemen quoque ſecernitur.* Auicenna libro 3. fen. 20. tractatu 1. capite 42. & ipse huius affectus mentionem facit, quem germana lingua vocat, *Aluminati*: sic enim scribit: *Aluminati ſecundum veritatem eſt ægritudo accidens ei, qui conſueſcit, vt ſuper eum iaceant homines, & habet deſiderium plurimum.*

Mercurialis in Pisanis prælection. damnat Aristotelem, eò quia nulla sit à testibus, vasisque spermaticis via, per quam genitalis humor diuertere possit ad sedem, ibique pruriginem facere; ideoque Veneream cupiditatem in illis partibus excitari ex mala consuetudine potius, & animi vitio. Sanè Mercurialis quoad id, quòd contra Aristotelem assumit, nimirum nullum esse à testibus, & seminalibus vasis ad sedem commeatum, decipitur; si quidem non loquitur Aristoteles de semine iam parato, & perfectè ad coctionem in testibus redacto; patet, quia loquitur de excremento seminali in Spadonibus maximè, & Eunuchis, in quibus est quædam antecedens, & semicocta seminis materia solùm absque testibus. Modò isthæc humoris colluuies plenè per venas transcurrens negari non potest, quin varias corporis partes grassari, & afficere valeat, atque etiam sedis regionem, & intestina inuadere; Quod patet etiam ex eo, quòd Spadones aluo lubrica, vt plurimum sunt, idque contingit, quoniam serosi copia succi, qui ex genitali humiditate potissimum accedit, intestina petens æque ac bilis ad feces deponendas irritat. At Mercuriali assentior in reliquis; non enim prurigo ex tali humore facta Venereum cupiditatem parere potest, nisi ex praua animi inclinatione, & execranda consuetudine; quòd & ipsemet Aristoteles insinuauit in illius problematis tractatione; & Auicenna citato loco luculentissimis his verbis declarauit: *& ſunt in veritate proſtratæ animæ, & malignæ naturæ, & malæ conſuetudinis, & complexionis muliebris.* Ideoque cùm hæc affectio sit animi, non corporis nescijt Auicenna aliam afferre curationem, quàm carceres, flagella, & famem; inquit enim: *Nam initium ægritudinis eorum meditatiuum eſt, non naturale. Si verò confert cura eis, tunc eſt illud, quòd frangit deſiderium eorum ex triſtitia, & fame, vigiliis, & carcere, & percuſſione.* Sed plura de malthacis, & subactis ex Cælio Aureliano retulimus libro 2. in tractatu de naturis libidinosis. Demum genitale hoc excrementum in corporis vniuersum ambitum secedit, illumq; variè afficit, vt ex 30. problemate quartæ sectionis manifestè colligitur, vbi hæc habentur: *Cur quibus natura calida eſt, ſi modo robuſti, pleniquè ſint, niſi concumbant, ijs ſæpe bilis proſiſtit, & aluus amara ſecedit, & pituita ſuſſa conficitur, & color corporis immutatur?* Euentus huiusce rei apud Philosophum ratione require.

CAPVT V.

De frigidis.

FIT sæpe, vt nulla testium exectione, aut attritione, nulla venarum ad aures facta incisione, nullisque turgentibus ad crura varicibus, aut inguina, homo sit ad generandum impotens, non vtique ex alia causa, quàm ex eo, quòd partes genitales adeo à natura redditæ sint frigidæ, vt non modo semen non coquant, sed sanguinem, & spiritus confluentes eximia frigiditate corrumpant potius; & interdum harum partium frigus tactu ipso excelens perſentiatur. Nec modo genitalium membrorum frigiditas impotentes ad Venerem reddit, verùm etiam principalium partium, vt cordis, cerebri, hepatis, ventriculi, & renum. Cordis quidem in primis, quoniam est prima spirituum officina, sine quibus mortua iacet Venus: nec absque spirituum afflatu suæ possunt instrumenta obire munia: Cerebri, quoniam ex hoc singulis emanat particulis virtus sensitiua; quare nisi ad inguina hoc sensum

sum influeret torperens vtique; nulla etenim pars nostri corporis est, quæ magis exquisitum expetat sensum; Hepatis, quandoquidem sanguinis auctor est; si verò aut sanguis deficeret, aut impurus omnino gigneretur, materia generationis deesset, & sic steriles frigerent homines. Ventriculus & ipse naturali calore si nimium destituatur, cruditates parit, quibus vniuersi corporis virtutes opprimit, omnemque spirituum auram suffocat, atque etiam seminales meatus infarcit, & occludit; Renes demum, qui non parum ad Venerem conferunt, si algeant, & imbecilliores vndique euadant, impotentiam coeundi inferunt. Iam vt singulorum membrorum indicia huius impotentiæ medio ponam: si defectus, & frigiditas erit in ipsis met genitalibus instrumentis, perenda erunt signa abijs, quæ supra de testium temperaturis ediximus; At aliorum principalium notæ hic erunt inuestigandæ: Si frigiditas igitur erit ex corde, penis non fiet intensio, & quandoque absque vlla erectione fluet semen: pulsus erit debilis, & lenis, atque totius corporis diminuta caliditas, & consequenter pusillanimitas, alacritas parua, minor iracundia. Si fuerit ex cerebro, semen quodammodo torpescet, nullam Veneream sensationem, aut libidinis commotionem efficiens; quod insuper comprobari poterit ex sensuum aliorum, & motiuarum potentiarum segnitie, & imbecillitate, nec non ex alijs frigidi, humidique cerebri caracteribus, de quibus multa Galenus, & alij. Si ab hepate, & renibus detrimentum exurgat, Venereus appetitus nunquam excitatur; sanguinem pene torpidum, aquosum, frigidum nulla nec imaginatio, nec lasciua potest calefacere, aut in voluptatem agitare. Languor demum virilium ex ventriculo dignoscitur à cotione læsa diminuta, aut etiam corrupta, & omnino singularium partium detrimentum ex techmerijs illarum temperamenti notis addisces.

Curatio nō simplex est, vt nō vna est causa talis impotentiæ; & licet alibi sit peculiaris tractatio instituenda de auxilijs Venerem confortantibus; hic tamen aliqua solum præmittenda erunt, quæ principales illas partes potissimum respiciant; illud genericè præfatus cum Auicenna lib. 3. fen. 20. tractatu 1. quòd quicunque huiusmodi langnent impotentia, debent abstinere à sudore, à balneis sudorificis, & à sanguinis missione; addam ego, & à pharmacis vehementioribus; hæc enim virtutes debilitant, membra in languorem deducunt, spiritus, calorem que nativum inimica qualitate perimunt, & extinguunt. Absint ideo Medici illi, qui frigidas hasce impotentias curaturi quotidie cathartica medicamenta propinant; siquidem non pharmacijs, sed cupedijs potius, lautisque dapibus ad genus morbi auferuntur. Si caput ergo, eiusque cerebrum sit in causa frigidæ huius impotentiæ in vsum veniat electarium plirisarcoticon cum muscho: confertur ex floribus anthos, bettonicæ, acori radicum, saluiæ, stechados, & similium. Si à corde emanat imbecillitas ad rem faciet Diamoschum, Diambra, Diatrion pipercon, confectio e cytrijs malis, syrupus gemmatus, confectio hiacyntina, lapis bezaar lætificans Almansoris, theriaca, confectio alchermes, & alia centum. Si frigiditatis origo stommacho debeatur, commoda sunt diagalanga, Dianisum, Diacinamomum, syrupus de mentha. Si à renibus tandem ortum ducat, proficua sunt diasatyrion cum scinci renibus, carduus conditus, apium, radices petroselini saccharo confectæ, & similia, quibus omnibus addenda erunt extrinsecæ linimenta, vt pote balsamum, oleum e nuce myristica, e corticibus cytri, & iunijperis, de mentha, de absynthio, & alijs, pro corde, & ventriculo: oleum amigdalarum amararum, nucleorum persicorum, nardinum, & siniilia pro hepate. Pro renibus tandem conficiatur linimentum ex pyrethro, assafetida, seminibus eruca, ceparum, pipere, castoreo, mirrha, styrace, muscho, & adipe leonis. Plurima à proprietate conferentia, & genitales partes confortantia hauries infra.

CAPVT VI.

Cur pueri, senes, & ægrotantes sint impotentes.

SENEX Cous prudentissimus libro de genitura rationem, cur pueri ad generationem inepti sint graphicè describit; verba eius libenter ascribam: *At verò pueris venulæ tenues, & repletæ existentes genituræ transitum impediunt, & pruritus ipsis non similiter accedit, & propterea neque conquassatur in corpore humidum ad genituræ secretionem.* Verum addendum insuper est; pueris, qui ad incrementum plurimo opus habent alimento, humorem non sufficere, itaut in semen, quod superest, abire possit; ideoque idem Hippocrates in aphoris. aiebat: *qui crescunt plurimum innati caloris habent; ideoque plurimo regent alimento*; nam secundum omnem dimensionem augentur; quo fit, vt vberrimo succo nutricio sit opus, alioquin innatum calidum, humidumque primigenium dissoluantur. Hoc autem quantum rei veritati straffine, patet vel ex eo, quòd adolescentes, qui præcocius rei veneræ dant operam, auctionis detrimentum non leue recipiunt; & si e contrario dum crescunt, cœlibes omnino viuunt, aut castrentur, maiorem vitæ proceritatem, ampliorem que ha-

habitum adipiscuntur: tum etiam quod pueri generationis opificio sint inepti, nequaquam ex testibus habent, qui proculdubio suo munere non secus ac hepar, cerebrum, & cor apud eosdem fungi possunt; sed ex prætactis causis, quemadmodum luculenter in nostra Isagoge medica ediximus. Senes ex eo generationis impotentes existunt, quia debili calore præditi seminis parum, aut nihil conficere apti sunt; sanguis autem, vt in semen exæquatur, caloris energiam exposcit. Quo pacto igitur senes, qui à frigiditate cutis, segnes, inertes, crudi, languidi, tremuli, & nulla prorsus parte corporis vegetes, semen poterunt elaborare? Adde quòd cruditates, quibus refertim scatent, seminis meatus infarciunt, & semen, si quod est, suffocant, opprimunt.

Ægrotantes autem ideirco, vt inutiles à Veneris mensa reijciuntur, quoniam debiles ijdem sunt, insitoque calore laborantes; quare semen perficere nequeunt. Quòd si dicas, eos, qui febre occupantur, cùm forti calore sint præditi, debere seminis esse prolificos, nec non ad generationem aptissimos. Respondetur, non quemlibet calorem ad coctionem opportunum esse, sed calorem tantummodo naturalem, roridum, & benignum; quod significauit Aristoteles 4. meteorolog. cap 4. ijs verbis: *Concoctio autem fit ab eo, qui in humido, igne* Calor autem febrilis, aut ex alia quauis inflammatione adauctus, acer est, siccus, & vrens potius, quàm coquens; adeo ut citato loco Aristoteles diceret: *concoctio igitur est perfectum à naturali, & proprio calido ex oppositis passiuis*. Quocirca febrilis calor exhauriet potius materia seminis, sanguinem, & spiritus dissipans, & consequenter naturæ caliditatis, quæ semen elaborat, extinctionem pariet. Cæteræ corporis affectiones plurimæ, si determinatam aliquam partem occupent Aphroditis impotentiam nequaquam efficiunt; tantummodo enim morbi vniuersales, & qui eas particulas premunt, quæ familiaritatem, & communionem cum spermaticis vasis habent, languorem, & impotentiam efficere valent.

Sed scisciabitur aliquis, cur si febrilis calor coctioni seminis est impar, qui tamen febricitant, polluuntur sæpè, & qui à febre conualuerunt, titillantur ad Venerem, ad cuius opera non raro etiam inuitò cogantur? Ad hoc respondetur velim, eos, qui à febre vexantur, aut vexati sunt, non iccirco ad Venerem agi, quòd morbosa caliditas auxerit nimium semen, sed quoniam idem aut prius, aut post elaboratum acuit mordaci qualitate; ideoq; ad sui expulsionem inuitat, & impellit naturam. Et quidem in ijs, qui à febre conualuerunt, relinquitur ab illa circa semina vasa caliditas quædam actis, quæ nisi contemperetur, & mitescat, sanguinem, & semen exacuit, redditque adeo vellicans, vt prurigine facultatem expulsricem, licet adhuc à morbo languentem, & hebetem stimulet, & erethismo cogat ad emissionem.

CAPVT VII.

De Veneris absoluenda impotentia cum aptitudine, ac desiderio.

ESt aliud affectionis genus, quo Veneris equites afficiuntur, & assistantur miserè; dum scilicet virtutis quidem robore præstant, instrumentum aptè paratum possident, eriguntque; semen tamen emittere nequeunt. Talis erat ex Rufo apud Oribasium ille Corinthius, qui Venerem exercebat quidem intrepidè, lætabatur strenuè, fortiterque agebat, at sterilis erat labor, quia libidinem complere non poterat. Est vtique miseranda calamitas hæc, quam insuper consequi solent ægritudines centum, vt renum inflammationes, Priapismus, Satyriasis, gonorrhea, dolor capitis, & vniuersæ vitæ labor, febris, & mors ipsa. Marcellus Donatus de historia medica mirabili, ex quodam non vulgari medico sui temporis refert, fuisse nobilem iuuenem, qui in Venereo congressu cum muliere, semen emittere nequibat, in somnio autem, & cùm hymenæum manibus celebrabat, nullo ferè negotio spargebat; Cuius euentus medicus ille causam in verecundiam, vel fortem imaginationem reijciebat; Marcellus verò plus iusto frigidiori semini tribuit; ideoque minus motui apto, dissiparis præsertim spiritibus, qui in longo Veneris labore dissolnebantur. Roborat eruditissimus Donatus opinionem suam Auicennæ auctoritate, qui fen. 20. tractatu 1. cap. 15. de coitus diminutione verba faciens aiebat: *& quandoque propter paucitatem motus spermatis, & defectum eius à mordicatione excitante, ita vt quandoque fiat in quibusdam sperma plurimum, & cum coeunt non defecndit propter congelationem suam, & polluuntur cum hoc in nocte, quoniam vasa spermatis calefiunt in eis in nocte, quare calefit sperma, & subtilistur*. Verum huiusmodi sententia minus plausibilis videtur, nec possum in hoc Auicennæ suffragium ferre; siquidem nunquam in corpore humano reperire erit semen congelatum; quo pacto enim frigus adeo in summo in viuente suscitetur, vt valeat humorem quempiam, ac potissimum seminalem, spiritibus vndique turgidum, in glaciem stipare? Quòd si prudentiores medici illorum opinioni subscribere noluerunt, qui putabant, lapidem in vesica, membro alioquin membranoso, neruaceo, atque adeo frigidiori coagularia frigiditate,

verùm ab exurente calore potius; quæ ratione in spermaticis vasis, ignitis spiritibus circumsitis poterit congelari semen? Rursus eius est naturæ vitale semen, vt à frigore liquetur potius, vt notum est, atque fundatur: Si enim vel à tepido parum pertingatur aere, statim euadit aquosum; quod & nos libro de semine abundè demonstrabimus infra; ipsius namque seminis cõsistentia à calore, & pepsi prouenit, quæ si forte immodestior euadat, resolutis humidioribus, & fluxilioribus portiunculis, supereſt genitura compacta ad modum grandinis, aut coagulati lactis, posteaquam depuratum à sero illud est; quamobrem à siccitate, & calore non autem à frigore, & congelatione, vt sentiunt Auicenna, & Donatus, interdum accidit, vt sperma motui, ac fusioni minus reddatur aptum, vti libro de semine citato pluribus enucleabitur.

Inquiramus ergo huiusce affectus probabiliores causas. Porrò non deest hic virtutis robur: sæpe namque fortissimos, & pancraticos iuuenes hæc ipsa perficiendi lacerat impotentia: nec aptum deficit instrumentum; nam vt dicebamus, ritè erigunt, seruantque erectum diù magnoicum desiderio. Igitur à semine proueniet calamitas; Etenim tria hæc ad Veneris complementum necessariò conspirant, puta virtutis robur, propter quod ægrotantes censentur inepti: commoda organorum dispositio, propter quam Spadones, & Eunuchi à clinopali, vt inutiles arcentur: ipsum denique semen, ob cuius eclipsin pueri, & senes vt supra dicebamus impotentes redduntur. Nempè accidit quandoque, vt ex halitu flatuoso penis bellè rigeat, & extendatur quidem; verùm semen sit adeò modicum, vt Venereæ emissioni haud suppleat, ideoque sterilis sit congressus; dummodo tamen spirituum adeò fortis non reperiatur vbertas, vt voluptati, & conceptioni simul possit esse satis, velut in primo libro significauimus. Profectò in primo concubitu, si quis præsertim diutius à mixtione abstinuerit, experietur se parum ad eiaculationem laborare, copiosum enim fluctuat, ac turget semen; atqui in secundo congressu laborabit magis, minusque genitalis emunget humoris: in tertio, & quarto magis conabitur; vt insuper contingat aliquando, petulcos viros, & in lasciuiam effrenes vel sanguinem ipsum effundere, vel nihil prorsus emittere. Quapropter ex seminis crimine, siue dicas eclipsi id euenire, asserendum est apud illos, qui alioquin satis plenè concumbere, & explere consueuerant; si præsertim immodestus, & importunus vsus præcesserit. Et si fortè fortuna supponi nequeat, affectum hunc resultare ex ipsis spermaticis meatibus nimium exinanitis, dicendum erit, exoriri symptoma, eò quia seminalia vasa præsertim deferentia ventositatem conceperint; sicuti enim intestina flatibus oppleta excremen-

A tis exitum neutiquam præbent: ita seminales cuniculi, si flatum corripiant, seminis defluxum intercipiunt; pneuma verò tum ob nimiam agitationem facilè imbibere potest varicosus parastas; cùm etiam, quia dum natura vacuum refugit, exinanita vasa vento replet. Et hinc euenit aliquando, vt quidam per genitale pederet membrum, quod magno cum sonitu, dum intendebatur, flatus emittebat: siquidem spermatica vasa sterilia forsan apud illum humore prolifico, infœcundo erant referta vapore. Consonat opinioni nostræ doctrina Aetij qui, libro 11. hæc refert: *Adolescens quidam ad nos accessit, & se vehementer coitum appetere confessus, verum vbi commisceretur semen emittere non posse; sed flatus plurimos sibi per sedem erumpere; In hoc itaque coniecturam feci, vasorum seminalium siccitatem adesse.*

B Quòd si dicas, in casu illo à Marcello Donato descripto id astrui non posse; eò quòd in somno, & maltupratione semen facili negotio iuuenis ille demandabat; si verò à flatu impediente in congressu illud nequibat effundere, multò minus in mollicie, & nocturna illusione emittere debuisset. Ibo obuiam argumento, ac dicam, hic valere prorsus, quod ipsimet Auicenna, & Marcellus aiunt, nimirum in somno spermatica vasa magis calefieri, idemque in manuum contingere attritione, ob quam, communicata testibus, ac meatibus vberiori caliditate, flatus obsistentes leniori negotio dissoluebantur; & sic semini permittebat exitus; eò prorsus modo, quo in ileo, & colico dolore, discussis à calidis medicamentis crassioribus flatibus, fæces contiuò detruduntur. Etenim tam in somno, quàm in mollitie natura tota cum suis spiritibus se se ad partes genitales nulla diuersione conuertit; At in congressu muliebri plurimas habet distractiones; quàdoquidem distrahitur ad auidos amplexus, ad suauia, & oscula, ad pulchritudinem aspiciendam, & contemplandam, ad blandiusculaverba, & ad motum illum denique Venerei tripudij, quo vniuersa incalescunt membra, ne dum genitalia ipsa; quare inseruiat, & famuletur necesse est oculis, auribus, labijs, brachijs, & corpori vniuerso; & hæc sunto satis: plura quædam ad rem facientia percurremus paulò infra, vbi quæretur, cur præsente amasia accidat interdum, vt robustissimi iuuenes frigeant, & perficere nullo pacto aphrodision valeant.

C Iam si curationem huius ipsius calamitatis audire, & addiscere placeat, sciendum erit, curationis cardinem consistere in cibis, & facultatibus, quæ vberem, optimumque sanguinem progignant, quæque ex proprietate semen adaugeant, ac flatus insuper dissipent: impossibile enim est, vt vasa calido, & plurimo scatêtia semine in Veneris congressu facile id non euomant. Præterea ijdem spermatici ductus, si semine re-

D

pleantur illico flatus deturbant: hos enim ob vacui timorem vt plurimum accersit, retinetq; natura. Quales verò sint huiusmodi facultates, ex professo dicemus inferius loco suo.

CAPVT VIII.

Cur vinolenti, & ebrij sint ad Venerem impotentes: Cur semen eorum infœcundum, & qua ratione Loth ipse temulentus & coiuerit, & genuerit.

HAVSTO, inquit Macrobius 7. saturnal. *Vino plurimo fiunt viri ad coitum pigriores, quia vini nimietas facit semen exile, vel debile*; quam eandem sententiam scripsit Plutarchus 3. symposi. quæstione 5. Agit problematicè quæstionem hanc Aristoteles 3. Problem sectione, vbi plures, ac satis probabiles rationes comminiscitur, quas non erit ab re verbatim hic medio ponere; sic igitur ille habet: *An quòd partem corporis quandam amplius, quàm reliquum corpus inualescere opus est, quod vinolentis contingere præ nimio calore non potest; calor igitur, qui à motu naturæ interno præstatur obtentu caloris ambientis extinguitur? An quòd partes corporis imas recalescere opus est; vinum autem in sublimem efferri aptum est? Itaque calorem quemadmodum illic excitat; ita hinc auocat, atque abducit. Post eibum quoque libido Veneris minimè incitatur; unde prandere largè, cœnare parcè præcipiunt; Cibo enim concocto surſum, crudo deorsum fertur & humor. & calor; ortus autem seminis ex his est. Et fatigatis iccirco per somnum profluit genitura, quod labor corpus humidum, & calidum reddit. Quòd si excrementum ea in parte subsliterit, euenit certè, vt per somnum erumpat. Hæc eadem ratio est, cur in aduersis quibusdam valetudinibus id eueniat, atque etiam metuenti, & morienti.* Hactenus Aristoteles. Porrò Philosophus in his, ut in reliquis prudenter est ratione natus; solùm in eo difficultas aliqua esse posset, quòd nimirum fatigatis iccirco per somnum genitura profluat, quia labor corpus humidum, & calidum præstet; quod utique à ueritate alienum alicui uideri posset; siquidem labor exiccare, non humectare communiter creditur, & experientia satis certa comprobatur, quando ex labore corpus emaciari contingit; quod libro de articulis edisserit Hippocrates ijs uerbis: *Cæterùm ad carnositatem, & manus, & brachij multum profuerit, si quis manu laborando se fatiget.* Asserendum tamen est, haud quaquam Philosophum aberrasse; quandoquidem uerum est, diuturnum, & uiolentum laborem exiccare, & absumere carnem; ueruntamen breuis, ac modicus labor humidum efficit; & ratio est, quia exercitatio modica liquat, commouetque duntaxat corporis humiditates, non autem dissipat; quare corporis habitum præstat potius humidiorem; quod vel ex eo probari potest, quòd statim ab initio laboris madido quodam rore diffluunt artus, qui si labor producatur, haud multò post resiccantur, absumente aucto calore vniuersam humiditatem, vnde opus habent laborantes quàm sæpissimè potum adhibere. Quamobrem Aristoteles de modico, & minus consueto labore intellexit, qui proculdubio quiescentes liquat humores, ideoque noxam vniuerso corpori infligere valet. Sic videre est, eos, qui parua pila, aut etiam solle semel, aut bis ludunt, vniuerso corpore graues, ac dolentes fieri, ex delapsu videlicet humorum ad artus ipsos; qui tamen si ludum sæpius repetant, arefacta, ac resoluta humiditate membris conualescunt.

Reliquum est modò, vt si quæ sunt aliæ rationes, præter eas, quas commentus est Aristoteles medio ponantur. In vinolentis itaque cùm crassi vapores & sensus, & mentem præstringentes, meatus etiam seminales infarciant, nihil mirum est, si spiritibus, & genituræ fluxus interpelletur; quare partes ipsæ genitales pruriginе, omnique Veneris aptitudine destituantur. Præterea quoniam in Veneris congressu imaginatio potissimum agit, sine qua huiusmodi actus vix potest compleri, quin ipsa sola, quacunque cessante contrectatione, sæpè fit genituræ voluptuosa liquatio, vti apparet in somnijs Venereis, ac nocturnis pollutionibus, in quibus, corpore quiescente, sola operatur imaginatio, ipsa sibi fingens libidinis motus, ad quos inferiores potentias, ceu tributarias conuocat; cùmque apud ebriosos imaginatiua etiam facultas obruta, meroque obtenebrata sit, adeo ut sui compos amplius esse non videatur, fit, vt ad actum generationis conspirare nequeat; & iccirco temulenti statim ad Venerem segnes, & impotentes redduntur. Nec sanè meæ huic hypothesi aduersatur Hippocratis contextus libro de natura mulierbri, quo loco mulieri, quam pregnantem fieri cupimus, meracum vinum præcipit exhibendum: quandoquidem non vsque ad ebrietatem illud propinandum censet, sed quousque libidinis excitetur fomes. Adde, quòd Hippocrates monet, vt insuper farina ieiunæ mulieri administretur, quæ vinum absorbens nonsinit illud enaporare ad caput, ac temulentiam inducere; qua ratione pariter idem Hippocrates 2. epidem. in fine monebat, vt in capitis dolore panis quàmcalidissimus cum vino meraco ederetur, & paulò infra ad calorem febrilem, non tamen putridum farinam multam cum multo mero iubet exhibendam, præterquam quod

non

non fic facile, vt vir mulier ebrietate tentatur, vt 7. Saturnal. Macrobius teſtatur, quoniam vinum etiam ſi largè hauſtum in mulieris frigidam, humidamque naturam incidens, hebetatur, ac refrangitur. Vide Plutarchum etiam ſympoſij Decade 3. Problem. 3.

Denique exeo nequeunt vinolenti coire, quia à copia, & feruore vini ſpiritus naturales penes eoſdem ſtrangulantur, extinguuntur; ſpiritibus verò emortuis nulla penitus libido, imo nulla prorſus naturæ operatio emicare poteſt. Verùm ſtatim obijciet aliquis, quo pacto fieri poſſit, vt ſpiritus concupiſcentiæ calidi, à calido ſimiliter, feruidoque mero extinguantur, & refrigerentur; ſiquidem ex Philoſophorum communi dogmate contraria à contrarijs tantummodo apta ſunt pati, vnusque effectus ab vna cauſa proficiſci poteſt. Quo circa cùm caloris extinctio à frigore fiat, fieri nequaquam poterit à calore; qui frigiditati e diametro opponitur, & per conſequens neque à vino, quod calidum, & humidum eſt, ideoque cum ſpiritibus in vtraque qualitate ſymbolum. Reſpondeo, calorem triplici modo corrumpi poſſe, nimirum vel extinctione, vel marcore, vel ſuffocatione ab extraneo calore. Extinctu corrumpitur à ſuo contrario, vt potè à frigido, & humido: marcore deficit ex indigentia nutrimenti: alieno verò calore ſtrangulatur, ſeu diſſipatur, eo prorſus modo, quo lucerna apud maximam flammam continuò reſtinguitur. Iam verum quippe eſt, vnamquampiam rem à ſuo contrario pati, & conſequenter calorem à frigore per extinctionem corrumpi; at poteſt etiam à maiori, & inæquali calore diſpeſci, & ſtrangulari; atque adeo caloris aſcititij à vino copia poterit natiuum calorem corrumpere; cum præſertim aduentitius calor inſito, & congenito contrarius quodammodo dici valeat, & ſic vt à contrario patiatur. Tametſi nihil prohibet, rem eandem à contrarijs agentibus, diuerſa tamen ratione patrari; Vnde Ariſtoteles 3. Problem. ſectione 25. rationem afferens, cur ebrioſi tremiſcant, cùm vinum calefaciendi vim habeat; tremor autem ex vino maximè proficiſcatur, prudenter admodum, & ſapienter, vt ſolet, hæc ſcribit: *At nihil prohibet, rem eandem à contrarijs effici, dummodo non agant modo eodem, ſed diuerſo. Exempli gratia vritur & àgelu, & à calore, vbi gelu calorem coegit vniuerſum. Itaque modo quodam à contrarijs effectus proficiſcitur idem, & modo quodam non niſi idem producitur. Tremor autem ob inopiam excitatur caloris non cuiuſque, ſed proprij; corrumpitur autem calor aut marcore, aut extinctu: extinctu quidem à contrarijs, hoc eſt frigido, & humido; marcore autem, vel indigentia nutrimenti, vt lucerna cùm fomite, aut oleo caret; vel ab alieno calore, vt ignis in Sole, & lucerna apud ignem. Igitur qui ex frigore rigent, caloris extinctu abtremunt, ex quo etiam fit, vt aqua effuſa calida horror exoriatur; frigus enim cùm intus includitur, atque circum obſiſtit, pilos erigit, & infebrium quoque acceſſione rigor ille euenions ſimili de cauſa venit. In ſenectute autem calor alimento deficiente emarceſcit; humor enim alimentum caloris eſt, ſenectus autem ſicca eſt. Ebrioſi verò, & ſi qui afficti ſunt alij, ſuo prorſus emarceſcente calore obtremiſcunt, ſed non modò eodem, quo ſenes, ſed tertio corrumpendi modo, vt propoſuimus. Quòd enim vino vtuntur nimio, calor aduentitius ſuperans, aut extinguit, aut debilitat proprium calorem, quo valemus, &c.* Hactenus baſilicè ſatis Ariſtoteles, cuius doctrina, & auctoritate noſtra ſulcita concluſio plurimum roboris nanciſcitur. Ad cuius identidem confirmationem non parum facit ejuſdem Philoſophi illud aliud problema, cur ebrioſi Solis calore gaudere maximè ſolent. *An quòd*, reſpondit, *concoctionem deſiderant, atque etiam quòd refrigerati admodum ſunt, ex quo attoniti, ſtupidique mox fieri ſolent à potu?* En igitur, vt vinum generandi potentiam adimat, præter alias prope infinitas ægritudines, ac detrimenta, quæ ſemper ſecum ducit; vt iure ideo à Platone 2. de leg. dictum fuerit, non alia de cauſa datum eſſe mortalibus vinum, quàm ſupplicij gratia.

Verùm philoſophicas has rationes deſtruxit olim euentus in ſacra hiſtoria celeberrimus, ſiquidem Loth ebrius, atque omnino temulentus ſuas compreſſit filias, ambæque ex ebrioſo concubitu conceperunt Maſculos, maior quidem Moab, minor verò Ammon. Verba Geneſis capite 19. illa ſunt: *Veni, inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo, vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen; dederuntque itaque Patri ſuo bibere vinum nocte illa, & ingreſſa eſt maior, dormiuitque cum Patre; at ille non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec quando ſurrexit. Altera quoque die dixit maior ad minorem: ecce dormiui heri cum Patre meo: demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormias cum eo, vt ſaluemus ſemen de patre noſtro. Dederunt etiam & illa nocte patri ſuo bibere vinum, ingreſſaque minor filia dormiuit cum eo, & ne tunc quidem ſenſit quando concubuerit, vel quando illa ſurrexerit; conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre ſuo &c.* Validè huic obiectio ni primò reſponſum velim ex contraria apud ſacra Biblia hiſtoria, Holophernis videlicet euentu, qui, vt ſacra refert pagina, cùm bibiſſet *vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita ſua*, iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus, ideoque expetitum Iudith complexum oblitus in vino propriam extinxit libidinem. Secundò dico, id factum fuiſſe nõ ſine omnipotentis Dei nutu, qui ſicuti Loth, vxorem, & filias de Sodomæ incendio per Angelos liberauerat; ita & ſemen illius ſulcitare tali ratione voluit, vt honeſtior

aut saltem minus impurus sequeretur concubitus. Alioquin sui sensus impos, genitalisque virtutis ob merum non video, quomodo Venereum luctam exercere valuerit, cùm præsertim verba illa legantur in historia: *At ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit*. Si potuerit tum vir, tum mulieres in veteri lege sanes, & impotentes serere, & excipere diuino numine prolem, potuit & ebrius Loth in filiabus, eodem auspice Deo, disseminare filios; Hinc Diuus Augustinus dixerat, in historia Loth mysterium reperiri.

A

At ingeniosus quispiam hic postulabit, An si quando contingat, vt ebrij veluti amentes Veneris opus tractantes generent, mentis impotem fœtum producant? Præclarum ponè quæsitum, cui tamen Galenum respondisse uolo 9. de usu partium, ubi hæc habet: *Esi verò & hoc summè in natura admirandum, quòd peccata, & vitia eorum, qui nos procrearunt, ipsa sua industria resarciat. Ebrij siquidem cum ebrijs coeunt, & qui præ crapula vbi terrarum sint, nesciunt, cum mulieribus ita affectis consuescunt. Quò fit, vt genituræ principium statim earatione vitiosum fit. Posset verò ob omnimodam intemperantiam illius, quæ concipit mulieris, in vtero longè deterius reddatur. Attamen aduersus tot errores Natura obsistit, eosque plerumque corrigit sic, vt partus mentis compos edatur*. Postremò neminem latere uolo, quod si aliquando mulier ab ebrio concepit, uel abortum facit, uel fœmellam eamque debilem, & non diu uitalem parit ex rationibus, quas in altero Geneanthropeiæ tomo deducemus.

B

C

CAPVT IX.

Quid sit, quòd qui amasiam diu exarserint, si detur tandem fruendi licentia, frigent aliquando.

QVAM infœlix amantium cœtus? Quàm infortunati, qui retibus illaqueantur amoris?

D

Ah genus infœlix, nec tutum nomen amantum,
Seu veniat lenis, seu ferus ille puer.

Sic canebat Faustus.

Nam dolore, ac tristitia semper anguntur, nouis quotidie vexantur anxiosis ærumnis, & perpetuò diris lancinantur curis, vt meritò inde Ficinus exclamaret in conuiuio. *O crudelem amantium sortem, o vitam omni morte miseriorem!* Hinc discat vnusquisque pro viribus amoris illecebras euitare, aut si eius mauult imperium, parcere, vt strenuus miles ad labores, & ad quamuis asperam prouinciam:

Non amet, aut duros discat tolerare labores,
Optati compos qui velit esse sui. Vt idem Faustus in Amor.

Siquidem Apollonio Rhodio monente:

Supplicium crudele viris, ac pœna cupido.

Nempe incenduntur perditi amantes inestinguibili flamma: corda cremantur igne duro saucia vulnere: vitales depascit spiritus acer ignis: mens diu, noctuque malè distracta fertur in varia: æstuant animi concupitæ desiderio formæ; captantur non vno consilio semitæ, quæ ad finem optatum sint præuiæ: nullam exhorrent arduam prouinciam: pericula quæque subeunt, nec mortem auertunt.

Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
obuius enses. Dicebat Seneca in Hippolyto.

Exucci plorant, pallidi suspirant, sui immemores gemunt; nullusque demum modus adest amori, nam vt est apud Ouidium:

Littore quot conchæ, tot sunt in amore dolores,
Quæ patitur multo spicula felle madent.

At fortè hæc omnia dulcia experiuntur Amantes; Amor enim, vt Plautus aiebat, *fel, quod est amarum, id mel facit*. illud est quod premit, quod lacerat miseros, quòd si nimirum post longum, sæuumque seruitium, ac tyrannicum iugum benigno fortè fidere detur exoptata diu mulieri voluptate, en continuò frigent, sensibus ferè omnibus impotentes facti, cunctis vitalibus actionibus penè profligati; adeò vt si lætè excipiantur brachijs, rigeant;

At si dura silex, aut fiet Marpesia cautes

Si verba dare conentur: *vox faucibus hæret*. Dilecto vultui os adiungere si nitantur: concutit ossa tremor: Si tandem dulcis blandiatur Venus, illud Ouidij 3. eleg. querantur.

Truncus iners iacui, stipes, & inutile lignum,
Nec satis exactum est corpus, an vmbra forem.

Hoc sanè est miserrimum amantium infortunium, quod primo Amorum lepidè Pontanus deplorabat hoc metro.

Miser qui amat, videtque, quod cupit nunquam:
Magis miser qui amat, videtque, tangitque,
Nec tangit, vt vult, nec sibi gerit morem;
Expertus hanc sententiam miser dico.

Vnde hoc? Quæue huius impotentiæ reddi poterit probabilis ratio? Nos magnus eruditat auctor. Diuus Augustinus 14. de ciuitate Dei capite 16. huius euentus admodum adumbratam quandam attulit rationem ijs verbis: *Sed neque ipsi amatores huius voluptatis siue ad concubitus coniugales, siue ad immunditiam flagitiorum, cum voluerint, commouentur; sed aliquando motus ille importunus est nullo posente, aliquando autem destituit inbiantem, & cùm in animo concupiscentia feruerit,*

Digitized by Google

ueat, friget in corpore; atque ita mirum in modum non solum generandi voluntati, verùm etiam lasciuienti libidini libido non seruit, & cum tota plerumque menti cohibenti aduersetur, nonnunquam & aduersus se ipsam diuiditur, commotoque animo in commouendo corpore se ipsam non sequitur.

Porrò animaduertendum circa propositam quæstionem est, quòd natura humana præ suaipsius imbecillitate impotens est magni gaudij, adeò vt dolori magis, ac tristitiæ, quam gaudio, & lætitiæ apta sit resistere, id quod ab ipsa rei natura procedit; Cùm enim in gaudio, & voluptate spiritus à fonte vitali, & propria radice, nimirum corde extraferantur, & euellantur, quatenus rei gratæ, seu delectabili obuiam procedant; quocirca dicebat Auerroes, quòd in gaudio cor dilatatur, vt præsenti bono fruatur; nihil mirum est, si penes amantes, dum diu concupita voluptate frui licentia datur, qua nihil abijs iucundius, & suauius existimatur, spiritus à fibris, cordisque anfractibus ad extima deferantur, visceraque omni propemodum calore frigeant destituta, & ad omnem naturæ operationem torpeant incpta. Aphorismus quinte sectionis exagesimus tertius licet spurius, huic sermoni arridet; habet enim. *Par est de maribus ratio, aut enim ob corpus raritatem spiritus foras fertur, ita vt genituram effundere nequeat, etc.* Cuius rei euentum doctissimus Heurnius in expositione ipsius aphorismi transfert statim ad Amasios dicens. *Id amatores iuuenes interdum experiuntur, cùm multum amata puella copia datur, vnde toti cum feruore æstuant, ac sudore manant, nec pote est, vt arrigant.*

Quòd si maximè cupiditati iungatur etiam verecundia, desperata voluptas est; siquidem pudor contrarium à Venereo motum efficit; in hoc enim à circumferentia ad centrum fit spirituum, & naturę metastasis, seu auocatio; in illo verò à centro ad superficiem trahitur calor, & spiritus; natura autem duplici, eique contrario motui sufficere nequit. Adde, quòd cum à præsentia obiecti, quod quispiam deperit, amatoris anima se se totam in imaginationem refundat, ibi diuinitatis radium, qui in pulchro relucet reuolutans; spiritus, qui eò feruntur, quò tendit anima, omnes ad imaginationem conuertuntur, inferioribus naturæ partibus derelictis; quod est illud prorsus, quod Platonici edicere solent: intensæ scilicet cupiens anima ad id, quod amat tota distrahitur. Quare Alexander Aphrodis. in problem. rationem explicans cur suspirent amantes, respondet, *Quod anima ad id, quod exoptatur, intenta negligit, & quodammodo obliuiscitur motiuis pectoris musculis virtutem influere, cæterisque naturalibus partibus facultatem impertiri.*

Præterea sicuti excellens sensibile ex Philosophis corrumpit sensum; ita dixerim ego, excellens concupiscibile cuincit concupiscentiam. Quapropter amantes, qui ex cæcitate id quod cupiunt, vt apprimè concupiscibile, & quid penè diuinum imaginantur, eo quod, vt habet Ptolomęus in centiloquio: *Amor, odiumque, ne vera eueniant iudicia prohibent, siquidem minuunt maxima, augent minima; hinc tertio eleg. Propert.*

Vt quod non esses, esse putaret amor. Et in Eclog. Theocry.

Quæ minime sunt pulcra, ea pulcra videntur amori.

Fit ideo, vt coram nimium exoptato obiecto concupiscentia victa cedat, perinde atque oculus solaribus deuictus radijs hebet, nec tanti iubaris potens est. Atqui id, quod asserimus, non omnibus commune est amantibus, sed ijs duntaxat accidere credendum est, qui cupidinis intensissimo flagrant ardore, nec gignendæ modò pulchritudinis desiderio, sed contemplandæ magis exæstuant.

Rursus incenduntur non rarò homines erga mulierem quampiam, non solum præ illius forma, sed etiam in primis præ honestate, & pudore, quæ maiorem irretiendi vim habent, quàm formæ venustas, inde Marullus ad Neæram.

Nec formosa magis, quàm mihi casta places.

Cùm igitur sui potestatem præbet Eromena, honestate illa, quæ illaqueandi vim obtinebat maximam, denudatur; quo fit, vt amator libertatem exosus frigidus fermè in optatis euadat, libentiusque in priuatione, quàm in possessione amori deseruiat.

Cornelius Gallus de se ipso narrat, quòd cùm deperisset diu venustam, lepidamq; viraginem, non ita primò fuit à parentibus, auro corruptis eiusdem complexus tradita libertas, quòd statim suæ cupiditatis igniculos sentijt extinctos, adeo vt à blandicijs Veneris abstinuerit prorsus: hæc sunt Cornelij carmina;

Dant vitijs, furtisque locum, dant iungere dextras,
Et totum ludo concelebrare diem.
Permissum fit vile nefas, fit languidus ardor.
Vicerunt morbum languida corda suum.

Fuit mihi notus conciuis, iam iniuria fati nimis immaturè luce vitali cassus, qui, micabile dictu, si fortè vnquam, stimulante genio, cuilibet, quantumuis forma prælanti mulieri incubuisset, continuò re peracta odio truci sæuiebat in illâ; adeò vt nisi à consortio statim eadem abijsset, contumelijs, & sæpè verberibus lacessita cessisset; ideoque restabatur, se eas tantummodo diligere mulieres, quæ sæpius flagitatæ renuerant semper, ac repetitæ detrectauerant. Profectò in hunc lepidè sonabant illa Ausonij carmina:

Hæc volo, quæ no volt: illâ, quæ volt, ego nolo,

Vin-

Vincere vult animos, non satiare Venus,
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas,
Nec satiare animum, nec cruciare volo,
&c. Cujus etiam opinionis extitit Marullus de Leucothoe in epigram. dicens:

Odit Leucothoe, sed quò plus odit, ego illam
Plus pereo, quid si non ita acerba foret.
Blãda minus poterat hoc in me, callida vidit,
Et fugit, inuitam quò magis ipse velim.

En igitur rationes, ob quas amantes interdum cum exardere maximè deberent, frigent, ac torpent; quibus si addatur insuper, talem effectum à timore exoriri posse, nihil erit, quod vlterius lector desiderare possit. Nec timorem intelligo, quem e mortis dubio concipere possunt hi, qui clam illicitæ Veneris ineunt familiaritatem; verùm de animi perculsione loquor, ac metu, quem ex aspectu rei amatæ amantes experiuntur; siquidem ex Platonica Philosophia in conuiuio, à Ficino illustrata, qui amant, amati obiecti aspectum reuerentur. hæc sunt Ficini verba orat. 2. capite 6. *Hinc etiam semper accidit, vt amantes amati aspectum timeant quodammodo, atque reuerentur. Quod etiam fortes, dicam equidem, & si vereor, ne quis vestrum hæc audiens erubescat, & sapientes inquam viri coram inferiore quouis amato pati consueuerint.* Sed huic sermoni corollarium Cardanus apponat, qui 13. de subtilitate quæstionis propositæ obiter inquirens rationem hæc habet: *Nam voluntas contrahit spiritus, & ad superiora reuocat, & imaginantem facultatem, à qua maximè iuuatur Venus, impedit.*

Verùm tantæ calamitatis cupiunt fortè auidi Amatores medelas. Capiant. Minus in primis ament: rabidam voluptatem compescant. Non turbentur, non irascantur ob inanem confictum; Hinc enim concident magis Veneris instrumenta, quæ risum, & iocum postulant. Quiescant: dolere desinant: æstuantis cupidinis motum sedent: Cordis anhelitum placent. Interamica colloquia versentur. In aliud tempus mulcedinem exoptatam distrahant. Ita reuocata natura, resumpti spiritus inopinatò præsto erùt languenti fascino: ita extincta libido reuiuiscet, ac prostrata Priapi audacia resumet vires.

CAPVT X.

De clinopali nudipedali.

AVICENNA Tract. 4. capite toties nuncupato sic exarat; *Et de eis, qua experti sunt experimentatores est, quòd incessus nudis pedibus deijcit desiderium coitus.* Porrò id verissimum est, ideoque his, qui priapismo, ac tentigine infestantur, iubetur, vt nudis pedibus per pauimenta, seu lythostrota deambulent. Et huius euentus 4. sectione problem. adducit Aristoteles rationem his verbis: *Cur nuditas pedum obesse in re Veneream potest? An quoniam corpus, quod concubiturum sit, calidum intus, atque humidum esse debet, quale per somnum potius esse, quàm per vigiliam solet. Ex quo etiam celeriter, ac sine corporis agitatione semen dormientibus profluit: vigilantibus verò non sine labore prodit. Simul autem fit, vt & reliquum corpus tale existat, & pedes humidiores sint, atque calidiores. Indicium quod eum dormimus, pedes obtepescere solent, vt qui vnà cum infernis partibus, ita afficiantur. At nuditas pedum e contrario agit, siccat enim, atque refrigerat. Itaque siue impossibile, siue difficile sit, vt res agatur Venerea, nisi pedibus calidis, eam tamen nuditatem in vsu concumbendi incommodam esse, necesse est;* Hinc datus est Rhodigino locus lib. 15. cap. 6. nuncupandi clinopalin nudipedalem flaccidum, heberemque Veneris vsum. De sympathia pedum, & Genitalium partium egimus abunde alibi; quare non mirum, si præ nuditate refrigerati pedes torporem genitalibus communicent. Id experimento comprobant, qui Veneris indulgent furtis; cùm enim vel sequissima hyeme opus interdum habeant, discalciatis incedere pedibus, ne custodes calceamentorum quodam fremitu e somno excitentur, vbi ad rem descendunt aphrodisiam, sentiunt se quasi penitus impotentes; donec, refotis pedibus, genitalibus quoque refundantur calorifici spiritus.

Quæres, quid sit de capite decernendum, & huius etiam an sit aliqua ratio in concubitu habenda? Respondeo, quòd si verùm est, seminis maiorè portionem à cerebro ex Hippocrate, & ex parte oculis proximiore per Aristotelem delabi, valde refert, num tectum, vel detectum caput in Venere habeatur. Opertum siquidem faciliorem, ac liberiorem seminis defluxum aperit; nam ipsius capitis calorem fouendo seminis lapsum iuuabit. Atque insuper promptior inde virtus tam motiua, quàm sensifica genitalibus ad erectionem, ac voluptatem irradiabit. At contrarium accidet eodem nudato. Dicatur denique in cunctis naturæ operibus, quorum potissimum instrumentum calor est, præstare, si corporis particulæ foueantur.

CAPVT XI.

De Temporario eunuchismo, seu de antiquorum infibulatione, vbi plura, nec extrita ad veros Eunuchos pertinentia.

NON omnes, qui Venereis abstinent, & aphrodisio certamini vacare nequeunt, cœliomiæ sunt, aut naturali vitio frigidi; est & aliud eunuchismi genus, quod citrà testium euulsionem, allisionem, aut epididymidos vulnerationem, citrà vllam naturæ culpam, & genitalis torpedinem, ad tempus, & ad libitum instruitur, ac remouetur etiam.

Vocabatur ab Antiquis huiusmodi temporarius Eunuchismus infibulatio, & hac ratione ex Cornelio Celso libro 7. efficiebatur; *Cutis, quæ super Glandem est extenditur, notaturque vtrinque à lateribus atramento, quâ perforatur, deindè remittitur. Si super glandem nota reuertuntur nimis apprehensum est, & vltra notari debet; si glans ab his libera est, is locus idoneus fibulæ est. Tum qua note sunt, cutis acu filum ducente transuitur, eiusque fili capita inter se deligantur, quotidieque id mouetur, donec circa foramina cicatrices fiant. Vbi hæ confirmatæ, exempto filo fibula additur, quæ quò melior, eò leuior est. Sed hoc quidem sæpius inter superuacua, quam inter necessaria est.* Erat autem antiquitus huiusmodi infibulatio in frequentiori vsu; quandoquidem hi stri ones, comœdi, ac tragœdi, qui alta voce fabulas recitabant, ad votis tonum, atque concentum armoniosum conseruandum, Venereis voluptatibus renunciare studebant; quantum enim vocalibus organis insensum sit aphrodision, nos consultò infrà, vbi de morbis à Venere oriundis agitur, abundè declaramus; vt propterea non mirum, si Venusinus Vates musicæ studiosos Veneri interdicit:

Abstinet Venere, & Baccho, qui Pithia cantat.

Infibulationis meminere etiam Iuuenalis, ac Martialis; ille quidem satyra 6. ijs carminibus.

Soluitur his magno comœdi fibula.

Hic verò 7. lib. his verbis.

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit comœdis omnibus vna satis,

& rursus.

Dum ludit media populo, spectante palestra,
Heu cecidit misero fibula, verpus erat.

Nostris hisce tèporibus infibulandi vsus equabus tantummodo apud Veterinarios relictus est; quatenus enim iniri, & impleri non valeant, ab ijs aptata fibula vas genitale prestringitur.

A Porrò Celsus citato loco fibulæ vsum non modo ad vocem conseruandam, sed ad adolescentium quoque valetudinem tutandam commendat: etenim vt alibi à nobis dictum, intempestiuus epheborum coitus præter alia detrimenta, eorum congruo incremento derogat, vires exhaurit, & corpus ad senectutem infirmum parat, atque enervatum; quod Cicero in Catone edixerat his verbis: *libidinosa, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.*

B Mirum sanè, quòd ad vocis olim defensam, homines libidini renunciarent; nostra hac tempestate valde pauci sint, qui propter corporis valetudinem, qua nihil preciosius, vel, vt in Euangelio apud Matthæum Redemptor noster ait, qui se castrent propter Regnum cœlorum; hoc est fomitem retundant, & carnis illecebrosæ pruritum infringant; non autem sibi reipsa testes euellant; quod tamen aliquando factitatum fuisse à cattis viris, monumenta tradunt; Quin propter terreni Principis iram declinandam, atque inuidorum calumniam arcendam, apud Ethnicos non defuit adolescens, qui sibi ipsi audacter didymos excidit; quo modo suæ vitæ consuluit, opes maximas, ac supremam apud Regem existimationem adeptus est. Placeat ex Luciano de Syria Dea historiam exoticam simul, & periucundam registratam percurrere.

C *Seleucus Rex Assyriorum Iunonis placandæ causâ Stratonicem vxorem iussit in Syriam proficisci, ibique in Sacra Ciuitate construere Templum, ideoque & pecuniæ custodem, & exercitui Ducem, & Comitem Vxori constituit. Combalum formosissimum adolescentem. Is contrà diu, frustraque recusauit: etenim verebatur, ne tanti fauoris inuidia in suspicionem probri citò deduceretur. Itaque vt sibi metum illum subleuaret, audet facinus admirandum. Excæcat sese, & Virilia vasculo obsignat: deinde cum profectioneretur, Seleuco Regi diligenter commendat, & obtestatur tutum, integrúq. vt in reditum seruet: Tunc securis iter instituit. Vnde ei verò prima calamitas ex Stratonice: ardet ea amore adolescentis, postremò simulat ebrietatem, vt Combalo, si negaret, temulentia magis, quàm impuditicia videretur. Obstantem enim malis conatibus verecundiam ebrietas remouet, inquit Seneca. Veruntamen cum ea sic vrgeret, vt alioqui manus sibi allatura videretur: adolescens necesse habuit rem, consiliumque suum prodere, desisse esse virum, ne ei vir vnquam esse posset. Igitur amore in amicitiam verso deinceps quidem versatur cum eo confidentius, atque familiarius. Quapropter insimulatur apud Seleucum, Hatim reuocatur, habeturque in vinculis: postremò citatur reus. Rex coram Proceribus accusat eum, & adulterium commisisse, & fidem Domino violasse, & impie*

Digitized by Google

pie se gessisse erga Deum cuius opera, & cultui dum vacabat, tam spurca, & flagitiosa perpetrasset. Erant (vt fieri solet) qui vongratulandi causa, atque odio Combali affirmabant, vidisse se eum rem habere tum Stratonice, itaque & quia præsens nihil respondebat, damnatus est. Vbi verò ad supplicium trahitur, clamare incipit, se non impudicitiæ, sed Anaritiæ causa crudeli interfici: nempe quòd Seleucus intercipiat Vasculum, quod eius fidei commissum esse aiebat. Rex vt vitaret hanc suspicionem, coram omnibus Vasculum exhiberi iubet. Tunc Combalus aperto vasculo, & productis testibus non me debueras (inquit) ô Seleuce, accusare, apud quem erat Domi tuæ tam precisa desinlio. Itaque Seleucus cum admiratione reum legibus eximit: Calumniatores morte, (quia nunquam vxor apud maritum accusanda est, aut afferri debet manifestissimum crimen) Combalum præmijs afficit: maximè verò hoc Priuilegio, vt quotiescunque ei commodum videretur, nemine impediente, & licet inuocatus ad Regem accederet. Denique & aneas statua donauit, qua muliebri forma, tamen habitu virili in illo ipso Templo locata est. Sed qui deinde Eunuchi facti sunt, eos vestes muliebri indui placuit, videlicet à Combalo etiam occasione ducta, qui quòd eius desiderio mulier item alia depereret, mortemque sibi consciuisset, vbi eum eunuchum esse nouit, ne vlla amplius habitu, suoque sexu deciperetur, abiecto virili, muliebrem sumsit.

Sanè inibulatos in hoc Spadonibus præstare, existimo, quòd hi agoni sunt, inermes, inualidi, ad clinopalin parum alacres, ad generationem prorsus inutiles; nec tamen desideria eunuchizantes sua, Veneriisque militiæ cedunt; sed vt possunt rem obscenè peragunt, incestæque voluptati mancipantur. Etenim non deficit illos humor ille salinalis, qui fœminas, virosque in attrectatione Venerea demulcet, de quo Galenus 13. de vsu partium ait. Quòd autem non solum in Venerem humor hic meatum excitet, sed dum erumpit etiam delectet, ex hiscere præcipuè nosces. Planè liquidem tunc fœminis effluit, cum & ipsæ vehementer in coitu delectantur, & qui concumbunt, circa pudendum sibi eum perfundi percipiunt. Atque & Spadonibus illud ipsum voluptatem quandam afferre videtur, vt nullam post hac amplius probationem requirere debeas. Hinc apud Barbaros consuetudo inualuit, vt qui concubinarum, aut vxorum cubiculis famulari debent, non testibus modo, sed integro quoque veretro præcidantur. Quod & Scaliger exercit. exot. 175. testatur his penè verbis de Eunuchis loquens: Coeunt certè; nonnulli etiam valide, tametsi nihil emittunt; quæ fuit causa, vt Asianorum immanis barbaria progressus faceret in crudelitate. Exectus namque pueros cum fœminis custodes adhibuis-

A sent, eosque adultos postea cum illis in adulterio deprehendissent, flagitium illud à quibusdam commissum, in illis quidem mortis supplicio vlti sunt; in alys totius virilitatis amputatione. At verò, qui fibula spontanea obligantur, licet posispermati sint, validi, ac pancraticè confirmati non tamen coeunt, quia mollitiem prius in animo castrauerunt, mox corporis nequitiam, ac petulantiam præciderunt; vt enim Diuus Hieron. ad præcitatam Euangelij sententiam contra Iouinianum habet: mihi illi Eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas. Vt interim omittam, inibulatos nequaquam prauis moribus imbui, veluti Eunuchos, quos vel Apollonius Thianæus apud Philostratum incontinentiæ, & intemperantiæ addicauit; quemadmodum apud Diodorum Siculum Bibliothecæ historicæ lib. ij. ijdem insensati, malemorati, instabilesque audiunt; & apud Polemonem, immites ingenio, dolosi, facinorosi, atque sceleti obsignantur; tametsi Alciatus Eunuchos, quasi bonæ mentis dici arbitratur.

B

C

D

CAPVT XII.

An, & qua ratione mulieres castrari possint.

VIROS Eunuchos fieri, inuitò etiam, compertum vnicuique est, & nimis Tyrannorum quorundam immiti barbarie probatum: nam Plautianus ille, cuius apud Seuerum Cæsarem suprema erat auctoritas, auctore Dione Nicæo, centum Romanos ciues, nobiles viros domi excidi, atque eunuchari curauit: *Excidit autè*, inquit ille, *non solùm pueros, & adolescentes; sed etiam viros, quorum nonnullis vxores erant.* Verùm an mulieres quoque castrentur, & quatenus, non ita apud omnes constat. Porrò mulieres apud Germanos eunuchizari, sunt qui asseuerent; at plurimos regionis illius, & morum gnaros scisciratus, nihil certi, solidique expiscari potui. Scio tamen ex historica lectione Athenæi, Cœlij Rhodigini, & Alexandri ab Alexandro, Lydorum Regem Andramytim fœminas primum castrauisse, & illis Eunuchorum vice vsum fuisse; quod à Xanto quodam Lydio vetustiore Scriptore monumento traditum fuit.

Profectò brutorum quorundam fœminas uti chamelorum, & suum castrari, significauit Aristoteles vltimo libro, & capite de animalium historia; vbi hæc registrantur: *Aprix etiam Scrofarum castratur, ne præterea coitum appetat, sed breui tempore obsetur. Castratur autem cum biduo ieiunarit suspensa pernis prioribus, recisa cute inter femina, quà maribus testes maxi-*

mè

mè continentur; hæc enim parte adhæret vuluis apria dicta, cuius exigua parte abscissa consarcinant. Hæc Zoographus de porcorum fœminis, mox subiungit: *Cameli etiam fœminæ castrantur, cùm eis vti in prælio libet, ne concipiant vtero.* Rem quoad sues probat etiam quotidianum experimentum; siquidem sunt inter porculatores, qui fœminas eius generis innumeras nullo ferè labore, artificiosa industria, tutò singulis annis eunuchant, aperto, vt audio abdomine, & integro vtero extracto, vt mihi non multò ante ex visu retulit peritissimus Vrbis Chirurgus Nicolaus Larghes, Vir sanè doctrina, ac dexteritate nemini secundus, dum inter nos de muliebri Eunuchismo familiare sermocinium subrepsit.

At qua parte, quoue modo castrari possint mulieres, non ita facilè determinare licet. Marcus Antonius Vlmus in opere illo de fine Barbæ humanæ, vbi de Eunuchis plenè, doctè, atque eruditè ratiocinatur, in eam sententiam ire videtur, quòd mulieres castrari dicantur, cùm pars illa pudendi superior, quæ nympha nuncupatur, & in qua libidinis thronus, amorisq. sedis collocatur, reciditur; & hoc probare nititur auctoritate Aetij, & aliorum, qui secandæ huius particulæ modum ad libidinem infringendam describunt; quod etiam apud Aegyptios, non rarò contingere ob frequentem eius regionis mulierum petulantiam, testantur. Atqui recisio nymphæ nulla ratione castratio appellari debet; quando nulla inde sterilitas, imò nulla minor in Venere mulcebra exoritur.

Cæterùm de muliebri excisione non multos ante dies consulenti mihi perfunctoria quæstione eximium Vrbis Medicum Angelum Colium, Romanorum Iatrophysicorum omnium quasi vnum arbitrem, deque re medica non magis, quàm de philosophica optimè meritum, atque in solida Hippocratis doctrina versatissimum, responsum obiter tulit, non alio fortè modo, quàm excisio vtero mulieres castrari posse; eò quia, tametsi testes in illis vteri lateribus incumbant, non hæreant; ab vteri tamen excisione testes quoque euelli, necessarium fiat; quam eandem sententiam subolfeceram apud Marcum Antonium Vlmum, qui nihil penè intactum ad Eunuchismos pertinens reliquit libro illo omni eruditione cumulato de fine Barbæ humanæ. Atqui, vt verum fatear, vteri ipsius excisio non est propriè castratio, licet inde & omnimoda sterilitas, & omnis libidinis extinctio exoriantur ob simul euulsos testes, vasaque spermatica excisa: præterquamquod periculi plena, operosa nimis, atque truculenta censeri posset hysteriotomia, licet resecto utero mulieres superstites esse possint, vt graues tradunt auctores, & nos infra sequenti libro data opera quæstionem inseremus.

Nec rursus minus dira est, aut fortè minori periculo implicata testium muliebrium excisio à Galeno primo de semine proposita, vbi facta ad ilia vtrinque sectione testes excerpi significat; asscribam ipsius verba. *Non aduertunt enim, sicuti testes ea moderatione fuerint execti, vt Supergeminalis membrana intacta relinquatur, seminarium vas nulla lesione affici, inde tamen animal non tantum seminis generandi facultate (id enim ijs, qui Venere volunt abstinere, commodum remedium esse) sed virilitate omni, & vt diceret quispiam, masculinitate, hoc est masculo ingenio priuari. Pari modo si Fœmina sit, quæ id patiatur, neque in Venerem incitari amplius, neque virum, cotundi præsertim causa appetere, sed omnem prorsus fœmineam naturam amittere. Sues quidem Fœminas apud nos, non in Asia tantum, sed in superioribus etiam Nationibus in Cappadociam vsque execare consueuerunt: quæ similes omnes castratis euadunt, obæse admodum, ac pingues, earnisque suauitate alijs Fœminis, quemadmodum etiam castrati mares alijs maribus præstant. Non tamen ita tutò in Fœminis testium extractio administrari potest ob sedem in qua collocati sunt: Vuluarum enim lateribus ex vtraque parte adiacent ad arteriam, & venam, quemadmodum & Marium, Seminale Vas excipientes quid reuolutâ ipsis innectit; atque ad vtrunque Cornu pertendit: Vnde vtraque ilia scindere necesse est, si quis Fœminas castrare voluerit: Maiusque in hoc, quam in Maribus periculum est.*

At si chirurgi dexteritas, atq; peritia præstò essent, huiusmodi sectio fortè non maior foret prouincia, quàm paruam efficere paracentesin; nec locorum ad ilia vulneratio adeo periculosa est, quemadmodum vteri sectio, qui nexum, ac sympathiam cum toto corpore habet.

Verùm enimuerò tametsi nullo discrimine ist hæc testium apud mulieres exectio patrari posset, haud iccirco tamen ad Venereum voluptatem prurire desinerent, aut virum valde minus appeterent; Siquidem oblectantur mulieres non modo ob proprij seminis effusionem, verùm etiam, Hippocrate libro de genitura probante, ob virilis receptionem, & sui pudendi attritionem. Quin uteri totius substantiæ, multoque magis eius ceruici insita est a natura uirtus quædam titillans, ac uoluptuosa independens à testibus ipsis, adeo ut quamuis cessent isti insluere, maneat nihilominus mulcedo, & virilium cupido multo maior, quàm in viris exectis relinquatur, qui etiam coeunt, ac delectantur. Quamobrem si castrari debeant mulieres, vt sterilescant, non irritus erit labor; At si excidi curentur, vt Venerem auersentur, vtique opus ibit inane.

CAPVT XIII.

An possit quis per incantamenta, & maleficia ligaminis dicta impotens ad Generationem reddi.

QUAM vobiscum, o veneficę mulierculę mihi res erit: profilite vos, quæ longè magis, quàm viri in huiusmodi probra intenditis; nam ex maiori fragilitate, libidine, curiositate, credulitate, alijsque centum rationibus dęmonum colla iugo subiicitis, ruitis in sacrilega; vt iure ideo dixerit Plinius, fœminarum scientiam in veneficio prævalere; & Quintilianus, latrocinium in viro facilius, veneficium verò in fœmina reperiri. Accedas huc ergo maleficarum turba nigra, turma putens, tuaque sæuas artes, technas impias, vatramenta, quibus iuuenum phalanges perdis, nectis, obstringis, refera; ac demum quantum in te possit libidinosus ardor, eructa palam; Tu namque philtris primò amantium pellicis animos, illosque ad infandas deflectis illecebras, ad sensuum impuras torques blandicias, ad quas vtique nisi Dęmonum vi, qua miserè vteris, nequicquam accerseres; tanta est corporis tui turpitudo, morumque fœditas. Hinc Propertius querebatur in eleg. cuictum se non à specie formæ, aut animi virtutibus, morumque lepore, sed maleficio:

Improba non vicit me moribus illa, sed herbis
Staminea Rhombi ducitur ille rota;
Illum turgentis rana portenta rubetæ,
Et lecta e fœtis anguibus ossa trahunt.
Et frigit inuentæ per busta iacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta viro.

At mox vbi vides Amasium tuis impuris cupiditatibus obtemperantem, vtroque cedentem, quoniam semper amori illicito iuncta zelotypia est, verens, ne cuiuis alteri venustate, animique splendore præstantiori adhæreat; tuisque iccirco lasciuijs haud plenè satisfiat, eum veneficio contaminas, pacto mito cùm dæmone, quatenus nulli prorsus alteri, quàm tibi valeat inhærere; proh scelus! vah nequitiã! adeò vt si forte melioris mentis compos honesta petat connubia, illico frigeat, omnique deseratur potentia; quò pertinet illud eiusdem Propertij eleg. 12.

Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est.

Vel etiam dum tuis voluptatibus obnoxium habere desperas, efficis maleficè, vt cunctis alijs displiceat impotens, aut saltem alicui; & vt illi præsertim, cuius flagrat amore, nequeat incubare.

Porrò non est nostra hac tempestate ex maleficijs frequentius aliud, quàm hoc, quod vulgo dicitur ligaminis; ideo vt pluribus in locis hac de causa obtineat consuetudo, solemnia matrimonij clam tacito noctis tempore, paucorum interuentu celebrari, ne quis aut inuidus, aut malignus coniugum votis illudat; hoc autem experientia quotidiana satis constat, quando sæpe videre est, virum paulo ante Veneri aptissimum, repente impotentem fieri; vt necessarium proinde fuerit, canones edicere, legesque sancire contra veneficas mulierculas, quæ verbis, alioue modo frigidum hominem, vt aiunt, & maleficiatum reddunt; ita tamen vt Sacrosancta orthodoxa ecclesia post triennium fieri permittat matrimonij dissolutionem inter virum impotentem, & mulierem aptam, aut exaduerso. Quin sæpè etiam contingit, vt callidę hæ dęmonum famulæ, & lurida instrumenta coniugium consummari annuant, postmodum verò non amplius tractari posse, contendant. Id à Propertio queritur loco nuper citato, dum ait.

Tam multa illa meo diuisa est millia lecto,
Quantum Hispanis Veneto dissidet Eridano,
Nec mihi consuetos amplexa nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram, non illo tempore cuiquam
Contigit, vt simili posset amare fide.
Inuidiæ fuimus. Numne Deus obruit? An quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?

Conciuis iuuenis, qui Romæ studiorum tempore conuiuebat mecum (nomen silere placet) cùm à semiuetula mulierecula Bononiensi, quæ parum à domicilio distabat, nullis precibus, nullisque blandicijs ad voluptatem pellici valeret, ab eadem indignabunda sic delusus est. Cùm animaduertisset enim, & ab ore ipsius iuuenis expiscata esset, eum cum formosa puella Venereum consortium adhibere, adeo forti ligamine obstrinxit, vt nullis imposterum auxilijs amasiæ potuerit admiscri. Huic infortunium deploranti sæpè Cornelij Galli occinebam carmina iocosè potius, quàm in eiusdem consolationem:

Erubui, stupuique, omnes verecundia motus
Abstulit, & blandum terror ademit opus.
Contrectare manu cœpit frigentia membra;
Meque etiam digitis sollicitare suis.
Nil mihi tot penti, nil tactis profuit illis.
Restitit in medio frigus vt ante foco.
Quæ te crudelis rapuit mihi fœmina? dixit
Cuius ab amplexu fessus adarma redis?

Sed nunquid mirabile non est, id quod à Diuo Antonino, & ab alio etiam fide digno auctore narratur, euenisse Romæ tempore Henrici III. Im-

Imperatoris scribit enim, fuisse in Vrbe iuuenem quendam locupletem ingenuis parentibus ortum, qui recens duxerat vxorem, qua vt solet, occasione amicos, & sodales plurimos opiparo exceperat conuiuio; Cumque nuptiale conuiuium hilares perfecissent, egressi sunt vnanimiter in campum quendam palæstricum, vt luderent pila; sponsus ipse ludi rector pilam expetiuit, & ne sponsalitius anulus aut excideret, aut situ, ictuque pilæ labefactaretur, inseruit illum digito cuiusdam statuæ Veneris æneæ, quæ in proximo stabat erecta. Cùm autem post ludum ad simulachrum illud reclinaret, anulum repetiturus, inuenit digitum, cui anulum immiserat vsque ad volam recuruatum, adeo vt licet multum conatus, eum reducere, ac recuperare nequierit: non enim digitum erigere, aut explicare potuit. Simulato casu redijt ad sodales; sed nocte inrempesta sodalibus, amicisque dimissis reuersus est iterum ad idolum cum famulo, vt cuiusdo digito anulum redigeret; sed mirum! digitum reperijt vt ante extensum, sed tamen sine anulo. Quocirca valde admiratus, iactura dissimulata, ad sponsam regressus est, cùmque genitalem thorum ingressus illi sese ad voluptatem iungere vellet, impedimentum sensit: quidam enim nebulosum, ac densum inter suum, coniugisque corpus volutari experiebatur, quod totum quidem sentire, videre autem non poterat; simul autem audiebat vocem in suis auribus insonantem: *mecum concumbe, quia hodie me desponsasti: ego sum Venus, cui digito anulum inseruisti, nec reddam.* Tanto prodigio exterritus neonymphus nihil referre audebat, sed multa secum reuoluens duxit integram illam noctem insomnem, ac præter opinionem amarulentam; ingens enim, & effusa primis duntaxat complexibus solet Neogamos mulcere voluptas. Factum est autem, vt idem portentum quotiescunque misereri nitebatur, miser experiretur, diuque maneret secretum; quousque vxoris impulsus querimonijs rem parentibus detulit, qui habito concilio, Palumbi cuiusdam presbyteri necromantis auxilio miro quodam, tetroque modo illū ab infausto ligamine exemerunt. Quem sanè modum si quis intelligere cupiat, legat verba Diui Antonini, quæ sunt prorsus huiusmodi.

Illi, scilicet parentes, *habito concilio Palumbo euidam presbytero suburbano rem pandunt, is autem erat necromanticus, & in maleficijs potens. Illi ergo promissis multis compositam epistolam dedit iuueni dicens, quòd illa hora nocte ad compitum, vbi quatuor via conueniunt, & stans tacitè, considera. Transibunt ibi figuræ hominum vtriusque sexus, omnisque ætatis, & conditionis equites, & pedites quidam læti, & quidam tristes, quicquid audieris, non loquaris: sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens: huic tacitus*

A *epistolam tradei legendam, statimque fiet, quod postulas. Ille autem iuuenis totum impleuit, prout edoctus erat. Viditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio, mulam inequitantem crine soluto per humeros iactato, vitta aurea superius constricto, aureum virgam gerentem in manibus, quâ mulam regebat: præ tenuitate vestium pene nuda apparebat, gestus exequens impudicos. Vltimus Dominus turbæ terribiles in* B *iuuenem oculos exacuens ab axe superbo, smaragdis, & vnionibus composito causas viæ ab eo exquirebat. Nihil ille contra, sed protenta manu epistolam ei porrigit. Damon notum sigillum non audens contemnere, legit scriptum, moxque brachijs in cælum eleuatis. Deus, inquit, omnipotens quam diu patieris nequitias Palumbi Presbiteri? Nec mora satellites suos à latere mittit, qui anulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiuersata vix tandem reddidit. Ita iuuenis voti compos sine obstaculo potitus est diu fuspi* C *ratis amoribus. Palumbus autem, vbi dæmonis clamorem ad Deum audiuit de se, intellexit sibi præsignari finem dierum. Quocirca omnibus membris vltro truncatis miserabili pœna defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia.* Hactenus Diuus Antoninus, auctoremque facit Vincentium Belluacensem.

Hæc autem referre libuit ad rem nostram ceu portentosa quædam; sed nihil est, quòd miremur, quando vafer ille misanthropos Asmodeus potens nimirum est. Quamobrem negari nequit, quin pessimæ lamiæ, spiritus nequam ope, miseris iuuenibus imponant, ligentque, soluantque ad libitum varijs technis, & impostoris; quandoquidem si coeundi impotentia naturaliter accidere potest infrigidatione, castratione, elisione, exiccatione, alijsue causis; multò magis à dæmone, qui cunctas naturæ nouit vires, applicante actiua passiuis affectus idē, ac defectus immitti poterit; immo etiam hic multò maiori facilitate, breuiori spatio temporis, & fermè insensibiliter, quàm natura ipsa, quæ agit in tempore, non sine præuia alteratione, sensu, & dolore, id genus impedimenta patrat. Possem vtiq; plurimos recensere casus, quorum D tamen alterū, vt breuitati consulam recolam ex Marian. 6. rerum Hispanic. 2. vbi sic legitur. *Theodorico Burgundia Regi Vuitterici Hispaniæ Regis filia pacta, in Galliaq principali apparatu missa, breui ad patrem integra redijt. Causa in incerto fuerunt; fama tenuit, Theodoricum pelicum, quibus ad insaniam vsque deuinctus erat arte, & carminibus impeditum, ne regia virginis florem delibare posset.* Lege si lubet Martinum Delrium 3. disquisit. magicarum.

CAPVT XIV.

Quo pacto à Dæmone coeundi, ac generandi impotentia immittatur.

QVIS valeat cacodæmonis penetrare fraudes? Quis eius prodigiosas inuestigare vias? Aut quis dolosæ nequitiæ assequi consilia? Petite fugam mortales miseri: ab insidijs cauete vobis: frigidus latet anguis in herba, incautis daturus læthalia vulnera: artes discite. Profectò non tot residunt in fundo maris arenæ, quot Dæmon luridus modos obtinet, quibus hominibus, Deo tamen permittente, noceat perpetuò. Vt ideo maleficij ligaminis rationes, quibus vtitur ille, plenè assequi nemo valeat. Auctor Dæmonomaniæ quinquaginta, & plures enumerat formas, quibus malus Angelus maleficarum intuitu ligulam nectit. Ab alijs verò ad septem solummodo capita restringuntur. Asserendum tamen est, immundi spiritus rationes ad Veneris importentiam cuipiam inserendam alias esse portentosas, naturales alias. Portentosæ quidem existunt innumeræ, vt quum is aliquo interposito obstaculo virum adhærere mulieri prohibet, vt in casu enarrato superius ex Diuo Antonino contigit; vel cùm imaginatione depraua tacit, mulierē odisse in præsentia, quem deperit in absentia: vel cùm de ludens visum genitalia repræsentat deformia, impura, tetrica, putibunda: vel cùm hæc ipsa coituris abscondit; vt proinde deficiente instrumento nequeant operari, & similia mille. Naturales verò rationes; idest quæ fiunt via naturæ, plures & ipsæ sunt, de quibus nobis hic erit agendum.

Prima quidem est, si vitales spiritus ad membra generationis inhibeantur permeare: nisi enim spiritus illabantur, seminis liquatio fieri nequit; vel si prohibeat, semen ipsum in corpore generari, eo ferè modo, quo Physici naturalibus auxilijs aliquando illud intercipiunt: vel si seminis elaborationem permittat quidem natura, sed tamen illud sic mortificet, aut congelet, vt neque pruriendo, & titillando, neque liquefcendo, & exeundo Veneri deseruire possit: vel & si neque impediat, neque mortificet: nihilominus è seminalibus vasis insensibiliter extrahat, eo ipso modo, quo elicit, dum in gratiam alicuius sagæ incubat illi, vt Veneream voluptatem impertiatur; vel etiam si non extrahat, corrumpat, exiccet.

Secunda ratio est, si testes Dæmon labefactet, vt iccirco velut Eunuchus quispiam redditus, congredi nequeat; item si extrahat, si atterat, si mortificet. Tertia ratio est, si virilem virgam, adeo flaccidam præstet, vt nullis admissuris, & fulcimentis intendi, erigique valeat: atque hic est sanè modus omnium expeditior, ac frequentior. Inculcat verò hanc penis segnitiem impurus Dæmon ea via, qua naturaliter solet accidere; nempe vel per intemperiem, vel per trahentium chordarum virtutem præpeditam, apponens actiua passiuis. Verum dices hic, quo pacto mulier fit ad Venerem impotens? Respondeo primò, quòd mulier dici potest impotens fieri ad generationem, dum suum quidem vas genitale viro commodat; sed ipsa nec sensum voluptatis habet, nec semen effundit. Secundò impotens euadere dicenda est mulier, quando obseratur ei, vel nimium coarctatur genitale orificium, quare vi nulla colis insinuari possit: qui quidem affectus cùm interdum naturaliter accidat aut propter ossium arctitudinem, aut etiam locorum Sarcoma, poterit, nemini dubiū, inculcari nullo labore à malefico Satana.

Sed quid? An credendum est, efficaciam vllam inesse ligulæ, quam nectunt Magi certis quibusdam verbis prolatis ad ligandum, quo pacto vulgus credulum putat, virgam lupi illum, cuius nomine ligatur, obligare, & stringere? Et an insuper fides vlla habenda erit extrinsecis quibusdam imposturis, ac ceremonijs, cuiusmodi sunt ex Arnaldo de Villanoua testiculi galli suppositi lecto cum sanguine; nucem, vel glandem separare, & ponere medietatem vnam ex vna parte viæ, & aliam ex alia parte, ex qua sponsus, & sponsa debent venire; rursus fabas quasdam adhibere, quæ neque aqua calida molliescant, neque igne coquantur: insuper vti acu, quæ mortui consuti sunt, & quibusdam caracteribus cum sanguine vespertilionis exaratis. Respondeo non ligulę vlli, non verbis, non lupi virgæ, non fabis, non testiculis, non acui funeratæ, nec sanguini vespertilionum, alijsque similibus quisquilijs vim vllam inesse maleficij, sed hæc omnia, & consimilia solùm existere signa, quibus Dæmon, quo cum perditi homines pacti sunt, arte sua vocatur ad maleficandum. Vel dicendum est, esse vti aliquas ceremonias, quibus Dæmon ad votis maleficarum fauendum inclinatur. Quapropter Paulus Ghirlanda de sortilegijs prudenter id monuit his verbis: *Non tamen tibi persuadeas, quòd ex sola illa imagination obseruantia, & ceremonijs absque alia factura, & maleficio possint huiusmodi infirmitates in dictis humanis corporibus exoriri, quia hoc esset ridiculum credere, sed fiunt posita venenorum compositiones, & conficiunt mixturas maleficijs.*

Verum enimverò huiusmodi ligamina sunt in duplici differentia; alia enim sunt vniuersalia, respectiua alia. Primi ordinis existunt ea, quibus aliquis præpeditur, ita vt nulli penitus mulieri misceri valeat, qua ratione multatus dicitur

tur Amasis Ægypti Rex. Secundo ordinis verò sunt maleficia, quæ respectu vnius, aut alterius pectunt potentiam, cæteris omnibus permittunt, quomodo Theodoricus Rex affectus fuit, qui poterat quidem cum concubinis agere, cum vxore verò nullo modo. Præterea hæc ipsa maleficia alia dicuntur temporaria, alia perpetua. Temporaria sunt, quæ ad statum quoddam tempes perdurant, & naturalibus, licitisque auxiliis auferri possunt; perpetua verò, quæ multi irrationabiliter negarunt, sunt quæ ad mortem usque perdurant, nec nisi diabolo volente exolui possunt; hi sunt igitur modi, formæ, signa, & conditiones, quibus utitur Misanthropos ille Dæmonolignominis maleficium componens.

A

B

CAPVT XV.

Quibus indicijs dignoscatur affectus naturalis impotentiæ à maleficio.

POSSE aliquem impotentem ad Venerem euadere naturali dispositione, manifestum utique est. Medici enim huiusmodi affectum quotidie curant. Sed posse, insuper à maleficio unum quemlibet id crimen excipere, identidem probatum supra est; Verum enimuero cum nihil dissimilis oriatur affectus iste, si à Dæmone, quàm si à naturali procedat ægritudine; quæri ideo debet, quibus notis distingui possit, num à natura, an vi supernaturali fabricata sit impotentia; nam vt 6. Epidem. ait bonus ille Cæsmar Hippocrates, similitudines vel doctissimis in arte viris sæpissimè imponunt, eius verba sunt: *Bonis autem medicis similitudines pariunt errores, ac difficultates*; quocirca meritò Plato in Sophista, & Aristoteles in Topicis scribebant, humanæ sapientiæ cardinem esse, rerum dissimilium similitudines, similium dissimilitudines nosse. Ne igitur frustra medicus elaboret, dignoscat prius necesse est, num affectus impotentiæ maleficio constructus sit nec ne; vt enim vel Cornelius Gallus in eleg. testabatur:

C

Non intelletti nulla est curatio morbi. vt reliquam Hippocratis, & Galeni repetitas passim sententias, mittentes, exactam morborum cognitionem tam necessariam esse ad curationem, vt sit prorsus impossibile hanc absque illa moliri rectè posse.

D

Nituntur itaque non pauci morbos à maleficio his caracteribus distinguere. Primò quidem maleficus desiguatur morbus, dum adeo est incostans, vt in eo medicus vel peritissimus hæsitet, nihil certi autdens de illo affuerare. Secundò quando cunctis naturæ adhibitis auxilijs morbus non modo nihil remittitur, aut mitescit, sed exasperatur potius, & intenditur. Tertio quando de repente cum vehementibus vndique symptomatibus morbus accedit. Quartò dum æger dolentem, & ægrè affectam partem haud videtur designare posse, sed corpore vniuerso langueat. Quintò si luctuosa ab ægrotante suspiria absque manifesta causa emittantur. Sextò aliqui in cordis regione punctorium dolorem, & lancinationem sæpe percipiunt. Septimò renum non nulli, colique dolores intèsissimo afficiuntur, & vexantur nulla medicamentorum ope leniente, & alio modo adminiculante. Octauò denique, corripiuntur alij sudoribus quibusdam frigidiusculis, leuioribus, frequentioribus, cum totius corporis depressione, aut etiam consumptione: alij cruciantur articulorum dolore, infixis conficiuntur animi tristitijs, ignotis torquentur curis: virium imbecillitate langueſcunt, specie dedecorantur, mentis quadam stupiditate, ac tenebricoso delirio premuntur, similibusq; centum absque causa prestringuntur noxis, quas pluribus Codronchius libro de morbis Veneficis prosequitur.

Atqui hæc, si illor, nullo pacto morbum à veneficio declarant, seu distinguunt, quando eadem accidentia, pleraque saltem naturales etiam morbos concomitantur, nec magis veneficę, quàm naturalis dispositionis caracteres existunt; quod ita persuasum velim. Nam, quod primò dicebatur, morbum oriundum à maleficio inconstantem esse, certumq; non habere typum, ac periodum, id profectò pathognomonicum eius signum dici non potest; siquidem naturales etiam non pauci morbi fiunt inconstantes, nullumque seruantes ordinem. Hinc 3. Aphor. 8. Hippocrates: *In temporibus constantibus si tempestiuè tempestiua reddantur, morbi constantes, & boni iudicij fiunt; in inconstantibus verò inconstantes, & mali iudicij*. Simili modo si maleficæ ægritudines occultę sunt; naturales etiam morbi occulti, & obscuri non rarò accidunt ex eodem Hippocrate, qui de his dicebat: *De occultis opinio magis, quam ars ipsa iudicat*. Quod secundò dicebatur, maleficum morbum remediis naturalibus nec leniri, nec vinci posse, id sanè eius proprius caracterismus dici nec potest; siquidem quot videmus naturę morbos integros annos perdurare, atque antiquari? De his loquebatur Hippocrates de locis in homine cum dicebat: *Antiqui morbi difficilius curantur, quàm recentes; verum morbos antiquos prius, recentes facere oportet*: quibus verbis Hippocrates insinuauit, quàm sit arduum naturę quosdam morbos debellare, qui cum ipsa vita inueterascunt; ideoque ab eodem ipso prudentissimo Hippocrate, quidam morbi dicuntur connutriti, eo quod alimentum ferè cum corpore ipso, & pabulum receperunt; de his dicebat

bat ille: *Morbi connutriti in senecta, & per concoctionem, & per solutionem, & per rarefactionem desinunt.* Et sunt ex ijs nonnulli, qui nullo ex his tribus modis exolui possunt, cuiusmodi sunt congeniti multi, & quamuis non congeniti, extant non pauci, qui nullatenus profligari possunt, quantum vis natura laboret, insudet medicus, viresque naturę omnes adhibeantur, de quibus noster idem senex aiebat libello de arte: *Quum igitur Lomo morbo afficitur, qui vehementior est, quàm medicina instrumenta, ne sperare quidem oportet, vt à medicina exuperetur.* Quod satis venustè cecinit edoctus Ouidius 1. eleg. 4. ad Ruf. his metris.

Non est in medico, semper releuetur vt æger;
Interdum docta plus valet arte malum:
Cernis, vt e molli sanguis pulmone remissus
Ad stygias certo limite ducat aquas.
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Quin hisce ægritudinibus auxiliares manus adjungendas negabat Hippocrates. Prętereaquàm rebelles, & contumaces sunt morbi, qui ab humore melancholico dependunt? Hi namque perpetuis auxilijs non modo non subiugantur, verùm augentur, & concitantur magis; quod vel Plato in Timæo testatus est, asserens huiusmodi affectus medicamentis irritari, & acerbiores euadere. Non sunt igitur malefici morbi duntaxat, qui non cedant auxilijs, curatique pertinaces insistant. Nec pari modo ex eo quod præcipiti violentia malefici morbi inuadant, à naturalibus distinguuntur; quandoquidem, & qui naturaliter contingunt maxima cum celeritate interdum grassantur, quò pertinet illud Hippocratis. *Non enim morbi de repente hominibus accidunt, sed paulatim collecti aceruatim apparent*; particula etenim illa, aceruatim, impetum, & violentiam denotat inuasionis; Adhuc minus distinguit id, quod quartò loco dicebatur, nimirum in venefico morbo ægrotantę affectam partę ignorare; nã prætereaquàmquòd 1. Aphor. habetur: *Quicunque dolentes aliqua parte corporis magna ex parte dolores non sentiunt, ijs mens ægrotat*, Scien dum est, quod intemperies aut est æqualis, aut inæqualis, dum est æqualis, nullum ex Galeno dolorem, ac sensum parit peculiarem, sed corpus totum æquanimiter afficit, & premit. Cùm itaque in morbis etiam à naturalibus causis proficiscentibus contingere possit, & mentem ægrotare, & æqualem adesse intemperiem, pari modo his affecti certum affligionis locum signare nequibunt. Cæterùm luctuosa quoque, suspiria iam pridem naturalibus morbis inflicta sunt; vnde Hippocrates in aphorismis. *In febribus non intermittentibus luctuosa suspiria malum.* Cordis dolor naturalium etiam causarum effectus est iuxta Hippocratis sententiam 4. aphorismorum: *In febribus circa ventriculum vehemens ardor, & cordis morsus, malum*; item eodem loco: *In febribus acutis conuulsiones, & circa viscera dolores validi malum.* Insuper coli, & renum dolores, lancinationes, æstus, articulorum cruciatus, mentis stuporem, alienationem, macies, dedecorationes, extenuationes, & similia centum, quis neget naturalibus morbis familiaria esse accidentia? sicuti etiam sudores, animi deiectiones, terrores, ac tristitias? Nempe corporis humani humores ad eum putrefactionis gradum deuenire possunt, vt venenatam acquirant auram, ac delethericam qualitatem, vti quotidie videre licet in febribus malignis, in quibus apparent symptomata ijs consimilia, quæ à veneno producuntur, & sępe etiam longè deteriora. Quòd si in malefica noxa demum omnia sunt occulta, imperuia, obscura, & reconditа, necnon affectus non una facies est, non tenor unus, sed accidentia pene insolita, fraudolenta, horrifica, implicata, & undique perplexa, scilicet hęc omnia in morbosis naturæ passionibus contingunt ex æquo. Quorsum enim dictum ab Hippocrate putatis quod: *In morbis est quid diuinum?* nisi ut moneret, in affectibus naturę reperiri quid obscurum, incognitum, secretum, imperscrutabile? Ecquis amabo sęuę pestis accidentia, prę ceteris impia, horrenda, lacrymosa, miseranda, infausta in causis naturę non admiratur? Profectò maleficium, aut ueneficium, quantumlibet sæuum pestilętiam non æquat curis, quas in Oedipo Seneca complexus proclamabat:

O dira noui facies lethi
Grauior letho! Piger ignauos
Alligat artus languor, & ægro
Rubor in vultu, maculæque caput
Sparsere leues, tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus vrit,
Multoque genas sanguine tingit,
Oculique rigent, & sacer ignis
Pascitur artus: resonant aures,
Stillatque niger naris aduncæ
Cruor, & venas rumpit hiantes.
Intima creber viscera quassat
Gemitus stridens: tunc amplexu
Frigida pręsso saxa fatigant.
Quos liberior domus elato
Cusłode finit petitos fontes,
Aliturque fitis latice ingesto
Prostrata iacet turba cadentium,
Oratque mori; solum hoc faciles
Tribuere Dei.

Non tantas, nec tales maleficia infligunt ærumnas; haud itaque sunt illa maleficij tecmeria signa.

Quid igitur? Qua ratione Veneris impotentia ex maleficio distingui poterit à naturali segni-

gnitie, & morbosa frigiditate? Porrò uenefi- A
corum, & maleficorum morborum notis reli-
ctis in genere, si quæ sunt, ligaminis maleficium
ab impotentia naturali sic discernere fas erit.
Quotiescunque iuuenis aliquis quadratus, aut
uir athleticæ complexionis, roscidi, uiuacisque
coloris, quique Venerem sæpius fuerit exper-
tus, de repente, nulla præuia ægritudine in im-
potentiam incidit, hic à maleficio potius, quàm
aliunde factus ineris censendus est. Dixi, nulla
præuia ægritudine; quia si fortè paulo ante
morbosum quid uel in renibus, uel in uirga,
uel etiam in toto corpore passus esset, aut etiam
si excedente, & immoderata Venere usus foret,
hinc impedimentum exoriri, suspicari possemus;
& infirmitates enim, & libidinis copia frigidos B
reddunt homines. Rursus dum quis colem sa-
tis intendit, & genitalem pruritum vndequaque
persentit, & cùm voluptati fauere, præsente
muliere, consilium est, flaccescit, & frigescit, hic
meritò ligaminis maleficio multatus credi po-
test; multoque magis si manibus hymenæum
celebrans aptè, ac voluptuosè genituram fun-
dat, iaciatque; dummodo id à seminis arescen-
tia, & concretione, vt supra significauimus,
Donati Marcelli opinionem destruentes, non
proueniat. Adde, quòd ligulæ argumentum
euidentissimum erit, si quis cum vna muliere,
& pluribus commodè misceri valeat, cum
determinata verò nullo modo possit; si quis ad- C
hærere queat adulteræ, vxori nequeat; id nam-
que non nisi Dæmoni acceptum referri debet, si-
quidem natura nulli præstat virtutem sic. deter-
minatam, & limite obsignatam, sed quantò ma-
gis potest amplam, ac diffusam.

Fortè dices, cùm naturæ viribus, vt plurimum,
ac venenosis qualitatibus vtatur Dæmon ad ma
leficia, cùmque uis omnis naturalis, quæ necessa-
riò agit, semper agat; nam, ut est Philosopho-
rum axioma: idem, ut idem semper est aptum
producere idem, quomodo fieri potest, ut qua-
litas hæc respecto unius tantum, & non omnium
impotentiam inferat? Respondeo id contingere
ex Dæmonis arbitrio, qui ut maleficæ mu-
lierculæ, cui blanditur, morem gerat, naturæ
uirtutem, dum placet, finit operari impoten-
tiam eum hac, uel illa; dum verò non est opus,
uirtutem illam suspendit. Enimuerò spiritus
nequam, qui inuisibili modo, & in instanti suas
edit operationes, potest ictu oculi qualitatem
cuipiam inferre, quæ uel flaccidum reddens pe-
nem, vel semen extinguens, illum impotentem,
& marmoreum ad Venerea paret; ictuque oculi
eandem virtutem auferre valet.

Denique poterit ex eo ligaminis maleficium
comprehendi, quòd illo affecti deterius habent,
tristantur magis, ardentiùs appetunt, & mens
non integrè constat; quibus omnibus addi potest
suspicio, quæ erga aliquam maleficam haberi po-
test, quòd illi, vel eius familiari libidine inclina-
re noluerint. Quòd si fortè fortuna ligaminis
maleficium sit cum præsentia dæmonis, hic enim
interdum non illata vi tantum, sed præsentia af-
ficit, præter diuinarum rerum, sanctarumque
reliquiarum odium, dignoscetur præclaro hoc
experimento, si fides habeatur scriptori. Collo
suspendatur purum argentum viuum arundine
inclusum; statim enim, si præsens malus spiritus
est, mercurius ipse niger penitus euadit, alio-
quin integer, & concolor permanet; vnde etiam
à nonnullis antidæmonium creditur.

CAPVT XVI.

An sint vlla præseruatiua, & curatiua remedia maleficæ impotentiæ, seu contra Dæmones naturæ auxilia.

REBVS naturalibus vim omnem
admendam esse, quæ aduersus
panurgos Dæmones, eorumque
nequitias agere valeat, affirma-
runt multi, nec infimæ classis au-
ctores, præter quos rationes quo-
que huiusmodi esse possent. Primò quidem, quo-
niam omnis actio fit ab excessu agentis supra
passum, vt passim Auerroes, & Philosophi om-
nes edisserunt; igitur naturalia, quæ vndequaque
magis imperfecta, & omnimodè inferiora sunt
Angelis, horum potestati resistere, aut aduersari
nequicquam poterunt, nec prorsus vi repellere
noxas ab iisdem illatas; dictum est enim de na-
tura spirituali in Iob. *Cui nulla super terram
potestas est, quæ comparetur, qui factus est, vt
nullum timeat.* Secundò quia inter agens, &
patiens debet esse proportio, vt apud Physiolo-
gos vnanimiter in confesso est. Iam quæ potest
esse proportio inter materiale, & immateriale,
inter corpus & spiritum, corruptibile, & incor-
ruptibile, compositum, & simplex, purum, &
impurum, terrenum, & cœleste? Profecto nul-
la; Igitur virtutes naturæ dæmonum viribus ne-
queunt obsistere. Quin dato etiam, quòd inter
has naturas inesset aliqua proportio, nec enim
denegabimus cœlestium, ac terrestrium com-
munionem, seu harmoniam; explicari non pos-
set, quonam pacto res naturales in substantiam
spiritualem vim suam exercerent. Nam cùm
agentia naturalia per qualitates tamquam per
debita instrumenta operentur in potentias pas-
sibiles, quæ nimium distant ab Angelica natura,
vtique hæc pati, & illa agere ad inuicem non va-
lebunt. Patet hoc, siquidem sequeretur, quòd
Angelus ab iisdem qualitatibus, à quibus pati-
tur, posset quoque corrumpi; ab iisdem enim à
quibus patimur, corrumpimur etiam. Tertiò
quic-

Digitized by Google

quicquid patitur à contrario patitur; atqui Angelo nihil est contrarium in rerum natura; est enim ille pura substantia, substantiæ autem ex Aristotele nihil est contrarium; eatenus autem res pugnant, quatenus contrarias obtinent qualitates, quarum ratione elementis perpetuò inest litigium, dum

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis
Mollia cũ duris, sine pondere habentia pondus.

Et hæ, & similes multæ ordinari possunt rationes, quæ opinionem hanc astruant.

Verùm nec desunt ex altera parte grauissimi auctores, qui rebus naturalibus in Dæmones vel excellentem tribuant actionem; quod experientia instar omnium rationum suadere nituntur, & quidem testante Philosophorum Principe: *relinquere sensum propter rationes debilis ingenij est.* Quamobrem cùm suffumigijs, amuletis, periaptis, aut similibus alexipharmacis indies appareat perspicuò, fugari maleficos dæmones, igitur eorum in hos efficacia negari non debet, atque adeò annuendum Cornelio Celso dicenti: *Vbi rei mediocris fidem facit experimentum, abijciendæ sunt rationes.* Quid igitur in his duabus diametro pugnantibus sententijs decernendum nobis erit? Porro nec eos, qui rebus naturalibus in Dæmones vim omnem auferunt, auscultare debemus, neque ijs prorsus assentiri, qui rebus naturæ corporatis omnem penitus efficientiam in eosdem cõcedunt; vtraque enim assertio falsa est.

Dicendum itaque primò erit, actionem duplicem esse, alteram primariam, seu directam; secundariam, seu indirectam alteram. Actio primaria vel directa est, quæ manat ab agente principali, vt fluit ab intrinseca virtute, seu potentia interna, insita à natura; vt exempli gratia potentia ignis, à qua primariò emanat actio calefaciendi, & exurendi. Secundaria verò est, quæ procedit ab agente instrumentali minus principali, operante in virtute agentis primarij; huiusmodi est exempli gratia calor, quiin virtute ignis, cuius est instrumentum, operatur; & isthoc agens non est per se ad agendum idoneum, nisi à virtute agentis primarij regatur, & sublenetur: siquidem in allato exemplo calor, qui est ignis instrumentum, nulla ratione posset ignis producere substantiam per se, & primariò; nam accidens nequit attingere productionem substantiæ, estque pariter impossibile, vt aliquid producat id, à quo dependet in esse, in existendo, & in operando; At satis potest in virtute substantiæ ignis, cuius dicitur organum; qua ratione quotidie videmus calorem, & siccitatem ignem excitare.

Censendum secundò est, maleficos morbos non ita à Dæmone immitti, vt nullas adhibeat causas naturales, quarum cùm ipse scientissimus existat, potest ad libitum ijsdem vti, & sæpe etiam ijs, quarum virtus ignora nobis est; quippe qui vires naturæ arcanas, & reconditas callet cunctas, habetq; in amplissui potestate eiusdem thesauros. Quapropter Dæmon cùm in aliquem struit maleficium, diuersimodè operatur iuxta affectus diuersitatem, quem intendit inculcare; ideoque hoc vel illud adhibet pharmacum potius, quoniam hoc vel illud vim habet pariendi morbosum symptoma, quod velit intrudere; id quod vel ex eo probatur, quod nimirum palam obseruare est, veneficis morbis affectos varias, ignotas, insuetasque vomere materias, quas cacodemon sagis maleficis arridens clam in corpus insinuat.

His modo ita positis contrariæ sententiæ relatæ conciliantur, si dicatur, nullam rebus naturalibus agendi vim primariam inexistere contra Dæmones, quæ ab intima, & propria earum potentia fluat; inesse tamen secundariam, quatenus videlicet agunt instrumentaliter virtute scilicet maioris operantis, puta ipsius Dei, à quo eleuatur potentia naturalis ad agendum contra Dæmones; perinde ac ignis propriæ qualitates instrumentaliter elicere possunt e subiecto aliquo formam eiusdem ignis. Quo circa naturæ vires virtute Dei, cuius vt instrumenta sunt, poterunt in Dæmones actionem suam extendere; ita tamen, vt agens primarium, & per se putari debeat supernaturalis causa, ipse nempe omnipotens Deus. Verùm dices, si hoc esset vnaquæque res naturalis posset expellere, aut eruciare Dæmones; Cùm enim res naturæ nequaquam propria virtute, sed solum agant vt instrumenta, indifferenter à Deo assumi poterunt quælibet res ad agendum. Respondeo agentibus indirectis, & secundarijs haud esse denegandam omnem prorsus actionem, sed ijs etiam vis aliqua modica licet, ac satis diminuta concedenda est; alioquin quodcunque instrumentum cuicunque Agenti inseruiret, quod est falsum euidenter, & absurdum; non enim ignis frigore potest per se producí, nec siccitate aqua, sed proportionatis, & naturæ consonis virtutibus ad illum, & non ad alium effectum à natura paratis, & expromptis, ut calido, & ficco ignis: frigido, & humido aqua. Id quod in agentibus quoq; artificialibus ueritatem habet; non enim unicuique artifici idem opportunum est instrumentum, sed aliud fabro lignario, aliud fabro ferrario, sutori aliud commodum est. Quare in instrumentis ponì saltem debet aptitudo illa, cuius gratia dirigatur ab agente principali determinatè. In casu itaque nostro cùm rebus omnibus naturalibus isthæc aptitudo non insit, sed aliquibus tantùm, quibus a Deo ab initio creationis data est, iccirco non omnia indifferenter, vt instrumenta in Dæmones assumuntur à primario agente. Prientissimus enim Deus cùm ab æterno præuidisset, turpem Dæmonem naturæ humanæ futurum infensissimum, rebus naturalibus ab ipso creatio-

nis

nis primordio vim quandam suppeditare voluit, quæ eundem terrere, atque etiam cruciare possemus; alioquin spiritus nequam ingenti inuidiæ liuore infectus vniuersi decorem iam diu destruxisset. Reuelauit ex his virtutibus vnam Angelus Tobiæ vt cap. 16. Tobiæ legitur, postea quàm exenterato magno illo pisce, cor, hepar, & fel sibi seruari fecit; & cùm interrogaret Tobias, obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quę de pisce seruari iussisti, & respondens Angelus dixit ei. *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum seu à viro, seu à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.*

Atque tali pacto admittenda est experientia secundæ classis auctorum, & primi ordinis argumenta negatiuam partem astruentia; quæ nihil aliud probant, quàm res naturales vim nullam habere primariam in Dæmones agendi; obtinere tamen secundariam; quod experientia probatur, neque vis rerum naturalium in Dæmones extendi debet. Hoc tamen intelligendum est, me arbitre, quoad actionē in tenebrarum spiritus, qui cum præsentia corpus lædunt, atque molestant; alioquin quoad effectus, qui ab illis protinus appli cando actiua passiuis, immittuntur ex naturæ viribus, quarum exactam, & plenissimam cognitionem tenent; aio, res naturales obtinere in illos actionem primariam, & per se, eo prorsus modo, quo vnumquodque pharmacum primatiò, & ex se expugnare potest ægritudinem à naturalibus causis oriundam; seu quomodo antidothum quodlibet potens est, venenum à corpore deturbare. siquidem agitur per contraria naturæ; Quoniam vero virium naturæ ignari nescimus quid sit illud, quod à Dæmone ad maleficium corpori immissum est, & consequenter quid contrarium applicari valeat, ignoremus; hinc est, quod naturalibus auxilijs quàm pauci liberantur, & à maleficis morbis exoluuntur. Quinimo licet etiam dignosceretur vis malefica à Dæmone intrusa, atque etiam antidothus illam destruens, minus tamen solueretur morbus; quandoquidem immundus, & perperus Angelus, sic permittente Deo, ipsius pharmaci virtutem suspendere valet, & alio quouis modo impedire, negat? Quò fit vt plurimum, quòd ad Maleficas ipsas confugiunt vexati homines, illis enim cùm naturæ virtutes, docente Angelo nequam, apertæ sint quandoq; ideo earum expetitur auxilium, quod aliquando præstant quidem, sed ne virtus reueletur, per Dæmonem inuisibiliter apponi curant. Quamuis ego sim huius opinionis, pura; quòd hæ maleficæ mulierculæ nullam prorsus harum reconditarum naturæ virium scientiam obtineant, ita vt ipsæ aliquando propriis manibus & legant, & applicent; sed quòd illarum arbitrio Dæmones adhibeant easdem, vel dum fabricant, vel dum destruunt maleficium; adeo vt ipsarum Veneficarum cantiunculæ, murmurationes, gesticulationes, caracteres, insufflatus, & similia sint quædam præludia, quæ Dæmones loco ceremoniarum expoſcant, atque ijs veluti propitios tartareos reddant spiritus.

CAPVT XIII.

Quæ sint istæ res naturales, quibus Demones, eorumque maleficia deturbantur.

ENON mihi id consilij est, vt res omnes naturales angelo nequam aduersantes in vnum colligam, & conferibam; nam integrum retexendum foret volumen; præterquàm quòd sunt etiam in rerum natura virtutes plurimæ nobis ignotæ. Seligam tantummodo, & adscribam celebriores, & magis efficaces, hoc ordine seruato, vt primò herbas, & plantas recenseam: Secundò lapides: Tertiò animalia, eorumque partes: Quartò composita pharmaca. Quintò spiritualia auxilia superstitionibus omnibus omissis. Vt igitur exordiamur. Dioscorides libro 1. capite 102. tradit, Rhamnum expellere Dæmonum morbos; ista fermè sunt eius verba: *Fama est, ramos huius valuis, fenestrisue impositos veneficia expellere.* Verbascum, quod tapsus barbatus vulgo dicitur, eadem vi præditum esse creditur, vt refertur ex Apuleio ab aliquibus.

Spina alba dicta eandem virtutem obtinet, quò pertinet illud Ouidij 6. fastorum:

Sic fatus Spinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.

Optima Valeriana præ cunctis alijs efficacissima creditur, cuius in hoc energiam frequens comprobat vsus.

Agrestis ruta à multis: thapsia ab Amato Lusitano commendatur. Plinius Peoniam dæmonum ludibrijs arcendis, vt efficacem laudat: idem Dioscorides Scillæ vim tribuit eandem libro 2. capite 163. cuius uerba illa sunt: *Scilla tota in limine ianuæ suspensa mali medicamenti noxam arcet.* Et hinc factum esse crediderim, ut à Pharmacopolis in ipso limine suspendatur, aut iuxta fores detineatur. In Dioscoridis notha de Artemisia sic legitur: *Si quis in pedibus ferat, lemures abiget.* Idem fertur de Pentadactilo, Buphtalmo, Peonia, & marina quercu. De alysso idem Dioscorides libro 3. capite 87. hæc testatur: *domibus appensa saluturis esse creditur, & hominibus, atque animalibus fascini amuletum.* Aristoteles in problematum sectione 20. rutam exaltat, redditque rationem quandam, quæ haud multum satisfacit mihi. Sic enim ratiocinatur: *Qua de causa rutam fascinationis re-*

medium esse aiunt? An propterea, quia tunc esfascinari se credunt, cum aut voraciter edunt, aut incommoditatem aliquarum tenentur suspicione, aut cibum habent suspectum, quem capiunt? Itaque cum de mensa eadem, qui priuatè sibi assumunt, participem intuentem quempiam faciunt, affanturque, cum imperitant, ne me fascines: ergo cibum cum perturbatione sument, nec quid bibent, aut edent sine turbatione, & flatu, qui vnà hauriatur, & ingeratur. Quamobrem flatu ipso, vel cum extrudendus effertur, cibus quoque vna elatus ejicitur, vel cum interclusus per humorem tenetur, tormina mouentur, & cruciatus. Igitur ruta præstitata vi sua, & potestate calefactoria, vas quod recipit cibos laxat, & reliquum corpus itidem afficit, ex quo fit, vt flatus ille interclusus transmitti, atque secedere possit. Hactenus Aristoteles. Plinius, & alij in hunc usum recolunt hypericon herbam, quæ proinde dicitur fugadæmones. Herba sacra apud eundem Dioscoridem, quæ peristereon dicitur, eadem facultate donatur, uerba sunt hæc libro 4. capite 21. *Sacram vocant herbam, quoniam multum ad amuleta, expiationesque commendatur.* Vulgari nomine apud seplasiarios hæc ipsa herba djcitur uerbena, quo nomine recolitur à multis, ut maleficijs aduersa; ideoque legitur apud Propertium libro 4.

Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba sabina focos,

Et apud Horatium 1. carminum.

Hic viuum mihi cespite, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque.

Idem traditur de lichni herba, de Arthemisia, abrotano, semine herbæ paridis, aliisque multis, quas videre est apud Codronchium; quę quidem omnes recensitæ herbæ absque controuersia nostri mæ sunt. Solum de spina alba, Bedeguar ab Arabibus dicta, non omnes conueniunt; aliqui enim putant, illam esse cardum, quæ vulgo dicitur carlina; aliqui, & Fuchsius in primis, credit, aliam esse a cardis speciem. Vide si placet Matthiolum proprio capite. Arbuteæ frondes ab Ouidio 6. fast. his versibus celebrantur contra striges, quæ nocte vagantes percutiunt, suffocant, dilacerantque pueros.

Est illis strigibus nomen, sed nominis huius
Causa, quod horrendas stridere nocte solent.
Siue igitur nascuntur aues, seu carmine fiunt,
Nemiaque in volucres falsa figurat aues.
In thalamos venere Procæ: Proca natus in illis
Præda recens auium quinque diebus erat.
Pectora exorbent auidis infantia linguis,
At puer infelix ægit, opemque petit.
Territa voce sui nutrix accurrit alumni,
Et gigida sectat inuenit unque genas.
Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
Esse solet ferus, quas noua læsit hyems.
Peruenit ad Granen, & rem docet: illa timorem
Pone: tuus sospes, dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas, flebant materque, pater q;
Sistite vos lacrymas, ipsa medebor, ait.
Protinus arbutea postlex ter in ordine tangit
Fronde, ter arbutea limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, & aquæ medicamina habebant,
Extaque de porta cruda bimestre tenet.
Atq; ita noctis aues extis puerilibus; inquit
Parcite, pro paruo victima parua cadit.
Cor pro corde precor, profibris sumite fibras,
Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic vbi libauit profecta sub æthere ponit,
Quique adsint sacris respicere illa vetat.
Virgaque ianalis de spina sumitur alba,
Qua lumen thalamis parua fenestra dabat.
Posti illud neque aues cunas violasse feruntur,
Et rediit puero, qui fuit ante color.

Præterea addatur in gratiam Paracelsistarum, omnia, quæ signaturam habent, valere aduersus Dæmones, & maleficia; hinc Osualdus Crollius ipsius Paracelsi opinionem de signaturis commendans, ideo peoniam ad maleficia, & spiritus malos valere affirmat, quoniam semen est in modum crucis, vaginis inclusum; ideo hypericon, quoniam flos crucis modo insignitur; ideo herbam paridem, quoniam folia crucis figura, & semen cruce signantur; ideo quoque rutam, quia solia crucem ipsam pariter representant.

Hæc autem paulò fusius relata volui, vt vires arbuti ad maleficium expellendum significarentur, necnon ritus antiquorum in huiusmodi expiatione morbi recolerentur. Cæterum facultas eadem tribuitur Palmæ christi, scordio, aristolochiæ; Asteratrico, marrubio, anetho, salui ę, fœniculo, chamepiti, iuę, cyclamino, cupressui, & similibus multis. Adde ex Dioscoride radicem leontopodij amatorijs veneficijs pro desse collo appensam. Tandem de allio illud referre iubet, quod Serenus Medicus cecinit olim.

Præterea si forte premit strix atra puellos
Virosa immulgens exertis vbera labris,
Allia præcepit tundi sententia vecti,
Qui veteri claras expressit more togatas.

Atque hæc satis de plantis, & herbis, quibus addatur ex Arnaldo, radicem brioniæ gestatam, vniuersa maleficia abigere, & cum, qui portauerit radicem Eryngij, nunquam insidias alicuius dæmonis sustinere; immo addit Arnaldus, si subfustibus dæmoniaci ponatur ista radix, dæmoniacus confitebitur quis est, quod est, & vnde est, & egredietur. Sit veritas apud ipsum

CAPVT XVII.

De quibusdam gemmis, & lapidibus Dæmoni, cuiusque maleficijs arcana proprietate, aduersantibus.

NATVRÆ admirabilis quædam virtus in omnibus quidem eius effectibus relucet, inde Philosophus 1. de partibus animalium graphicè scripserat: *In omnibus natura numen, & bonestum, pulcrumque inest ingenium*; Ecquid? an minimum licet in orbe terrarum magnam speculantibus admirationem non affert? Quis enim, vt relinquamus maiora, non admiretur apicularum industriam, formicarum prouidentiam, bombycum artificium, miraque similes operas in pusillis, despectis, & e putri sæpe deductis animalculis? Sapienter sane Heraclitus in casa furnaria sedens dicebat: *Ne huic quidem loco Dij desunt immortales*, annuens, vbique reperiri, quod contemplemur, & admiremur. Quod cùm ita sit, mirum non erit, si virtutum admirabiles excessus in lapidibus, gemmisque inueniantur; ideoque multi existimarunt, iltiusmodi lapillos peculiari quadam cœlorum, ac stellarum aspectu, non autem ordinario influxu coalescere, & in nitorem tantum, ac decorem excrescere, in quibus videre est aliquando alicuius Planetæ faciem impressam, aut alterum quamque figuram insignem, regiam, sacram, & allo quouis modo excellentem. Refertur à Plinio, & alijs, Pyrrhum Epyrotarum Regem Achatem habuisse, in quo expromptæ à natura nitebant nouem musę, vnà cum Apolline medio pulsante lyram. Quid illud Platonis 2. de Republica? nunquid, si non est omnino fabulosum, omnem excedit admirationem? Gygis nimirum anulum, incluſi lapidis beneficio inuisibilem gestantem reddidisse, si ita vertebatur, vt ad palmam delitescceret; manifestum verò omnium oculis præstitisse, si sursum iterum lapis reuoluebatur, atque eiusdem ope, & virtute Lydiæ regno illum potitum esse. Adhuc præstantius est, lapillos quosdam, & gemmas gestantis referre animi pathemata, pallescere, obscurari, nitescere, exardere, speciemque aliam contrahere iuxta deiectionem, seu mœrorem, hilaritatem, seu lætitiam animi; aliasque penes gestantem excitas mutationes. Sic tradunt, lapillum, qui Græcis cyanos, vulgo torchina, nuncupatur, tunc nitorem deperdere, cùm quis illum gestans vtitur Venereis. Albertus plurimas recensęt gemmas, amorem, odium, gratiam, inuidiam, similesq; non paucas afferentes passiones. Legimus etiã lapidem reperiri, qui gestatus ore potens est, vt quis inediam sustineat, viuatque sine cibo diu. Vt proinde cùm tot scateant virtutibus gemmę, iure Moyses ab ore Altissimi præceperit, Summi Sacerdotis amictum duodecim illis pretiosissimis exornari lapillis, non ad ornatum modò, & magnificentiam, sed etiam vt ab innumeris affectibus vindicaretur Sacerdos, quos lapides illi arcebant protinus, multisque insuper insigniretur virtutibus, quas ijdem communicabant cominus. Quò circa nec erit incredibile, aut falsum reputandum, lapides aliquos non minus, quàm herbas fugare Dæmones, vimque illorum infringere maleficam, Quod vt quibusdam auctoribus probemus, initiabor exordine.

Sardius lapis, qui primum in veste sacerdotali tenebat locum, auctore Baccio, contra maleficia potens est amuletum. Chrysolithus & ipse sinistro alligatus brachio maleficis impostoris illudit; hinc Marbodeus Gallus:

Esse phylacterium fixus peribetur in auro
Contra nocturnos fortis tutela timores,
Pertusus setis si traijciatur aselli
Dæmonas exterret, & eos agitare putatur,
Traiectum leuo decet hunc gestare lacerto.

Sed hunc gestationis modum puto superstitiosum; nam cur setis aselli potius deuinctus, lenoque gestatus brachio istam virtutem exerat? Porrò agens naturale vbicunque reperiatur ex necessitate agere debet, nullo discrimine loci, partisquo differentia. Marbodeus idem commendat & alias gemmas: nam de Adamante sic ait:

Et noctis lemures, & somnia vana repellit.

De corallo.

Vmbras dæmoniacas, & Thessala monstra repellit.

De Gagate.

Idem dæmonijs contrarius esse putatur,
Vincit præstigia, & carmina diræ resoluit.

Dioscorides 4. capite 113. Selenitem lapidem gestatum amuletum esse tradit, & fortassis impotentiæ coeundi prœsto est in primis, quod colligi potest ex ijs verbis, quę subiungit auctor, videlicet: *Arbores adalligato eodem frugiferæ restituuntur*. Idem Iaspidos omnes celebrat ad amuleta, ideoque Marbodeus:

Et sicut perbibent phantasmata noxia pellit

Codronchius de Ætite, & Smaragdo hoc idem affirmat. Refert ex Stobęo Martinus Delrius, in Nili flumine lapillum inueniri, qui cùm primum Energumeni naribus apponitur, dęmonem abigit; sit fides penes illum.

CAPVT XVIII.

De remedijs contra Dæmones, & maleficia ab animalibus, eorumque partibus desumptis.

NON minor ineſt animalibus virtus, quin etiam tantò maior, quantò minimũ quoduis animal cunctis herbis, & lapillis excellentia præit; vt enim in omnibus naturę quędam elucet virtus, ſic inanimatis diuinum quid olfactatur; vt inde meritò diceret Plato, in animalium generatione diuinitatis radium emicare. Age ergo deſcribantur hic ad noſtrum vſum animalium virtutes, quibus maleficia detrudi, eminusque pelli valeant. Fiat initium à Chameleonte, cuius hępar à Georgio Villichio his verbis probatur.

Chamaleontis hepar toſtum necromantica pellit
Appenſum collo.

Ronſſeus Miſcellan. epiſt. 22 nititur rationem aſſerre, cur vngula aſini ſyluęſtris, vel domeſtici profit ei maleficij generi, quod ad Venerem reddit impotentem, aitque, id ex eo contingere, quoniam huiuſmodi animalium natura valde eſt ſalax: omne enim par, inquit ille, confortat ſuum par, addítque, hanc aſini ad libidinem propenſionem ad vngulas demigrare eo modo, quo virtutes multę animalium ad ſoleas deſcendunt ex Razis opinione, vt ad vngulas anteriorum pedum vaccarum vis lactis prolifica; ad mularum vngulas uitium ſterilitatis, & ſimilia. Verùm hęc Ronſſei, vt liberè proferam, ratio nimis inſulſa eſt; ſiquidem, ſi hoc eſſet uirtus eadem ineſſe deberet cunctis alijs animalibus ad Veneré procliuioribus. Quę magis libidinoſa animalia, quàm ſus, felis, ſimia, equus, hircus? Neque horum tamen aut ungulę, aut alię particulę creduntur Venerem excitare, aut ad illam impotentem ſoluere. Prętera falſum putarim, ut ſupra in Tractatu de naturis libidinoſis obſeruari poteſt, Aſinum omnium animalium eſſe ſalaciſſimum, nam in uere ſolùm, uti cętera animantia Venerem expetit, eiuſque reditu naturę igniculos, & genium explicat, nec præ cęteris libidinis ęſtus oſtentat, aut exercet; ſunt enim plura, ut apud Ariſtotelem legitur de hiſtoria, quę in Venere furiunt magis, & ut ille ait, efferantur. Profectò aſini temperies frigida eſt, & phlegmatica; ideoque Ariſtoteles 8. de hiſtoria animalium capite 25. illum frigoris impatientem eſſe teſtatur, necnon in morbum incidere, qui dicitur Malida, quod uitium in capite oritur, facitque, ut per nares pituita multa, rufaque effluat, & ſi ad pulmones ruat, interficit; non ergo in phlegmatica, frigidaue complexione ea poteſt ſalacitatis eſſeueſcere flamma, quam ponit Balduinus Ronſeus, quod uel ex ipſo inceſſu, pigritia, inertia, & quodam quaſi lethargo eius animalis colligere quilibet poteſt; nam ſtupiditas, & ſtoliditas ſoboles ſunt frigiditatis, quam ſępe nomine aſini exprobrare ſolemus. Cęterùm cur paſſeris, & columbæ, aliarumque ſalaciorum aunum uel ungulæ, uel pennæ ligaminis huius maleficium non deſtruunt? Rationabiliter igitur cum pleriſque alijs dicendum erit, vngulæ virtutem aſininæ occultæ proprietati aſcribi debere, ſicuti ex occulta, & arcana proprietate herbæ, & lapides qualitatem huiuſmodi obtinuerunt. De Aſino itaque à Georgio, qui ſupra ſic dicitur:

Infantum cunas pellis villoſa defendit,
Horrificoſque metus pellit & ipſa ſimul.

Id verò non de quocunque aſino intelligi crediderim, ſed peculiariter de Indico, cuius eſt illa vngula, qua Reges Indiarum vtebantur pro crateribus, aliſque menſarum inſtrumentis, eo nimirum conſilio, vt ſi fortè appoſitum foret venenum, quod regalibus conuiuijs frequens miniſtratur, ab eius vngulæ virtute debellaretur.

Sed quid illud? An Satanicum eſt commentum, ſanguinem menſtruum alicuius domus inunctum poſtibus magorum omnium artibus maleficis, & inſidijs doloſis præcludere aditum? Id perſuadere conati ſunt multi, ex eo, quod in Liuonia cùm nimbis, ac tempeſtatibus Dæmones graſſarentur, ac demolirentur etiam locos, & agros, lacus quidam ſolum permanebat à procellis immunis, eo quòd in eo infantulorum recens natorum cruor abluebatur. Atqui hęc magica potius.

Hyęnę neruos, ferunt multi, in vino cum thure epotos Veneris impotentiam ſoluere, ſic interalios Plinius. Eodem modo affectis officulum rubetę, quę eſt rana ſyluęſtris, prodeſſe aiunt, ſi redactum in puluerem exhibeatur in vino.

Lupi roſtrum veneficiorum, & maleficiorum celeberrimum eſt amuletum; quare Aegyptij illud effingebant, cùm tutum hominem à maleficijs deſcribere hieroglyphicè volebant; inde Pierius Valer. hieroglyph. 11. *Illud potius*, inquit: *referam, hominem tutum à veneficijs per lupi roſtrum ſignificari, quod perſuaſum eſt, id ſi portis præfixum fuerit; veneficia ei non obeſſe familiæ, quæ ædes illas inhabitet.*

De hoc lupino roſtro, aliſque animalium quorundam particulis teſtatur lepidè Ronſſeus his verſibus, curioſa materię raritate contextis.

Nec roſtrum virtute caret, nam munere quodam
Naturæ arcano depellit faſtina dira.
Si prius exuerum fuerit: mos binc fuit olim
An-

Antiquis Villa portis præfigere rostrum.
Quid? Quod dura cutis rigida cervice revulsa
Tristia dicatur depellere fascina posse?
Restat adeps pinguis celebrem saturnia Iuno
Quo fecit populus, dum vincla tragœdia curat,
Et linit obductos vittis hoc vngaine postes
Ante venit sponsus quàm optatus ad limina sponsæ:
Hinc quondã iuuenes illi, innuptæque puellæ
Instituere lusus fasios, atque annua festa,
Quod lamijs, strigibusque feris quoque subtulit ansam.
Turbandi nouiter nuptos, noxamq; ferendi,
Nomen & à facto sortita est Vnxia Iuno.
Quid referam cædes, aut quid data vulnera ferro?
Quidve cibis alijs dicam noua toxica mixta?
Dæmon homo est homini; sic nos vesana libido
Exagitans semper trahit ad genus omne malorum;
Sic Styrx dira oculos, & totos fascinat amens
Artus, ac lento consumit corpora tabo.
Horrendum facinus nimium, nil tale verentes,
Promeritosve homines violentæ obtrudere morti,
Et spoliare bonis. Sed magni rector Olympi
Antidotos homines docuit. Nam frontis hyæna
Noctiuagæ pellem perhibent arcere verenda
Fascina si gestet quisquam, tacitusque reseruet:
Sfercora quæ reijcit violenta ac morte peremptæ,
Ossaq; creduntur magicas depellere fraudes,
Et confert catuli nigri tinxisse cruore
Interiora domus, murosque obducere rubro
Incrustamento, vel fel suspendere tigni.
Lichenes tumidos celeris dromedæ, & resecare
Conuenit, & siccos seruare cubilibus amplis,
Quod strygibus fraudes adimant, & fascina pellant.
Atq; oculus dexter mustelæ includitur auro,
Posse teneris digitis aptatus reddere tutos
Dicitur à diris lamijs, strygibusque ligatos.
Creditur à multis torui seruata leonis
Pars caudæ prodesse viris, quos fascina vexant:
Fertur, quòd simili vi polleat vngula Pardi.

Picus auis comesta ex Cleopatra Veneris ligulam exoluit. Isaac, referente Codronchio, scribit, quòd si coniuges fel alicuius piscis, & maxime sargi, vulgo sagarini dicti secum habuerint in paropside, seu pixide iuniperi, & ex eo antequã somnum capiant supra carbones positos fumigentur, omnia euanescunt veneficia.

A Si fel caprinum in domo tua posueris, inquit Arnaldus, omnia Dæmonia fugient; cor vulturis ex eodem portatum, dæmonas, eorumque noxas deturbat. Cor cornicis maris si portetur à viro, & ab vxore cor cornicis fœminæ, feliciter semper ab his exercebitur Venus.

CAPVT XIX.

De compositis quibusdam antidotis in Dæmones, & maleficia.

B COMPOSITA multa medicamina, & antidota ad maleficam impotentiam leguntur apud Codronchium, qui ex professo eã tractauit; referam ego pauca tantùm, eaque tum efficaciora, cùm etiam magis vsitata, & quæ præsertim à Codronchio non describuntur. Verùm cùm ab Euonymo in thesauro medico, necnon ab alijs multis proponantur medicamina ex mercurio confecta, meritò primò hic videtur inquirẽdum, an, & qua ratione huiusmodi auxilium præsentaneum sit; militat enim in contrarium ratio ex Dioscoride libro 5. capite de argento viuo, vbi ille asserit, venenatam obtinere qualitatem, atq; adeo si ore assumatur interficere; quo circa cùm venefícus morbus à delethería quadam dæmonis cogiúta materia, ab eodemque immissa dependeat, si mercurius adhibeatur, adijcietur vis vi, venenum veneno; quod mortiferum erit. At C responsum primò velim adhanc non leuem difficultatem, quodlibet sanè pharmacum enecans venenum vim & ipsum habere venenatam, sed castigatam, & refractam. Nam non ne in theriaca carnis ineſt viperæ, & nihilominus theriaca mater medicinarum, & regina dicitur antidotorum? Lapis bezaar non ne in renibus hircocerui animalis Indici ex venenosis qualitatibus coalescit? Quid Aconito lethalius? quod confestim interimit, quodque ex Plinio capite 2. lib. 27. si genitale cuiuscunque feminei sexus animalis contingat; eodem ipso die interimit; quomodo Calfurnius vxores suas dormientes, exprobante Marco Tullio interfecit; & nihilominus aconitum salutiferum & ipsum est, venenumque expugnat; quandoquidem, vt citato loco scribit Plinius, aconitũ si vino calido assumatur, scorpionis venenum interimit. Nec silentio inuoluendum insuper est, ictui viperino præsens admodum, & cæteris efficacius remedium esse viperam ipsam exustam, vt Lactantio placet, & in cinerem redactam, vel vt scribunt alij caput eiusdem infractum, & vulneris oculo appositum; quod si verum est, vt verissimum esse, monuit experientia, idem omnino specie venenum

num erit veneno aduersum; vt relinquam alia multa, quæ adduci possent exempla. Quamobrem licet argentum viuum sit ex sui natura venenatum; poterit nihilominus aliud venenum euincere, hæc ipsum interim officiet, quoniam arte correctum erit, & corpus aliena primi veneni qualitate inuenit imbutum, vt ledere iccirco nequeat; namque, eodem Plinio docente libro illo 27. venenum ex sui natura catenus interimit hominem, quatenus aduersam reperit in eo qualitatem, qua cum pugnet; quare vt idem subiungit, si venenum intra corpus inueniat, dum decertant inuicem, vnum alterum extinguit, homine illeso remanente; hoc autem tali ratione contingit: Imbibitum prius venenum corpus alterat: quærit enim assimilare sibi, atque etiam vniuersum deletheria sua inficit qualitate: iam alterum de super venenum epotum dum & ipsum alterare, & sibi assimilare contendit corpus, necesse habet agere prius in prauam illam qualitatem à priori veneno inductam; ab hac enim progredi debet, vt sese in corporis intima insinuet. Cùm igitur interim ambo præliantur, natura ab ictibus prioris veneni liberata quiescit, neque inter duos perduelles hostes dimicantes interponitur: sæpe enim fit, vt medius inter duos belligerantes occumbat. Accidit autem, vt secundum epotum venenum dum agit, patiatur etiam: nam commune est omnibus agentibus in agendo repati; quamobrem & ipsum debilitatur propriam amittens energiam, adeo vt dum prius venenum superauit, aliud ex pugna, & repassione languidum, & imbecillum remaneat, vt ideo naturam turbare, & inficere nequeat, nec auisit. Modò animaduertens natura prouida suos hostes impotentes, infractos, atque omnino persistere imbecilles, viribus resumptis intrepida occupat inimicos, facilique negocio debellat, perimit. Hoc ipsum porrò in argenti viui exhibitione contingit, dum aliud prius ebibitum venenum est; quod quàm sit verum, ab Ausonio probari potest, qui de mœcha quadam narrat vxore; quæ cùm coniugem suum interficere consilium iniisset, uenenum esculetis immixtum propinauit; atqui uerita, ne ad interficiendũ satis foret, adiecit argẽti viui portionem; quo tamen nõ modo nihil prorsus offendit, verùm omni noxa liberum præstitit; Legendum est epigramma pulcherrimum sanè, & ad rem nostram accomodatissimum.

Toxica Zelotypo dedit vxor Mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc si quis: faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet, qui sociata bibit.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutifere:
Protinus & vacuos alui petiere recessus:
Lubrica deiectis quæ via nota cibis.
Quàm pia cura Deum: prodest erudelior, vxor,
Et cùm fata volunt hæc venena iuuant.

Profectò res clarius, & elegantiùs explicari non poterat, nec meo iudicio maiori robore fulciri, quàm doctissimis, & vndique philosophiam redolentibus Ausonij versibus; quare nihil vlterius ad rationem addo, vt probem, ex argento viuo compositum pharmacum esse maleficis morbis præsentaneum.

Marcellus Empiricus præscribit potionem contra omnia in cibo, & potu sumpta maleficia. Suffitus ex hyperico mœmè probatur ab omnibus. Hieronymus Mengus libro inscripto de remediis efficacibus ad malignos spiritus expellendos hunc proponit efficaciorem suffitum.

℞. Sulphuris.
Galbani.
Asæ fœtidæ.
Aristolochiæ.
Hypericonis, & Rutæ an. drach. 3.

Fiat ex arte suffumigiũ. Porrò Sulphur in primis ad expiandum suffitu malos dæmones efficacissimum creditum est; inde Ouidius de Medea.

Terq; senem flamma, ter aqua, ter Sulphure lustrat.

Idem oleum describit tali pacto parandum.

℞. Rutæ.
Saluiæ.
Anethi.
Cineris oliuarum.
Aquæ benedictæ an. partes æquales.

Bulliant simul omnia in oleo, mox benedicatur.

Apud eundem videre est compositionem ex elleboro albo, perforata, saccharo rosato, ac thure. Item compositionem seu decoctum florum genistæ, hypericonis, marrubij, iuæ, ruthæ, de quibus ille.

Non est enim hic mihi exorcistare consilium; verùm ad rem præsentem aliqua ex naturalibus remedia referre. An verò liceat soluere maleficia, & sanare maleficos arte maleficia, de Iure ciuili, vt exponit Ghirlanda, licet impunè; de Iure vero canonico nefas est. Quæres, an sicuti malefici artifices Veneris auferunt potentiam, ita etiam illam indeficientem valeant suppedita re, ita vt possit quis centies in die coire. Dico, id etiam ope dæmonum fieri posse; quod patet, quia sicuti Veneris causas præstringere potest, ita easdem augere, & roborare poterit; Cùm enim rerum naturalium peritissimus ille sit, cùmque multa sint, quæ semen copiosum producere, vasa implere, & penem erigere possint, illa eadem applicando libidinis facultatem fouere commode valebit; quod tamen ita intelligendum est, vt neutiquam putemus, posse aliquem dæmonis ope multoties in die congredi, semenque præsertim pro-

prolificum semper emittere, sed posse frequentissimè dura, ac tensa existente virga cum alicuius humidi effusione inutilis ad generationem Venerem exercere. Prima pars propositionis probatur, quia cùm semen debeat longa perfici coctione, egeatque tempore diuturno, antequam calor ita possit illud elaborare, vt facultatem prolificam recipiat, fieri non poterit, vt quis breui temporis interuallo sæpissimè concumbens semen perpetuò conceptu efficax eiaculetur; non raro siquidem accidit, vt dum quis panlò supra vires nititur in Venerem, crudum sanguinem pro semine fundat. Quapropter haud ibò inficias, quin valeat malus Angelus efficere, vt rigida mentula diu perduret flatibus, & calore iugiter illam distendendo, nec non humorem perennem possit ministrare, siue sit ille ichorosus humor, aut similis alter, qui inexaustò in quolibet congressu desinat; At nego humorem istum prolificum esse posse ex adductis rationibus. Nam facilè poterit ille facultatem fouendo, roborando, & confortando operari, vt multò citius sanguis excoquatur in semen; hoc tamen impossibile erit, vt possit in istanti perfici, quo fermè gigneretur, si centies quis coeundo semper emitteret semen virtute prolifica præditum: namque cùm sit genitura naturalis facultatis opus, cùmque omne agens naturale agat in tempore; fieri nullatenus poterit, vt ictu oculi vtile hoc excrementum vndique perfectum elaboretur. Quòd si ex Hippocrate libro 4. de morbis excrementa post cibum assumptum postridie per aluum secedunt, humor verò, idest sanguis effluit tertia die; profectò cùm semen sit sanguis vlteriori coctione dealbatus, proculdubio spatio quatuor dierum ad minus idem poterit effingi. Atque hæc adeò manifesta sunt, vt vlteriori non egeant probatione.

Quæres secundò, an huiusmodi mala, quæ dicuntur maleficia aliquando à Deo, & Angelis eius bonis fabricentur; & immittantur. Respondeo, quicquid effurlant alij, Deo permittente, & instrui, & immitti huiusceмodi morbos propter scelera nostra, operante tamen, ut instrumento angelo nequam. Neque enim adduci potero, vt credam, Deum & Angelos eius, qui genus humanum pijssimè iuuant, immediatè maleficos, & ueneficos insinuare morbos; etenim libro de morbo sac. Hippocrates redarguens ignaros illos circulatores potius quàm medicos, qui affectum epilepsiæ in Deum reiciebant, nec non incantamentis expiationibus curabant, hæc scribit: *Non tamen ego puto hominis corpus à Deo inquinari; sordidissimum scilicet à purissimo; verùm etiam si contingat ab alio inquinari, aut quid perpeti, cupierit vtique à Deo purgari; ac purificari magis, quàm inquinari. Deus itaque est qui maxima, ac scelerati ssima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit, ipsique terminos templorum, ac del ubrorum Dys designamus, vt nullus qui non purus sit, eòs trascendat, & ingressi respergimur non velut qui inquinemur, sed si quod etiam prius scelus habemus, purificemur.* Porrò verba hęc non ethnici ore digna sunt, & ab Hippocrate inscio veri Dei proferenda, verùm christianorum dignissima lingua, atque ab vno Apostolo Paulo recitanda. Cæterùm vt finem imponamus, Nicolaus Florentinus in hunc vsum laudat theriacam cum succo hyperici exhibitam, atque emplastrum eiusdem hyperici supra renes applicatum. Io. Vuierus commendat ad eundem effectum argentum viuum in calamo, aut anellanæ nucleo vacuo cum cera occlusum sub puluinari illius, qui maleficio læsus est, collocatum, vel sub limite ostij positum, per quod is in ædes, vel cubiculum intrat; inunctio totius corporis ex felle corui no, & oleo sesamino à pluribus commendatur ad Veneris maleficium, quam probare videtur Codronchius lib. vlt. imo capite vltimo, apud quem plura si quis desiderat, legere poterit. Nobis hæc satis.

CAPVT XX.

Vana quædam, poetica, astrologica, superstitiosa, & penè ridicula Dæmonum, & maleficiorum remedia.

QUAT si cuiquam videre placet, veterumque noscere vanitatem, ioci gratia, perlegat quæ olim ad maleficia destruenda erant in vsu. Initiemur à Poetarum figmentis. Homerus odyssea 10. scribit, herbam quandam, quæ moly nuncupatur traditam à Mercurio fuisse Vlissi in amuletum, ne Circen aditurus, socioscque in belluas commutatos redempturus, sagæ ipsius veneficijs caperetur; hinc Alciatus in emblem. vt solet erudite.

Antidotum Anæa medicata in pocula Circes
Mercurium hoc libaco fama dedisse fuit
Moly vocant: id vix radice euellitur atra;
Purpureus sed flos, lactis & instar habet.
Eloquij candor, facundiaque allicit omnes;
Sed multi res est tanta laboris opus.

Verùm id fortasse poeticum omnino non est, quando in Dioscoridis notha legitur, quod moly herba si secta radice feratur, veneficiorum, & fascinationis amuletum est, Plinius libro 25. capite 4. eandem contra veneficia efficacissimam describit. Theophrastus & ipse de historia plantarum 9. moly s virtutem recipit; ait enim capite 15. *Vsum eius contra veneficia summa.*

Item Alciatus emblemate 78. circulum quendam in quo auis motacilla claudatur his verbis pro-

proponit.

Ne dirus te vincat Amor ; neu fœmina mentem
Diripiat magicis artibus vlla tuum.
Bacchica auis præsto tibi motacilla paretur,
Quã quadriradiam circuli in orbe locet,
Ore crucem, & cauda, geminis vt complicet alis;
Tale amuletum carminis omnis erit.
Dicitur hoc Veneris signo Pagasæus Iason
Phusiacis lædi non potuisse dolis.

Meminit huius rei & Pindarus ode 4. sed an symbolo hoc Alciati, quòd attinet ad crucem, signentur verba illa Diui Pauli ad Galatas : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs?* Vide commentaria Claudij Minoris, & Francisci Sanctij super emblemata. Arnaldus de Villanoua sigillum effingit, quòd primum est, diciturque Arietis, quod, vt ait, in capite gestatum cum castitate, & reuerentia valeat contra Dæmones, & maleficia; verùm id, vti alia similia astrologica à vera sapientia reijcienda sunt, nec sanæ mentis quisquam huiusmodi vanitati fidem præbebit.

Varignana, Nicolaus, & Arnaldus auctores sunt, quòd si sponsus per nuptialem anulum mingat, soluitur ab impotentia Veneris, & fascino. E contrario si in amantis calceum (Cardano probante) stercus amatæ ponatur, vbi sentietur fœtor, amor soluetur; quò pertinet illud Ouidij 1. de remedio amoris.

Illa tuas redolens Phineu medicamina mensas,
Non semel est stomacho nausea facta meo.

Atqui risum intendite ad illa Alberti, qui philtrum, seu amoris maleficium dissolui testatur, si accepto amasiæ indusio per capitium eius mingatur foras, & per manicam eius dexteram. Addit idem, quòd amoris vincula disrupturus abire debeat in syluam, & prospicere vbi pica nidum habuerit cum pullis, mox ascendere arborem, & foramen, vbi pulli desidunt, circumligare vndique; euenietque enim, vt pica ilicet euolet, legatque herbam quandam, quę circumposita laqueis statim disrumpantur, decidatque simul herba ista in terram, quæ mox colligenda erit, ex qua deinde statim dissoluetur amoris nexus. Addatur ad calcem ex Alexio suffumigium illud superstitiosum non parum, quòd ex dente mortui hominis paratur, quoue ligatos indubitanter solui scribit; Vanum, sed non superstitiosum aliud ejusdem reputandum; quod nimirum si vir secum portauerit cor cornicis masculi, & mulier cor cornicis fœminæ, benè semper conuenient, nec ligulæ maleficio grauari poterunt, vt supra quoque annui.

CAPVT XXI.

De supranaturalibus, vel spiritualibus ad maleficia, Veneriſque impotentiam auxilijs.

SVBLIMIS ille Medicus, qui vt pius dicebat Mesue : *Sanat solus languores, & de frugalitatis solio produxit in largitate sua medicinam, benedictus, gloriosus, & excelsus creator*; ille idem pessimos quosque morbos, & quos natura impotens nequit euincere, procul arcet, deturbat, aufert. Ille ergo cunctis inuocari debet, qui morbis lancinantur acutis, ijsque præsertim, quorum supranaturalis extitit causa, puta maleficus dæmon. Ideoque adhibenda sunt pia consilia, quæ fusè Martinus Delrius lib. 6. capite 2. sectione 3. describit. Nos pauca ex Vuiero duntaxat regestrabimus; hæc itaque sunt verba illius. *De naturalis congressus Satanæ opera prædediti curatione ita scribit Igmarus Remensis Archiepiscopus: si per sortiarias, atque maleficas artes occulto, sed nunquam Dei iniusto iudicio permittente, & Diabolo præparante concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista veniunt, vt corde contrito, & spiritu humiliato Deo, & Sacerdoti pure confiteantur, &c. In controuersia vbi maritus ad congressum ineptus esse ex maleficio accusaretur in foro Constantiensi, decretum fuisse scribit Vricus Molitor, vt primum à Medicis ille, quem leges dicunt maleficiatum, vel frigidum, inspiceretur, num alia illius impotentia naturalis foueretur causa, deinde vt triennium adhuc vxor cum marito conuiueret, qui suas interea temporis experiretur vires, atque eleemosynas liberalius erogarent, & ieiunijs vacarent, quo matrimonij institutor Deus eiusmodi malum emoliri dignaretur. Decretum sanè ad imitationem reuocandum.* Hactenus Vuierus. Cæterùm contra omnes dæmonum occursus, & machinamenta consilium est ex Diuo Chrysostomo, vt sicuti sine calceamentis, inquit ille, vel vestimentis vestrum nemo in forum descendere vellet; sic sine Dei verbo nunquam in forum prodeas, sed quum ecclesiarum vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum; *Abrenuntio tibi Satana, & coniungor tibi Christe.*

Sed alijs relictis, Angeli verba intelligamus, dum Tobiæ accepturo in vxorem Saram, cuius septem viros occiderat prima nocte Dæmon, ita loquitur : *Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vã-*

vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea &c. ac tandem concludit. *Transacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequaris.*

CAPVT XXII.

De maleficis naturalibus, seu de rebus Venerem naturaliter infringentibus, & libidinem extinguentibus.

QVONIAM Veneris impotentia non à Dæmone semper proficiscitur, nec ab intrinseco naturæ defectu; sed aliquando per accidens, & ab extrinseco accidit, nimirum a comestione, aut potu alicuius rei ex manifesta, vel occulta etiam qualitate Veneris facultati aduersantis; Ideo ne quid vltra desideretur ad completam tractatus perfectionem, agemus hic de virtutibus naturæ maleficis, ijs videlicet, quæ Veneream cupiditatem hebetant, semen, spiritusque infrigidant, & extinguunt; ex ordine verò sic procedemus, vt primò de simplicibus, mox de compositis, si quæ sunt, sermonem instituamus.

De Vitice.

CReditur à cunctis vitex, qui alio nomine dicitur agnus castus, potens contra libidinem auxilium, non solùm si esitetur, sed si substernatur etiam. Memini me legisse, mulieres quę Cereri ministrabant, vt castimoniam seruarent, herbam istam in frequenti vsu habuisse. Prisci quoque Romani dum conuiuijs operam dabant, supra vitices desidebant eo consilio, vt nimirum libido, quæ à Cerere, & Baccho vt plurimum excitari solet, refrangeretur, & freno mitesceret. Videre est Dioscoridem, Galenum, Paulum, & Aetium, qui peculiariter sermone primo hæc de vitice habet: *Et propterea etiam impetus Venereos inhibet, vnde non solum in cibo, & potu acceptus ad castimoniam conferre creditus est, sed etiam substratus, cuius rei ratio est, quòd vehementer calfacit, & siccat, quare semen exiccat.* Cœlebs quidam presbyter in tentorio lecti viticē pingi curarat additis verbis. *Ne polluātur corpora*, vt significaret, vno, eodemque tempore sacerdotum cubile ab omni Veneris labe purum permanere debere, nec non agni casti virtutem pollentem contra Venerea existere.

De Portulaca.

POrtulaca Veneris impetus exoluit, inquit Dioscorides, nam frigidissima est; quòd licet ab Auicenna 2. Canonis illa Veneris prodesse, scribatur, id intelligere debes, vbi à nimia, & feruida caliditate semen, & genitales spiritus dissoluuntur.

De Nymphæa.

RAdix & semen Nymphææ itidem contra libidinem facit, eo quòd semen exiccat; vnde etiam nocturnas pollutiones curat. Hinc Aetius capite 1. scribit: *Ventris fluxiones, seminis per somnum effluxum, aut si etiam alias immodicè feratur, sistunt.*

De Cucumere.

CVcumer satiuus, quem Sicyn Græci vocant asilo Veneris infringendo idoneus apprimè est, quod ipsa græci nominis etymologia suadet. Cæterùm id ex Attico Prouerbio constat; quo sic, vt ex Athenæo obseruat Hermolaus, dici consueuerat. *Texens pallium mulier cucumerem deuoret*; Textrices namque mulieres, vt supra annuimus petulcæ, & præsalaces censentur.

De Lactuca.

EAndem facultatem efficaciter obtinet Lactuca ob naturę frigiditatem; hinc Dioscorides: *Semen eius epotum Venerem assiduè somniantibus opitulatur, & concubitum arcet.* Quod ipsum affirmant Galenus, Plinius, & alij. Reddetur efficacius hoc semen, si cum lacte Papaueris assumatur, ex Ioanne Andrea Mattiolo. Id mysticè designarunt Poetę, dum extinctum Adonidem à Venere inter Lactucas depositum dictitarunt; qua in re Alciati emblema non est prætereundum.

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonin
Lactuca foliis condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum Lactuca resistit,
Quantum eruca salax vix stimulare potest.

Eadem de causa Atheneus libro 2. capite 32. de Lactucis refert, apud Cyprios Lactucam Brenthim appellatam esse, & paulo inferius Euboli Poetæ carmina hæc recenset lepida quidem, & ad nostrum sermonem apta nimis.

Ne appone nobis Lactucas, o mulier
Meam ante mensam, vel tete coargue:
Namque hac in herba, vt vetus sermo prædicat,
Venus Adonin condidit exanimem

Vt Est

Esi itaque ne cures, mortuorum hic cibus. A

De Absynthio.

ABsynthium nescio qua vi creditur Veneri inimicum, hinc illud apud *Antonium* Darchitium de vino absynthite

Qui cupiunt Veneris communia gaudia nosse
Hoc fugiat, moneo, fœmina, virque merum.

De Ruta.

COmmuniter efficaciſſima ruta exiſtimatur ad libidinem infrænandam; nam, auctore B Dioſcoride, *genituram tam in cibo, quàm in potu extinguit*: eſt etenim, vt inquit Galenus, tenuium partium, flatuſque extinguit. Quare ad inflationes prodeſt, ac Veneris appetitum cohibet, &, vt dicebat Aetius, ſuo calore ſemen exiccat, atque corrumpit; vt ideo meritò ab Ouidio vltimo de remedio amoris celebretur his verbis:

Vtilius ſumas acuentes lumina rutas.

De Calamento.

EAdem temperie, qua ruta donatum eſſe creditur calamentum, ideoque generandi potentiam æquè, ac illam adimere C

De nigris extremitatibus Hederæ.

NIgra hederæ cacumina & ipſa libidinis œſtro medentur; credo equidem ex arcana proprietate non ſimplici tantùm facultate: tametſi huius rei myſterium intelligere nequeo; ſiquidem hedera laſciua paſſim nuncupatur, vt hinc vel prouerbio locus datus ſit: dicitur enim *hedera laſciuior*, ſuo namque complexu omnia laſciuè exoſculatur, & vincit, ad cuius ſimilitudinem dictum fuit in Odis ab Horatio.

Arctius atque hedera procera aſtringitur ilex
Lentis adhærens brachijs. Et alibi.
Laſciuis hederis ambitioſis,

Et huc pertincre arbitror, quòd olim Romæ Flamini Diali nefas erat hederam non modo tangere, ſed ne nominare quidem licebat. Porrò licet ſuo circumflexu arbores vinciat hedera laſciua: necat nihilominus paulò poſt; ex hoc igitur fortè accidit, vt eſitata hedera fœtificum ſemen exiccet, & extinguat. Hæc tibi, lector, minus fortè arridet ratio, tute ipſe cominiſcere meliorem.

De Salice.

FOlia Salicis contrita, & epota libidinis intemperantiam efficacimodo reſtinguunt; vt ideo Salicem caſtitatis hieroglyphicum eſſe multi affirment.

De Mentha.

HIppocrates lib. 2. de dieta manifeſtis verbis aſſeuerat menthã Venereis aduerſari: ita prorſus ſcribit ille: *Mentha calfacit, & vrinam ciet, & vomitus ſiſtit, & ſi quis ſemen eius ſæpè comedat, colliquefacit, vt quis diffluat, & arrigere prohibet.* Cuius rei gratia ſcribit Ariſtoteles 20. ſectione problematum, olim vetitum fuiſſe, mentham tempore belli ſerere, quòd videlicet huiuſmodi herba refrigerando genitale ſemen corrumpat. Neque hoc quod eſt Mentham refrigerare, negocij faceſſere ingenioſis debet, vt verè faceſſit Mercuriali, qui 4. variarum lectionum 8. illum exeo reprehendit; ſiquidem verum quidem eſt, mentham calidam apprimè, & ſiccam eſſe; ſed negari non poteſt, quin per accidens refrigerare poſſit natiuum calorem abſorbendo, diſſoluendoque humidum radicale, atque etiam diſſipando; quomodo dicebat Hippocrates, eam colliquare ſemen; debemus autem ſummos viros quoad poſſumus excuſare ſemper, reprehendere nunquam. Plinius lib. 20. cap. 14. aſſerit & ipſe, mentham ſemen humanum deprauare, atque generationi ineptum reddere; ita vt ſicuti illa immixta lacti, iſtud condenſari, & coire non ſinit; ita etiam in cibo frequenter ſumpta ſemen coagulari non permittat. Semen autem quod non ſpiſſatur, denſumque permanet, neque tentiginem inducit, neque ad generationem eſt aptum; ſiquidem & ſpiritibus prurientibus deſtituitur, & nimio fluore vtero adhærere nequit; hinc Lucretius in 4.

Nam ſteriles nimium craſſo ſunt ſemine,
Et liquido præter iuſtum, tenuique viciſſim.

Verum magna ex his oritur controuerſia; quandoquidem Dioſcorides mentham Venerem concitare, capite proprio ſcribit, cum quo eſt etiam Auicenna libro 3. fen. 20. tract. 1. cap. 21. vbi mentham recenſet inter ſimplices herbas facientes ad coitum, & ait: *Ipſa enim confortat membra ſpermatis valdè, & eius vſus fortitudinem facit ſuper ſperma, quia fortè ſit deſiderium.* Quomodo igitur conciliandi erunt celebres iſti auctores? pugnant enim e diametro. Dicendum ſanè erit, quòd mentha frequenti, & immodico vſu adhibita ſeminis colliquationem, vt placet Hippocrati, & Plinio, efficere poteſt, & conſequenter Venereos æſtus infringere; At in parua quantitate, vſuque moderato, ea, qua pollet caliditate quadam confortante libidinis mo-

motum exacuere poterit, nempe ventriculum, ciusque coctionem miro modo iuuat; nam

Nunquam fuit lenta stomacho succurrere mentha.

Quare cùm ritè facta digestio ad semen, eiusque spiritus non parum conferat, sit ideo, vt mentha coctionem perficiendo semen magis præstet spirituosum, & consequenter pruriens magis, & libidinem acuens. Præterea mentha in duplici differentia est, alia enim, quæ Romana dicitur, mitiorem obtinet caliditatem, quæ, de sententia Auicennæ membra spermatica satis confortare valet; alia, quæ syluestris est, & alio nomine menthastrum nuncupatur ob acriorem, & sicciorem naturam, semen exiccare, ac dissipare etiam potest, & ita Venerem præpedire vt Aristoteli, & Plinio placere videtur. Ludouicus Mercatus litem componit asseuerans, Mentham, Rutamque virides Venerem excitare, siccas obtundere; At parum plausibilis conciliatio videtur.

De Cunila, seu Thymbra.

CVnila dicta pulicaria, quæ species est satureię ex Columella, libidinem extinguere putatur; quare in Thesmophoris, idest Cereris sacrificijs (Ceres enim Thesmophora quasi legifera dicebatur) in quibus castos esse sacerdotes, & populum adeuntem decebat, vt scripsit Hegesander, herba hæc sternebatur. Verùm Columellæ assentiri nequeo, dum herbam hanc de genere satureiæ esse ait; nam satureia calida est, & sicca in tertio ordine, vt ideo dicant multi à satyris nomen traxisse, quòd scilicet marcescentes coitus stimulet. Potius credendum est hanc herbam esse, quæ Græcis psillion, herba pulicaris Latinis nuncupatur; hæc enim intensè frigida est, adeò vt auctore Dioscoride deiectum psyllion inferuentem aquam calorem eius reprimat.

De quibusdam herbis ex Marcello.

MArcellus enumerat quasdam herbas, quas mirabiliter conferre contra Veneris incendium affirmat, vt apium, pulegium, nasturtium, anethum, coriandrum, lactuca, &c. verùm quod pertinet ad coriandrũ, decipitur fortè Marcellus; siquidem teste Dioscoride illud cum passo potum semen, & genituram adauget. Soluetur controuersia si dicatur; coriandrum considerari posse viride, & siccum: viride vim habet refrigeratoriam ex Dioscoride; Quocirca commendatur ab eo in Erysipelate, herpetibus, testium inflammatione, & carbunculis; & ex hoc Veneri incommodum est, eo magis quòd ab eodem Dioscoride libro 6. inter venena connumeratur. Siccum autem eo quòd calfacit, & astringit, potens est genitalia roborare, & seminis iuuare coctionem: vel dicere possumus, coriandrum ex eo, vt ait Marcellus, libidinem infrenare, & refrigerare, quòd largius epotum, teste eodem Dioscoride, mentem turbat, insaniam affert & temulentijs non abhorrētem; quo circa ardorem Veneris restinguere, & ad illam reddere impotentem eo modo potest, quo supra de ebrietate diximus. De Anetho confirmat Dioscorides qui libro 3. ait: *Genituram restinguit assiduè potum*; quod idem ex eodem operatur semen cannabis.

De Cicuta.

OMnium potentissima cicuta est, si Dioscoridi credimus, qui libro 4. sic habet, *herba cum coma trita, & testibus circumlita libidinum imagines in somno compescit, sed genitale resoluit.* Sacerdotes Athenienses, quos cœlibes esse parerat, Cicutæ vsu libidinis acris irritamenta extinguere solebant. Diuus Basilius 5. homilia supra Exameron se vidisse testatur virgines quasdam, quæ Cicutæ potione rabiosas restinguebant cupiditates. Idem præstat ex Matthiolo, verùm nō ita potenter succus sisymbri tesiculis appositus in cataplasma.

De Camphora.

TEstibus apposita vel sola, vel immixta lactucæ camphora efficax est ad cœtrum libidinis edomandum. Rem quondam probauit euentus: nam cum domi scilis reperiretur genialis furore percita, diu, noctuque eiulabat nullam inueniens quietem, accidit vt vnguentum camphoratum asportatum occasione puelli, qui ob casum liuore ad oculum tenebatur, comederet, & spatio duorum dierum Venereum exemit rabiem. Haud censendum tamen cùm Serapione, & Auicenna (quos nimis creduli prosecuti sunt Medicorum plerique) camphoram id præstare, quia refrigerandi, & siccandi facultate valida sit prædita: nam quis id persuasum sibi habere, possit, cùm videat etiam in aquâ proiectam illam exardescere? Hinc meritò Agricola 4. de materia fossilium camphoram in ordine calidarum rerum reponit; quin Manardus in suis annotationibus ad Mesuem dum trochiscos de camphora recēset, hanc nostram vulgarem factitiam putat, & præcalidam; & huic opinioni assentitur Fallopius, & Vidius senior de medicamentis cap. 4. At quomodo libidinem infringit si calida? Respondet citatus Vidius præclarissimè his verbis. *Camphora paratur arte, pertinetque ad bitumen, eandemque vim habet, nec frigida est vt nonnulli crediderunt, sed secundò gradu calefacit, & siccat, nec coerceret Veneris impetum, quòd refrigeret, sed quòd non secus, quàm mentha semen extinguat ob siccandi vim quam habet.* Non desunt tamen, qui hanc libidinem extinguendi energiam etiam camphoræ denegant, inter quos

exerc. 104. sect. 8. vbi hæc refert. *Extingui Venerem ea non esse verum, pro certo habemus. Coiuit enim validissimè iuuenis, qui eam in manu habuit. Cani leporariæ, quæ catulliebat in potu dedi, in offa dedi, in nares dedi, quò refrigesceret, eamque quotidie collo appendi, in naturam indi tussim cit, frustra omnia, coiuit, concepit, peperit.* A

Opium.

AQua, in qua sit resolutum opium Thebaicum postquam cribratum est, omnem libidinem extinguit. Idem si addatur emplastris, & apponatur Genitalibus potentiam adimit, atque etiam steriles reddit; testes enim infrigidat, ac stupefacit; sed quomodo apud Turcas opium in frequenti vsu habeatur ad Venerem proritandam, paulo infra edisseram. B

De Argento viuo.

PVdendorum inunctio ex argento viuo libidinis compescit æstum, Veneremque mortificat Audiantur amabo quæ Iacobus Oetheus libro propr. obser. recenset: *Cum nobilis quidam adolescens in pudendis pediculorum quodam genere, quod ea loca maximè vexat, atque infestat, conflictaretur, à chirurgo quodam petyt, vt sibi vnguentum aliquod ad depellendos illos subministraret; chirurgus exhibet illi, quod ex argento viuo confectum; quod ille dum aliquoties illeuisset, sensit membrum virile planè frigidum, ac torpidum, & ad Venerem planè ineptum. Quo damno vehementer perculsus cùm mihi noxam hanc aperuisset, dixi bono animo esset, fore vt naturalem vim genitalium breui reciperet. Itaque vt vnà illa animalcula depellerem, & illum torpem genitalium corrigerem, dedi ipsi oleum spicæ subinde illinendum, quo cum vsus esset, & illos pediculos fugauit, & genitalem vim breui tempore recepit. Caueant vero chirurgi, ne vnguento illo mercuriali magno ægrorum incommodo abutantur.* C

Saccharum Saturni. D

SAccharum, quod è Plumbo à chymicis elicitur, non modò Venerem infrigit, verùm etiam repetito vsu virilitatem adimere potest.

Lapis Topatius.

ET Lapis hic gestatus in anulo aphrodisiasticæ voluptati aduersatur.

De Tauri genitali, & Hippopotami pelle.

SI Tauri omnino rufi aridum genitale in pulueres conuertatur, & ex eo pondus aurei vnius mulieri in vino, vel iusculo quopiam propinetur, teste Rhase, coitus fastidium illi affert. Sic ex Plinio lib. 28. Hippopotami pellicula è sinistra parte frontis excisa, inguinibus alligata Venerem inhibet. Idem de testudinum squamis affirmat, si in potu dentur.

De Vnguibus Lyncis.

LYncis vngues, & coriũ adusti vino epoti masculorum præputia refrenant, & eiusdem conspersæ cineres mulierum libidinem restinguunt. Quare in Insula Scarpanti dicta, aiunt mulieres frequenter in hos effectus vngues, & corium adurere.

De Turdis Torquatis.

TVrdi Torquati similiter Veneris desideria coercent, sicuti etiam palumbi dicti ex eo, quòd parcant lumbis; sicuti è contra Venerei sunt columbi, dicti quasi ex eo, quòd colant lumbos, in quibus Venus resideat.

De Mullo barbato.

VInum cui mullus infusus fuerit, impotentes viros, steriles fœminas præstat; hinc vates.

Extinctus vino tantum vim infundit in illud,
Vt vel matri obsit, magne Cupido, tuæ:
Namq; nouas operâ veneris nauare maritas,
Fœcundasque nouas impedit esse deas.

De Silemno Fluuio.

PAusania in Achaicis de Silemno fluuio narrat, quòd in eo viri, vel fœminæ lotæ amorum & lasciuiæ obliuiscebantur. Andreas Baccius libro 3. testatur, rigentes Albulas in Latio Venerem cohibere, & castimoniam inducere; idemque in Lotharingia plumbeas, & ex auro Fabrienses efficere aquas. In Boetia similiter Cocicisons est, qui vt Chasseneus refert, ardorem Veneris extinguit.

Aqua Castitatis.

DEscribitur à Sennerto lib. 1. suæ Praxis quædam aquarũ stillatitiarum mixtura, cœstrum compescens libidinis, & est huiusmodi. ℞. Aquæ menthæ, chelidoniæ, anethi, liliorum conuallium, nymphæ an. vnc. 1. m. cap. vnc. ij. vel iij.

De loco quodam Leucadiæ.

SAppho apud Ouidium sublimem locum in quit esse in Leucadia apud Nicopolin, è quo se in mare præcipitantes cupidigis illecebrarum amittebant memoriam, hi sunt versus

Con-

Constitit, & dixit, quid nunc non ignibus A
aquis
Veneris? Ambraciæ est terra petenda tibi.
Phœbus ab excelso quantum patet aspicit
æquor,
Actæum populi, Leucadiumque vocant.
Hinc se Deucalion Pirrhæ succensus amore
Misit, & illæso corpore pressit aquas.
Nec mora iussus amor fugit latissima mersi
Pectora; Deucalion igne leuatus erat.
Hanc legem locus ille tenet, pete protinus
altam
Leucada, nec saxo desiluisse time.

Huius quoque loci Tullius 4. Tusc. meminit.

B

CAPVT XXIII.

De Compositis quibusdam libidinem infrenantibus, & semen exiccantibus ex Auicenna.

SEMENTES, & aqua earum, & propriè decoctarum cum semine cannabis, & nenufari, & coriandrum, & semen portulacæ, & succus cannæ humidæ, & aqua lactis, de quo extractum est butirum, vehementis acetositatis, & farina glandium, & acetum, & semen cannabis, & semen lactucæ sperma exiccat, & fortasse abscindit sperma, quando multum vtitur aliquis eo; eundem præstat effectum emplastratum cum subtilitiuis, & herba iusquiami nigri, & iusquiami albi, & reli- C

qua quæ ponuntur super testiculos, & anum. Et iterum compositum infrigidatiuum semen lactucæ, & semen iusquiami albi, & citroli, & semen endiuiæ, & psyllium non tritum, & coriandrum siccum, & nenufar exiccatum terantur omnia nisi psyllium, & fiat ex eis suffusidest id pulueris. Diacuminum spermatis valde est exiccatiuum ex eodem Auicenna, qui aliud hoc præscribit compositum.

℞. Pinearum excortica tarum fuscarum.
Bdelij ana drach. 10.
Balaustiarum
Rosarum ana drach. 5.
Seminum rutæ drach. 7.
Agni casti drach. 5.

Terantur, & cribellentur. Vsus ab Auicenna non præscribitur. Poterit nihilominus ex huiusmodi tragea capi singulo mane in vino albo mero drach. 1. pro vice. Item

℞. Anethi drach. 3.
Seminum lactucæ
Semin. Portulacæ ana drach. 4.

bibantur cum aqua lentium. Item

℞. Semen rutæ,
Semen iusquiami albi,
Castorij ana partes æquales,

sumatur drach. 1. pro vice in vino. Item

℞. radic. cannæ siccæ
ocymi montanj.
Mirrhæ ana drach. ij.
Euforbij drach. v.
Agni casti, & sampsuci ana drach. j.

Simul omnia contrita misceantur, & fit ejus dosis drachma vna. Plura lege apud ipsum Auicennam. hæc enim sunt potissima.

TRACTATVS QVARTVS.

De Aphrodisiasticis, siue auxilijs naturalem potentiam ad Venerem excitantibus, & confortantibus.

HACTENVS maleficia naturalia percurrimus, reliquum est modo, quoniam eiusdem scientiæ est contraria nosse, inuestigare, quæ libidinem fouent, semen adaugeant ad Venerem, & ad generationis officium ritè præparans. Hæc autem exarata velim, non in Veneris duntaxat voluptatem, & naturæ parum honestam mulcebram; sed in generationis præsidium, in corpescentium hominum, D quibus impunè licet, excitamentum, & filiorum propagationem. Alioquin quid est opus currentes equos ferire calcaribus? Nimium, ehu nimium in libidines ruit præceps immatura iuuentus, ruit virilitas, & senectus impotens, nulloque seruato pudore, immo assotiæ solutis habenis, quiuisque conditionis viri prostribula quærunt, lupanaria colunt; huc igitur solum accedant frigidiores coniuges, segnes, sterilesque duntaxat hos latices hauriant.

CA-

CAPVT I.

De ijs, quæ Venerem extrinsecus, ac dolosè ciunt auxilijs.

EXTRINSECA libidinis irritamenta bellè satis, & appositè his versibus exprimuntur.

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, Puer.

Singula ex ordine expendenda sunt.

Otia.

ECquid? non ne communi omnium opinione pruinarum omnium rerum, ac vitiorum sunt otia fontes, & origines? Profectò negari non potest. Hinc veracissimus Hippocrates libro de decenti ornatu dicebat. *Otium, & ignauia malitiam quærunt, & ad eam distrahuntur; vigilantia verò, & mens ad aliquid intentata trahunt ad se quid eorum, quæ ad vitæ honestatem pertinent;* At in primis ex otio Veneris illicium, seu tentigo exoritur; vnde vulgatus Ouidij versus.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus,
Despectæque iacent, & sine luce faces.

Fabulantur Poetæ, quòd à matre Venere increpatus Cupido, eo quia Palladem amorum blandicijs haud pellexisset, excusauit se dicens, nunquam Deam inuenisse desidiosam, atque adeo telis amatorijs vulnerare nequisse; vide Lucianum in Dialogis. Quamobrem Laides illa illustris Amasia à quadam muliere interrogata, qua ratione posset filiam ab Amorum delicijs vendicare intactam, respondsum tulit. *Prohibe illam vnquam esse desidiosam, sed semper aliquibus occupari, iubeto* Prudenter quidem; nam vt est præceptum Ouidij 1. de remedio Amoris.

Desidiam puer ille fugni solet, odit agentes:
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.

Et quò rerum occupatio generosior est, eò Veneris deliciæ longiùs exulant, quod satis in Agrippina probatum est: hæc enim licet, Tacito referente, pulcherrima, & mulierum lasciuijs dedita satis foret, lasciuiæ studio tamen nihil capiebatur ob Imperij cupiditatem: *Agrippina æqui impatiens, dominandi auida, virilibus curis fœminarum vitia exuerat.* Sic Tacitus ille. Canatur igitur cum vate.

Quàm platanus riuis gaudet, quàm populus vndæ,
Et quàm limosa canna paludis humo,
Tam Venus otia amat.

Quid plura? Affirmare ausim, otium esse de intrinseca Venereæ cupiditatis ratione; quandoquidem in eius definitione formalem causam agit. Assumptum probatur, quoniam à prudentissimo Philosopho sic definitus Amor est: *Amor est passio vacantis animæ,* & vt ab alio *Otiosorum studium*; vt enim omnium sapientissimus ex ore diuino edixerat: *In desiderijs est omnis otiosus.* Scelerum ille prostitutus Artifex Nero dum Peno cuidam Basso præstabat fidem, asserenti in aruo quodam ingens thesaurum absconditi, vt refert Cornelius Tacitus, à flagitijs, & impuritibus abstinebat penitus; haud enim eo temporis marcescebat otio, sed in thesaurum totis viribus inhiabat; At non ita citò vanum illud reperit commentum, quod ad assuetas rediit iniquitates, & nequitias.

Segnities.

DEsidia, atque animi torpor Venerem accersit; inde Ouidius:

Quæritur Ægistus, quare sit factus adulter,
In promptu causa est: desidiosus erat.

Id compertum adeo est, vt maiori non egeat probatione: sensus etenim nisi perenni occupentur labore, ilicet rationi fiunt rebelles; nam fomitem habent iniunctum, à cuius illecebris nisi perpetuò distrahantur, succumbunt statim, & vt mancipia obtemperant. Natura profectò quæ ad malum prona est, nisi aliquo studio infrenetur, in malitiam præceps ruit; vt illud ideo Ecclesiast. 33. sit omni veritate verius: *multam malitiam docuit otiositas.*

Somnus.

SOmnus etiam arridet libidini; hinc versus apud Eionysium Catonem.

Nam diuturna quies vitijs alimenta ministrat:

Huius rei ratio esse potest, quòd in somno, vt est apud Hippocratem, sanguis intro magis repit; quò illud etiam apud eundem pertinet: *labor articulis; cibus, & somnus visceribus.* Quamobrem congregatus calor intima petens, renes afficit, vasa spermatica dilatat, & consequenter titillat, prurit, sensumque libidinis excitat. Præterea in somno fit coctio exuberans, ex qua postmodum veræ sanguine, spiritibus arteriæ, seminales meatus humore prolifico adimplentur; horum omnium autem copiæ Veneris cupiditatem accersunt. Vt meritò ex eo dicatur somnus virtuti aduersari, vitijs blandiri: vt enim Ouidius:

Per somnos fieri multa pudenda solent.

& Plato vij. de Iusto: *Labor, ac somnus disciplinis aduersi sunt:* Demum ideo somnus Venereæ voluptati fauet: quoniam calor percurrens

Digitized by Google

rens viscera, flatus excitat, qui vasa, & pudenda subeuntes Genium vellicant, Priapum arrigunt.

Caro.

CArnis nomine complectitur & caro ipsa, & omnis alius Euchymus, ac Polichymus cibus; & quidem in primis testimonium est apud D. Paulum de carne, inquit enim: *Bonum est non manducare carnem:* Quò factum est, vt concupiscentiam castigaturi, carnibus potissimum abstineant, & eadem consilio sacrosancta Ecclesia quatuor tempora instituerit, necnon quadragesimalia tempora, sacrosque dies cum ieiunijs ordinarit. Valerius Maximus historiæ libro 9. capite de luxuria sic scriptum reliquit: *esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas seminarium sunt libidinis.* Quo sanè pertinet illud Cratis Thebani, qui quondam interrogatus, quæ nam essent concupiscentiæ, & vani amoris remedia, respondit λιμὸς, χόρτος, βρόχος: quod latinè sonat, fames, tempus, laqueus; vt significaret ieiunium potissimum libidini mederi. Descripsit hoc Cratis apophtegma lepidè satis Hieronymus Angerianus in libro carminum hoc metro, quod quia acroamaticum ascribam libens.

Te mitem ostendas, gemitus exprome, tuosque
Fletus: bis gaudet sapè cupido malis.
Me mitem ostendo: gemitus ex pectore promo;
Sunt fletus flauij lumina, spernor amans:
Mitte potens aurum: sum pauper, pauper & auro
Frangitur; hæc Regum munera diues habet.
Tam magnum ieiuna fames delebit amorem
Nulla fames: tempus; tempore maior erit.
Si non ista iuuant, laqueo de colla; moraris
Quid miser? hæc flammis sola medela tuis.

Nempè verissimum est illud:

Luxuriat raro non bene pasta caro. Vnde specimen illud castitatis, & exemplum pœnitentiæ Hilarion petulantiam, & carnis proteruiam insurgentem ita increpabat; *Ego, aselle faciam, vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam, & siti, graui onerabo te pondere, vt cibum potius cogites, quàm lasciuiam.* Vt inde meritò canat in suis hymnis orthodoxa ecclesia.

Carnis terat superbiam
Cibi potusque parcitas.

Nam vt Euripides aiebat:

Vult crapulatum Cypris, haud famelicum;
Amara Cypris est esurientibus.

Porrò primeuis temporibus, dum simplici victu vtebantur homines, haud sic libidinis vrebat æstus, Veneris desideria languebant, rationis imperio obtemperabat concupiscentia. Hinc non immeritò priscam illam ætatem deplorans Boetius 2. de consol. Philosoph. exclamabat,

Pœnæ nimium priora probant,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facilique fera solebat
Ieiunia soluere glande.

Quò etiam pertinet illud Horatij 1. carminum.

Me pascunt olivæ, me cichorea, leuesque maluæ:
Frui paratis, & valido mihi
Latoe dones.

At nostra hac molli, & illecebrosa ætate, in qua non nisi visceribus saginandis, & corpori faburrando opera datur; gulæ irritamentis omnibus, salsamentis, placentis, crustulis, libis, intinctibus, & sybariticis vsque mensis indulgetur, pro quibus non latè patentes campi, non horti, non vineæ, non vnum mare, non vnum cœlum sufficiunt; sed noui peragrantur orbes, noua tranantur maria, & vel in intima itum est viscera terræ, vt ille ait, ad exquirendum in hominum necem boletos, tubera, fungos. Quid plura? vel rigores montium, auctore Seneca, in voluptatem trahuntur, siquidem vt pretiosis vinis iucunditas addatur, niuibus, & gelu refrigerare consueuere.

Faciunt itaque ad Venerem cupedia, embammata, victus dapsiles, mensæ fertiles, & venter omnino satur. Ideo Diuus Iacobus in epistolis. *Epulati estis, & in luxurijs enutristis corda vestra.* Quapropter in statu ipso innocentiæ in quo nullus vnquam stimulasset libidinis ardor, carnis esus minimè futurus fuisset in vsu, quod facilè colligitur ex illis Geneseos verbis. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semet ipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animamantibus terræ.* Quo in re videndus est Porphirius libro de abstinentia ab esu carnis, vbi pluribus eius vsum interdicit. Et Salomon in Prouerbijs vbi legitur: *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt*; quod ex Pythagoræ præcepto ab Ouidio etiam 15. metamorph. improbatur ijs versibus.

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi,
Congestoque auidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis viuere letho.

Fœmina.

MVlier dicebat Helinandus dicitur à molliendo, vt & malleus, quia sicut faber per

per malitiam mollit ferrum, sic Diabolus per mulierem mollit, & mallit vniuersam terram. Ferunt, ideo sibi oculos Democritum eruisse, vt mulierum illecebrosas vanitates nunquam aspiceret amplius. Enimuerò muliebris aspectus fascinantes, ac penè veneficos emittit spiritus, qui petentes animam cor ipsum necant, inflammant, exurũt; Ideo in Georgic. 3. Virgilius.

Carpit enim vires paulatim, vritque videndo Fœmina.

Quò circa Apostolus mulierem comptam respici vetabat, ex eo nimirum quòd, vt Propertius elegia 3. testatur.

Qui videt, is peccat, qui non te viderit, ergo Non cupiet, fati crimina lumen habet.

Asseruit hanc veritatem Sapiens eccles. 42. vbi habet: *A vestimento procedit tinea, & à mulier iniquitas viri*; Cui subscribens Diuus Gregorius dicebat; *Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præsumant.*

Sanctorum virorum fexcenta exempla rem comprobant, quorum vno, & altero contenti erimus ex 4. Marci Manlii Spalatensis: Primum erit Pionis Abatis, Antonij Abatis discipuli: *Qui in tantum fœminas aspicere timuit, vt nec sororem viduam, valetudineque affectam videre voluerit. Cum enim ab ea accersiretur dicente, si ipsum vidisset, tam sibi gratum fore, vt inde sanitatem se recuperaturam speraret, ire omnino recusabat. Moxe tandem, Abate iubente, profectus est, & sororis cubiculum oculis clausis alterius ductu ingressus, se quidem illi videndum præbuit, sed illam ipse minimè vidit, nec ab ea cognitus abijt*; cumque rursus vt veniret, instaretur: *& fui tecum, inquit, & vidi sine me.*

Secundum exemplũ erit Vrsini Nursię presbyteri, qui vxorem habuisse dicitur, sed cùm presbyteratum accepisset, ita ab ea alienus fuit, vt nulla necessitate ipsam ad se propius accedere passus sit audiamus Marullum. *Post annos quadraginta in tali continentia transactos, dum ille animam agere, & tandem cessante nouissimi singultus anhelitu decessisse putaretur; ipsa admota ad nares aure, an ad hùc spiraret, explorare cœpit. Mira res! persentit mulier is tactum, qui se ipsum iam non sentiebat, tum quicquid vitalitatis in mortuo pene corpore residuum erat, totum ad os colligit, prorumpitque in vocem dicens: Recede mulier, non dum penitus extinctus est ignis, tolle paleam. Hæc Marullus.*

Corollidis loco percipe, lector, quæ de Diuo Augustino, atq; Arsenio Abbate scripta leguntur. Ille enim interrogatus cur simul cum sorore habitare detrectasset, respondit, *quoniam quæ cum mea sorore sunt, non sunt meæ sorores*. Hic verò cùm nobilem Romanam matronam ante suum hospitium ex improuiso vidisset (famam quippè sanctitatis eius Roma Alexandriam deuota mulier conceperat) se se statim auertit, auocauit, abduxit, gestu pariter, ac verbis mulieris redarguens audaciam; Cùmque supplex, vt Spalatensis ait, illi diceret, rogaretq; ne indignè ferret aduentum, cùm pia mente accessisset, daretq; veniam si læsus, & affectus ab accessu fuisset, Deumque suum pro se deprecaretur. Respondit Arsenius. *Deum precabor, & sanè instanter, ne vnquam meminerim tui.* Vsque adeo visa fœminæ vel memoria castæ menti insidiari potest.

Vinum.

QVantam efficaciam ad libidinem inflammandam obtineat vinum, supernacaneum esset pluribus commonstrare; quandoquidem id vel mysticis poetarum fabellis indicatum est, qui Venerem Baccho nuptui traditam fuisse significarunt; inde Horatius.

Sine Cerere, & Bacho friget Venus & alius quidam

Et Venus in vino, ignis in igne furit.

Vt proinde merito Veneris lac vinum diceretur apud Athenæum libro 10. vbi hæc habentur.

Suaue potu vinum est, nempe Veneris lac, quod multum haurientes
Nonnulli flagitiosa, & illicita Veneris cupiditate inflammantur.

Propter eadem causam Horatius idem 3. carminũ ode 18. vini crateram sodalē Veneris appellat

Larga nec desunt Veneris Sodali
Vina crateræ.

Huc facit, quod Cœlius Rhodiginus lib. 29. cap. 16. narrat, quòd scilicet post Bacchi templum Veneris erant ędes apud Gentiles, hoc forte mysterio, quòd post Bacchum colitur Venus. Aliud ex mea obseruatione reuelabo mysterium, & est, quod omniscius ille Aristoteles in problematibus vbi 3. libro de vino, & ebrietate egit, in tractatum de re Veneream disputat, quasi ex ordine prius de causa, mox de effectu fuerit tractandum. Sapientissimus Plato in symposio non illepidum narrat figmentum; inquit enim, quòd cùm Veneris natalitia aliquando Deorum cetus celebrarer in cœlo, Porus consilij, & abundantiæ Deus, nectare paulo copiosius hausto, ebrius euasit, nec non Peniam, paupertatis Deam in Iouis horto compressit, ex quo congressu natus est Cupido. Quid sibi amabo hoc vult, nisi quod ex vini haustu libido acceditur, sitque furens in vino Venus? Vt enim Diuus Hieronymus in quadam edidit epistola: *Venter mero affluans citò spumat in libidinem*. Ideo Salomon in prouerbijs: *Luxuriosa res vinum*. Cuius rei ea ratio est, quod vinum vehementer calefacit, spiritusque inflammat, ex quo libido, & genialis concupiscentia postmodum consequitur. Vt iccirco Plato, & Prisci Romanorum iure prohiberent, mulieres, atque adolescentes potare vinum; mulieres namque magis proternas, loquaces, & lasci-

lascivas reddit Bacchus, adolescentes autem, vt A
natura calidissimos in se ad libidinem, ac turpem libidinem parat. Hinc c. de tuenda valetudine Galenus. *Quarenequæ iam adultis vinum nisi modicè sumptum existimandum est, vtile est, quandoquidem & ad iram, & ad libidinem præcipites facit.* Ægyptiorum sacerdotes ab omni vini vsu deterrebantur, & ita scribit Herodotus referente Alexandro ab Alexandro vt certa vini subtaxata mensura, Regi quotidianis ferculis daretur, vltra quam excedere non licebat, ne sui impos per occasionem, & licentiam turpitudini, & sordibus vacaret. Et vt etiam sacræ paginæ referunt, Nazarei, qui, Carolo Sigonio testante lib. 5. de Repub. Hebræorum viri erant quisque Deo consecrauerant voto, non solum a B
vino, sed etiam vinaceis cunctis protinus abstinebant; Sanè de iis ita legitur Numer. 6. *Vir siue mulier cum fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Deo consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest abstinebunt: Acetum ex vino, & aqualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur non bibent: Vuas recentes, ficcasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur. Quicquid ex vinea esse potest ab vua passa vsque ad acinum non comedent.* Id autem sanctum ex eo promulgatum fuit, quoniam quicunque Deo inseruituri sunt ab omni prorsus phibitæ inquinamento alieni esse debent: domum enim Domini decet sanctitudo; atqui vino indulgentes consequenter fauent & Genio, atque arridenti libidinis blandiciis. Antiphanes in Eolo futurum fuisse testatur, vt Macrarcus nunquam committeret incestum, nisi vinum bibisset, hæc sunt carmina ab Athenæo relata decimo Diposophistarum.

Amore captus vnius simul fatæ
Macharcus fuit ferens calamitatem interim
Se continens; sed consecutus postea
Vinum datem, quod fert viris auduciam
Solum, prioresque adiuuat sententias;
Is nocte surgens cepit optatum diu.

Meritò igitur sacrosancta intonat Ecclesia, nos quadragenario illo tempore commonitura.

Vtamur ergo parcius
Verbis, cibis & potibus,
Somno, iocis, & arctius
Perstemus in custodia.

Verùm Ouidius 2. de remedio Amoris affirmat vinum Venereum cupiditatem accendere quidem, si modicè bibatur; extinguere verò si ad ebrietatem vsq; potetur, hæc sunt eius carmina.

Vina parant animos Veneri nisi plurima sumas;
Et stupeant multo corda sepulta mero.
Nutritur vento, vento restinguitur ignis,
Lenis alit flammas, grandior aura necat.
Aut nullis ebrietas, aut tanta sit, vt tibi curas
Eripiat, si qua est inter vtrumque, nocet.

Id sanè conuenit cum illo, quod supra posuimus nimirum ebrios ad Venerem esse impotentes, militantque hic eædem proclivitatis rationes. At huiusmodi Ouidii remedium ridiculum penè est; Quid enim? Ad lebent homines quoties Veneris cenit gine capiuntur, vinum vt ad ebrietatem in ingitare? vtique ebrietati quotidie vacandum est: naturis quibusdam salacibus erit singulis horis offrendum meram semper fœcundi calices præ manibus habendi erunt. Nec dicat Ouidius tentandum id auxilii esse in extremis cupiditatibus, quas nequierint cætera remedia temperare. Nam auxilium tale tandiu mulcebit malum, cupidinemque placabit quandiu viscera mero sepulta fuerint, & concupiscibilis potentia vino præstricta iacebit; Cæterum resurget malus genius, & fortè quàm prius intensior ob caliditatem assertiam, quam sanguis, & spiritus ex affluente mero adipiscentur. Sit igitur procul iuuentute feruida vinum, cum quo illecebrosus bibitur Cupido, quod lusit belle in epigram Io. Pierius Valerianus his mœstris:

Dum serta texo, nactus
Inter rosas Amorem:
Hunc pinnulis prehensum
Merfi in falerna, moxque
Omnem ebibi liquentem.
Qui nunc meos per artus
Pennis titillat vdis.

Prosperitas.

HÆc etiam animam à recto deducit, deuiatque tramite; & Genium aduocat, & admittit vnde Ouidius.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Ideoque Diuus Bernardus in epistola aiebat: *Fugite de medio Babylonis; periclitatur enim ea-litas in deliciis.* Porrò animi angustiæ, & curæ superfluas cogitationes pellunt ab animo, reuocantque in semitas honestatis. *Conuersus sum in ærumnam meam, dum configitur spina.* Psalmographus aiebat, & sapienti simus eius Salomon in prouerbiis. *Prosperitas stultorum eos perdet.* Quis etenim laboribus, & ærumnis conflictatus luxuriet animo? Venerisque blandiciis obtemperet? Nil magis à voluptatibus animum deterret, quàm cordis angustiæ, & animi pressura. Ideo apud Oseam 2. diuinitus dictum est: *Sepiui aures tuas spinis, vt semitas tuas non inuenires, & post amatores tuos non curreres;* nam vt confirmat Diuus Augustinus, *Secundæ res sapientum animos fatigant, plus obfuerunt Salomoni, quàm profuerit ipsi sapientia.* Rem graphicè confirmat historia à Diuo Hieronymo ad Rusticum Monachum descripta, quæ sic apud Marcum Marullum registratur. *Gracus adolescens erat in cœnobio, qui nulla continentia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem Pater monaste-*

rij, hac arte seruauit. Imperat cuidam virograuis, vt iurgijs atque conuicijs infectaretur hominem, qui post inrogatam iniuriam primus venit ad querimoniam. Vocati testes pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat. Plere ille cœpit contra mendacium, nullius alius credere veritati; solus pater defensionem suam callidè studuit opponere, ne abundatiori tristitia absorberetur frater: quid multa? Ita annus ductus, quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc aliquid molestiæ sustineret? Papè, inquit, viuere mihi non licet, & fornicari libet. Noui & ipse qui ob magnum aliquod rei nummariæ dispendium, cùm antea essent salacissimi, nullum deinceps Veneris experirentur igniculum. Sic ergo Volupia protinus arcetur à sollicitudine. Corporis pari modo ægritudines libidinis pruriginem extinguunt; id nimirum probare superuacaneum existimo, quando corporis ad languorem, languet & Venus; at nihilominus celebri ex Marullo historia ita suasum volo. Quantum verò (inquit ille lib. 3. de patientia ægrotationis) ad seruandum sanctæ castitatis propositum conferre soleat ipse corporis languor, atque infirmitas, Petrus Apostolus documento est, qui Tito discipulo interroganti, cur Petronillam filiam suam diutius ægrotare pateretur, cùm alijs malè affectis repente sanitatem induceret? Ita illi expedire, respondit. At ne dissimulare impossibilitatem videretur, iussit eam surgere, & ipsis discumbentibus ministrare; exurrexit sanè, & vt perfuncta est officio, rursus patris iussu ad lectulum pariter, ac morbum rediit. Aegrotando igitur didicit virginitatis amare puritatem, ita vt postea sanata mori præoptaret, quàm Flacco Prætori nubere. Hactenus ille.

A

B

C

D

Ludus.

PRo ludo iocos intellige, nimiamque animi lætitiam; repugnat enim Veneri tristitia, vnde Ouidius.

Non solet in mœstos illa venire thoros.

Vt plurimum petit conuiuia, choreasque; repit inter risus, miscetur iocis, & cantilenis, fugit lachrymas, horret funera, declinat gemitus, angustias, & suspiria Venus, Philomidis ideo dicta.

Carmina.

CArmina erotica, & cantus lasciui sunt Veneris alta poppysmata, pariterque molliciem excitant; id Naso nequaquam prætexit in suis de remedio Amoris, vbi postquam dixerat.

Enecuant animos cytharæ, cantusque, lyraque.

subiungit paulo infra.

Eloquar inuitus, teneros ne tange poetas,
Summoueo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito, non est inimicus amori,
Et cum Callimacho tu quoque Coe noces.
Me certò Sappho meliorem fecit amica,
Nec rigidos mores Teia musa dedit.
Carmina quis potuit tutò legisse Tibulli?
Vel tua, cuius opus Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto durus discedere Gallo?
Et mea nescio quid carmina tale sonant.

Vt congruè inde legatur apud Isaiam: *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Dei non respicitis.* Nec prætereundum interim, & erit scitu maximè dignum, quòd vafer ille tenebrarum spiritus, qui primos nostros parentes in Paradiso decepit, vt facilius Euę irretiret animum, verba illa: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*, adeò dulci concinnauit metro, & harmonia, vt continuò delinita mulier fidem hosti præstiterit, incantata paruerit; vt enim Rabbinatas ait: *Horum autem carminum cantilena, dum mulieri afficiebat aures, inficiebat animum:* nam vt placet Diuo Ambrosio, Abulensi, Theophilato, & alijs carmina erant exametra, vti ex verbis ipsis Moysis Hebraicis colligunt; vt ideo apud Iuuenalem 6. satyra dicatur iure,

Quod enim non excitat inguen
vox blanda, & nequam?

Philippus Macedo noluit, Alexandrum filium cantu exerceri, & musica; aiebat enim hæc strenuum militem dedecere tamquam ea, quę mollem animum præstent. nam vt dicebat Helinandus, difficile est inuenire aliquem leni voce, & graui vita.

Verùm enimuerò licet carmina fescennina, cantusque molles, atque lasciuia pleni arrideant Veneri; non tamen ob id Musarum studium prorsus dimittendum censere quis debet; quin potius efficacissimum contra Aphrodisiam cupiditatem putandum est remedium, quotiescunq; honestatis limina non trascendat. Quod Laertius docuit, cùm asseruit, musas haud potuisse Veneris retibus, & illecebris pellici, seu implicari; verba illius hæc sunt.

Ad Musas Venus hæc: dabo Amori tela, puellæ
In vos, vel Venerem præcipio colite.
Ad Venerem Musæ: Marti licet ista mineris,
Ad nos non didicit ipse volare puer.

Extitit eiusdem opinionis Theocritus, quidę Mnsis in eclog. loquens hæc habet.

quos lætè respiciunt hæ,
Lædere non possunt mox dirę pocula Circes.

Et alibi.

Nulla magis flammas medicina repellit Amoris,
Non quæ potatur, quaue unguntur vulnera, sed vis
Pieridum, leuis hæc, & dulcis quippe medela
Munere concessa est Superûm mortalibus ægris.

Digitized by Google

egris.
Vide Lucianum in Dialogis.

Forma.

DEcor, & species vultus vel in se ipso, vel in alieno obiecto Veneri fauet, eiusque concipit facilè flammas. Si etenim sit in proprio corpore, ab alijs expetita, atq; iugiter sollicitata libidini cedit; Ideo Lyricus vates in Epistol. Heroid.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Quod idem Iuuenalis vt solet lepidissimè expressit Satyra 10. ijs versibus.

Formam optat modico pueris, maiore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater;
Sed vetat optari faciem, Lucretia qualem,
Ipsa habuit: cuperet Rutila Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare, filius autem
Corporis egregij miseros, trepidosque parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ.

Quam preclarè Satyricus? Nempe verissima, fuit hęc. At si in externo corpore forma, & species resideat, simili modo vulnerat, & ad Veneris pellicit amorem. Vnde Ecclesiasticus cap. 9. *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius*, & paulo infra: *auerte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Hęc, & similia multa legi possunt eodem loco apud sapientissimum omnium. Sanè tanta est energia formę, vt furentes, ne dum viriles animos molliat, vincat, ac deuinciat etiam, vt inter alios fortissimo contigit Menelao, qui vel Galeno referente libro de placitis Hippocratis, & Platonis, cùm Helenam occidere decreuisset, eamque districto gladio inuasisset, propriùs accedens, ac mammas illius candidissimas conspicatus, attonitusque ob pulchritudinem eius, propter sui infirmitatem, imbecillitatemque animi, non solum gladium abiecit, sed mulierem etiam est osculatus, eique se ipsum mancipium obtulit.

Ceterùm sub hoc nomine formę intelligatur etiam, & comprehendatur mundus muliebris, atque ornamenta, à quibus maximè libidinis excitatur sensus, & cupidinis acuitur stimulus: siquidem ornatus vt plurimum petulantem, præstat mulierem, vagam, & platearum amicam, quod quàm sit veritati proximum, vel ex ipso Aristotele probari potest, hic namque 6. de historia animalium capite 18. asserit, equarum libidinem infrenari, si ijs iuba tondeatur, verba Aristotelis hæc sunt: *Equorum libido extinguitur magis iuba tonsa, & frons trifior redditur.* Præterea vt aiebat Ouidius.

Auferimur cultu. Inculta siquidem mulier quamuis formosa, minus oculos trahit; minus pellicit; vnde est quod multæ absque simili ornatu simplici, ac domestico indumento circumuestitæ nequaquam placent, displicent potius, & diuersæ nimis intus, quàm foris apparent. Quo circa lepidissimus Terrentius in Eunucho dicebat, adolescentes meretricum amorem ablegaturos esse, si considerent non elegantiam, ac decorem, quos præseferunt, dum foris sunt, inceduntque per vias; sed turpitudinem, atque luridam fœditatem, quam domi secum habent: verba Terrentij sunt;

Id verò est, quòd ego mihi puto palmarium
Me repperisse, quomodo adolescentulus
Meretricum ingenia, & mores posset noscere,
Maturè vt cùm cognorit, perpetuò odorit,
Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans;
Quæ cum amatore suo cùm cenant, liguriunt;
Harum videre ingluuiem, sordes, inopiem.
Quàm inhonesta sæ sint domi, atque auide cibi,
Quo pacto ex iure externo panem atrum vorent;
Nosse omnia hæc salus est adolescentulis.

Denique in hunc finem crediderim, claustralibus Religiosis institutas esse vestes viles, hispidas, incultas, & vndique laceras, vt nimirum vel ab ipso indumento peruicaces, ac rebelles carnis, sensuumque motus mortificentur. Odores pro corollide adiungam, nam effœminati, & molles vt plurimum his delectantur, atque Veneri nescio quid energię latenter suauis halitus immittit; quamobrem Clemens Alexandrinus 2. Pedagogi cap. 7. basilicè dicebat. *Sicut boues anulis, & fumibus, ita etiam intemperantes suffitibus, & vnguentis, & suaueolentibus coronarum odoribus trahi: & quemadmodum canes qui naribus sunt sagacibus, feras ex odore venantur; non secus petulantes ex nimis curiosa vnguentorum fragrantia a moderatis inuestigari.*

Puer.

POstremum hoc Veneris incitamentum cum nefarium sit, silentio potius præteriri debet. Illud solum ex Helinando dictum velim, quòd quantum periculi sexus affert in muliere, tantum ætas in puero. Vt ideo à sanctis patribus prohibeatur familiaritas cum fœmina, puero, & hęretico.

CAPVT II.

De simplicibus quibusdam libidinem acuentibus, & Genitalia suscitantibus.

EXORDIAR à plantis, & herbis, quoniam vt Galenus ait 6. de medicamentorum facultate cap. 1. *Optimum mihi visum est de plantis ante omnia differere, tum quòd numerosissimum illarum est genus, tum quòd virium robore præcellentissimum.*

Bulbi.

BVlbi omnes Venerem excitant ex communi veterum opinione, & in primis Dioscoridis libro 2. capite 161. Ideo Martialis vt solet venustissimè,

Cùm sis anus coniux, cùm sint tibi mortua membra,
Quid bulbis aliud, quàm satur esse potest

Ouidius etiam 2. de remedio Amoris idem testatur ijs verbis:

Daunius an Lybycis bulbus tibi missus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.

Id autem eorum exuberanti caliditati, qua vel flatus gignunt, vel genitos excitant, acceptum referre debes; quare Galenus 2. de aliment. facult. capite 66. dicebat, bulbos flatus, ac tormina interdum inferre; & subiungit. *Quidam autem ex ipsorum esu liberaliore semen sibi inauctum, siquè ad Venerem alacriores redditos, manifestè senserunt.* Bulborum species plurimæ sunt, quas non est hic opus, & otium recensere.

Struthium.

IDem germen sic appellatum putat Fuchsius de historia plantarum, quòd Venerem stimulet; Græci enim passerem στρουθον, vocant, & ab eius auis salacitate lasciuos, & in Venerem procliniores homines στρουθους, quasi passeres vocant. Porrò strutheum, vt est apud Festum, nuncupant obscenam virilem partem, qua imitatione Martialis, & Catullus passerem pro virili membro vsurpasse videntur; hic enim 6. epigram. præcipuè eò alludens dixerat.

Lesbia, nequitijs passeris orba sui.

Satirion. Testiculi.

Satyrium inquit Galenus 8. simplic. medic. *aut trypbillum humidum, & calidum temperatura est, quamobrem gustu quoque apparet dulce, attamen excrementitiam, & flatuosam humiditatem possidet, quo circà ad Venerem incitat.*

Testiculus, qui Græcè cynosorchis, & officinis vulgato nomine satyrion etiam nuncupatur, & pro illo vsurpatur malè tamen, & inutiliter, vt Matthiolus obseruat 3. Dioscoridis, in Veneris incitamenta maximam vim obtinet; quare vt libro 3. capite 121. testatur Dioscorides Thessalæ mulieres cum in lacte caprino, ad stimulandos coitus ebibunt. An fortè ex eo, quòd signaturam habet? annuunt Paracelsistæ, dum claram cum testibus conformitatem, & similitudinem satyriones præseferre obseruant. Verùm alias rationes à priori tute ipse lector expiscare. Meminit eiusdem Aetius, quem loco proprio perlege. Illud corollidis loco addendum ex Paracelso ipso, in cynosorchidum genere e duobus testiculis flaccidum, & rugosum semper abijciendum esse, eo quia contraria virtute, quàm ille saturniam vocat, Venerem insringat, & extinguat potius. Sed id magis appositè declarauit Galenus 8 simplic. medicamentorum vbi sic legitur. *Cæterùm maior radix multam videtur habere humiditatem excrementitiam, & flatuosam: qua propter epota Venerem excitat; Altera verò minor videlicet contra admodum elaborata est, ita vt eius temperamentum ad calidius, & siccius vergat, vnde hæc radix non modo non stimulat ad coitum; sed etiam planè contra cohibet, ac reprimit.*

Ex his ergo percrebescat, quòd si ex esu testiculorum multi nullum retulere in Veneris luctæ auxilium, id accidit, quia vtrumque testiculum adhibuerunt; vnde factum est vt alter alterius vim retardauerit.

Aeruca.

IGnitam Venerem, & lentos aruca Hymenæos
Excitat

Vt carmini blanditur opinio. Hinc Dioscorides libro 2. capite 133. scribebat: *Cruda arucæ Venerem largiore cibo concitat, semen eodem effectu prodest*; & Galenus secundo de aliment. facult. inquit, *semen autem generare creditur, & coeundi appetitum excitare*, quod nec præterijt Ouid. 2. illo de remedio Amoris vbi sic.

Nec minus eruatas aptum est vitare salacis.

Id ex eo contingit, quòd vel testante Galeno hoc olus manifestissimè pudenda calfacit. An ex hoc mulieribus grata? salacia salaces delectant.

Bangue, & Betel.

PLante folijs, ac seminibus, quam Lusitani Bãguen appellant, Indi ad Veneris titillamenta augenda vtuntur; An quia lætitiam animi parit? nam Venus mœrorem odit. Idem præstat Betel, notum apud eosdem germen.

Vrtir

Vrtica. Secacul.

SEmen Vrticæ potum ex passo Venerem stimulat ex Dioscoride libro 4. cap. 79. Eryngium verò potentiore virtute, ac robore pollet, ex falsa opinione multorum; At Mathiolo errorem detegente capite de eryngio, non hoc, sed quæ dicitur secacul ab Arabibus, his viribus insignita est, siquidem genitalia refouet, renocat.

Cappares. Acorus. Cicer.

COnditi Cappares, vt e Liguria ad nos afferunt, Venereis blanditijs apprimè fauent. An verò propria virtute, an salis, quo condiuntur viribus, lector, inquire.

Acorus quoque Herba dicitur ἀφροδισιακὸς, ex eo quod Venereas excitat, augetque illecebras.

Cæterũ Græco nomine cicer dicitur ἐρεβίνθος, quæ vox sonat etiam testiculum, vt ostenderetur vis, quam obtinet erga obscenam partem. Inde apud Græcos vocabatur Bacchus Cicernus, ideſt testicularis, Ἐρεβίνθιος Διόνυσος vt alluderetur mori, quo vtebantur in Dionysiacis, in quibus membri virilis imitamina capitibus, ac femoribus inserebant, atque ita saltabant in honorem Dei, vt supra retulimus.

Nasturtium. Porrum. Cepe. Scilla.

VEnerem stimulant, inquit Dioscorides lib. 2. Idem testatur de cepe. de costo, de Croco, de semine lini, de rapo, de sisere, & alijs similibus capitibus proprijs. Sed peculiari quadam energia scilla libidinem æstuantem facit, ideoque in Lycophronis carminibus schœnida Venus appellatur à Scilla, quam schœnon Græci dicunt, vnde etiam schœnicolæ meretrices dicuntur. Vide Rhodig. libro 14. capite 7.

Cynara, Sellari. ac Tubera.

CYnara, & apium quod vocant, vulgo sellarum, cuius maxima Romæ, & vbique Italiæ copia est, Veneris cupidinem excitant, augent fouent. Item tubera vulgo tartufi omnium maximè pipere commista libidinem adaugent, vt nouerunt Veneris athletę.

Dracunculus. Hedera.

HVius radix teste Dioscoride libro 2. capite 177. cum vino pota Venereum excitat pruritum.

Hedera verò Κίσσος ab infinito κίσσαν dicitur, quod est in Venerem trahi, nam teste Plutarcho in quæstionibus, hederę spiritus est, quę mentes in furorem concitat, & loco mouet, & ebrietatem absque vino inducit. Vide Fuksium de historia stirpium capite 1. Sunt alia plurima tum apud Dioscoridem, cùm etiam apud Mathiolum, apud quem plenius legenda sunt; nobis relata sint satis.

Aquæ Aphrodisiæ.

POstremò Balnea quędam tamquam auctarium ex Andrea Baccio 3. de Balneis ascribenda. Tritolæ, atque Iuncariæ apud Puteolos aquas impotentes iuuare, ac sterilitatem abigere, eiusdemque energiæ Vitubij aquas reperiri, Hidrographi tradunt.

De aqua Iuncarie Alcadinus in suis carmini accinit.

Efficiunt Veneris renes ad prælia fortes.

Nec fileantur Aquæ in Bœotia lacus dicti Furialis, quo si quis biberit ardore libidinis exardescit Vide Bartholomeum Cassęneum 12. parte Catalogi.

De Sale, Salsugine, & Salitis.

SAl parergon examinetur, cuius proculdubio facultas Veneri eatenus quoque arridet quatenus illa e salsa maris spuma ortum duxit, vnde Horatius Flaccus libro 3. ode 26.

Læuum marinæ, qui Veneris latus
Custodit. & Musæus in Leandro.
An nescis Venus ovta maris de semine, quod sit;

Hinc illi Saligenę nomen, & fanum eidem Aruspices ad maris portum in salacitatis studium decreuerunt. Rem ipsam confirmant marini apud Ethnicos Dij, qui omnium petulantissimi censebantur. Hinc apud sacerdotes Memphiticos consuetudo inualuerat, vt à sale, salitisque semper, & vbique tanquam à libidinum fomite, & genialis pruritus irritamento abstinerent: sciebant enim vim seminalem inde acui, & expergefieri. Ideo Plutarchus 5. sympos quæst. 10. *ad generandum*, inquit, *haud parum facere sales, creditur; namque Ægyptiorum sacerdotes castissimi cum sint, sale in vniuersum abstinent, adeò vt pane quoque insulso vescantur.* Id omne non vnum roborat experimentum: & primò quidem pecudum genus, vel Aristotele docente, ad coitum pronius, insuperque fecundius salis vsu efficitur; idemque canibus accidere, compertum est. Secundò mures, si salem lambant, paucis diebus fœcundissima prole domos, & naues replent. Tertio salitę, ac nitrosæ aquę non parum fœcunditati prodesse creduntur; quamobrem Ægyptię mulieres summè prolificè ex Nili salsuginosa aqua redduntur. Ita sanè aquæ Aponenses, quæ saligna virtute imbuuntur nõ paucas mulieres à sterosi vendicarunt. Ita quoque Narniæ, vbi fons nitrosę aquę recens scaturiuit,

aut

aut saltem absconditus refluxit, multis sterilitatem ademit, vt Paulus Mancinus eius ciuitatis versatissimus medicus obseruauit sæpius, & plurima de huiusmodi latice ad me doctissimè exarauit. Quartò demum pisces in salo, frigido licet, vberrimam, immo innumeram edunt prolem salis beneficio, à quo penè in Venerem absque in termissione ruunt. Quintò qui salsis humoribus diffluunt, sunt in Venerem putres; vnde fortassis libidinosi appellari consueuerunt salaces.

Sed obijciet aliquis ex Plutarcho quinto naturalium quæstionum, salem seminibus, ac plantis inutilem immo potius infensum esse, quod vel ex eo probari posse videtur, quòd vbi ob scelera commissa regni alicuius, agros, ac terram deuastare consilium est, solum sale inspergitur; ita sanè Abimelech Rex, vt nono habetur Iudicum Sychimorum vrbem expugnatam sale consperſit. Quid multa? etiam Salernitana schola de sale dicebat.

Vrunt res salsæ visum, semenque minorant.

Atque his non obstantibus primæ opinioni adhærendum censeo, salem scilicet Veneri, & fœcunditati præsidò esse, eo quia alimentum ad vasa deferri largius facit id; tamen de salis moderatò vsu intelligendum erit; vt enim doctissimus Vallesius de sacra Philosophia cap. 34. testatur, immodico salis vsu sterilitatem, quia fortè consumit, & absumit humidum illud, moderato verò fœcunditatem inferri ob allatam superius rationem. Ad illud de seminibus afferam ex Georgicis contrariam instantiam, Virgilius enim, vt semina vberrimam referant sobolem, nitro, cuius cum sale vis quasi eadē, perfundi iubet ijs verbis.

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca.

Ad illud ex libro Iudicum opponam illud ex quarto Regum cap. 2. vbi legimus, Hiericontis aquas steriles ab Heliseo, immisso sale, fœcundas redditas esse.

Omnia ergo salita, & salsamenta vt pisces et garum, & omnes salnacidæ aquæ obscœnis partibus blandiuntur, auxiliantur; quin etiam, & pisces in salo degentes, præsertim qui proximè describuntur.

Conchæ, Ostreacea, Murenæ.

SEd Venus orta salo nunquid in eo suæ libidinis fomites non inueniet? Inueniet vtique; & quidem maiores quicunque pisces vel quia flatus concitent multos, vel quod salsos cumulent succos tentiginem proritant. In primis verò ostrea, & conchæ rei faciunt Aphrodisiæ, ob dapsile, simulque flatuosum quod præstant alimentum. Et hinc fortè Mythographi Venerem concha vectari finxerunt, & Martialis epigram. 13. 82.

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Eadem de murenis masculis opinio inualuit; id quod Curius Comœdus annuit, dum Dionem scortum ita loquentem refert.

Myrinum mihi affers, quod Veneri annis occurſem fortiuncula.

Polypodes. Cochleæ.

POlypodes ab Oribasio primo synopseos ad Veneris certamina plurimum commendantur: illum audiamus. *Libido si quid aliud alimenti exuberantiam exigit; ex quo fit, vt qui cibi valde nutriunt, ij sint accommodati; atque ex piscibus polypodes apti sunt; excitare enim Venerem mirum in modum existimantur.*

De Cochleis auctor est Petronius Arbiter in satyricon, vbi Polienum sese ad Venereum conflictum præparantem ita dicentem inducit: *Dimissa cum huiusmodi pollicitatione Chrysidę curaui diligentius noxiosissimum corpus, balneoque præterito modica vnctione vsus, mox cibis validioribus pastus, ideſt bulbis, cochlearumque sine iure ceruicibus hausi parcius merum.* An fortè ob eandem causam, quam de Ostreis adduximus? Speculentur ingeniosi.

CAPVT III.

De varijs quibusdam, atque etiam prodigiosis Aphrodisiasticis, Ex varijs auctoribus deceptis.

THEOPHRASTVS libro 9. capite 20. de historia plantarum ignotę cuiusdam herbę meminit, ab Indo quodam delatæ tantæ ad Venerem ciendam efficaciæ, vt non comedentibus tantùm, sed vel tangentibus libidinè incendat adeo, vt quoties voluerint, toties coire valeant; & addit etiam multos, qui ea sunt vsi, duodecies breui horarum spatio egisse. Quin subiungit, Indum illum talis herbæ delatorem alioquin robustum septuagesies aliquando coiuisse. vt ille idem fatebatur, verùm seminis effusionem factam fuisse guttatim, demumque vel sanguinem emisisse. Sed ne fabellas muliercularum occinere videar, apponam verba ipsius Theophrasti, viri alioquin haud contemnendi; immo vti Aristotelis discipulus plenè recipiędus, & extimādus erit. Hæc ipsa sunt verba: *Ad rem autem Venereum mirum immodum herba pollebat, quam Indus attulerat. Non enim solum edentibus, sed etiam tangentibus tantum genitalibus vim dixere vehementem adeo fieri, vt quoties vellent coire valerent. Et quidem qui vsi fue-*

Digitized by Google

fuerunt duodecies egisse dixerunt. Indum autem ipsum qui vel magno, atque robusto corpore erat, septuagesies aliquando coiuisse fatentem licuit audire; verùm emissionem seminis guttatim fuisse, demumque in sanguinem deuenisse. Mulieres verò vehementer etiam citari libidine cum eo medicamine usa fuerint, dicebatur. hactenus ille.

Ioannes Schenchius libro 4. obseruat. radicis cuiusdam meminit, quæ in Atlantis iugis occidui soritur, cuius esu libidinis intensum excitari feruorem, & quod mirabilius est, si quis super eam vrinam reddat, statim feruida turgere libidine; & virgines si fortè super eandem aut sedeant, aut mingant, illicò membranam, quę dicitur hymen, amittere, atque disrumpi, perinde ac à viro deflorata essent, affirmet.

Scaliger exercit. 175, ait, reperiri in India arborem pyri similitudinem habentem, ac perpetuò virentem, fructusque ipsos pyris quoque assimiles reddentem, & Agnacat appellari; hanc autem esse tantæ virtutis ad fomitem irritandum, vt superet omnem fidem.

Prosper Alpinus de plantis Ægypti capite 33. asseuerat, colocasiæ radicem crudam, vel coctam comestam & semen multum progignere, & Veneris ardorem fouere.

Garcias ab Orto libro 2. capite 22. cuiusdam plantæ Bangue dictæ semen, & folia procliues in Venerem, reddere testatur.

Andreas Cesalpinus cuiusdam seminis gossipij similis monumentum facit miræ virtutis, & efficacitatis ad Genij tentiginem promouendam.

Trallianus, & Gesnerus Scincorum partes circa renes naturalibus erigendis mirificas esse tradunt, & confirmat etiam Andreas Matthiolus. Plinius lib. 26. mira de althæa, & abrotano scribit, quod nimirum illius semen alligatum brachio, huius ramus puluino suppositus vegetam, atque diu constantem clinopalim faciat; idemque de scandice affirmat.

Cantharidis minima copia sumptis veretrum tendi, ac libidinem inflammari, testatur inter alios Cardanus de subtilitate. An quia renes immodico fatigant æstu? An quòd sanguinem ad eam regionem deducant, ipsumque genitabilem succum in proprijs vasis ebullientem præstent?

Oribasius apud Aetium, & cum eo veteres, & recentiores plurimi auctores credunt, stellionem dextero pede gestatam penis floccitiei, & languori mederi; quare sic apud illum: *Stellionem vsum quàm tenuissimè conterito, deinde oleum affundito, atque ex eo magnum dextri pedis digitum inungito, & coito; vbi verò à coitu cessare voles, digitum ipsum abluito.* Sed quid ad illud Plinij asserentis, quòd si cinis stellionis linamento inuolutus in sinistra manu gestetur. Venerem excitet, si transferatur in dexteram, inhibeat? Id ego putarim ridiculum, & à superstitione, Plinianisq. commentis haud multum alienum.

De Gallorum testiculis mira.

Recentiores omnes vnanimi consensu celebrant ad vsum Veneris Galli testiculos, quos in frequenti vsu quendam nostris rem poribus Neapolis Proregem habuisse, palam est, cùm sese Veneris mulcebris tradiderat totum; nam ex jis contusa, ac piperata adhibebat. Qua in re pro interludio satis ridiculo proferendus erit in scenam Amatus Lusitanus, vir alioquin satis catus, qui secunda centuria curat. 81. in Scholijs hæc habet. *Quum nobilis quædam mulier gallos exemptis testiculis eunuchos redderet: testiculos, vt optimi succi nutrimentum, pro marito in edulium adiecto melle & aromatibus redigit, quo cùm maritus in cœna vesteretur, ita in Priapismum deuenit, vt post longum cum vxore concubitum, ipsa iam lapsa viribus, nec amplius laborem ferre valens à cubiculo vtrique communi fugam fecit. At maritus furibundus pruriente adhuc materia, quum vxorem persequeretur, nec ipsam assequi valeret, quum alteri cubiculo occluderetur, ad ancillas tres, vel quatuor domesticas se direxit, quibus omnibus apprimè satisfecit. In aurora verò medio accersito (nam etiam num. humor titillabat) res in iocum trahitur, & semine viticis cum camphora ebibito, ac ex populneo linimento supra renes facto à furore illo, & Veneris irritamentis liber factus est,* hæc ille. Nec modo testes, verùm & vniuersa Galli substantia aphrodisio certamini confert; ideoque aliqui Gallum assumunt dempta cute, & interaneis, sale insarctum in vmbra suspendunt, donec arefiat, mox vnà cum sale terunt, & pulueris huius drach. ij. in vino exhibent. Quid plura? vel lapillus, alectorius dictus in ventriculo decrepiti galli repertus virile robur in geniali thoro adauget.

De lingua Anseris, Borace, & Capura.

Apud Petronij Arbitri scholiasten legimus, anseris linguam in cibo, aut potu assumptam fœminarum libidinem incendere.

Eodem Lusitano auctore centuria 2. si boracis dimidium drachmæ in ouo sorbili assumatur, in priapismum hominem trahit; quod idem confirmat Mercurialis consil. 48.

Sicut Caphura obtundit luxuriæ feruorem, sic capura viua, quæ est apud Persas resina quædam, intensum genitalium inurit prurietum.

De Turcarum Amphione.

CArdanus, Scaliger, & Nicolaus Monardes amphionem illum, quo ad Venerem ciendam Indi, ac Turcæ vtuntur, nil aliud esse, quàm opium testantur; licet Amatus centuria 2. neget illum esse papaueris succū, sed alterius cuiusdam herbæ: & sanè res admodum difficilis videtur quòd medicamentum hoc stupefactiuum validum, ac norco-icum Venerem proritare possit. Garcia ab Horto opium testatur in frequenti vsu esse apud Mauritanos, non quidem ad Genium excitandum, verùm ad quietem inducendam, animique fastidia auferenda; quod verisimilius est; id autem quomodo verum sit, & qua ratione in tanta copia absq; noxa ab Hispanis efferatur, discendum à Marcello Donato libro 4. de historia mirabili. Illud apponam tantummodo ex Simeone Sethi, papauer si cum melle edatur semini genitali adiicere, quod qua ratione contingat, ingenio speculare. Nam Christophori Acosta rationes, cur opium salacitatem adaugeat, insulsæ prorsus, ac friuolæ mihi videntur; At interim, lector amice, vulgatem exue opinionem, qua creditur opium frigidum; nam præcalidum hoc est, vt inter alios doctissimos viros Princeps agit Platerus; quòd si recentioribus fidem deroges, rationibus saltem acquiescas; nam qui potest esse frigidum opium, quod odoratum, & graueolens; quod amarissimum, quod insuper mobile est, quod sitim, & faucium incendium inducit, quod dementat, quod prurigino-um est, quod diaphoreticum, quodque libidinem incendit? Vide si placet Michaelem Doringium, neq; sacrilegum putes à veteribus recedere. Item, vt comicus ille monebat:

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Ex Plinio Aphrodisiastica ab Animalibus desumpta.

COitum stimulat fel aprugnum illitum: item medullæ suum hausta, seuum asininum anseris masculi adipe permixto illitum. Item à coitu equi, Virgilio quoque descriptum virus, & testiculi equini aridi, vt potioni inseri possint, dexteræ asini testis in vino potus proportione, vel adalligatus brachiali: eiusdem à coitu spuma collecta roseo panno, & inclusa argento, vt Osthanes tradit: Saliua genitale in oleum feruens mergi iubet septies, eoque perungit pertinentes partes: Bialeon cinerem ex eodem bibi vel tingi a cortu virinam, lutoque ipso illini pubem; Vide libr. 28. capite 19. Hirci, & capræ fel ad eundem pariter vsum probatur; Inde Q. Serenus:

Ac super illinitur fœcundæ felle capellæ.

Nec tandem ex eodem Plinio prætereundum, Crocodili maioris dentes e dextra maxilla Venerem non parum stimulare; alligantur autem illi dextro lacerto.

CAPVT IV.

De Plantis, & animalium quorundam partibus, quæ vel ex signatura, vel arcana virtute Venerem inflammant, & fœcundi tati opitulantur ex lib. 3. cap. 44.

Phytognomoniæ Ioannis Baptistæ Portæ.

ENATVRA procreationi, generationique satagens multas, & varias demonstrat in herbis, & animalibus similitudines, quibus homines proli consulere possint. Generationis instrumenta vocamus Scrotum, Testes, & Vulvam; vnde Plantæ, quæ radicibus, fructibus, excrescentiis, aliisque modis hæc demonstrant, ad Venerem valere, verè non debemus. Monstrant faba colis glandis similitudinem veram, & vulgo fabam vocare solemus. Præterea Theophrastus demonstrans fabæ germinationem inquit: faba eadem parte radicem fundit, & caulem, qua etiam nexus siliquarum conflit, inque ea veluti principium quoddam germinandi haud quaquam obscurum; in quibusdam ad mentulæ formam effigiatum sanè inspici possit, vt etiam in cicere, & maximè in lupino, ad Venereas vires roborandas cognouimus fabam valere, cum sit multi flatus, & nutrimenti: ob id à Pythagora damnata, quod rei Venereæ proluuium detestaretur: Sic ciceribus, lupinis, & leguminibus alijs vescentibus accedit genitalis copia, vt protinus in Venerem ruant, & libidini alacriùs indulgeant. Glandes præterea summam colis partem ostendunt, quam præputium vestit: præputium enim est pellis, qua glans tegitur, colei ipsa penis; magna est igitur inter glandem, & penis caput similitudo: satisfacit calice summa glans aperitur, vt demptò præputio summa colis appareat pars: non ab re igitur multa quis ad penis remedia ex glande sumpsitare poterit. Glans in cibis multum flatum parit, ex Dioscoride. multum alimoniæ Simeon Sethi præstare dixit, quod satuosum, & alimentum habet, facile virilia roborare poterit: ob id etiam puto, Pythagoram à glandibus abstinendum præcepisse. Nunc è bulbaceo ge-

Digitized by Google

genere radices se offerunt, & plures quam priscis memoratæ, quas omnes ab effigie ὄρχεως, ideſt teſticulum vocant, & ab effectu Satyrion, quod Veneris incentiuæ ſint: ſed Plinio, & Apuleio vnicus bulbus ſatyrium eſt: Genera orchidum plura ſunt, quæ geminis conſtat bulbis teſticulorum humanorum effigie circa caulem in eorum origine per ambitum quam plurimæ fibrillæ, & capillaceæ inſunt, ex quibus poſſit alimentum capere vt pube laneſcunt, intus pleni ſunt liquidi ſuccꝰ, viſcidi vt albuminis oui, quaſi foret ſemen genitale, ſiluoſis locis, & opacis viſ ſæ multi plices ſunt, & varij quam vt poſſint enumerari. Sole Geminos ingreſſuro florent omnes: In Theſſalia mulieres in lacte caprino bibere ad ſtimulandos coitus, dixit Dioſcorides, quæ omnia ex Theophraſto excepit.

Humanis corporibus vltra illa quæ ſanitatem, morbos, mortemque ſpectant, alias quoque herbas afferre ſuis viribus, poſſe affirmant, vt puta generandi ſeminis facultatem: ſicut qui teſticulus appellatus eſt, & magnum ad coitum datum è lacte caprino efficacem eſſe. Aſſert, & ſatyrium radicem mali magnitudine ſuluam intus vt oui candidam, vtendum ea cum concumbendi inceſſit cupiditas; ſiquidem ea promiores ad Venerem fiunt. Aliud eſt ſatyrium erythronium, ideſt rubrum cortice radicis gracili, rufo, intus albo, non ſecus atque ſcinchus libidinem excitat etiam ſi manu tentatur, & magis ſi bibatur ex vino. His ſuccedit ſerapias peculiari virtute ſua, & mirifica Ægyptijs venerandæ Deæ Serapidis auguſto nomine dictus. A ſimilitudine teſticulorum bulbi omnes Venerem excitant ex Dioſc. Martialis ad hæc.

Cum ſit anus coniux, cum ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quam ſatur eſſe potes.

Dracunculus maior radice bulboſa donatus ſingulari, & rotunda, vt teſticulus in vino potus Venerem prouocat: idem de minori dracunculo dicendum. Gladiolus radicibus geminis conſtat bulborum modo alterum ſuper alterum inſidente, quarum inferior gracilis, ſuperior vberior, ſuperiorem in vino potam Venerem ſtimulare Dioſc. tradidit. Haſtula regia bulboſa multis radicibus teſticulos imitantibus conſtat, quibus Venerem excitari ſapius diximus cum vino, aut melle perunctis, aut bibentibus ex Plinio. Idem de croco, capa, allio, ampelopraſo, & cæteris dicendum eſt. Sic & quæ oblongo corpore ſcroti oſtendunt imaginem. Porrum Venerem excitat adeo ſcroto ſimile, vt in prouerbium abierit. eadem forma adoleſcens capa: Plinius auiditas coitus putatur & cibis fieri, viro eruca, pecori capa. Apuleius amatorium eſſe Staphyliginum dixit: fortaſſe quod Venerem ſtimulari hoc cibo ſit creditum, & ideo conceptus adiuuari, etiam prodiderunt ex Plinio. Raphano Venerem

A ſtimulari putauit Plinius. Siſer eiuſdem formæ, & vt Opion, & Dioclesꝰ tradidere ad eadem valet. Sic de napo, rapo, paſtinaca, & aliis dicendum: ſunt & quædam plantæ, & animalia pubem referentia, quæ ad eadem valere iudicarem; nam radices quædam earum ſummitate lanugine nem habent, vt pubis lanuginem exprimant. Eringij lanuginoſa folia circa radices habent, quorum radices ſaccharo, vel melle aſſeruatæ valent, vt qui eas ederint, ſalaciores euadant. Leontopodion circa radices lanoſiore ſtocco caneſcit, ad amatoria valere tradit Dioſc. Concha eſt pecten vocata, quod faminea pubem referat, valet ad Venerea, vt oſtrea, quorum ſpecies eſt. Demonſtrant & animalia, quæ eiuſdem ſint virtutis aliquod inſigne luxuriæ in inſtrumentis. Buteonis ex accipitrum genere teſtes tenini Græci τριορχεις vocant, eis qui in Venerem infirmiores ſunt, Buteonis teſticulos cum melle decoctos recentes donant, & flatim eoibunt. Archelaus lepores androgynos dicit, vno, eodemque tempore alios implere, & ex ſe parere, quod nonniſi ex ſuperfluo ſeminis abundantia, & fœcunditate euenit, quod eius hirſutie ſignificatur ex Ariſtotele lib. de animal. generat & Problemleporum vuluas, & teſticulos quidam Medici pollere putant ad coitum in viris, conceptum in mulieribus excitandum. Brileto, & Tharne ceruis qua cerni renes ſunt ex Plinio, quod idem Aelianus ex Apione refert; ſed eius genitale vidè nervoſum eſſe ex Ariſt. ceruini teſticuli ſicci aliquam partem potato, & concubitum excitabunt cum voluptate, Heſichius, & Varinus: Gallis in coitu teſtes grandiores fiunt ex Ariſt. quod etiam de erdicebus verificatur, & de palumbis, & omnia ad coitum valent. Genitale oſſeum in aliquibus demonſtratur, & ad idem præſtat, vt in lupo, vulpe, cane, & muſtela videre eſt: ſic & animalia, quæ nimia copia ſeminis citò coitum abſoluunt, & præcipuè ea, quæ non foris teſtes, ſed intus in lumbis habent ob amplexuum incommoditatem, coitum citius explere oportebat, ob id ſemper præparatam ſeminis copiam habent, & à lumbis ad teſtes breuis eſt tractus, vt in ouiparis videre eſt; ob id ouipara ſaluiora, & in ouis ſubſtantia maxima ad luxuriam eſt. Heraclides apud Athenæum: apud quem Alexis poeta quoque oua inter cibos Venerem incitantes numerat; & Auicenna phrygioſa libidinis perdix, ſi contra mares ſteterit fœminæ, vt in Animalium hiſtoria ſcripſit Ariſtoteles aura ab eo flante fiunt, prægnantes; hianies exerta lingua per id tempus efflant, concipiuntque ſuperuolantium afflatu, ſæpè voce tantum audita maſcult ex Plinio, quod & Auicenna repetit, & Athenæus ex Athenæo Mynndio. Dimicant inter ſe mares deſiderio fœminarum victus in pugna victoris Venerem patitur, Proditum à Myticis eſt, perdicem ſuiſ-

se venatorem, qui matris infando amore correptus sit; dum verò utrinque immodesta libido feruet, consumptus, & ad extremam labem perductus est: caro perdicis Venerem promouet ex Auicenna: oua in cibo sumpta vocat Kiranides amatorium poculum, quia venerem concitant. Galli testes in remibus habent. Alexander Myndius apud Athenæum veneris concitatores esse. Eadem Coturnici conueniunt, quæ de perdice diximus. Gesnerus Medicus adipem coturnicis cum pauco elleboro ad vim Veneris excitandam membro pudendo inungit, testes sub iecore habet, vt ex eodem legimus. Attagena cavo ad idem valet ex Auicenna. Pulmonis vulturini dextera pars Venerem concitant, viris adalligata gruis pelle ex Plinio. Aquila renunculi, & testiculi sicci in cibo, vel potu dati siue viro, siue mulieri concupiscentiam excitant. Succedunt his quadrupedes ouiparæ, quæ testes in renibus habent. Crocodili testes intus adhærent lumbis ex Aristotele; crocodili è dextra maxilla dentes adalligati dextero lacerto coitus stimulant ex Plinio. Mirum, & de stellionis cinere linimento inuolutum in sinistra manu venerem stimulare: si transferatur in dextram inhibere. Plinius. ad Venerem ciendam Oribasius apud Aetium; stellionem vstum quam tenuissimè conterito, deinde oleum affundito, atque ex eo magnum dexteri pedis digitum inungito, & coito; vbi verò à coitu cessare velis, digitum ipsum abluito, & idem apud Nicolaum Myrepsum, Paulum Aeginetam, & Marcellum Scincus semen auget; & libidinem stimulat ex Auicenna. Scincorum partes circa renes tanquam naturalibus erigendis efficaces bibuntur ex Tralliano: Plinius latera dicit, & eadem apud cæteros Medicos. Testudo sola ex corticatis renes habet; tegumenti farina accendit coitum. Castor testes ad lumbos habet: fabulosa persuasio est, & antiquitus exposa, quòd genitales partes sibi ipsi vrgente periculo amputent, ob id se peti gnari vt Solinus scripsit, & Andromachus in Theriaca; & Ægyptij hominem ipsum sibi nocentem describentes, castorem pingunt. Cicero castorem se ea parte corporis redimere dixit, propter quam maximè expeteretur.

Idem Horatius, & Iuuenalis:

Eunuchum ipse facit cupiens euadere damno

Testiculi, quoniam medicatum intelligit inguen.

Contra sentit Dioscor. Plinius ex Sextio, & alij. Venerem auget, & voluptatem in actu vigilia perungendo.

CAPVT V.

De compositis nonnullis ad Venerea medicinis, & esculentis libidinarijs à Classicis Auctoribus probatis.

AD libidinis illecebras communiore commendatur à Neotericis oleum formicarum (vt ab extrinsecis exordiamur) cuius compositionem, & componendi modum, ita ex Arnaldo Villanouano describere placet. *Accipe nigras formicas, & alatas, repone eas viuas in amphoram vitream, & superfunde oleum sambucinum, suspende per aliquot dies ad Solem, postea colabis, unge testes, virgam, & plantas pedum, optimum est.*

Auicenna libro 3. fen. 20. tractatu 1. cap. 18. innumera fermè auxilia Venerem acuentia, & genitalia roborantia proponit, quorum cum sint obscura pleraque, multaque cum desuper allatis conuenientia, hic pauca tantum recensenda erunt; Cæterùm qui pleniori fonte eadem libare cupit, auctorem petat. Sumatur (inquit ergo ille) *lacertus in diebus veris, & decoloretur, & mundentur viscera eius, & impleatur sale, & suspendatur in vmbra donec exiccetur, eumque feceris illud, tunc accipe salem eius, & proyce corpus ipsius, & sufficiet tibi de sale eius res parua, minus quàm de sale stinchi, &c.*

Lac chamelinum ab eodem commendatur viginti diebus haustum. Addit insuper. *Et de illis, quæ currunt cursu proprietatum est, vt sumatur veretrum tauri, & exiccetur, deinde teratur, & pulverizetur de eo res modica super oua forbitia, & forbeatur.*

Hanc in Venerem energiam ideo fortassis Auicennas tauri virgæ dedicauit, quoniam ille rigiditissimè in libidine caudam intendit, adeo vt Gellius apud Ælianum libro 4 cap. 18. hæc habeat: *Taurus tanto ardore genitalem nervum contendit ad vaccam adiunctus, vt sine motu vllo semen emittat, ac si à muliebri genitali nervus in alium corporis partem oberrauerit, vaccam rigiditissima intensione vulneret.* Vt propterea prudenter admodum, ac basilicè Ioannes Eusebius Hierembergius in libro 11. cap. 3. suæ historiæ naturalis maximè peregrinę taurum, & non aliud animal esse illud, quod sub nomine Behemoth legitur apud Iob capite 40. iis verbis. *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet, Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum, nervi testiculorum eius perpleffi sunt.* Viden ergo quàm appo-

posite tauro verba aptentur. Sed ad rem. Rursus habet ille.

Medicamen vehementis virtutis. ℞. *mellis anacardi, & mellis apum, & butiri vaccini partes æquales, efferuentur, deinde bibatur de eo, quod bibitor tolerauit in vino; est enim mirabile.*

Ex eodem Auicenna ibidem capite 19.

In Nunctio ex pyrethro, euphorbio, & musco inter peritoneum, & virgam, & partes adiacentes efficax est. Vel taurinum cum melle collato. Cæpe narcisi cum oleo sambucino. Staphisagria cum oleo calido. Adeps leonis, oleum de styrace. Vnguentum Rusi, quod apud ipsum Auicennam legere est vna cum iunctionibus centum.

Ex capite 20.

Fiat suppositorium ex adipe anatis, & granis cotti, & pyretro, in oleo de nuce Indica, & dicitur quod si supponatur collirium ex adipe asini est mirabile. Clisteria verò assumuntur ex iure capitum, & pullorum columbinorum, cum vitellis ouorum & testiculi arietum boni sunt, quando in clisteryis ponuntur.

Ex capite 21.

Et quidam dixerunt, ille qui assiduat commestionem passerum, & bibit super ea lac loco aquæ, sine cessatione est erectus, & multi spermatis; & albumen oui est ei plurimi iuuamenti etiam multiplicant sperma, & cerebella animalium, & medullæ eorum, & cancri fluuiales, omnia ista conferunt eis.

Verùm dices hic, quomodo albumen oui, & cerebella Veneri ciendæ apta sunt, cùm sint valde frigida? Ideo hæc prodesse dixerim, quia multum spermatis gignunt, & quoniam flatus assatim excitant, qui ad ipsam tentiginem quàm maximè conducunt; qua eadem ratione commendat idem Auicenna cap. 18. Diatragacanthum, quoniam, inquit ille, inflat.

Arnaldus pillulas ad augendam Venerem ita parat.

℞. Fœniculi assi,
Seminis erucæ } an vnc. 2.

Tere lacte vaccino, & forma pillulas in modum fabæ, da tres cum vino, & cum voluerit dormire vngat corpus cum aceto, oleo, succo solatri simul mixtis.

Sed hic statim exoritur non contemnenda difficultas, quo pacto scilicet solatrum, & acetum, quæ sunt frigida, inuncta iuuent, ciantque Venerem?

Duplici modo ex meo censu respondum velim; Primò quidem frigidas inunctiones iccirco iurare posse, quòd natiuum cohibent calorem, & intro refundunt ad renes, & spermatica vasa Secundò dicerem, quòd est species solatri, quæ nuncupatur Alchechengi officinis, & à Dioscoride Halicacabon, & physalida, quæ vrinam mouet, & renibus confert; hæc ideo poterit etiam Veneri auxilio esse.

Contra vulgi opinionem vinum recens, & non vetus lubidini opitulatur, & ratio est, quoniam recens inflat, & vetus generosum dissipat vaporem Genio inseruientem. Ideo Auicenna locis citatis aiebat: *Aqua verò sunt sicut aqua ferrea, & vinum nouum; antiquum enim subtiliat vaporem: & resoluit eum, & nocet.*

Fallopius ad genitalium robur, ac tentiginem huiusmodi parat electuarium in libello suo Arcanorum.

℞. noctilucas præparat. num. iiij.
Specierum aromat. ros. } an vnc. 1.
Diambræ
pulpæ carnis nucis indicæ vnc. ſ.
seminum cinaræ excortic. vnc. 1.

Tritis optimè terendis misce, & cum sufficienti quantitate sacchari electi dissoluti cum aqua rosacea fiat electuarium, cuius cochlear accipiatur ante cœnam, & ante prandium immediatè.

Præparantur autem noctilucæ hoc modo: Recipe illas viuentes, & positas in linteo raro, suspendas supra vas, in quo bulliat acetum acre, donec interficiantur à vapore illo; postea ponantur in oleo amygdalarum dulci per diem integrum, demum terantur, & misceantur, & potest ipsarum maior copia addi electuario; sed cane, ne multo maior addatur. Cæterùm sequens electuarium tanquam energificum ex Francisco Frigemelica apud Fallopium recensetur.

℞. Sacchari rosacei vnc. iij.
hipocistidos drach. 1. s.
pineorum } an. vnc. 1. ſ.
amigdalarum
Stinci } an. drach. 1.
Amili
m. & cum sacchar o rosaceo fiat electuar.

Est in vsu nostris temporibus apud Seplasiarios Diasatyrion, cuius formula petenda erit ab Antidotharijs, & præsertim à Mesue, qui basilicam verè descriptionem exarauit; cuius insuper extractum Paracelsus proponit, omnium validissimum.

Diapræputiatum ex Nicolao de Sancta Sophia.

Duo electaria, teste Reinero Solenandro consil. sect. 4. gonima, siue spermatica, valdèque Aphrodisia Nicolao de Sancta Sophia tribuuntur, Diapræputiata nuncupata, quorum alterum celebrius, atque efficacius hic ascri-

Digitized by Google

bere præsentaneum ratus sum.

℞. Testiculorum Satyrionis viridium, bacciæ, secacul, nucis Indicæ, pistacearum, pinearum mundatarum an vnc. 1. s,
caryophyll. Zingib. anisi, linguæ auis, seminis erucæ an. drach. 5. cinnam. semin. bulbi an. drach. iij. Cerebrorum passer. num. xxx. Ambræ scrup. 1. Moschi gr. vij. mell. q. s. misc. fiat electuar. de quo cochleare sumatur.

Arnaldus idem electuarium describit, quo, vt loquitur ipse, nullum melius inuenitur ad libidinem augendam, & est huiusmodi.

Recipe vnam passam, daucum domesticum, & abijce interiora, tere diutissimè cortices, & adiunge libram vnam gummi arabici, pone in frixorium stamneum, & super adde vnciam vnam olei sesamini, frica, & pone libras tres mellis, dimitte vsque quo condensetur, vitellos ouorum sume quinque, admisce, ab igne remoue, & adde galangæ drach. ij. seminum vrticæ, piperis longi cynamomi electi, caryophylorum, seminis rapæ, & ceparum, seminis dauci an. drach. ij. & commisce diligenter, si volueris tingere, adde croci drach. ij. & postea reconde in vase vitreo, & vsui serua.

Io. Baptista Porta hæc addit postremò: *Si quis autem certando velit mulieris semen mouere, colis glandem moschi, & vulgo dicti zibetti, cafforei, cubebarum, & olei bene aspergine irrigato, vel horum vnum: coeuntes enim largè mouent.*

Sed heus tu, quisquis es, qui hęc libenter legis, vt ijs aliquando vtaris, scias velim, vsum eorum interitum properare, & vitæ cursum ocyus obtruncare. Quò plus fructificant arbores, eò senescunt citius: vbi olera proferunt semina, tunc arescunt properè. Ita demum natura comparatum est, vt speciei conseruatio, & productio, indiuiduorum corruptione, & interitu efficiatur. Potius ab potius assuesce libidinem obtundere, & Venerem infringere, vt dies proroges, vitamque viuas incolumem. Præuoluptatis momentaneo libamine, iuuentutis florem ne recidas, annos vitæ suaues ne rescindas. Veneris vectigal paruum est languor, mediocre morbus, summum verò nex. Quid præterea? Voluptas cedit, manent perpetuò incommoda: ictu oculi euanescit libidinis flamma, amissa sanitas ægrè restauratur: Præterit lasciuus amor, penitentia nunquam cordis relinquit penetralia. Hæc in gratiam eorum, qui sunt segnes, & frigidi in Generationem scripta sunt; tu si à coniugio procul es, pete contraria: in vsum tuum erunt vitices, salices, camphoræ, cicutæ, nymphææ, & similia. Ergo caue.

CAPVT VI.

De viro, qui verberibus, & plagis cruentis ictus feruentius libidine inflammabatur, & suauius venerea voluptate mulcebatur.

CAPHRODISIAM voluptatem blandicijs excitari, delicijs aduocari, atque illecebris experi, sciunt omnes; eandem complexu molli, contactu leni, dulcique osculo titillari: vel contra pressura comprimi, dolore infringi, mœrore, ac insuaui sensatione ablegari, detrectat nemo; siquidem vt alibi.

Nutritur inter lata fortunæ bona. Seneca.
Nec solet in mœstos illa venire thoros. Onid.

Mirum ergo, & prodigiosè mirum, quod adiuratissimi scriptores tradidere, extitisse nimirum non multis ante seculis virum, qui ab ictibus, & flagris præceps in libidinem agebatur, & quò diutius, ac vehementius vapulabat, eo ardentius, & auidius in libidinem properabat; adeo vt Rhodigino loquente: *Nescires, vtrum affectaret auidius verbera, an coitum: nisi quod illorum mensu libidinis voluptas constabat. Proinde extentis se præcibus diffagellari exposcebat, pridie quam id pateretur flagello aceti asperitate obdurato; quod si conuerberator lentius agere foret visus, velut extimulante rabie conuitijs increpabat: nec factum sibi satis arbitrabatur, ni inter cædendum sanguis se ostenderet.* Bone Deus quid hoc est? An quicquam referri potest prodigiosius? quando nam voluptas ex dolore, dulcedo ex amaritudine, pruritus e cruentato vulnere originem duxere? Aut quomodo eadem via in supplicium, & in delicium itur? Prodigiosi euentus causam in medium ferre vsque adeo arduum existimo, vt facilius crediderim naturæ omnium sympathiarum, & arcanarum proprietatum rationes a priori afferre. Ergo nihil saltem probabile comminiscetur ingenium? Porrò paucis opinionem propalabo. Existimarim, virum illum crassissimos obtinuisse a natura spiritus, nec non tactus organum obtusum, & modici sensus; atque insuper geniturum crassiorem, torpidam, & nihil turgentem; quare illi verbera pro leni vellicatione inferuiebant; ex quo insuper genitura ad orgasmum agebatur, torpentes, hebetesque spiritus excitabantur, atque attenuabantur, vnde mox ad genitalia facili negotio prorumpere valebant. Etenim perinde ac apud illos, qui exquisito sensu tactus præditi sunt, lenis manuum attritio, & illecebrosus cõtactus Veneris

Digitized by Google

ris excitat igniculos; sic apud eos, qui hebetiori, & fere querquero sunt imbuti cortice, verbera & flagra perinde, ac iucundæ frictiones iucunditatem, & pruritum excitabunt. Quòd autem huiusmodi habitus corporis reperiantur, nempe densissimi, obtusi, & penè lapidei, luce clarius est; videmus enim palàm rusticos, & inter hos querqueros terra veluti molli pluma cubare, lapidum ictu non frangi, baculo non malè affici, dolore ferè nullo torqueri: ita obduratam ferunt corporis cutem. Rursus id ipsum acceptum referri potest cutis pinguedini, & obæsitati, ob quam sæpe sensum referunt animalia ita stupidum, vt absque dolore fodiantur, & vulnerentur; ita Gabriel Fallopius libro de decoratione capite 7. se vidisse testatur in homine præpingui ita corium incrassatum, vt ratione excedentis neruorum impactionis sensum amiserit. Itaquoque Plinius Naturalis historiæ libro 11. capite 36. suibus viuentibus carnes absque doloris sensu à muribus arrodi interdum scribit; lubet ascribere textum: *Pleriſque animalium eſt pinguedo ſine ſenſu, quam ob cauſam ſues ſpirantes à muribus tradunt arroſas. Quin & L. Apronij conſularis viri filio detractos adipes, leuatumque corpus immobili onere.* Ita Dionyſio Heracleotarum Tyranno, ob excedentem pinguedinem singulis ferè noctibus ad sarcinam erogandam pluribus in partibus hyrudines applicabantur nullo ferè sensu, & ob cutis crassitiem non nisi oblongis acubus à somno excitari poterat. Quid ergo mirum si vel vulnera, & flagra in adiposis obtusam pariant sensationem, adeo vt illa potius voluptuosam pruriginem inferant? Adde quòd sanguinis etiam crassities hebetem efficit sensum, cuius ratione & cutis infimul densitate oriri crediderim, vt asini fustibus, & baculis parum lædantur; imo ex illis pinguescant potius, quod nimirum non est vt ridiculum reijciendum. Siquidem perinde ac in hominibus frictiones pinguedinem conciliant ex humorum, & sanguinis ad cutem prolectu, ita in crassioribus, ac densioribus animalibus, & sanguine imbutis crassissimo, vt sunt asini, fustes, & verbera pro frictionibus erunt, quibus attenuatus sanguis ad cutem ipsam prolectatus in adipem degenerat. Atque hæc omnia in proposito viro conuenire potuerunt; quocirca flagra non dolorem, sed pruritum potius inferre valebant, atque ex ijsdem sanguis torpidus, genitura stagnans, immobilisq., ac spiritus hebetes excitari, quibus mox in libidinis flammam ille idem trahebatur.

Finis Tertij Libri Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

Digitized by Google

SYLLABVS

TRACTATVVM, ET CAPITVM,

quæ in præcedente secundo libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De genitali maris instrumento, seu cole virili, eiusque apta conformatione: vbi de Oscillis, Fascino, Ithiphallo, seu phallo declarantur aliqua, 305.

Cap. I. *An cuncta animalia seminalia membra obtineant, & num eiusdem naturæ, & eodem modo tolata.* 308.

Cap. II. *Virilis penis anatomica obseruatio, & eius substantiæ per singulas particulas compendiosa examinatio.* 309

Cap. III. *An potuisset natura commodius alibi viri genitale collocare; Et cur vnum tantum, non duo ediderit.* 312.

Cap. IV. *Quatione, & à quibus causis fiat Priapi erectio.* 314.

Cap. V. *An penis vel in magnitudine, vel in paruitate excedens Generationi incommodet, vbi etiam de eiusdem rectitudine lasa.* 318.

Cap. VI. *De producentibus virgam.* 320.

Cap. VII. *De menta ad generationis humanæ opportunitatem amplificandæ.* 324.

Cap. VIII. *De penis vasta mole diminuendæ.* 328.

Cap. IX. *De nodo Verpæ.* 330.

Cap. X. *De ignauia phalli.* 332.

Cap. XI. *De penis paralysi.* 334.

Cap. XII. *De colis proteruia, ac palpitatione, ne, vbi de Priapismo, ac Satyriasi,* 335.

Cap. XIII. *De pene, seu glande imperforatis, necnon de gemine in ijsdem foramine.* 339

Cap. XIV. *De Præputij Phimosi, atque resima ingenti mole eiusdem.* 343.

Cap. XV. *De viris quibusdam Onobelis, ac monstruose mutontatis.* 344.

Cap. XVI. *Quibus planetis, in quibus signis, cuique Cœli domui ex Astrologorum opinione subiecta sint genitalia.* 346.

Cap. XVII. *Proponuntur varia Problemata ad viri seminale membrum pertinentia.* 347.

Cap. XVIII. *An penis intensio, & erectio sit naturalis actio, vel animalis.* 350.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Testibus, eorumque natura, necessitate, munere, & accidentibus. 351.

Cap. I. *Testium onomatopœia, dissectio, & eorumdem per singulas particulas anatomica examinatio* 351.

Cap. II. *An cuncta animalia testes habeant, & cur non omnia eodem loco, & eadem ratione à natura receperint.* 354.

Cap. III. *An, & qua ratione testes sint corporis partes principes.* 356.

Cap. IV. *An vera sit Aristotelis opinio de testibus, quòd ipsi semen haud parent, sed sint vt pondera spermaticis vasis appensa.* 361.

Cap. V. *Testes ex vera opinione sanguinem in*

in semen conficere, eique plastica- *facultatem tribuere* 365.

Cap. VI. *Cur natura binos testes in maribus effinxerit, ubi de Monorchis, ac Trioreis.* 368.

Cap. VII. *An, & qua ratione verum sit, dextrum testem producere masculum*-, *sinistrum verò fœmellam.* 370.

Cap. VIII. *De singulis testium, vasorumque* -*spermaticorum temperamentis, eorumque indicijs.* 374.

Cap. IX. *Testes à natura uti optima temperie, ita admirandis viriutibus, ac variis medicinis fuisse insignitos.* 377.

Cap. X. *De testium exuberantia diminuenda*-. 381.

Cap. XI. *De testium paruitate ad usum generationis adsegenda*-. 382.

Cap. XII. *De situ testium immutato, vt eluatione, seu occultatione illorum in*- *abdomine, necnon eorundem demissione, aut elongatione.* 383.

TRACTATVS TERTIVS.

De Eunuchismo, vbi de Apocopis, Spadonibus, Eunuchis, Frigiais, & Maleficiatis. 385.

Cap. I. *De castrandi ratione ex Paulo Aegineta. Aristotele & recentiori quodam auctore*-. 385.

Cap. II. *An, & cur si venæ secentur prope aures, homines infœcundi reddantur.* 387.

Cap. III. *Quare Spadones, & Eunuchi Generationi sint inutiles, & bi an differant inter se*-. 391.

Cap. IV. *In quas corporis partes abscedat in Eunuchis humor genituræ, qui ad testes primò, mox ad penem in re Venerea deferri debebat.* 392.

Cap. V. *De frigidis.* 396.

Cap. VI, *Cur pueri, senes, & agrotantes sint impotentes* 398.

Cap. VII. *De Veneris abstluenda impotentia cum aptitudine, ac desiderio.* 400.

Cap. VIII. *Cur vinolenti, & ebrij sint ad Venerem impotentes: Cur semen*- *eorum infœcundum, & qua ratione*- *Loth ipse temulentus & coiuerit, & genuerit* 403.

Cap. IX. *Quid sit, quòd qui amissam diu exarserint, si detur tandem fruendi licentia, frigent aliquando.* 407.

Cap. X. *De clinopali nudipedali.* 411.

Cap. XI. *De Temperario eunuchismo, seu de antiquorum insibulatione, vbi plura, nec extrita ad veros Eunuchos pertinentia*- 413.

Cap. XII. *An & qua ratione mulieres castrari possint.* 415.

Cap. XIII. *An possit quis per incantamenta*-, *& maleficia ligaminis dicta impotens ad Generationem reddi.* 419.

Cap. XIV. *Quo pacto à Dæmone coeundi, ac generandi impotentia immittatur.* 423.

Cap. XV. *Quibus indicijs dignoscatur affectus naturalis impotentia à maleficio.* 415.

Cap. XVI. *An sint vlla præseruatiua, & curatiua remedia maleficæ impotentiæ, seu contra Dæmones naturæ auxilia.* 430.

Cap. XIII. *Quæ sint istæ res naturales, quibus Dæmones, eorumque maleficia deturbantur.* 434.

Cap. XVII. *De quibusdam gemmis, & lapidibus Dæmoni, eiusque maleficijs arcana proprietate aduersantibus.* 437.

Cap. XVIII. *De remedijs contra Dæmones, & maleficia ab animalibus, eorumque partibus desumptis.* 439

Cap. XIX. *De compositis quibusdam antidotis in Dæmones, & malefici*-. 442.

Cap. XX. *Vana quædam, poetica, astrologica, superstitiosa, & penè ridicula Dæmonum, & maleficiorum remedia*-. 445

Cap. XXI. *De supranaturalibus, vel spiritualibus ad maleficia, Venerisque impotentiam auxilijs* 448

Cap. XXII. *De maleficis naturalibus, seu de rebus Venerem naturaliter infringentibus, & libidinem extinguentibus.* 449.

Cap. XXIII *De compositis quibusdam libidinem infrenantibus, & semen exiccantibus ex Auicennæ*-. 457.

TRACTATVS QVARTVS.

De Aphrodisiasticis, siue auxilijs naturalem potentiam ad Venerem- *excitantibus, & confortantibus.* 467

Cap. I. *De ijs, quæ Venerem extrinsecus, ac dolosè ciunt auxilijs.* 459.

Cap. II. *De simplicibus quibusdam libidinem acuentibus, & Genitalia suscitantibus* 471

Cap. III. *De varijs quibusdam, atque etiam prodigiosis Aphrodisiasticis, ex varijs auctoribus decerptis.* 476.

Cap. IV. *De Plantis, & animalium quorun-*

rundam partibus, quæ vel ex signatura, vel arcana virtute Venerem inflammant, & fœcunditati opitulantur ex libro 3. capite 44. Phytognomoniæ Ioannis Baptistæ Portæ. 480.

Cap. V. De compositis nonnullis ad Venerea medicinis & esculentis libidinarijs à Classicis Auctoribus probatis. 484.

Cap. VI. De viro, qui verberibus, & plagis cruentis ictus feruentius libidine inflammabatur, & suauius venerea voluptate mulcebatur. 488.

Digitized by Google

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER QVARTVS.

De muliebribus organis ad conceptionem ritè paratis.

Ad Illuſtriſſimum, & Reuerendiſſimum D.

D. CAESAREM FACHENETTVM

Archiepiſcopum Damiatæ, & apud Philippum IV. Hiſpaniarum Regem Nuncium Apoſtolicum Reſidentem.

VSQVEADEO me tua deuinxit humanitas, Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Præſul, ſic animum rapuerunt ſuauiſſimi mores, vt nullam præterire occaſionem valeam, in qua tuarum virtutum, & meæ erga te obſeruantiæ argumentum non proferam. Quare cùm prælo tandem hæc mea Geneanthropeia committeretur, operepretium duxi & grati monumentum animi explicare, & ſimul ſapientiæ tuæ, ſummæque probitatis decus eximium concelebrare, vt his tanquam Palladis gorgonide tutiùs muniretur, ac tanquam Phœbeo nitore plurimùm illuſtraretur. At quis licèt eloquij magiſter Iſocrates tuarum laudum pelagus attingere, nedum tra-

tranare valeat? Haud sanè mihi tribuo tantum; satiscunt ingenij mei vires, vbi tuarum virtutum immensum obijcitur stadium. Ampliſſimam tamen gloriarum seriem breuiſſima epitome coarctare fas est. Nempe instar omnium dixisse sat erit, quòd vni VRBANO VIII. Pontifici Maximo, & Sapientiſſimo vnicè commendaris, ac triplici nomine probaris, vtpote NATALIBVS, SAPIENTIA, AC VITÆ INTEGRITATE. Quibus poteras, Illuſtriſſime Antiſtes, maioribus titulis cohoneſtari? Aut a quo Dignitate, vel Sapientia altiori Principe laudari? Nimirum trigemina iſthæc tua corona iam vniuerſo Terrarum orbi præfulget. Nam quoad originem inprimis, Pronepos es Innocentij IX. Pontificis Maximi æternæ memoriæ Principis, cuius incomparabilem in regenda Eccleſiæ Mole Sapientiam, ac Pietatem, vt optauerat Roma diu, ita immaturè nimis deperditas anxiè deplorauit. Sapientiæ verò tuæ columen abundè reſtantur delegata a Summo Pontifice ampliora munera; & maximè quam geris impræſentiarum in magna hac mundi cataſtrophe Nuncij ordinarij apud Hiſpaniarum Potentiſſimum Regem prouincia; In qua nimirum ſingularis præcellit prudentia, mira dexteritas, atque fides inenarrabilis. Probitas demum, caſtique mores ipſi per ſe micant; ſiquidem nihil de te niſi æquum, & relligioſum cogitari, nedum aſſeri poteſt. Profectò Bononia primùm ab Adoleſcentia tua perennium ſtudiorum, atque honeſtiſſimæ vitæ ſpecimen ſumpſit. Roma deinceps in maximis Apoſtolicæ Sedis Oneribus eximiam in iuuentute integritatem, & irreprehenſibilem iudicij lancem experta eſt. Iberia tandem in auctoritate ampliſſima admirata eſt animum nihil degenerem, ſed ab omni corruptione alienum, atque diuitiarum contemptorem. Vnde fas eſt vnicuique vaticinari, ac tuis tantis virtutibus certis auſpicijs adhuc maiora ſpondere; nec longè diſtas, ſi Sacri Romani Apollinis cortinæ non fallunt, a ſplendidiſſimo dignitatis cardine. Et ego in primis, quem ſpirituali inſuper vinculo dignatus es, cùm filiolum meum tui Nominis, mihique propterea dilectiſſimum, tàm libenter ad Sacri Baptiſmatis fontem ſuſtinuiſti, a ſummis Cœlitibus cum Neſtoreis annis honorum, omniſque fœlicitatis faſtigium inſtantiſſimè deprecor; Vale.

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER QVARTVS.

De muliebribus organis ad conceptionem ritè paratis.

PROEMIVM.

COMMODA Generationi virilia huc vsque construximus, sunt modò muliebria retexenda, quatenus conceptionis opus ritè perficiatur. In his benigne lector, nihil minus naturæ artificium, ingeniumque admiraberis; nam

A Dædaleas artes aspicies, Cyprigne labyrinthos ingredieris, Priapi hortulos calcabis, Thearra Generationis percurres, Genij campos metieris, opicæ voluptatis mineram adinuenies, vitæ primum conceptaculum agnosces, originemque contemplaberis tuam. Huc fige, lasciue, oculos: miselle quid concupiscas, attende: cur delires amans, & amens nosce: quò tua feratur extrema libido, disce petulca nimis, & mulierosa iuuentus: Hæc meta tui laboris improbi, hoc tuæ nequitiæ stadium, & vnum gynæcoma chiæ gymnasium. Intende animum, mox.

Fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

TRACTATVS PRIMVS.

De natura, situ, conformatione, aptitudine, conspiratione, & motu muliebris conceptaculi, necnon de quibusdam præter naturam affectibus, qui pudendo, uteroque adnascuntur.

PRAELOQVIVM.

NIL minus ingeniosè natura sagacissima mulierum fabricauit instrumenta, quæ Generationis humanæ liturgiæ deseruire debebant. Quinimo longè maiorem in his impendit industriam, quando organa ipsa non modo vt virilia ad fœtus productionem conueniunt; verùm eundem vlterius excipiunt, fouent, nutriunt, seruant, atque ad vltimam vsque perfectionem deducunt. In hoc muliebria præstant; Ex hoc magis matri conceptus debet, quæ infilliorum generatione proculdubio plura suppeditat, semen, sanguinem, locum, alimentum: Aperiamus ergo vasa, quæ semen; venas, quæ sanguinem; cellas, quæ locum; meatus qui alimentum ortui, conceptionique tuæ detulerunt.

B Expendamus omnia, nec loci stomachemur fœditatem, si quæ insit; nam cuncta, quæ ad Generationem faciunt, præclara nimis, ac summè decora sunt censenda. Qui aurum effodiunt, ipsius terræ nigredinem, ac sulphureum vaporem non detrectant; qui margaritas venantur conchilia quamuis obsita situ non abhorrent: qui odoras petunt rosas, acutiem spinarum nihil oderint. Ita qui prolem vult parare, nec maleolidum conceptaculum, eiusque ambages luridas nec cœnosa excrementa nauseari debebit. Ideo ex anatome disce vteri, aliorumque instrumentorum substantiam, situm, capacitatem, connexionem, & reliqua omnia ad conceptionem necessaria; necnon affectus aliquos præter naturam, qui pudendo muliebri, uteroque, si adnascantur, aut Venerem præpediunt, aut conceptionem fieri vetant.

C

CAPVT I.

Muliebrium Genitalium compendiosa per singulas partes diagraphia.

MVLIEBRE claustrum genitale conceptioni dicatum quatuor præcipuis partibus integratur; spermaticis vasis tum præparantibus, tum deferentibus; testibus, vtero, & pudendo ipso; cuncta hæc singillatim examinemus laconicè; nam alioquin singulas adamussim particulas delineare, ac describere, longum foret opus. Hysterographiam plenè habere quicunque voluerit, Anatomicos Neotericos perlegat, atque inprimis Andream Laurentium, quo vix luculentiorem, & elegantiorem alterum est inuenire anthropographum, cuius propterea libenter vestigia sequar, & vel ipsis interdum vtar verbis.

De vasis præparantibus.

SEmen præparantia vasa non secus, ac in viris, quatuor in fœminis reperiuntur, duæ scilicet venæ, totidemque arteriæ, quarum similiter exortus conformis est; nam arteriæ à magna arteria, vti à trunco exoriuntur; vena dextra à trunco descendentis cauæ procedit, sinistra ab emulgente ducit ortum; sed ambæ diuerso modo in mulieribus, ac viris distribuuntur; in his enim vasa hæc tota ad testes, & epididymida feruntur; in fœminis verò tam arteriæ, quàm venæ bipartitò finduntur, & eorum maior portio in epididymida, ac testem absumitur, minor ad vteri fundum descendit. Vide Vallesium, Columbum, Vasseium, & Laurentium.

De vasis deferentibus.

MOdò ab his præparantibus duo deferentia dicta vasa exoriuntur, longè magis quàm in viris flexuosa, vt viæ breuitas flexuum multitudine rependeretur. Hæc ipsa præterea deferentia circa testes lata sunt admodum, at vbi recesserunt ab ijs, angustiora euadunt; sed iterum reddita ampliora, non quidem ad vesicæ collum, vt in maribus, sed ad vterum deducuntur; quæ in re elegans insertio ab Andrea Laurentio reperta obseruanda erit: nam non tota in vteri cornua obuoluuntur, sed in duos veluti ramos diuiduntur, quorum vnus amplior, ac brevior ad vteri cornua fertur; alter angustior, & longior per latera eiusdem vteri inter membranas excurrens ad ceruicem illius desinit; primo illo meatu mulieres eiaculantur semen in vteri fundum, dum conceptio fieri debet. Secundo verò postquam facta est conceptio, & os vteri coniuet, in ceruicem effundunt. Cùm recens hæc, & pulcherrima sit obseruatio, iuuat Auctoris verbà apponere. Sic ergo doctissimus Laurentius libro 7. Anatomiæ capite 9. *Non enim, vt Anatomici omnes sentiunt, tota in vteri cornua obliterantur, sed in duos velut ramos diremptа; altero ampliore, sed breuiore in latera vteri cornua dicta feruntur: altero angustiore, sed longiore per latera vterini corporis inter membranas excurrentes ad finem oris interni, vel principium ceruicis desinunt. Illo semen in vteri fundum eiaculantur mulieres; hoc verò dum conceptione facta contractus est vterus, conniuentque exquisitè illius oscula omnia, semen in ceruicem effundunt. Nam cùm omni die coire possit grauida, semenque effundat, non pateret semini cauitatem ingresso exitus: aperiri enim omni die omnique hora interius osculum, non est verisimile; semen autem retineri citra noxam non potest, quia extrà vasa, nisi concipiatur, putret; & veneni naturam induit: effingendus ergo canalis non in fundum, sed in ceruicem vteri semen eructans. Meatus hic ijs, quæ non conceperunt, ita exiguus est, vt nisi accuratè secueris sensum fugiat; in grauidis amplissimus est; propterea grauidas in coitu magis oblectari puto, quia longior est ductus per ceruicem membranosam exturens.* Hactenus Andreas, cui pro hoc mirabili naturæ arcano Physicorum schola perpetuò debet.

De Testibus.

TEstes fœminæ ex Galeno libro de consect. vuluæ, 2. de semine, & 14. de vsu partium, lateribus vuluæ adnexent ad fundum, paulò supra cornua abducti, similem masculis vasorum reuolutionem excipientes: non tamen in eundem locum perueniunt, eò quòd neque fœminam foras masculi modo, sed in suam ipsius vuluam emittere conueniebat; quin etiam eo consilio intus reconditi fuerunt, vt maiori caliditate fouerentur; atque adeo præstantiori fiat conditate donarentur. Magnitudine multò minores sunt, atque imperfectiores, quàm masculi: figura item, & constructione multum differunt. Lati enim hi sunt, & glandulosi, minus rari, & laxi, ac humidiores, quòd substantia sint frigidiores. Nequaquam enim à calore natiuo flatu distenti fuerunt, & vt dicat quispiam fermentati, vt Galenus ait.

Vterque muliebris testis propria membrana, qualis est in maribus, quamdarton dicunt, contegitur. Erythroide vero membrana, & scroto fœminarum testes carent; & cum viriles quatuor habeant tunicas, muliebres vnica tantum vestiuntur. Præterea superior testiculorum pars quæ ἐπιδίδυμις appellatur, in his non est sensibi-

Digitized by Google

bilis, ac manifesta, sed vel omnino, non inesse, vel parùm omnino, & mollior esse videtur, quod testes ipsi etiam parui sunt itidem, & vasa spermatica ex Galeno 14. de vsu partium, aliisque omnibus Hysteragraphis. Sed obiter hic nō reticendum testes aliquando in mulieribus a morbo adeo ingentes referri, vt infantis recens nati æquent magnitudinem, vt historiæ celebres apud Schenchium 3. observ. Gaspari Bahuini, & Io. Bahuini suadent, quas fideliter ornatissimus Sennertus lib 4. Praticæ recenset, apud quem perlegat qui cupit.

De Vtero.

B

Est Vterus veluti campus, & hortus feracissimus, vt inquit Laurētius excipiēdo virili, & muliebri semini ad sobolis propagationem comparatus. Est matrix nobilissima, ac prope modum diuina fauilla, exqua naturæ thesauri conditi depromuntur. Habent vterum animalia cuncta in parte interna, quatenus iniectum semen, & inde coalescēs fœtus foueri valeat. Situm apud hominem obtinet in hypogastrio, in ampla videlicet coxarum capacitate inter vesicam, & rectum intestinum, quo modo, & ad Veneris vsum, & concepti fœtus iucrementum commodissimus futurus erat. Est insuper vteri magnitudo varia pro mulieris ætate, temperamento, libidinis vsu, corporis procreritate, fœcura, aut sterilitate; nam virginibus, sterilibus, & enixis inest valde minor, quàm prægnantibus, aut meretricibus. Præterea eius figura rotunda est, sed aliquantulum oblonga pyro maiusculo similis, aut chirurgorum cucurbitulę, quæ ad eractionem commodissima est. Insuper substātia membranea est, vt claudiad conceptionem, dilatari ad incrementum fœtus, cogi ad eiusdem exclusionem posset. Tota demum vteri compositio ex multis similaribus particulis constituitur, puta tunicis, venis, arterijs, neruis, & vinculis, quas omnes plenius exaratas peteres poteris ab Anatomicis; Hic enim pluribus percurrere, longum, & superfluum foret. Sat erit in præsentiarum annuisse, tunicas duas a natura constitutas fuisse, extetiorem summè crassam, a peritonæo oriundam; interiorem alteram, quæ pariter apprimè crassa existit, sed non vniformiter, & hæc triplici fibrarum genere interseritur, rectis, quibus auidè semen e fua ceruicę prolectat: obliquis quibus conceptum semen, & fœtum ipsum retinet arctè, & amplexatur: transuersis verò ad fœtus ac sordiū opportuno tempore exclusionem. Duæ insunt venæ, quarum altera maior quidem, atque ascendens; altera verò minor, quæ descendit, a ramo spermatico deducitur, & vtriusque rami quidam cocunt simul. Atqui hypogastrica insignioribus riuulis totam vterum, ac ceruicem diffundit, quorum

A

C

D

oscula sunt, quæ vteri acetabula siue κοτυληδόνες nuncupantur, per quæ fœtus dulciorem sanguinem e maternis venis exugit, cum quibus *ὀμφαλὸν* ad vmbilicum habet. Duæ quoque sunt arteriæ quæ venas comitantur, vt illis spiritale nectar affundant. Nerui præterea ad vterum quam plurimi sparguntur tum a sexto pari, tum ab ipsa medulla ex quo mira illa cum cerebro vteri est communio, & sympathia. Rursus ligamentis quatuor vincitur, duobus supernè, totidemque infernè, vt eius infrenetur audacia, & impetus, quo vel sursum, vel deorsum rapitur non sine vtriusque calamitate, ac vitæ discrimine. Verùm præter hæc propria ligamenta obtinet etiam & communia; illa scilicet, quibus toti corpori, & præcipuè principibus membris connectitur, vtpote hepati per venas, per arterias cordi, cerebro ac spinali medullæ mediantibus neruis, intestino recto, ac uesicæ per uillos.

De Pudendo.

TAndem diuiditur vterus in quatuor dissimilares partes, videlicet in fundum uteri, os uteri internum, collum uteri, & pudendum, seu orificium colli, quod uuluæ nomine declaratur (nupta hæc verba ferāt interim patienter aures) cuius quidem uariæ particulæ sunt sensibus obuiæ, uti pubes, monticulus, labra duo, magnaque rima. Post quas latitant etiam alę, & nimphæ, caruncułæ quatuor, & urinæ meatus. Cuncras si placet speculare apud Anatomicos, compendio retulisse hic sat erit. Collum uteri, quod ceruix dicitur, est id totum, quod à caruncułis ad os usque internum pertinet, est que canalis oblongus uaginæ instar, & uirilis genitalis receptaculum. Os uteri internum est meatus satis angustus, in quem uteri amplior cauitas tandem dehiscit, & hoc ipso præarcto orificio uterus uirile semen prolectat, & post conceptionem ita clauditur, ut ne specilli quidem aciem admittat. Vteri demum fundus, seu corpus est ipsamet capacitas, in qua semen recipitur, alitur, fouetur, & in quā conceptus fit, uiuit, & augetur. Plinius appellauit uterum *vtriculum*, alij *vuluam* quasi *voluam*, aut *valuam*, Lucilius *bulgam*. Quare crederim, huic spectare illam apud Rhodiginum nomenclaturā, qua scilicet pudendi operimentum uidulum appellari scribit, quod nomen nummariam thecam significat; unde uidulariç titulum comœdiæ apud Plautum. Muliebris pariter pudendi operimento aptius conuenire mellinæ apud eundem Rhodiginum appellationem, facilè mihi persuadeo: mel enim Cytheraicum inde manat. Aristoteles *locos*, & *membrum femorale dixit*. Lucretius 4. de natura *fulcum*, sicuti penem *vomerem*.

Elicit enim fulci retia regione viaque

Digitized by Google

Vomerem, atque locis auertit feminis ictum. Quoquo pacto appellari lubeat, scias, hoc ipsum natura neruacea textura construxisse, vt exquisito sensu prædituꝫ foret. Inde Alexander lib. 2. Problematum 65. *Neruosam*, inquit, *vulua esse texturam natura voluit, vt sentiret præcipuè, voluptatemque ob eam rem summam ex coitu veneris caperet seminis gratia concipiendi, tum vt in partu multum extenderetur.* Sed hic *et* *mecum* animaduertendum, ac perpendendum, cur venustissimus Martialis pudendum hoc mulhebre *Leonem* appellet 10. epigram. vbi sic.

Quare, si pudor est, Ligella, voli
Barbam vellere mortuo leoni.

Inde putant aliqui nomenclaturam aduenisse, quòd sicuti leoni, teste Aristotele, ac Plinio, male olet anima, ita pars illa tetrum spiret halitum, ac putentem mephytim. Congrua sanè expositio; verùm eruditissimi Rhodigini 13. Antiquitatum sententiam, vt ingeniosam libenter adiungam: esse, ait, apud Nicandrum serpentis speciem cenchrenam dictam, alioquè nomine leonem ex generositate, & ex variantibus squamis, aut ex eo, quòd rectam gestat caudam, certum est. Hunc insuper ex proprietate humanum sanguinem exugere, tradunt, perinde ac leonem; quoniam vero mulebre pudendum seminis auidum, quod purissimus sanguis est, hunc semper exugit auidè, inde est, vt affabrè leonis nomen illi adaptetur. Sed mortuum iccirco vocabat Martialis, quoniam senuerat iam in sua libidine improba muliercula. Ita quoque apud Aristophanem *χοιρὸν*, hoc est porcum pro mulebri pudendo assumptum inuenimus; ex eo crediderim, quod sicuti porcus cœno, taboque fordescit semper, ita vas illud putida semper vligine diffluat: vel si magis placet, quòd cana illa exerceatur libido, porcorum propria, vt Aristoteles ad Alexandrum epistola quadam expresse ait. Inde verbum *χοιρωτολύειν* Græcè, & subare Latinè, corpus obscenè prostituere significat. Tandem inauctarium vas illud genitale *portam* dixere, vnde illud: *Portam ingredi nefas, qua exieris:* item *ostium*; hinc Terentius: *pessulum ostio obdidit.*

A B C D

CAPVT II.

An vterus sit in fœmine necessarius ad vitam, vt ad Generationem.

QUID indiuidui conseruationem non est vtique vterus pars necessaria, siquidem membrum illud, sine quo viuens viuere, potest, nec princeps, nec necessarium existit. At mulieres recisо vtero aliquandо vixere. Hinc Paulus Aegineta. *Conflat*: inquit, *tota plerumque ablata matrice nec mortem inde subsequi.* Aetius sermone 16. capite de vteri prolapsu hæc habet in fine. *Si vero pars prolapsa temporis progressu per negligentiam computruerit, & ex assiduis vrinæ irrigationes, & adhærentibus sordibus exulcerata fuerit, auferatur citra vllius periculi formidinem. Narrant enim, totum vterum putrefactum aliquando ablatum esse, & mulierem nihilominus superuixisse.* Antonius Beninenius de abditis morb. causis veritatem hanc huiusmodi exemplo confirmat. *Ingeniosus nostri sæculi Medicus Vgolinus Pisanus me licet iuniorem aduocandum censuit: vt vnà cum illo mulierem quandam curaremus, quæ vulua pernicioso vlcere vexabatur. Huius nos malitiam omni studio, & diligentia tollere, sed frustra conati sumus; nam corrupta interim vulua, & frustulis comminuta defæcandi non prius fuere desitit, quam tota putrescens decideret: ac sic mulierem ingenti malo liberauit, quæ licet vulua carens, sana tamen superuixit annos decem.* Hactenus ille.

Zagutus ex recentioribus nihil minus admirabilium euentuum obseruator lib. 2. suæ Praxis Medicæ admiranda mulierem recenset, quæ triginta vixerit annos post vterum dissectum: *Hæc dum esset*, inquit ille in fine, *viginti duorum annorum loco menstrui vsque ad quadraginta annos per vulnæ locum excernebat sanguinem grumosum, & multum rem veneream exercebat, sed citra voluptatem vllam. Sana superuixit vsque ad annos quinquaginta duos, res domesticas commodissimè exercens. Tandem cholera acutissima prehensa è vita discessit.* Sed quid exempla congerimus? Natura ipsa Columbo teste suæ Anatomiæ libro 15. ad calcem mulierem protulit absque vtero cæteris aliis, quæ sexus erant propria, integris; at ne titubet lectoris fides ipsa auctoris appingam verba: *Fœmina erat, cuius vulua ab aliarum fœminarum vuluis nihil peculiare, & diuersum habebat, matricis colli portio prominebat, vel matricis collo simile: matrix autem nulla aderat in abdomine, neque vasa seminaria, neque testes, & quoties cum viro coibat (coibat autem sæpe) mirandum in modum conquiescebat.*

Verùm ad speciei propagationem est vterus tam necessarius, vt absque illo fieri nullatenus conceptio valeret: est enim veluti arduus feracissimus, in quo iactum semen, nisi quid obstet, germinare debet; ideo Auicenna fen. 21. tertij libri de Anatomia matricis aiebat: *Dico quod instrumentum Generationis mulieris est matrix.* Sed illud vti verissimum affirmãdum insuper erit, quòd licet mulier aliquatenus possit absque vtero viuere; semper tamen valetudinariè absque illo futurum erit, vt degat; siquidem ab vniuerso corpore excrementa ad vterum confluunt,

fluunt, qui eadem, vt sentina immunda excipit, & absque noxa deturbat. Præterquam quod exempto vtero, cùm purgatio menstrua apud mulieres intercipiatur, necesse est, vt sanguis vel copia, vel noxia qualitate excedens in corpore turgeat, variaque pariat symptomata, eaque non leuia iuxta viscerum, & membrorum, quæ occupat, principatum; ramen si natura sagax interdum de salute indiuidui sollicita, potest huiusmodi fluxum alio auertere, & per alios ductus celebrare, vt per venas hæmorrhoidales, narium, ventriculi, pectoris, & aliarum partium, scaturigines, qua ratione vitæ muliebris incolumitati consulitur. Etenim quomodo Zaguti illa mulier per vuluam repurgaretur, non satis intelligo, quando tum colli, tum cauitatis, vteri uenas simul discindi oportuit, & callum obduci; sit fides apud auctorem, qui plurima prodigè nimis exotica promit.

CAPVT III.

An fœminæ omnes cuiuscunque speciei vterum habeant, & an simili, vel diuerso modo, ac situ.

OMNIBVS cuiuscunque speciei, non omnino imperfectæ fœminis vterum inesse tàquam propriæ naturæ caracterismũ, docuit apertis fidibus Aristoteles 1. de historia animalium cap. 13. vbi sic habet: *Pars fœminæ propria vterus, aut vulua est.* Verùm eadem figura, & situ cunctis non inest, vt idem Philosophorum Princeps testatur lib. 3. de animalium historia capite 1. cuius hic ad vnguem verba regiſtrare non grauabor, eo quod plenè, atque adamuſsim rem declarant, sic ergo ille. *Vulua, siue vteri nec eodem situ habentur, nec similes omnium sunt; sed differunt inter se tum eorum, quæ animal generant, tum illorum, quæ ova pariunt. Habent omnes, qui iuxta genitale continentur sinus geminos, alterum in latere dextro, alterum in sinistro. Initium verò vnum est, & commune ostium quasi ceruix carnosa admodum, cartilagineaque, parti plurimæ auctissimæq; animantili tributum est. Pars vulua interior, loci, & vterus appellatur: vnde fratres vterinos cognominamus; ostium autem, & ceruix matrix dicitur. Sed bipedes, atque etiam quadrupedes, quæ animal procreant, omnes vuluam, aut vterum infra septum transuersum continent, vt homo, canis, sus, equus, bos. Cornigera quoque omnia situm habent eundem. Exterema plurimarum vuluarum quæ cornua vocant, inuolui perspectum est. At eorum, quæ ova edunt, situs non similis omnium est. Sed auium vulua iuxta septum annexæ sunt: piscium infra sicut bipedum, qui quadrupedum, quæ animal pariunt: sed tenues, & membranæ constantes, & longæ, ita vt in minutissimis piscibus sinum vulua vtrumque iungi in faciem oui vnius videatur, tamquam bina habeant ouа ij pisces, quorum ouum, an enidum est: non enim continuum, sed quoddam arenidentum est ita diffundi in multa potest. Vulua auium ceruicem habet carnosam, callosamque parte inferiore: at superne qua septo iungitur, membrana constat, & prætenuis adeo est, vt ouа extra vuluam esse existimes. Auibus ergo auctioribus membrana conspectior est, & per ceruicem inflata extollitur, atque sinuatur. At in minoribus obscuriora hæc omnia habentur. Quadrupedum quoque quipiarum hæc eadem ratio vulua est, vt testudinis, lacertæ, ranæ, & reliquorum generis eiusdem; animuerò ceruix vna in vno, & cannulentior est. fissura autem, & ouа proxima septo sustinentur. Nec non eaquæ in genere pedibus priuato animal edunt in lucem, posteaquam ouа inter se pepererunt, vt mustelæ, & reliqua cartilagines dictæ (quicquid enim inter marina pedibus orbatum & branchias habens animal generat, sub eo nomine intelligitur) ijs vulua partiba, pertinenique ad septum quomodo auibus est. Atque etiam de medio sui bipartiti sinus arctior ad septum vsque pertendit: ac ouа tam hic, quàm supra ad septi originem consistunt: mox prolapsa in spatium latius fœtus animales excludunt. Sed eorum ipsorum differentia vulua, qua tum inter se, tum vero à cæteris piscibus discrepent, accuratius per dissectiones spectari figuris singulis potest. Serpentes etiam tam ab ijs supradictis, quàm inter se differre apertum est. Vipera enim animal edit, postquam intra se ouа peperit, cum cætera serpentum omnia genera ouа edant in lucem. Quo fit, vt vipera vni vulua similis, vt cartilagineis sit. Tendit porrò serpentibus vulua prolixior, modo corporis exorsu inferius; vno continua meatu, diductaq. in latus spinæ vtrumque quasi duplex meatus vsque ad septum: in qua ouа ordinatim gignuntur, & edi inde non singulatim, sed serie continente solent. Vulua omnibus, quæ & intra se, & foras animal generant supra aluum posita est: quæ ouа pariunt ijs infra lumbis adhæret. Quæ animal edunt in lucem, cùm intra se ouа genauerunt, ijs anceps ratio est: nam & infra lumbis adiungitur ea pars vulua, qua ouа continentur, & supra intestina ostium eius sustinetur. Ad hæc discrimen vuluarum est, quod cornigera, & ouа parte dentata, accetabula habent vulua, dum partum generunt: atque etiam parte vtraque dantatorum lepus, mus, vespertilio eadem illa accetabula suis continent locis. At catenatrinque dentata animalia fœcunda pedibus prædita vuluam leuum omnia habent, & partus ipse vulua non ac-

Digitized by Google

acetabilis adhæret. Hactenus Aristoteles, qui A
vterorum differentias penes diuersa animalium
genera basilicè percurrit, vt ideo pluribus prose-
qui superuacaneum foret. Hoc vnum dun-
taxat pro coronide silentio non præteream,
apud Indos reperiri speciem animalis, cuius
fœmina duos obtinet vteros, internum vnum,
externum alium, illo ad conceptionem vtitur,
hoc vero tanquam bursa quadam ad sobolem
defendendam ab occursantibus extrinsecus cœ-
lique iniurijs. Sed hic alter re vera vteri nomi-
ne non videtur appellandus, quando propriè
id nominis competit interno illi conceptaculo,
atque matrici, in qua fœtus & fonetur, & ali-
tur quousque perfectam corporis conformatio-
nem nancisca tur; Potius existimarim, bursa m
illam esse de genere œsophagi illius magni, &
ampliſſimi, qui in maritimis quibusdam auibus
reperitur, in quo assatim prædam, nutriciasque
substantias ferunt, ac seruant pro naturæ oppor-
tunitate. At illud in appendicem erit ex Ca-
spari Bahuini relatione, bipartitum vterum, qua-
lem in canibus videre est, in quadam puella re-
pertum aliquando fuisse. Duo quidem puden-
da fœculis priscis mulierem quandam retulisse
C. Claudio, & Marco Perpenna consulibus, le-
gitur apud Iulium Obsequentem.

CAPVT IV.

*Quid præstet vterus in generatione, & num
in ipsa fœtus formatione vim vllam ef-
ficientem obtineat.*

VTERVM in generatione lo-
cum tantum præstare, & nul-
lam vteri operationem effi-
cere, sentire videtur Aristote-
les, & cum eo Philosophi, ac
Medici plerique. Atqui tam
præclarum membrum nimium suis defrauda-
tur dotibus, & angustis nimium terminis cir-
cumscribitur, quandoquidem plures, easque
celebres actiones edit, sine quibus generatio
frustraretur, quantumuis fœcunda essent semina
in Venereo complexu illabentia. Quatuorita-
que præcipuæ vteri operationes numerari pos-
sunt ad generationem requisitæ.

Prima quidem est virilis genituræ in suam
canitatem attractio; quippe vt in primo libro
abundè ex Philosophiæ Proceribus explicaui
mus, maris genituræ iaculatio nequaquam in-
ipsum vteri sinum fit, verum in internam eius-
dem ceruicem; vnde deinceps auidus concipi-
endi vterus, veluti manu validissima attra-
hit, tantaque est illius ad semen viri sympa-
thia, atque auiditas, vt Oribasius dixerit, co mo-
do quasi in distans illud actiuum exugere, quo
solent cerni è profundis cuniculis obtuti so-
lum serpentes elicere. Itaquam uerisimile est,
naturam de generatione apprimè sollicitam,
nequando uteri torpescentes semina auerte-
rent, abhorrerent, uel declinarent, illis vim
naturalem intulisse prædictam; qua semper,
dummodo bene haberent, illa concupiscerent,
prolectarent, ac traherentnon minori virtute,
quam Magnes amicum ferrum perpetuò attra-
hat.

Secunda uteri operatio est, semen retinere,
& complecti, ne forte è loculis excidat; quam-
obrem quando futura est conceptio, vterus ip-
se quasi retrahitur, constringitur, & corrugatur,
ut ipsum proximè complectatur, atque intimè
exosculetur; quare etiam tam arctè clauditur, ut
ne specillum quidem acus permeare ualeret,
uel de sententia Hippocratis in Aphorismis, a-
stipulante vniuerso Medicinæ, ac Philosopho-
rum choro. Hæc vteri actio nisi fiat, vtique
inanis erit Veneræ palestra, statim enim, ut fre-
quentius solet, excidet semen, irritusq. fiet la-
bor coniugalis.

Tertia post hanc operationem est utriusque
genituræ mixtio, mulieris scilicet & uiri, siqui-
dem nequaquam dici potest à seipsis misceri, eo
quia nec eodem temporis momento ambo de-
stillant, neque eundem in locum iniiciuntur, non
eodem temporis momento, quoniam, *ut alibi*,
libro uidelicet de semine ex Hippocrate, & Ari-
stotele probabimus, aliquando uir prius emittit,
interdum prius mulier: nec eundem in locum,
quandoquidem mulier per latera inspergit in-
proprium sinum, uir in uteri ceruicem uti dixi-
mus; quocirca alia uis extrinseca requiritur,
quæ ambo simul uniat, commisceatque (com-
misceri autem ex Hippocrate perneccessarium
est, si debeat fieri conceptio) hæc autem non
potest esse nisi matricis ipsius efficacia, & mu-
nus insitum.

Quarta, & ultima operatio est, ubi nimirum
semina attracta, complexa, & commixta fue-
rint, eadem suscitare, & in actum deducere;
cùm enim semina, ut suo loco ostendemus, actu
animata non sint, quicquid in contrarium sen-
tiant celeberrimi aliqui Neoterici; ideo est,
quod eorum dynamis, & calor plasticus ab ali-
quo excitari debet; hoc autem non potest esse
nisi uterus ipse, intra cuius parietes illa conti-
nentur, & acernantur. Ita uidemus cerealia
quoque semina à terra congrua suscitari, adeo
ut non omnia omnibus in locis germinent, sed
in determinatis, ac symmetris, in quibus effi-
cax illa uis reperiatur; alioquin putrescunt, aut
degenerant. Pari ratione animalium semina à
consonis uteris excitantur, non quidem à sim-
plici eorum calore, spiritu, & qualitate alia pri-
mi; uerum ab insita peculiari proprietate ad

hunc

hunc finem à natura præcipuè indita; & quod hoc sit verum, si forte semen in cordis capsulam, aut aliud calidissimum conceptaculum inunderetur, nequaquam ibi soboleſceret, etiamsi ſpiritus affluerent, & calor ingens opitularetur.

CAPVT V.

Qualem temperaturam ad concipiendum exigat vterus.

VTERI non quæuis temperatura conceptioni fauet, & commodat: exigitur præcipua, ac penè ſingularis eucraſia, qua ſine irrita fit ſeminis affuſio. Hoc profectò peculiari vteri temperamentum ſignificauit 5. Aphoriſmorum Hippocrates ijs verbis. *Quæcunque frigido, & denſo, vel compacto ſunt vtero non concipiunt: item quæ præhumido ſunt vtero, non concipiunt; nam vt ſemen genitale extinguitur: tum etiam quæcunque ardenti ſunt vtero, & ſicco: nam alimenti inopia ſemen corrumpitur. At verò quæcunque ex vtriuſque oppoſitionibus modico, & temperato ſunt vtero, huiuſmodi ſanè ſunt fœcundæ.* Enarremus Aphoriſmi ſingula verba, vt luculentiùs vteri commoda temperatura eluceſcat.

Frigida, ac denſa vteri diſcraſia ideo conceptioni aduerſatur, quia ſeminis virilis ſpiritalis ſubſtantia, & calorifica virtus inde extinguitur, dynamis non excitatur, λόγος ille πλαστικὸς præpeditur. Rurſus mulieres in congreſſu non incaleſcunt, minusque demulcentur; quamobrem nec ita bellè concurrunt, nec propriam genituram, ſine qua conceptio neutiquam fieri poteſt, affundunt, aut ſaltem ſecius valdè emittunt; quare vtriuſque ſeminis mixtio opportunè fieri non poteſt. Adhuc in frigida, & compacta matrice ob anguſtiam ſecundinæ cotyledonibus adnaſci nequeunt; unde etiam non rarò accidit, vt quamuis concipiatur, abortus fiat. Tandem quia frigidus vterus ſanguine parum madeſcit: nam plurimùm is menſibus defraudatur; iccircò pullulanti fœtui alibilem ſuccum ſubminiſtrare non potis eſt.

Humida valdè temperatura cenſetur etiam infructuoſa, quòd genitale ſemen ab ea, auctore Hippocrate, pariter extinguatur; diluatur potius, dicerem ego, ac vi prolifica deſtituatur. Ita ſolent in paluſtribus, cœnoſiſque agellis cerealia ſterileſcere, atque corrumpi. Præterea humidiori matrici ob lubricitatem nequit virile adhærere ſemen, at paucis horis detentum tandem elabitur, votisque coniugum illudit.

Præſerunda verò, & ſicca eiuſdem intemperies, qualis in uiraginibus contingit, ad concipiendum inepta reputatur, quòd præ caliditate ſanguis diſſipetur, vt in viris, nec ſuperſit, qui ad vterum tanquam ſuperuacaneus confluere poſſit; igitur ſuo congruo pabulo deſtitutum ſemen, corrumpatur, neceſſe eſt. Præterea ab vteri exuberante caliditate diſgregantur virilis genituræ ſpiritus, atque reſoluuntur; quamobrem plaſtica virtute ſpoliatum ſemen ſoboleſcere nequit; quemadmodum in arenoſis Aegypti locis, & ſitientis Lybiæ areſcentibus agris fruſtra Cereris iactarentur ſemina.

Superest ergo, vt vteri duntaxat, qui ab omni qualitatum exceſſu recedunt, ſint fœcundi, & idonei; quod inſuper magnus idem Medicorum Muſageta libro de natura humana inculcauit ijs verbis; *Si non calidum, ac frigidum, & ſiccum, ac humidum moderatè, ac æqualiter virtute haberent, ſed alterum alteri multum præelleret, & fortius debiliori præſtaret, generatio fieri non poſſet.* Quòd ſi receſſus paruus erit, non proinde conceptio præpedietur; ſi præſertim viri ſemen nanciſcatur contrariæ qualitate imbutum; vt ſi humidiori vtero ſiccius contingat ſemen, & alijs contrario modo; quod Galenus graphicè teſtatus eſt in commento libri de natura humana præcitati his penè verbis: *Eſt autem ſiccitori vtero humidius ſemen conuenientius: humidiori verò ſiccius, quemadmodum & calidiori frigidius, frigidiori calidius.* vt propterea, eodem Galeno referente, iure Plato dixerit, *non eſſe artis exiguæ, vt quis norit viros, atque mulieres temperamento inter ſe ad liberos procreandos apto, copulare.* Sed plura ad rem ſequenti capite.

Cæterùm præter primarum qualitatum congruam in vtero temperaturam ad conceptionis munus exigitur inſuper qualitas, ſeu virtus innominata, quæ non alio nomine, quàm vteri virtutis nuncupari poteſt; eo quòd ſi deſit, quantumuis aliæ primæ benè conueniant, conceptio tamen haudquaquam effici poſſit; & contra licet primæ aliquatenus non reſpondeant, hæc ſi adſit, fœcundus eſt uterus. Ita uidere eſt interdum mulieres aliquas inculpatam traducentes uitam, ac rectè coloratas, nullamque referentes matricis ametriam, concipere tamen neutiquam ualere, eo quia præcipua illa, & occulta uirtute careant; contra non paucas ualetudinarias, & manifeſtè ad uterum intemperatas concipere, quoniam eadem non deſtituuntur. Ita exempli gratia ſi in uentriculo reponatur uteri ex primis qualitatibus conſonantia, non tamen inibi excepto ſemine conceptio fieri poſſet; ſiquidem deeſſet uirtus illa, quę eſt uteri propria, & nullius alterius partis: quemadmodum coctio, quæ in uentriculo elaboratur, nulla ratione in utero æqua primarum qualitatum temperie imbuto, celebrari ua-

le-

leret. Quando hæc deest, frustra conantur coniuges, Venus est irrita semper; neque est cur Medici auxiliares manus apponant.

CAPVT VI.

De vteri dispratia, atque imbecillitate, vbi plenius præfata Hippocratis doctrina elucidatur.

HIPPOCRATES ea, quæ solet ingenij excellentia, superiori aphorismo muliebris vteri ad conceptionem ineptitudinem paucis verbis propalauit; quoniam verò magni momenti est matricis examussim nouisse interperiem; paulò prolixius Præceptoris mentem aperiemus. Tria profectò ad conceptionis officium in vtero penes mulierem quamlibet necessariò requiruntur. Primum quidem, vt in ipso Veneris congressu viri semen ritè excipiat. Secundum vt exceptum congruo temporis interuallo retineat. Tertium vt idem foueat, nutriatque vsque ad fœtus exactam, & omnimodam perfectionem. Ex his igitur, consequitur, vt tria pariter apud mulieres ex vtero accidant conceptionis impedimenta, nempè primum cum viri genituram is non prolectat, non attrahit; id quod ab Hippocrate prolatum fuit prima illa aphorismi particula: *quæcunque frigido, ac denso, vel compacto sunt vtero non concipiunt*. Etenim quæcunque huiusmodi præditæ sunt vtero in Venerea palestra torpent, adeoque frigent, vt nihil aut valde parum igne geniali feruean, amorisque dulcedine oblectentur; quare consequenter vterus ad virile semen excipiendum neque hiat, neque sese inclinat. Porrò vterus calore suo genituram attrahit, exugitque; & iccirco post mensium naturalem fluxum contingit, vt mulier frequentius concipiat, quoniam concursus ille sanguinis & calorem, & fomitem ad vteri regionem defert, neque id præterijt Philosophorum Princeps 2. de generat. animal. cap 4. vbi illa protulit: *Trahit genituram hic locus suo calore; menstruorum etiam decessio, & confluuium fomitem in ea parte calorit parat; itaque vt vasa non illita calido diluta humore, aquam in se tradunt ore inuerso, ita attrahitur*; quin ipsemet Aristoteles ibidem abnuit, semen ad internum os vteri in resolutione Venerea demandari, sed à matricis anida facultate prolici, atque sorberi; quod in primo operis huius libro abundè explicauimus. Qua tatione ergo si frigidus, si compactus, densusque est vterus genituræ virilis prolectandæ officio par esse poterit? Et hac ipsa in re audienda erunt Galeni verba, rationes plenè complectentia, inquit enim: *Vbi tam frigus immoderatum potens est, vt densum efficiat vterum; angustissima quoque sunt mulieribus ora eorum, quæ illuc ad vterum feruntur, vasorum. Itaque vel hoc nomine steriles manent mulieres; quod venularum osculis secundinæ adnasci non possunt. Quod vt euenerit; tamen non potest conuenienter fœtum nutrire. Aut enim vt minimum quidem purgationes eunt: aut certe admodum paucæ, & illæ quidem prauæ; quod scilicet illac tenuior sanguis, & aquosior transmittatur. Etenim ibi facile oppilantur venularum osculæ: tum propter natiuam earum angustiam; tum quia huiusmodi fœminæ proventu fere abundant pituitosi humoris. Nam vniuersum corpus omnino similiter est constitutum vt matrix. Hac accedit, quòd semen virile in locis huiusmodi perfrigerari potest; nisi id forte sit natura calidius. Ergo mulieres, quæ frigidos habent vteros ad concipiendum ineptæ sunt propter eorum substantiæ densitatem*. Hactenus Galenus, qui basilicè rationes omnes prosecutus est. Et hæc ipsa densitatis, ac frigiditatis affectio ex dicto Magni Hippocratis suffitu deprehenditur, dum ait: *Si mulier, quæ in aliud non conciuit, scire velis, num tandem aliquando sit conceptura: circumtectam optimè vestimento suffito aromatis. Et si quidem odor suffuminis, ipsi per interiora corporis prorepere videatur ad os, & nares, velim existimes, quòd ipsa non suopte vitio est infœcunda*. Galenus super hæc, vt solet graphicè scribit. *Illis duntaxat in corpus vniuersum non diffunditur suffitus qualitas, quibus durum & densum est matricis corpus*, quam insimul sententiam recipit, & confirmat in suis Coacis spectatissimus Duretus, e medicis facile Coripheus, ac tanquam alter Hippocrates cunctis venerandus. Cæterum frigidæ huius intemperiei argumenta facilè tibi illucescent ex diminutis mensibus, ijsque albicantibus, ex languido Veneris appetitu, minori pruritu, ac minima in ipso concubitu, valdeque sera mulcedine; itaut rarò ipse in suaui certamine suum admisceat genitalem sudorem.

Secundum impedimentum erit, cùm licet semen ipsum vteri excipiant, non tamen retinent, sed haud multò post resipuunt; quod altero aphoristicæ sententiæ membro insinuauit Hippocrates inquiens: *Item quæ præhumido sunt vtero, non concipiunt: nam ijs semen genitale extinguitur*. Sanè humoris à copia seminis virtus accidituir; prolifici spiritus hebescunt; plastica facultas mergitur. Humidiorem hanc disertam agnoscet ex perpetua quadam vteri vligine, a colluuie manantium ichorum, a cenoso semper pudendo, rara pube, si intemperies sit naturalis, & marcescentis Veneris; necnon ex

co,

eo, quod virilem genituram vterus neque attrahit, neque retinet, vt primo de morb. muliebribus Hippocrates monet.

Tertium denique impedimentum est, cùm exceptum, detentumque semen enutriri non poteſt; quod extremis illis verbis inculcauit Præceptor, videlicet: *Tum etiam quæcunque ardenti sunt vtero, & sicco; nam alimenti inopia semen corrumpitur.* Næ vbi primum exceptum in vtero semen est, assiduo indiget nutricatu; fœtus namque conformatio à semine haudquaquam corruptione præuia; at motione, & nutricatu delineatur, ac perficitur. Quo pacto iam in sicco, & exurente vtero, qui rore menstruo non circumfluit, vegetare embryon poterit? Præseruidæ, aridæque matricis illa tibi præsto erunt indicia, nimirum tentigo Veneris summa, auiditas illecebrarum inexplebilis, pubes hiſpida, menſium diminuta, atque peruſta purgatio, ſi præſertim ſiccitas iungatur inſignis. Supereſt itaque vt muliebre conceptaculum ſit omnium excedentium qualitatum expers, & vt loquitur Hippocrates ex vtriuſque oppoſitionibus modicum, ac temperatum.

Ex hiſce omnibus præterea diſſonantibus in vtero qualitatibus emergit interdum eiuſdem imbecillitas, quæ rurſus à reſolutis ſpiritibus, vnde ipſius langueſcunt facultates, necnon ab vteri ſubſtantia laxiori, molliori, atque nſirmiori ortum ducit: cuius illa erunt tecmeria ſigna, Veneris faſtidium, flatuum per pudendum excretio, ſeminis à concubitu reiectio, atque etiam frequens abortus. Interim tamen indicatæ intemperies eluantur à Geneanthropographo.

Denſus in primis, ac frigidus vterus calefieridebet; qua in re, ἐν παρόδῳ, annotandum, agricolas etiam dum campos, & arua minus fœcunda in fertilitatem redigere cupiunt, illa vndequaque incendere; vt ſcilicet à calore omne vitiũ excoquatur, humor inutilis exiccetur, ac terræ ipſius denſitas aperiatur; id quod Poeta 1. Georgicorum baſilicè exarauit his carminibus:

Sæpè etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque leuem ſtipulam crepitantibus vrere flammis;
Siue inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt, ſiue illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque excidat inutilis humor,
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, nouas veniat, qua ſuccus in herbas,
Seu durat magis, & venas adſtringit hiantes,
Ne tenues pluuiæ, &c.

Sic aliquando contigit, vt mulieres multo ante tempore ſteriles, ab ingenti, vel diutur na febre fœcundæ euaſerint; quod propria autopſia confirmat Auenzoar, qui ſe à febre ardente fœcundum, iam antea ſterilem, effectum fuiſſe, teſtatur. Cæterùm calefacientia vteri auxilia à victus ratione, atque à pharmacia petenda erunt. Dieta igitur in ſex omnibus rebus non naturalibus calidior inſtituatur: aer eligatur, vel arte paretur calidus. Cibi ſint carnes pipionum, gallinarum præſertim vetuſtiorum, caponum, veruecis, aromatibus infixæ, & aſſatæ: panis bene fermentatus, & aniſis, aut fœniculis conditus. Vinum ſit generoſum, atque annoſum: corpus indies exerceatur, vitamque pro virili ſedentariam declinent: modicè dormiant, atque in primis diurnum ſomnum euitent. Veneri frequentius indulgeant, ex hac enim, Hippocrate magiſtro, vteri calefiunt. Animi demum cuncta pathemata auertantur, præter iracundiam, cuius gratia ſæpè natiuus calor reuiuiſcit, explendeſcit, acuitur.

Quoad verò pharmaciam immenſum eſt remediorum pœnu, quæ vterum caliditate reficiunt; ſelectiora, non multa tamen, aſcribam.

Inter ſimplicia primò flores occurrunt chamæmeli, anthos, cheiri, ſpicę, ſaluiæ. Folia ſecundo ordine accedunt matricariæ, meliſſæ, artemiſiæ, pulegij, maioranæ, bettonicæ, calaminthæ, dictamni Cretici, & ſimilium. Tertia claſſe radices ſuccedunt angelicæ, ariſtolochiæ, imperatoriæ, iridis, leuiſtici, pimpinellæ, calami aromatici, petroſellini, & huius notæ centum. Inter ſemina tandem primas obtinent paſtinacæ ſilueſtris, cumini, fœniculi, apij, ſileris montani, dauci, nigellæ, & ſimilium. Cæterùm peculiarem cum utero analogiam ex aromatibus referunt caſſia lignea, caryophilli, cinnamomum, nux moſchata, cubebe, zedoaria, galanga; & cum his mirrha, aſſa fœtida, opoponacum, ſagapenum, caſtoreum.

Ex compoſitis autem medicaminibus alia ſunt interna, externa alia. Interna quidem, vt ſyrupus de artemiſia, de bettonica, de corticibus cytri: conſeruæ anthos, ſaluiæ, bettonicæ: ſpecies, & rotulæ diamoſchi, diacalamenthi, diambræ, roſatæ nouellæ, theriaca, mithridatum, & alia multa, quæ miro artificio componuntur, quorum ingentem ſyluam videre erit apud Quercetanum, & Crollium, qui etiam præcipua, & efficaciſſima magiſteria hyſterica reuelat. Apud Sennertum legitur huiuſmodi aqua vitæ dicta mulierum, quam miræ virtutis eſſe putarim. *℞. Galangæ, cinam. nucis moſch. maeis, caryophyll. an. vnc. 2. Zingib. cubebarum, Zedoar, cardamomi an. vnc. 1. granorum paradiſi, piperis longi an. vnc. 5. Tritas affunde vini menſuras 6. ſtent in infuſione in loco frigido diebus octo, poſtea adde, ſaluiæ min-*

menthæ rubræ, meliſſæ, matricariæ an.m iij. Stent iterum diebus octo ; poſtea vinum effunde, & herbas, ac aromata contunde, & vino aſſuſo iterum deſtilla.

Externa autem auxilia ex iiſdem hyſtericis virtutibus concinnantur, vt pote inſeſſus, ac facculi. Inunctiones celebrantur ex oleo rutaceo, laurino, de nuce miryſtica, irino, ac de caſtoreo. Nec minoris energiæ erunt ſuffitus, ac thymiamata, quibus magnus Hippocrates in omnibus muliebribus affectionibus plurimum tribuit; Parantur autem ex thure, mirrha, ladano, baccis, lauri, ſtyrace, caryophilis, ac ſimilibus; & ex iiſdem ſolent etiam aptari cerata, quæ ad regionem uteri geſtata longo tempore, ipſum refouent, uiuificant, roborant, vimque omnem fœcunditatis reſtaurant.

Humida quoque intemperies iiſdem corrigitur; recenſita enim auxilia cum caliditate inſigni etiam ſiccitate donantur; hæc tamen præcipuè diaphoretica poſtulat, inter quæ nullum inueniri poterit vtilius, & probata analogia efficacius, quàm decoctum ſaſſafras ex iure domeſtici pipionis apparatum; Extrinſecus verò adhiberi poterunt & ſuffitus, & peſſaria ex rebus calidioribus, & acrioribus; id quod 1. de morb. mulier. ſignificatur iis verbis. *Si verò humidius fuerit os uterorum, genituram attrahere non poſſunt. vtendum eſt autem medicamentis ſubditis acribus: commorſus enim, & inflammatus ſtomachus ſolidus, ac firmus quandoque ſit, & aliquo modo accomodatur.*

Vteri tandem impensè feruida ametria temperatè frigidis mulceri debet, indicta in primis frigidiori diæta, & illi contraria, quam paulo ſupra frigidæ matricis diſcraſiæ præſcripſimus; ea cautione tamen, ne ſummè algioſa adhibeamus; incontrarium enim affectum deduceretur: eſt autem ſemper longè deterior in viuentibus partium frigida, quàm calida intemperies; quippe calidior ſponte ſua ætatis progreſſu ad ſymmetriam reuocatur; vnde contingit, quòd non paucæ mulieres primo iuuentutis curriculo concipere nequeunt; concipiunt vtero tamen, vbi deflorescente ætate acrior mitescit, ceditque immoderata caliditas. In vſum præterea veniunt ex ore aſſumendis ſyrupi, & conſerue ex violis, nymphæa, borragine, cichor, maluis, capillis Veneris; Item hordeata, atque ſeminum quatuor frigidorum emulſiones: Diatriaſantalon, diamargaritum frigidum, necnon præ cæteris naturales quædam aquæ, ac potiſſimum Nucerinæ, Ficuncellæ, vel Buſſi apud S. Caſſianũ in Hætruria; quòd ſi hæ tempeſtiuè, & opportunè haberi nequeant, lac aſininum in magna copia probarem.

Demum ex extrinſecis ad rem facient inſeſſus, & ſemicupia ex refrigerantium decoctione, vt pote maluarum, violarum, althææ, nenufar. ſaliciis, capil. Veneris, roſarum, & Veneris vmbilici; & poſt hæc inunctiones ex oleis roſato, violaceo, nenufarino, vel vnguentis ſantalino, roſaceo, infrigidante Galeni, & ſimilibus.

Pari etiam modo poſt hęc imbecillitati conſules fotu, frictione, ſuffitu, ac magna inſuper, & repetita cucurbitula, maximequè emplaſtro illo Ludouici Mercati 2. de mulierum affectionibus capite 13. quod ita paratur.

℞. pulueris granæ, & caryophyl. an. drach. 1. ſ.
pulueris roſarum, coralli, & angelicæ an. 31.
pulueris maſticis, & ſanguinis draconis an. ſcrup. 2.
Ambræ, & Muſci an. g. 10.
ladani depurati, & cæræ q. 5. vt fiat emplaſtrum.

In eundem vſum facient aromatica omnia, quæ præſertim anologiam ad vterum referunt; maximèque vina illa alterata, vtpote anthoſatum, iuniperinum, angelicæ, eryngiorum, & ſimilia; quin apud Quercetanum, & alios inuenies aquam Imperialẽ, & alia centum apozemata vterum refocillantia. Conſule Gynæciſmum.

CAPVT VII.

De Vteri nimia extenuatione, ſeu gracilitate.

INGENS vteri macies, & inſignis gracilitas multis de cauſis fœcunditatem adimit; nam in primis propter nimiam extenuationem matrix contrahitur: ſecundò virtutes tam attractrix, quàm retentrix debilitantur, ac fatiſcunt: Tertio virile ſemen tunicis adhærere nequit, & ſi adhæreat, foueri neutiquam poteſt; depauperantur enim ſpiritus, & calor alicuius inſtrumenti, dum pinguedo illorum tutela, & quaſi cuſtodia diſſipatur; vt ideo licet emaciatus vterus concipere aliqua ratione valeat, conceptum tamen ſeruare, ac retinere non queat; ſed vbi primum incrementum capeſſere incipit, nutricatus inopia diuellitur, & abortu diſperditur. Id quod 5. Aphoriſm. textu 44. ſignificauit Hippocrates, dum ſic ex Heurniana translatione ediſſerit: *Quibuſcunque grauidis extenuationis ſumma ſunt omnia, abortiunt priuſquàm habitiores fiant*; quam eandem ſententiam repetit idem libro de ſterilibus, ac de ſuperfœtatione.

Atqui Auicennas capite proprio aliam commiſcitur rationem, propter quam exuccæ nimium, & graciles mulieres concipere nequeunt; inquit enim, quòd præ tenuitate corporis ipſius os vteri ſemper hiat; ideoque ſemen proiectum inde prolabitur, nec permanet. Probabilis vti-

que

Digitized by Google

quæ ratio; at probabilior ni fallor illa est, quod nimirum valde extenuata matrix, succoq; alibili defraudata nequit alimentum fœtui parare, quibo eo, quod matri supereſt, vtile excremento sui ortus principium, & progressum sumere debet. Addamus pro corollario, ita affectum vterum quibuscunque extrinsecis iniuriis ob noxium reddi, & insuper a concubitu non modo non demulceri, verùm lædi potius, ac torqueri; At naturæ lex fuit, vt citra voluptatem non conciperetur.

Gracilitas huiusad vterum causa potest esse naturalis, & ascititia; naturalem appello, quæ ex prima constitutione ita refertur; & huic nulla potest medela ferre suppetias, solum dapsili victu, succulentis edulijs, rebusque omnibus polychymis fortè longo temporis interuallo tenuis ille habitus in melioremdeduci aliquantisper posset; & si optimæ chinæ in iure decoctum per duos menses propinaretur, vel hinc, vel non aliunde spes posset affulgere salutis. Verùm extenuatio ascititia, quæ pluribus a causis manare potest, vt pote a febre diuturna, vteri hæmorrhagia perenni, frequentissima fœtura, animi passionibus, & hystericis innumeris affectionibus, non ita ægrè expugnabitur, sed causis deturbatis per oppositas qualitates primigenia constitutio restaurari poterit. Quæres hic, num contactus aphrodisius vtero emaciato conducat. Conferre vtique arbitror non vno nomine; & in primis cùm vterus a viri consortio incalescat ex Hippocratis millies decantata sententia, hinc ille & alimentum validius attrahet, & inimicas qualitates edomabit, destruet. Rursus a virilis genituræ, ac propriæ aspergine idem humectabitur, ac temperabitur; quare gracilitas, quæ vt plurimum siccitatis est soboles, cedet, ac mitigabitur.

Cæterùm aduentitia matricis extenuatio quibus auxilijs diæteticis enincatur, attentis causis prudenti Medicorum ingenio relinquitur; quicquid enim toti pinguefaciendo confert, id ipsum parti faginandæ conducet. Genetice ex pragmatia Salernitana.

Nutrit, & impinguat triticum, lac, caseus infans;
Testiculi, porcina caro, cerebella, medulla,
Dulcia vina, cibus gustu iucundior, oua,
Sorbilia, maturæ ficus, vuaque recentes.

Quid multa? spermatica omnia, vt quę ad vterum analogiam habent, ipsum affluenti succo macilefacient. Sed ante omnia tristes animi passiones ablegętur, quas propterea Græci μελαγχολιας, idest concitientes appellabant; quò illud sapientissimi collimat: *Spiritus tristis exiccat ossa.*

Demum quoad præsidia pharmaceutica ex multis aliqua, & selectiora appingam. Occurrit primò nux Indica vtero apprimè familiaris, & amica, e qua vna cum pineis nucleis, siscis, siue pistachijs, saccharo, & pulpa caporum morsellieffici solent mirę ad renutriendas partes efficaciæ.

E seminibus lini recentibus concinnatæ emulsiones sunt ad hoc non mediocris virtutis. Butyrum, & oleum recens frequentius in ferculis adhibita plenum, & succulentum habitum faciunt; Quin Zacutus in sua Praxi admirabili tabidum restaurasse gloriatur olei vberiori vsu: nam placentulas, & panes cùm eo affatim elaborari curabat, vt non alio, quàm pane huiusmodi vesceretur. Præterea lacertæ viridis pinguedo Mizaldo, ni fallor, auctore si placentulis admisceatur vsque adeo arcana ex proprietate impinguare creditur, vt brevi tempore vel onerosa fiat sarcina. Anicennas extollit carnem anatis; & carnem alcubugi, idest alaudæ capellutæ, de qua sic ait: *& caro alcubugi est ultima in eo.* Cicer vaccino lacte enutritus, inque eodem excoctus summè ab analipticis probatur; neque resumptiunm minus erit lac existimandum summo mane cum saccharo frequentatum. Tandem Galenus, & cum eo Princeps Mauritanus sarcocollam cum lacte vaccino, & pulte aliqua exceptam laudibus extollunt. Sed iam ad contrariam affectionem calamum connertamus.

CAPVT VIII.

De Vtero adipoſo, atque orificij pinguedine.

MATRICIS excedens arnina causa est interdum, cur mulier exoptato conceptu defraudetur; Hinc summum medicinæ lumen Hippocrates libro de aere, aquis & locis de Scythis mulieribus verba faciens asserit, præ nimia pinguedine illas infœcundas reddi, ideoque eius gentis viros ad prolis propagationem ancillulas comprimere, quæ cùm vitam, vti heræ, sedentariam non traducant, nec adiposam sarcinam, nec circa vterum nimiam lubricitatem præseferunt. Huiusce euentus rationem adducens idem Hippocr. 5. aphorism. 46. ea protulit: *Quæcunque præter naturam crassa non concipiunt, ijs omentum os vteri comprimit, & priusquam extenuentur non concipiunt.* Etenim ex eo contingit, vt virile semen ad os vteri internum nequeat rectè subire sed aliò vibratum non multò post effluat, corrumpatur. Quo circa huiusmodi sterilitas, haud quaquam per se in mulieribus reperitur, sed ex euentu quatenus ob crassum illum, & obesum aqualiculum, qui os vteri comprimit, virilem genituram ritè excipere nequit. Verùm Aristoteles, qui hanc eandem doctrinam ab Hippocrate mutuatam regiſtrauit primo de generatione ani-

animal. cap. 18. & 2. de partib. animal. rei causam refundit in hoc, quod videlicet maior seminalis materiæ, ac sanguinis portio in adipem degeneret; quare fœtui concipiendo, & coagulando quòd supereſt, non ſuppleat: verba Philosophi ſunt hæc: *Viri etiam, mulieresque pingues minus fœcundæ esse, quàm non pingues videntur, quoniam in vegetioribus excrementum concoctionem transit in pingue*; Sed 2. de partibus cap. 5. longè clarius hæc ipſa explicat: *quin etiam* inquit, *obæſa omnia ſteriliora ea de causa ſunt; quantum enim ex ſanguine proficiſci ad genituram, & ſemen genitale debeat, hoc in adipem, aut ſeuum ſumptitatur; ſanguis enim cùm concoquitur ad hæc transit. Itaque aut nullum omnino excrementum in iis ipſis conſiſtit, aut parum*. Quo igitur pacto abſque ſemine, & ſanguine conceptio haberi in his mulieribus poterit, aut etiam abſque congrua loci, ubi conceptio fit, capacitate? Siquidem Laurentio Iouberto teſtante 7. paradox. decadis primæ adipoſis mulieribus vſque adeo carnoſus, & pinguis vterus eſt, vt iuſtum ſpatium in locellis fœtui continendo non relinquatur. Et ex hac eadem ratione paruæ mulieres, auctore Hippocrate 2. Proret. ſunt maioribus ad conceptionem aptiores, quòd videlicet parua corpora minus alimenti, quàm procera ad ſui nutricatum abſumant; ſed abundè ſuperſit ad fœtus coagulationem, & nutritionē.

Cæterùm vteri adipoſa moles vel eſt a primigenia conformatione, vel a dieta; Prima ægrè curatur, quia frigidior corporis habitus ab origine contractus non facilè immutatur. Secunda verò victus ratione immutata ſuperatur facilius; cùm enim hæc ab affluxus copia, & effluxus inopia exoriatur, quotieſcunque affluxui derogatur, & effluxui ſuperadditur, aruinam abſumi conſectarium erit. At qua ratione, inquies, effluuium promouebitur? ſignauit 7 epidemiorum Hippocrates præclara illa ſententia: *Detractio curſibus, luctis, quieti, multis deambulationibus celeribus*; quibus verbis palàm indicatur, corpus iugi labore exercendum eſſe, atque vitam ſedentariam protinus ablegandam. Sed inquies, ſi ita eſt, cur Hippocrates inter cauſas extenuationis quietem enumerat: *curſibus, luctis, quiete?* Ingenioſiſſimus Valleſius difficultatem odoratus particulam illam reiecit, & iniuria tantùm Typographorum additam eſſe cenſuit, ideoque expungendam; qua in re ipſe quoque Galenus cæſpitare videtur. At verò mihi probabile videtur, particulam prudenter, ac ſtudioſe adiunctam ab ipſo Hippocrate fuiſſe, vt omnes extenuationis cauſas percurreret; & quia otium quoque, quies, & ceſſatio ab exercitationibus maciem, & gracilitatem in determinatis complexionibus producere poteſt, iccirco etiam quietis meminit. Quòd autem otium quoque macici poſſit eſſe cauſa, ibſimmauit luculenter Ariſtoteles primò quidem 8. de hiſtoria animal. cap. 6. vbi legitur: *Sed maximè tamen tum ſus, tum catera, quibus venter calidus eſt quiete, immotioneque pingueſcunt*: ſecundò 6. Problematum ſectione probl. primo, vbi diſquirit: *Cur ſedile alios impleat, alios extenuet*. reſpondet autem: *Vtrum habitus corporum diſſent inter ſeſe, vt aly calidi, aly frigidi ſint: ergo ſi ita eſt calidi implentur, cibum enim corpus vi ſui caloris exuperat: frigidi autem quòd adauentitium calorem deſiderant, quem ex mouendi ratione potiſſimum corpus acquirit, concoquere nequirent, dum quieſcunt*. Iam in nostra cùm mulieres inferiorem ventrem, vtrique regionem præcalidam obtineant (natura enim eſt mulier viro calidior in ſententia Polybi, vt in Iſagoge medica pluribus comprobo) hinc eſt, quòd ſi plurimum quieſcat, aruinam ſibi dapſilè adiungit. Cauendum tamen ne motus a cibo fiat. Præterea alurus perlubrica ſernunda erit, ſtipticitas enim eius pingnedini addit. Cibi nec dapſiles, nec polychymi adhibeantur, quin panis ſecundarius melior; vinum verò generoſius aptius: ſomnus, & vigilia mediocritatem habeant; nam niſi opportunè adhibeantur, ac tempeſtiuè, contrarios effectus moliri poterunt, qua in re conſulendus erit Hippocrates 2. de Diæta. His adde ex Arnaldo, triſtari debere mulierem, quæ pinguedinem exuere *concupiſcit*.

Præterea ad obæſitatem imminuendam ſanguinem de talo ſæpius exhaurire, valde conducit; quin etiam peſſarijs accelerare, & largius promouere purgationes menſtruas, ſummopere expedit.

Tandem quoad pharmaciam paucis proponam, quæ peculiari quadam ratione tenuitatem faciunt, ac pinguedinem diſſoluunt. Auicennas lib. 4. fen. 7. tract. 4. & *de medicinis*, inquit, *ſubtiliantibus ſunt acetum, & almuri, deeſt vel ſalitæ*. Quoad acetum nulla difficultas, licet ipſum peculiari modo vterum infeſtet. Verùm quod ſpectat ad ſalita, in ancipiti verſor; ſiquidem Apollonius Medicus Herophili diſcipulus, referente Plutarcho in Quæſtion. natural conſueuerat emaciatos inpinguare, ac reficere ſalitis edulijs. Id ex Paſtorum conſuetudine confirmari poteſt, qui ſale fagimant pecudes, obteſtante etiam Philoſopho in libris de hiſtor. animal. quo pacto igitur ſalita abſumant, atque extenuent? Sed verò ſaſſugines, ac ſalnacida quæque tum exculenta, cùm poculenta ſaginæ detrahere, arbitrari par eſt; nam Theophraſtus lib. 6. de cauſis plantarum cap. 14. rationem veſtigans, propter quàm non reperiatur in plantis ſapor ſalſus, id ex eo contingere ſtatuit, quoniam ſapor huiuſmodi nutritioni aduerſatur; nec arguat quis, pisces in mare ſalito nutriri humore; ſiquidē falſum hoc eſſe, Theophraſtus affirmat, quādo dulcibus, acidiſue ſaporibus intra aquas educa-

ri

ri ait; cuius insuper sententiam amplexatur Plutarchus in Quæstion. naturalibus, vbi tradit, plantas haud quaquam salso nutriri humore, quoniam cùm sit is terrestris valde, nutritioni aduersatur. Non sum tamen iturus inficias, quin per accidens valeant salita mediocriter sumpta pinguedinem excitare, quatenus videlicet nutrimentum ad partes dapsile deducunt; vel si magis arridet, quia salita orexin excitant, atque adeo sunt in causa, cur iucundius, & vberius alimentum sumatur; nam verò verius est, quod quæ sapiunt, satiùs nutriunt. Quòd verò sal pecoribus a Pastoribus exhibeatur, vt faginentur, crediderim id ex eo contingere, quod scilicet alimentum, quod humidum valde ab herbis pecora sumunt, atque adeo facili negotio effluere potest, a sale paululum resiccatum altiùs adhærescit, ac tenaciùs apponitur; vel vt Plinius sentit, vt pecudes largius bibant, sal administratur, quatenus ab humidi copia ad partes, quæ nutriri debent, vberius alimentum deferatur.

Insuper Auicennas ea omnia ad extenuandum commendat, quæ vim attractiuam torpidam præstant; nam a robore huius virtutis alimentum auidè prolectatur; maximè verò inter extenuantes medicinas recensetur, Theriacam, viperinum salem, diacurcumam, diacuminum, diapipereon, ac similia. Ab alijs porrum frequentius esum commendatur; Dioscorides staphisagriam celebrat; sed hæc prudenti consilio adhibenda, siquidem strangulatoria quadam vi prædita est. Quòd si pinguedo matricis duntaxat orificium afficiat, Arnaldus huiusmodi proponit infessum. R. *Maluæ, radicum, & foliorum bismalua, palearum auenæ an. m. iij fiat decoctio, in qua mulier vsque ad vmbilicum insideat, post suffumigetur os vteri ruta, calamentho, origano, marrubio, foliis lauri, iuniperis, & similibus.* Verùm pro thimiamate non recedendum a thure, mirrha, & aloe.

CAPVT IX.

De Hydrope Vteri.

QVEMADMODVM in terra cœnosa valde, & aquis obruta perennibus non germinant frutices, nec iacta fœtificant seminia, sed humoris demersa illuuie sterilescunt, atque putrescunt ocyus; ita in vterum hydronoso tumore turgidum viriles infusa genitura fatiscit, putret, ac perit inde dynamis, & ignis liturgos. Nempe vterus fistibus, ichoribusque multigenis oppletus, a quibus calorifici extinguuntur spiritus, Veneris in primis pruritum nihil experitur; quamobrem in aphrodisio polemo haud permulcetur, & suâ iccirco genituram neutiquam effundit. Nec cespitet hic aliquis, ex eo quod hydronosa colluuies vel a iecinoris feruore, vel a putredine concepta falsedinem, & acutiem quandam redoleat, ideoque Veneris cupidinem, atq; iugem tentiginem proritari debere; siquidem dum primò serum huiusmodi vterum allabitur, poterit cuiusdam titillationis excitare sensum, ac Veneræ voluptatis illecebrosam libidinem inurere. Verùm vbi iam aqua vndiq; circumfluit vterus, genitalibus algentibus auris, & omni pereunte igniculo, tantum abest, vt Veneris cupido incessat, vt potius fastidium, atque odium inferat.

Rursus in sic effectum vterum allapsum semen haud quaquam excipitur, sed confestim e lubricis loculis excidit, euanescit; nam intro non prolectatur, eo magis quòd os ipsius matricis conniuet ob aquæ plenitudinem, cius vniuersam substantiam distendentis; qua ratione fit insuper, vt in vteri hydrope menstruæ purgationes nequaquam effluant; alioquin si quando osculum hiaret, ilicet aqua ipsa tota intra vteri cauitatem collecta demitteretur, Neq; propterea opus est semper ad hoc, vt aqua in cauitate retineatur, ac non effluat, vt callo quodam vteri orificium obstruatur, vt in Augustana quadam muliere, obseruauit Vesalius lib. 5. de corporis humani fabrica cap. 9. aut etiam vt aliquisin eodem orificio tumor excitetur, qualem Hieronymus Faber in quadam femina vidit, referente Skenkio 4 obser. sed vt plurimum à distentione conniuet vterus, vt mea est sententia. Immo rarius etiam contingere arbitror, vt intra membranam, vel plurimas vesicas, quas Græci hydatides vocant, aqua contineatur, vt aliquando obseruarunt eximij viri Guglielmus Fabritius, Ludouicus Mercatus, Christophorus à Vega, Valeriola, & alij.

Denique tametsi ad vteri stomachum semen pertingeret, idoneum ibi haud recipiens alimentum, plasticam omnem virtutem amitteret, nec vllo modo soboleſceret. Sterilescit ergo triplici de causa vterus ex hydrope, prima, quia propriam genituram non effundit; secunda, quia virile semen nec prolectat, nec retinet: tertia, quia eidem nutricium succum suppeditare non valet.

Id autem intelligendum velim de hydronoso tumore, qui in vteri cauitate suscitatur; si enim aqua vel in eius parietibus, ideſt intra tunicas congregetur, vel in vesiculis, membranaque occludatur, vt placet Aetio, ac Mercato, conceptionem aliquando haberi, haud erit impossibile: quemadmodum de propria vxore Guglielmus Fabritius testatur, quæ quidem anno millesimo sexcentesimo quarto cùm vtero iam gereret, ventrem præter consuetudinem monstruosè protuberantem gestabat; mox mensis Martij secunda die anno millesimo sexcentesimo

quin-

quinto aperto non fine præuijs doloribus vtero, limpidissimæ aquæ millo prorsus cruore commixtæ decem, & octo libras emisit vnico tractu. Inde post sesquihoram, iterum lacessente dolore, sanum, & validum peperit puellum; & consimilem historiam ex Hieronymo Fabro conscripsit Schenchius 4. Observat.

Cæterùm qua ratione, ac via dignosci valeat affectio ista, atque ab vniuersi corporis hydrope distingui, necnon ab vteri gestatione, cùm qua tantam habet similitudinem, vt frequenter decipiantur & Medici, & mulieres ipsæ aliàs fœturam expertæ, quorum euentuum celebres excuduntur historiæ apud Khasen, Iacobum de Partib. Dodonæum, Vesalium, Marcellum Donatum, & alios, docuit apertis fidibus Hippocrates libro da natura muliebri, vbi hæc leguntur. *Si aqua intereus in vteris oboriatur, menses pauciores, ac deteriores fiunt, deinde repente deficiunt, & venter intumescit, & mammæ siccæ fiunt, & reliqua malè habent: & in ventre sibi habere videtur; & ex his cognosces, quòd aqua inter cutem laborat; sed & in ore vterorum significationem de se præbet; tangentibus enim gracile apparet, & calor, & aqua ipsum corripit. Quum autem tempus amplius processerit, dolor imum ventrem, & lumbos, & laterum mollitudinem occupat.*

Quòd autem ad causas attinet, affectus huiusmodi vel affluxu, vel congestione efficitur; affluxu quidem, dum hepatis, aut lienis vitio, & imbecillitate producta serosa colluuies ad vterum demandatur, synarthrismo verò dum ipso in vtero aqua ob eius frigidiorem intemperiem, ac debilitatem congeritur; vnde confluentem sanguinem ritè coquere, & excrementa satis deturbare non valet. Hanc verò cum debilitate intemperiem contrahere solet vterus ab immoderato mensium fluxu, aut eorundem stegnosi, quam præcipuam causam existimauit Aetius; a laborioso nimis partu, a frequentiori abortu, a copioso aquæ gelidæ potu prægnationis præsertim tempore, necnon à frigiditate ambientis, & flatuum susceptione in ipso maximè puerperio. Quomodo insuper aqua modo in cauitate, modo intra tunicas, modoque in adnatis vesiculis, vel membranula colligatur, consule Gynæcia, peteque in primis Aetium, Mercatum, Varandeum, ac Sennertum, qui omnia fusè percurrunt, adduntque methodum distinguendi hunc vterinum hydropem ab hydero ventris, a mola, ab vteri inflatione, & alijs protuberantibus affectionibus. Vnum illud alto silentio non prætereundum, quod vt cognoscamus an aqua in cauitate, an verò intra vesiculas contineatur, quod scire est magni momenti, operæpretium est, prudentis obstetricis opera explorare, an vteri orificium connueat, nec ne. Si fuerit occlusum, indicium erit, aquam in stomacho eius contineri; si verò fuerit apertum, intra parietes, aut in vna magna membrana, seu in pluribus vesicis continebitur aqua; quæ hydatides vel vteri tunicæ adhærent, vel separatæ manent; si adhæreant, nisi illę disrumpantur, aqua non poterit effluere; si verò per se maneant, poterunt absque eo, quod aperiantur, extrudi; cuius euentus celebrè historiam habet Christophorus Auega lib. 3 Artis medic. vbi narrat, Leonoram quandam, cùm existimaret vtero habere, sexto mense sexagiuta, & plures membranosas vesicas excreuisse castaneæ magnitudinis, aqua palida plenas.

Ad curationem propero, quæ eos habet scopos, vt causa, quæcunque sit, remoueatur prius, mox aqua ipsa collecta euacuetur, vterus ipse calidis reficiatur, congruis roboretur; cuncta viscera tandem rectificentur. Præscripta itaque opportuna victus ratione, qualis in intemperie frigida, & humida paulò supra delineatur, ad hydragoga medicamenta descendere per epicrasim debemus, qualia esse possunt Diacartam. hiera Ruffi, pillulæ alephang, de elater; radix mechoacam, Scilap, vel etiam Gutgummi. Ab his ne aqua adaugeatur, aut iterum reproducatur, in frequenti vsu habeantur tabellæ diacurcumæ, dialaceæ, diambræ, & similes. Interdum sumantur guttulæ olei aniforum, vel caryophyllorum cum tribus vncijs aquæ Nicotianæ, quam nonnulli mirificam existimant. Insuper aqua illa vitæ mulierum supra descripta, vel similis alia non parum commodabit. Ita etiam scriptulus castorei in bolum concinnati, cui superbibatur cyathus vini maluatici, vel decoctum sanasras, aut pulegij, rad. angelicæ, calaminthæ, sabinæ, leuistici, & artemisiæ. Atqui decocta ex aquis parcius usurpanda erunt; fortè enim plus humiditate nocent, quàm herbarum virtute prodesse possint; quibus omnibus adijciendæ erunt Theriaca, ac Mithridatum. Nec prætermittenda extrinseca, vt suffitus, pessarij, olea, emplastra, cerata. Suffitus fiat ex mirrha, styrace, belzoino, castoreo, & similibus, quibus os uteri aperiri solet, & simul exiccari. Pessarij componantur ex granis gnidij, colocynthide, agarico, mechoacam, nitro, castorco, myrrha, & melle. Ex oleis præstant sambucinum, irinum, ebulaceum, de castoreo, de terebinthina. Emplastra probantur longa experientia ex baccis lauri; Item cochleis vstis, & caprino stercore cùm foliis, & radicibus ebuli addito oleo laurino, & congeneis. Cerata pariter ex assa fœtida, sagapeno, olybano, styrace, galbano, & similibus cum oleis supra dictis concinnari poterunt. Denique naturalia balnea nitrosa, aluminosa, aut sulphurea plurimum commendantur.

CA-

CAPVT X.

De Vteri Ascensu, vbi de motu eiusdem breuiter determinatur.

FRVSTRA nimirum essem, si ex professo de uteri motu, & inclinatione ad supernas partes quæstionem prolixam instituerem, quam uiri undequaque celeberrimi agitarunt, multisque opinionibus, & uarijs elucidare, ac determinare conatisunt. Adeunto, si lubet, Fernelium 6. Patholog. cap. 16. Eustachium Rudium 2. Pract. cap. 51. Andream Laurentium in sua Anatome libro 7. quæst. 9. Andream Spigelium 8. de humani corporis fabrica cap. 19. Ludouicum Mercatum 2. de mulierum affectionibus, & alios centum, qui Gynæcia conscripsere. Vnus Galenus 6 de locis affectis cap. 5. motum uteri sursum ad septum transuersum omnino detrectat; qua in re Hippocratem, & rei euidens periculum deseruit. Hippocratem quidem, qui de natura muliebri hæc habet: *Conuersi uteri impetunt hepar, & ad præcordia irruunt: sursum enim ad humiditatem feruntur, a labore nimium resiccati; hepar autem gratiosi humoris fons est.* Experimentum quoq; parui fecit Galenus, siquidem nō est medicus, noh obstetrix, quæ aliquando ascensum huiusmodi non manu tangat; globus enim extuberans percipitur interdum, vel etiam supra vmbilici regionem duriusculus, qui si manu ipsa deflectatur, deprimaturque, suum locum facile repetit; qua in re acutissimi Fernelij palinodiam recinentis iuuat verba registrare ex 6. Pathologiæ paulo supra nuncupato; sic ergo ille: *Galeni motus auctoritate nonnunquam putaui, uterum nihil, aut perexiguum e sua sede dimouere; at ægrotarum mulierum modo quærimonia, modo precibus adductus hunc sæpe tactu deprehendi instar globi cuiusdam in ventriculum efferri, eumque grauiter opprimere. Hinc & sæpe manu depressus est, manifestèque in propriam sedem propulsus: quo ascensu non, qua strangulatu symptomata fiunt, excitari, sed duntaxat premi mulierem quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate, aut animi defectione, at sine metu, sine delirio, aut alio symptomate grauiore.*

Venim qui in verba iurarunt Galeni, cùm huiusmodi autopsiam inficiari nequeant, conantur suadere, globum, qui manu tangitur, haud quaquam esse uterum, sed vel vaporem, vel flatum, vel aliquid aliud; qua in re non possum non vellicare Sennertum, virum alioquin non dilutæ scientiæ, qui in suo de morbis mulierum varias eximiorum virorum hac de lance repo-

A nens opiniones, vbi Albertinum Bottonum, & Ludouicum Mercatum reiecit, quorum ille à maligno seminis halitu; hic verò a consensu superiorum partium, & quadam ad uterum syntimoria motum, & alterationem in sublimiori regione viscerum excitari contendunt; suam in medium affert sententiam longè minus plausibilem: censet enim, globum illum, qui manu tangitur ad præcordia, non esse uterum, verùm testes, & vas illud cœcum, siue cornu, quod quia a Fallopio primò nomine tubæ descriptum fuit ob similitudinem, tuba Fallopiana penes Neotericos appellatur; dum videlicet hoc, & illi corrupto semine, flatibus, ac vaporibus turgescunt, atque adeò per hypogastrium discurrentes ad
B vmbilicum ipsum perueniunt; idque suadere conatur ex eo, quod aliquando hystericarum mulierum testes pugno grandiores inuenti fuerunt. Atqui tanto viro in hoc astipulari non possum pluribus de causis; nam si testes, & vas illud laxum, quod tuba vocatur, quodque uteri laterali ligamento non hæret, sed uagum pererrat huc illuc serpentis instar, corrupto semine referta essent, utique strangulationem, aliaque symptomata funesta efficerent; id quod in simplici ascensione uteri nequaquam cōtingit, ut ex Fernelio supra, experimento arbitro, obseruauimus. Rursus globosi isti tumores non tam fugaces essent, hoc est non ita facile euanescerent, manuque ipsa ad sedem suam reducerentur; quin
C etiam si reuocarentur, in quocunque loco tumorem eleuare deberent; necnon statim eò recurrere, quò prius tumescendo irrepserant: præterquam quòd tuba, licet oppleta flatu, & succo genitali referta tam magnum globum excitare nequiret; quod anatomico examine exploraui cum eximio, ac diligentissimo Chirurgo Nicolao Larghe in Diui Iacobi nosocomio Vrbis professore. Id uerò neutiquam in utero ascendente accidere potest, quoniam is ad proprium locum reuocatur, ubi nullam sensibilem extuberationem efficit, nec ita facilè propter ligamenta sursum recurrit. Præterea quòd testes in ingentem molem in mulieribus protuberent, rarum
D est, & ualde pauci obseruarunt; sed quòd uteri eleuati globos in diuersis regionibus excitent, tam frequens est, ut omnes ferè mulieres tam steriles, tam utero gerentes, immo & uirgines id aliquando experiantur. Non sum tamen prorsus iturus inficias, quin cornu illud, siue tuba aliquando tumorem excitare ad hypogastrium ualeat, dum scilicet flatu, uapore, aut semine turgescat, siue etiam fœtu, siquidem ibi etiam (quod magnam infert admirationem) aliquando concepisse mulierem scribit Riolanus.

Probabilius est igitur, uterum putare ascendere marte suo, non quidem uoluntario motu (nam caret omni musculo) alioquin esset ille separatum quoddam animal, ut Plato, & Arethæus arbitra-

trato sunt, sed partim naturali; partim morboso, id quod egregiè definiuit Laurentius de partibus Generationi dicatis lib. 7 quæst. 9. vbi sic: *Est tertius quidam vteri motus, qui partim a causa morbifica, partim à facultate excitatur, vt dum nimium refricatus, & sitiens recurrit ad hepar ἡμαλέον*, vt ex Hippocrate supra retulimus: cuius nimirum ascensus causa erit vel siccitas ex Hippocrate, vel flatus, vaporque sonticus, vel sortis multigenę materia, vel seminis virilis auiditas, propter quam, vt Plato aiebat, matrix impatiens euadit egrè ferens moram, ac plurimum indignata passim per corpus oberrat.

Rursus Aetius vteri ad superna recursus probabiliores causas assignat serm. 16. cap. 77. his prorsus verbis: *Suppressis menſibus neceſſe eſt, venas, & arterias ad vterum tendentes repleri. Nam ſanguis vſque ad vaſorum oſcula accurrit quidem, verùm intra vterum prodire non poteſt, aut eo quòd nimia traſſitudine oſculis impingitur, & grumoſus fit, aut quòd ipſa oſcula clauſa ſunt, & tranſitum impediunt, ita vt venæ humore e reſertæ extendantur, & vicinos vteri appendices humectent, quorum extenſione vterus retrahitur. Si itaque ex vtraque parte æqualis ratio fiat, relinatio, aut reuulſio, ſiuè recurſus vteri æqualis contingit. Si verò in alteram partem maior retractio fiat, alterum e viſceribus his in cauſa eſt, ſplenem videlicet, aut hepar, quorum venæ ſuperfluo ſanguine extenta a ſuis partibus vterum retrahunt, hepaticæ venæ e dextris, ſplenicæ e ſiniſtris, prout alteræ magis fuerint repletæ.*

Ita ergo licet vterus ligamentis supernè careat, quibus retractis eleuetur, potest à viscerum venis distenti, arteri isque sustolli. Cæterùm quòd vterus septum transuersum, cor, & cerebrum interdum impetere dicatur, κατ' αχρησικῶς intellige; quare Ludou. Mercat. lib. 2. de mulierũ affectionibus aiebat: *Credendum non eſt, vterum illuc recurrere derelicta propria ſede, ſed in ſe ipſum conuelli, & partem, in quem ſimulat adire, inconſenſum trahere, aut verſus illam partem flatu, aut humore impleri, eamque ſummopere ledere.*

Sed ad rem; quomodocunque ascendat vterus conceptioni malè deseruit; descendere enim debet, vt virilem ebibat genituram, ipsoque mulceatur genitali membro; quę si deficiant, irritus erit aphrodisius contactus, inanis ibit & vterus. Igitur sedulò reuocandus erit, & veluti blandicijs prolectandus odoribus, vnguentisque iucundis, pessarijs analogicè redolentibus, frictionibus, cucurbitulisque ad mediam pubis regionem. Contra naribus apponenda, vel de collo suspendenda insuauia, & male olida; vt castoreũ, assa fœtida, & cuncta alia, quæ in strangulatione vterina vsurpari solent; ipsaque insuper Venus blando tractata modo, & sæpè non completa vterum reducit; inde enim supereſt ardentior appetitus, & ex hoc ad pudendum maior procliuitas: nam 7. de historia animalium Aristoteles cap. 2. scribit; quibusdam mulieribus coeũdi desiderio, aut a Venere diutina abstinentia vterum fuisse prolapsum.

CAPVT XI.

De vteri prolapſu, atque diſtortione.

QVONIAM vterum ad conceptionem quàm maximè idoneũ constituimus, omnes eius, aut saltem præcipuas, ac frequẽtiores noxas reuoluere consilium est: dicebat enim 2. Prorhet. Præceptor: *Vterus, qui conceptui aptus futurus eſt, has habeat conditiones, vt neque retractus ſit, neque pronus, neque os etiam auerſum ſit, neque contuſum, neque euerſum ſit.* Has inter non infimum locum obtinent procidentia, ac distortio; ideoque breuiter vtramque percurremus. Profectò descensus matricis, auctore Hippocrate 2. de morbis mulierum conceptioni non parum aduersatur; ideo libro de sterilibus egregiè illa: *& ſi os vteroruм ex pudendo exciderit, neque ſic concipit; nam os durum fit, & genituram non ſuſcipit, & intumeſcit, & propterea in totum infœcunda fit.* Etenim cùm huiusmodi procidentia affluentem vniuerſi corporis, ac potissimum vteri colluuiem, ac vaforum distentionem denotet, quid mirum si proiectum semen in primis non attrahatur, sed ipso in vestibulo hebescat, algeat, vimque suam demergat prolificam? Adde, quòd licet conciperetur, pendulis, ac debilitatis acetabulis, fœtus nequaquam sustineri valeret; quinimò totus vterus ob descensum refrigeratus, ac spiritibus depauperatus embryonem fouere nequiret.

Affectus huius binas Auicenna causas assignat, repletionem scilicet, atque inanitionem: nam repleta nimium vasa distenduntur, vndeorsum pendula; exinanita verò concidunt, quasi se ipsa sustineri nequeant. Neque audiendi vlla ratione sunt illi, qui vterum prolabi existimarunt, quoniam à suis ligamentis dimulsus, ac solutus conciderit; nam laxatis tantummodo vel ob superfluam humiditatem, vel ob summam inanitionem, à qua fatiscunt, declinare contingit. Insuper Hippocrates 2. de morbis mulierum alias vterini prolapsus regiſtrat causas; inquit enim, *Porrò omnis occaſio vteros propellere poteſt; ſi quid malè habeant; nam & à frigore pedum, ac lumborum, & à ſaltatione, & terrore, & lignorum ſectione, & curſu ad accliuem, ac decliuem locum, & ab alijs multis propelluntur.* Addamus adhuc, prolabi vterum

rum ex violenta fœtus, aut secundinę extractione, partu frequenti, ac laborioso, onerum subleuatione, ictu, percussione, & ex magno iræ concepto furore: ab his enim omnibus, vtero procidente, fibrosus ceruicis cum proximis partibus connexus soluitur, quæ solutio, vt Platero placet, est proxima, & immediata ipsius procidentiæ causa, reliquæ omnes antecedentes potius; si lubet, auctorem adeunto. Et hæ omnes causę, quò fuerint maiores, eò maior exoritur affectio; nam tres vteri defensus differentię accidere possunt; prima omnium leuissima quidem, quando in vuluam collum ipsum prolabitur: secunda quando vteri ipsius fundus, atque vniuersum corpus excidit in collum, & in hac instar virilis glandis rubentis cum conspicuo foramine in ore pudendi matrix apparet. Postrema tandem differentia est, cùm interna vteri membrana cuersa extra prominet rugosa apparet, strutij camęli ouo magnitudine, & forma respondens.

Præterea quod ad affectionis diagnosim attinet, Præceptor noster 2. de morb. mulierũ citato hęc habet: *Si vteri extra naturam progressi fuerint, febrilis calor habet pudendum, & imum ventrem, & vrina frequenter, & paulatim destillat. & pudendum vehementer mordetur*. At ex his febrem comitari semper, ne putato: siquidem Hippocrates non simpliciter febrilem calorem adiungi tradit; sed hunc pudendum, & imum ventrem occupare scribit; quasi vteri duntaxat regionem caliditatis extraneę qualitas circumuadat. Cæterùm ideo vrina aut supprimitur, aut stillatim effluit, quoniam à decidua matrice vesicæ collum comprimitur, necnon & rectum intestinum; vnde & fęces ægrè, & cum labore maximo deponuntur. Adde demum posse affectum ex mulierum relatione satis comprehendi; siquidem non leuis dolor varias partes cruciat, os sacrum, lumbos, ilia, hypogastrium, & alia membra, quibus vterus alligatur, & in pudendo tumorem magni instar oui cum ingenti grauitate patiuntur.

Interim affectui erit ilicet occurrendum, alioquin post longam moram vel non reducitur, vel si reducatur, minima occasione recidit; vnde molestiam ingentem, atque impedimentum mulieres referunt, non sine rubore, ac turpitudine: sed in primis ex prolapsu coniugij vota irrita fiunt, quoniam nec menstruę purgationes fœliciter cadunt, nec aphrodision aptè, & iucundè celebratur, ipsaque viri genitura neque excipitur, neque concipitur. Continuò igitur in suam sedem reponatur, & ne iterum descendat, prouideatur; quod ligamentorum exiccatione, & astrictione consequemur. Quòd si fortè tabo, ac putrilagine corrũpatur, nullum erit præstantius remedium, quàm secare, & abscindere; quod citra vitę periculum a dextero Chirurgo effici

A poterit, id quod præter alia à veteribus allata exempla secundo huius libri capite recensita, alia sexdecim Gaspar Bahuinus enarrat in Appendice historiarum Francisci Rousseti, qui & alias decem registrat huius euentus historias lib. de partu Cæsareo. Sed primò, vt facilius reponi valeat, suffumigium paretur ex corio salitæ anguillæ, & fumo arefactæ; oleo insuper liliorum, alborum, vel cheirino inungatur, vt leuius contrectetur, & lubricius recurrat. Post hæc sub mammis, ilibus, & vmbilico cucurbitulæ ingentes magna cum flamma apponantur, nec non emplastra, ac cerata astringentia renibus, dorso lumbis, & vtero ipsi ex opoponaco, thure mastiche, laudano, styrace liquida, bolo armena, pice, & consimilibus concinnata. At si ab humida colluuie totius corporis vitium exoriatur, operæpretium erit purgationibus vti, quæ vligino sam sarcinam imminuant; mox verò decoctis exiccantibus ex ligno, salsa parilla, & radice sassafras magnum afferes adminiculum. Demum vterum ipsum roborantia adhibeantur, inter quæ familiaria esse poterunt corallia rubra, cornu ceruinum præparatum, nux myristica, cinis concharum, & similia, quæ conserua anthos misceri poterunt, aut in rotulas concinnari; vt relinquam mithridatum, theriacam, diamoscum, ac diambram.

Sed vbi reliquimus Dictatorem nostrum Hippocratem, qui libro de natura muliebri morbi huius ideam, ethiologicin, diagnosin, ac tandem Therapeuticam breuissimè exarauit? Afferantur in medium ipsa auctoris verba.

Si vteri procciderint, & foras egressi fuerint: calor habet maximè pudenda, & sedem. Et vrinam paulatim destillat, ac mordet. Hæc patitur, si ex parte progressa viro condormierit. Quum autem sic bahuerit: myrti baccas, & lotiramenta in aqua coquito, & aquam per noctem subdio exponito, & pudenda cum eo decocto, quam frigidissimo perfundito: & eadem trita pro cataplasmate adhibeto. Postea bibens aquam lentium, & mel, & acetum, donec vteri fuerint eleuati vomat, & lectum apedibus altiorem facito, & grauiolentia sub pudenda suffito, odorata verò sub nares. Cibis verò vtatur mollissimis, ac frigidis. Et vinum aquosum album bibat. Ne lauetur autem, neque cum viro dormiat. Et in his obiter animaduertendum, Hippocratem emetica potius, quàm deiectoria medicamenta in vteri prolapsu probare, quoniam vt hæc inclinationem infra adiuuant, ita illa sursum naturam, ac deciduas partes reuocant.

Item non parum efficax decoctum erit ex foliis vel baccis myrthi, foliis, vel baccis lauri, & musco querno in vino rubro faciendum; quin etiam decoctum ligni illius Rhodij, ex quo coronarum orbiculi conficiebant in iure domestici pipionis efficacissimum sum expertus, & apud Germa-

Digitized by Google

nos valde vsurpari intelligo.

Tandem vterus si deplorata procidentia laboret, Franciscus Ronssettus lib. de partu Cæsar. sect. 6. ad pessaria quædam tamquam ad sacram anchoram confugit, quæ intra vterum perpetuò gestantur absque molestia, imo cùm vtilitate incredibili; & quod admirabilius existit, cùm ijs coire, & concipere mulieres possunt; præterquam quòd vitium, ac turpitudinem illam vsque adeo hoc dolo obtegunt, vt neque ipsimet viri eam deprehendant; qua de re plures ex obtutu ac proprio experimẽto refert i le historias. Prosthemata verò huiusmodi concinnari, ait vel ex auro, & argento foraminatis, vel ex cera, vel e cortice suberi molli cera obducto, aut etiam ex tenuissimo filo in globum oui magnitudinis glomerato, imo etiam ex nuce iuglande excauata, & virginea cera obducta, qualis apud Germanas mulieres, teste Sennerto, vsurpari frequentiùs solet. Ita verò cõfecta in vterum inducuntur, ac die noctuque feruntur citra vllam noxam, summoque cùm emolumento. Eundem vsum habent circuli quidam ex radice Brioniæ confecti, qui pariter in vteri collum immittuntur; quorum si cupias addiscere formulam, Sennertum legito libro 4. Practicæ sect. 2. capite 15. is enim a socru sua, vt refert, rotunda ista pessaria edoctus fuit. At his omnibus opportuna victus ratio accedere debet, omnisque in primis cuitari motus; ac Venus, in qua spontè solet matrix auida seminis declinare, protinus ablegari debet.

Pari norma incedendum in vteri distortione, quæ nihil minus conceptioni aduersatur, eo quia seminis intra vterum receptionem prohibet; nisi enim os vteri uterinum rectũ obtineat situm, ita vt externo orificio e diametro respondeat, virile seminium in Venereo cõplexu aliò effundetur, quare ab vteri facultate intro prolectari dum non poterit, paulò post inutiliter effluet. Solet huiusmodi affectus hæc duo symptomata præcipuè secum ferre, menstruam purgationem accisam, & coxæ illius lateris, ad quod inclinat, audacem dolorem; adeò vt plurimæ mulieres, quæ vteri laborant inclinatione, ab imperitis medicis coxendice detineri credantur. Habetque fere easdem causas, quibus procidentia emanare solet, & insuper aliquem in recto intestino tumorem, aut in vesica ingentem lapidem; cùm enim inter has duas particulas medius collocetur vterus, quomodocunque ille susque deque ex aliqua phlegmonosa, vel alterius generis systrophe concitentur, ipsa quoque matrix fit assecla.

Quoad curationem diligentis obstetricis opera collum vteri ad suam regionem reducatur, immiso digito oleo amygdal. dulcium prius inuncto, vbi vtreinteatur, cucurbitulæ in ipsa eadem parte multæ, & frequentes applicandæ, superque ipsum latus decumbat semper, aut saltem dorso mulier. Et hæ sunt affectiones vteri primariæ, & frequentiores, quæ conceptionem præpedire solent.

CAPVT XII.

De Atretis, siue de muliebri clausura, eiusque curatione.

INTER varias pudendi muliebris, aut oris vteri affectiones, & accidentia omnium prima se offert, quæ vteri φίμωσις græcè nuncupatur, si præsertim a non naturali causa fiat; & latino nomine muliebris clausura, quæ non modò conceptionem vt plurimum impedit, sed Venerem quoque ipsam, de qua verba faciens Auicennas, *Clausura* inquit *est, cùm super os matricis egreditur aliquid, quòd prohibet coitum ex re additi lacertosa, aut panniculari forti, aut est illic incarnatio ex vlcere, aut creatione.* Huiusce modi affectus igitur accidit aliquando ex natura ipsa, ferturque ab origine prima; ita vt cùm tempus menstruandi virginibus accidit, sanguis moneatur quidem, vt fluat, cùmque nullum inueniat per quem transcurrat meatum, ad supernas, nobilesq; partes pandrome regurgitet; inde verò intensissimi exoriantur dolores, perturbationes ingentes, ac demum strangulatio ipsa, impuri sarcina sanguinis opprimente natiuum calorem.

Qua etiam de causa existimo, Atretas omnium salacissimas esse: sanguis enim ille ad vterum confluens, & nunquam demissus pruritum exanguet, cupidinemque inflammat; cui mox dum phimosis indulgere, ac satisfacere prohibet, æstuat, furitque acriùs; Id tamen de ijs maximè intelligendum, quæ a Nicolao Florentino velatæ nuncupantur; eo quòd veluti velo quodam obducta sit matrix earum: quomodo ex Moschij arbitrio præpeditur simul purgatio, coitus, & conceptio; potest enim contingere in quadam clausura, vt non impediatur quidem coitus, sed conceptus, atque purgatio: in aliqua verò conceptus; purgatio autem nequaquam; tunc scilicet, quando in penitiori matricis sinu impedimentum exoritur; siquidem sanguis per matricis collum, vt in prægnantibus, & quibusdam virginibus accidit, effluere poterit. Vide Mercurialem 4. de morbis mulierum cap. 14. Nimirum vel occlusio contingit in pudendi labijs, actum coitus, conceptus, ac purgatio præpediuntur: vel est in ipso pudendi sinu, atque tunc Venus celebratur quidẽ, sed statim genitura a viro effusa defluit, nec fit mensium purgatio: vel tandem fit in vteri osculo, quomodo neque congressus, neque purgatio intercipitur, sed sola conceptio. Clausuræ has differentias percurrit breui-

Digitized by Google

ter Paulus Æginetal b. 6. c. 72. vbi sic loquitur, *Genitales mulierum partes clauduntur interim ex accessorio morbo quodam præcedente, alias intimo, alias in alis, sæpe etiam in medio spatij, idq; aut secundum naturam, aut ex obstructione, quod aut & foramen interseptit, interluditq; vel caro, vel membrana est.* Meminit huius affectionis etiam Aristoteles 4. de Generatione animalium cap. 4. vbi hæc legũtur: *Fœminis non nullis os vteri compressum, concorporatumque ab ineunte ætate, ad tempus vsque menstruorum perseuerauit, mox orgentibus menstruis, doloreque infestante alijs sponte disruptum est, alijs dissectum à medicis, nonnulle interierunt, cum aut per vim disrumperetur, aut disrumpi non posset* & 10. de historia animalium hæc habet: *Adde, quòd nonnullis vteri os partim ab ortu, partim ex morbo coaluit, id quòd curari modo potest, modo non potest, animaduertere id difficile non est*, vide cap. 6. Sed multo ante Aristotelem, & alios noster Hippocrates, seu mauis Polybus 2. de morbis muliebribus huius clausuræ meminit, signaque describit his verbis. *Si os vterorum conclusum fuerit, sit spissum velut grossus, & si digito contigeris, deprehendes durum, ac conuolutum, & digitum non admittit, & menses occultantur, & genituram non suscipit hoc tempore, & dolor habet imum ventrem, & lumbos, ac laterum mollitudinem quandoque verò etiam sursum ascendit, ac suffocat.* Præterea Scaliger multas affert Atretarum historias (atretę namque appellantur mulieres, quę os vteri externum imperforatum gerunt) itidem Nicolaus Florentinus, Beniuenius, & alij centum. Cùm Romę studijs operam nauabam, ad aures meas peruenit, quòd in quodam nequitiæ hospitio tres prostitutę reperiebantur sorores, quarum pulcherrima, natu minor clausura laborabat, adeo vt cùm pellex callida rem nemini Amasiorum detegeret, ignari agoniste, qui ad eam, ut forma præstantiorem inclinabant magis, in Venerea lucta insudarent, anhelarent, ac tandem defatigati abirent, libidine aut non expleta, aut male, & cum verecundia completa. At non ne barbarum propè est, & ridiculum simul id quòd Petrus Bembus de Nigris populis historię mandauit? Sic enim scribit: *Boni homines, & strenui Bellatores filiabus suis, vbi primum nata sunt, pudenda consuunt, sic tamen, vt vrinæ meatus non impediatur; illa autem vbi adoleuerint sic consutæ nuptum dantur, sed primùm easponso relinquitur, incumbitque cura, vt ferro conglutinata ceruicis vteri labra fecet, diuidatque.* ita Vuierus apud Sken ium.

Cęterum doctissimus Aetius appellat affectum hunc vterum non perforatum, aitque tribus de causis effici posse: Prima, si in alis, & labijs ipsius pudendi membrana, aut caro obturans enascatur. Secunda si in ipso pudendi sinu simile quid oriatur siue caro, siue membrana, sortis. Tertia denique si circa ipsius uteri osculum eadem obturatio fiat. Et huius quidem affectionis curatio describitur plenè ab Auicenna, & Aetio capite proprio, estque tota manualis, & chirurgica, quando opus est duntaxat incisione, apertione, & sectione commodis instrumentis administrata, de quibus hic ex professo agere superfluum foret. Qui scire cupit modum, & mulieris situm, vt secari possit, nec non remedia applicanda citatos legat auctores Auicennam libro 2. sen. xxj. tractatu 4. Aetium sermone 16. capite 46. & alios veteres proprijs capitibus. Illud quippe tantum recolendum videtur, quòd multa cura animaduertere oportet, ne incisio fiat nimis ampla, aut nimis angusta; ampla siquidem inutilis est, & ad Venerem improportionata, eo quia necesse est virgam arctè complecti, quatenus voluptuosè magis, & cum seminis maiori copia mixtio ad generationem celebretur. Nimis etiam angusta, inconcinna, & parum commoda est, quandoquidem difficile, & summo labore admittit, quocirca & viri magnum requirit conatum; & mulieri non leuem infert dolorem; præterquam quod, vt ait Auicennas citato loco, si angusto nimis foramine puella concipiat, magnum subit in partu mortis periculum, non ipsa solum, sed fœtus etiam; vel si non interit, saltem sæuissimis doloribus cruciatur: Monet proinde loco eodem Arabs, vt facta incisione, & ad sanitatem reducta frequenti coitu locus ipse, & meatus fricetur, vt magis dilatari queat, & incarnatio, seu cohalitus denuo non fiat. Cauendum insuper est, ne fecando, aut incidendo phlebotomus profundè nimis penetret, quamobrem contingat, vterum, ipsum quoquo modo vulnerari, quoniam periculum foret, ne facto vlcere apostemaretur. Verùm hæc videant ij, qui manuales sunt artifices.

Similis quidam affectus est vteri obturatio, quæ fit circa os, aut collum ipsius propter vlcerationem prægressam, aut inflammationem indurtatam, vt loquitur Aetius, ob quam, locis adeo angusti sunt, vt semen non amplius admittant, uel admissum non retineant ob callosam ipsius uteri duritiem, prę qua contrahi minimè potest. Id significauit quoque Aristoteles dum decimo illo de historia animalium capite 6. dicebat: *Præterea si in ore sępè exulcerato tuberculum extiterit, impedimento est, quo minus conceptiones fiant, &c.* Atqui huius curatio, non quidem ferro, vt prima clausura, sed aperientibus administratur, vti in sessionibus, & mollientibus, ac dilatantibus oleis, atque decocto ex fœnu græco, ceratis, pessis emollientibus, & similibus. Quomodo uerò contingere possit aliquando, ut Atretæ concipiant; explicatur alibi. Illud in calce appingam,

gam, Atretas mulieres ad marium naturam propiùs accedere, minimumque distare ab illis, quasi nascentes vno gradu virilitatem amiserint; id quod luculenter apparet ex earundem alacritate, robore, habitu corporis duriori, ferocia, iracundia, & maiori in cunctis membris calidita-te, qua contingit etiam interdum, vt sanguinis, qui singulis mensibus effluere deberet, supelle-ctili absumpta, illesam obtineant sanitatem.

CAPVT XIII.

De clitoride, seu muliebri pseudoüirga, vbi de nympha, ac Nymphotomia.

POST clausuram occurrit ilicet inter ipsas cunni symplegadas af-fectus ille, quem uario nomine descripserunt veteres, & Neote-rici; Hippocrates libro de natu-ra mulebri columellam nuncu pauit ob similitudinem, quam habet cùm illa, quæ in faucibus pendula prominet. Apud anti-quum auctorem dicitur quoque ὑστερικὸν τέρας, quæ vox ornamẽtũ, ac torquem colli significat, quasi pudendi monile sit per antiphrasin particula ista. Auicennas vocat Albatram: Albucasis tentigi-nem, cui consonat illud Martialis 7. epigramm, in tribadem Philænim.

Et tentigine seuior mariti
Vndenas vorat in die puellas.

Moschius appellauit symptoma turpitudinis, non modo quia deformitatem præfert aliquam, sed quia, vt arbitror, immensam salacitatis notam inurit, quam fateri mulieres pudeat: Columbus Amorem, & dulcedinem Veneris: Fallopius ex Rufo Ephesio clitoridem à verbo græco ob-scenitatem significante, & alij aliter.

Est verò carnosa quædam substantia ab vteri o-sculo exoriens, & muliebre pudendum replens, vt ait Aetius, & aliquando extra progreditur instar caudæ, cuius etiam nomen habet. Auicen nas lib. 3. fen. 21. tractatu 3. cap. 23. duas vi detur facere caudæ species; vnam, quæ dicitur virga, seu Batarum; alteram quæ vocatur Fur-sus, seu Alcharcas, quamuis inter has non ma-gna intercedat differentia. Hæc sunt Auicennæ verba: *Quandoque oritur in ore matricis caro addita, & quandoque apparet super mulierem-res, quæ est sicut virga commouens sub coitu, & quandoque accidit ei, vt faciat cum mulieribus si-mile quod fit eis cum quibus coitur, & quando-que est illud Batarum magnum*, mox subiungit, *& fursus quidem est caro addita orta in ore ma-tricis, quæ quandoque prolongatur, & quandoque abbreuiatur, & non prolongatur nisi in æstate, & abbreuiatur in hyeme*: Martialis lib. 7. hanc

A muliebrem affectionem non vno in loco turpi nota obsignat, vnde illud in Philænim.

Ipsarum tribadum tribas Philæni.

Et primo libro in Bassam Tribadem.

Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa Venus.
Commenta es dignum Thebano enigmate monstrum
Hic vbi vir non est, vt sit adulterium.

Porrò, & sit apostrophe perfunctoria, crediderim ego sæpe factum esse, vt vulgus credulum existi-marit, mulierem aliquam in virum degenerasse, hac de causa, quòd videlicet innata illi esset huius-modi caruncula in magna mole.

B Id verò inter Batarum, & fursum interest, quòd illud vbi exortum est, neq; augetur, neque dimi-nuitur; sed molem suã vniformi seruat magnitu-dine; fursus verò & crescit in æstate, & minuu-tur in hyeme: cuius euentus causa est, quoniam æstiuo tempore mulier concitatur ad Venerem, ideoque sanguinis multum, & spiritus ad mulie-bria confluit, vbi calore suo dilatant, & am-plificant. E contrario quoniam hyemali rigore mulieribus libido infringitur, fit, vt penes illas naturalia torpeant, & si quid excreuerit, corru-gatur, ac minuatur. At cur id ipsum non con-tingat in Bataro? Dixerim, Batarum etiam, & virgam in solis æstu aliquid incrementi ob ean-dem rationem recipere; sed quia *eius substantia* C est magis membranosa, iccireo multum nequit attolli, & amplificari: carnis enim, & carnosæ substantiæ proprium est exaugeri, & extuberare. Patet hoc, quoniam de virga dicit Auicenna quòd ea mulieres vti possunt ad coeundum eo modo, quo viri: quamobrem debet esse lacerto-sa, dura, ac tensa; de fursо autem hoc non asse-uerat; quia mollis, & carnea est; vt ideo nec eri-gatur, nec penis formam præferat.

Particula hæc duo habet ligamenta ex Anato-micis, à pubis ossibus orta, caua intus, spongiosa, atroque sanguine plena; habet insuper musculos quatuor, licet exiles, & in extremo aliquid virili glandi simile, quòd instar præputij tenuissima cu-te circum texitur, nec à virili pene in alio differt, quàm quòd nullum habet meatum excernendo semini paratum; Cæterum si tangatur, aut fri-cetur, Veneris excitat ignículos. At cur dices nimium particula hęc in aliquibus excrescit? Id ex magna caliditate, atque spiritibus ad eam re-gionem confluẽtibus prouenire, certum est; hinc enim naturam inibi luxuriare ex materiæ vber-tate contingit; vt ideo quæ tali membro præditæ sunt, passim salacissimæ existimentur: gaudent enim glisscentes non modo succumbere viris, & calcari frequentius; verùm & viri partes obire, alijsque incumbere mulierculis clitoride immis-sa; nec sanè mirorem in agendo, quàm in pa-tiendo voluptatis hauriunt dulcorem, quin furen-tes in vtroque nunquam ad satietatem commi-

scen-

Digitized by Google

scentur; ideoque quòd satyriasis in viris, id in mulieribus isthæc affectio efficiat; quæ propterea nymphiasis dici posset, non autem nymphotomia, quæ vox non affectionem, sed affectionis ablationem chirurgicam denotat; vt propterea irasci lubeat in Moschionem, qui hunc affectum nymphotomiam dixerit, eo magis quòd Græcus erat.

Illud verò nullatenus prætereat alto silentio fas est, quòd nimirum, licet mulieres clitoride ad obscenam Venerem vtantur, per illam tamen neque seminis, neque alterius cuiuspiam humoris vel minimum emittunt, sed sterili conatu calcant, perinde ac si digito lasciuirent, pudendumque tererent: cùm enim particula ista sit quid præter naturam adnatum, non potest vlla ratione seminalium vasorum productiones excipere, quæ ad naturalia duntaxat pudenda diriguntur, vt pote in mulieribus ad vterum, in viris ad penem: vt proinde mirari subeat Riolanum, & cum eo candidissimum Paulum Zacchiam, qui septimo quæst. Medicoleg. contrariæ sententiæ subscribere uidentur, multis adductis auctoritatibus, quarum tamen nulla id re uera testatur. Solus Alsaharauius id palam annuere uidetur, qui tamen, si ritè uerba perpendantur, ex antiquorum potius opinione loquitur, inquit enim: *Antiqui dixerunt:* Fortè in opico illo cótacta Tribades polluúntur ab utero, uasque Paticæ, quæ succumbit, mulierculæ, aliquo respergunt humore, saliuaque fœdant aphrodisia, & inde decipi potuerunt ueteres, existimantes, rorem illum genitalem a clitoride, tamquam a uirga manasse.

Sed ad curationem descendamus, quæ habetur etiam per incisionem, & sectionem. Auicennas citato loco ait, quòd virga per sectionem tollitur; fursus verò corrodentibus medicamentis: quibus verbis roboratur opinio nostra desuper allata, qua dicebamus, virgam esse lacertosam, ac membranosam, ac proinde duram, vt ex eo non nisi per incisionem auferri valeat; fursum verò esse carneam potius excrescentiam, vt hæc de causa consumi, & abrodi possit medicamentis erodendi facultate prædictis absque sectione, & manuali chirurgi opera. Addit post hæc Auicennas alium modum auferendi fursum dicens, quòd ligari debet ligatura stricta cum filo, & sic dimittatur per duos, aut tres dies, qua ratione, vt ille ait, diminuetur; vel etiam tam diu ligata permaneat, quousque putrefiat.

Quæres an Venerem eo modo, quo batarum, & fursus, impediat etiam morbus ille, qui dicitur nympha? Nympha ex Aetio sermone 36. capite proprio est substantia quædam musculosa, aut pelliculosa supra alarum pudendi commissuram sita, quo loco vrinarius est meatus, quæ in aliquibus mulieribus ad tantam magnitudinem augetur, vt deformitatem, ac pudorem inducat; quin etiam, vt idem Aetius ait, à vestimentorum contactu assiduò arrigitur, & ad Veneris illecebras proritat: vt ideo hoc morbo detentæ mulieres intenso libidinis ardore crucientur, ob spiritus, qui ad eam regionem confluunt, & ob attritionem, quæ fit à vestibus ad genitalia. Hæc igitur coitum non impedit, quando carnis illa musculosa, & pelliculosa excrescentia non est in ipso vteri oleculo, sed iuxta meatum vrinarium, quo loco penis receptionem non interpellat sicuti batarum, & fursus. Apud Ægyptios, vbi vagabatur inter mulieres hæc ipsa pseudouirga, nympha nuncupata (fortè ob climatis caliditatem, & earum intensissimam salacitatem) mos erat statim, ne extuberaret, amputare; tum præsertim quando virgines iam plenæ nubilibus annis erant nuptui tradendæ. At in particulæ huius abscisione moneo, vt religiosè agamus, si tamen mulier sociata coniugi pedagoniæ studere debeat; siquidem inde Veneris quoque suauiorem titillum aliterrancari contingat, quare minus ad congressum alacris reddita generationis munus frigidius, ac seguius obibit hinc vero sæpè sterilitas exoritur. Modus verò amputandi sic describitur ab Aetio præcitato loco. *Virgini in sella locatæ ventre tenso adolescens robustus, qui brachia sua poplitibus virginibus subijciat, cruraque eius ac totum corpus regat, & tum chirurgus ante ipsam stans forcipe ampliori nympham corripiat, & per sinistram manum distendat, per dextram verò prope forcipis dentes resecet.* At qui modus sit in resectione seruandus, & quę postmodum adhibenda medicamenta, discat, qui vult ab Aetio eodem loco.

CAPVT XIV.

De ratione coarctandi uas Genitale amplum nimis, & pudendi interpolandi.

SICVTI ex parte viri defectus magnitudinis, & paruitatis ad penem fœcunditati Veneris aduersatur: ita etiam ex parte mulieris Genitalis excedens angustia, aut amplitudo conceptionem illudit. De angustia abundè egimus supra capite de uteri phimosi, modo reliquum est, ut aliqua de amplitudine proponamus. Enimuero si amplum nimis, & hiulcum sit Genitale, haud quaquam uiri penem complecti continget; si penis arctè non complectitur, ut aiebat Auicennas, eius attritio non fit multa; si parua est attritio, uoluptas non oritur, hæc si deficit, semen aut non sabitur, aut in modica quantitate funditur; si semen deest, ut par est, Venus infructuosa, & sterilis euadit; præterquamquod impensè laxum, &

Digitized by Google

& ſpatioſum pudendum cauſa eſt non raro uteri procidentiæ, quę nihil minus & Veneri, & conceptioni incommodat. Prudens ideo Auicennas ſummo iure conſtringendę uulnę modum proponit libro illo ; toties citato. Verum antequam deſcendamus ad remedia, inquirendum eſt, num uſus Veneris ad nas muliebre coarctandum conferat, & quæ nam ſit cauſa dilatationis.

Quod attinet ad primum quęſitum, ex una quidem parte uidetur aſſerendum, Veneris uſum non eſſe omnino in uaſis dilatatione prohibendum, & ratio eſſe poteſt, quia cùm uulnę in fœminis habeant ad penem naturalem, eamque maximam propenſionem, nec non ad illum recipiendum auidam quandam ſympathiam, dum idem introducitur, quærunt illę ſuis alis, & carunculis arctè comprehendere ea enim eſt appetentis natura, vt cùm diu concupita res accedit, complectatur, & conſtringat) quare vniuntur, reducuntur, & coarctantur, vt commodè Priapum hoſpitari valeant; ac proinde amplitudini corrigendæ Genialis coniunctio non uidetur aduerſari. Atqui licet aliquid probabilitatis hæc opinio redoleat ; contraria tamen verisimilior eſt, vt inde in muliebri clauſura dum fit inciſio, iubeat Auicenna, frequenter coitum adhiberi ad hoc, vt oriſicium dilatetur. Etenim ſenſu ipſo probatur, vas illud ingi Venere dehiſcere ; quocirca lupanaris impura cohors, dum nummorum pretio delinita, & voluptatis dulcore demulſa procos non ſemel, ſed ſæpius in die admittit, neceſſum habet quotidie adſtringentes fotus adhibere quibus uideatur ſui copiam paucioribus facere, quo aſtu incautos deludit iuuenes, ac maiorem inde mercedem reportat! Proh dolos illius! Proh inſaniam horum! Hem quot impudentes extant virgines, quæ libidinis æſtro percitæ petulco ſubiacent amanti, ſeſeque deflorari permittunt, ac longo fruuntur Veneris commercio: vbi vero alteri cuipiam traduntur nuptui, vt appareant intemeratæ, nec non fucata fraude occulant impudicitiam, quę nitalia adſtringentibus interpolant ſuę, quibus anguſta reddita orificia, decepti conjuges incorrupta putant, pudoremq; inuiolatum exiſtimant, atque ita pretio inæſtimabili, ac dote meliori eoſdem doloſe defraudant; Heu turpe ſtellionatus crimen! Vah mulierum perfidum, & fallax Genus! quàm præclarè P. Coſtalius in Pegm.

O quoties facili mentita puella marito eſt
falſa coloratæ ſigna pudicitiæ!

Ergo quàm cautè docenda mulier? Sanè multo iure Philoſophus ille, cùm animaduertiſſet, quendam adoleſcentem, pulchram quidem mulierem, ſed fama ſuſpectam duxiſſe, inquit, vxorem non oculis, ſed auribus eſſe ducendam. At quò lingua fluxit? Venus ergo ad vaſis recluſionem potius, quàm occluſionem facit; id quod maiori non eget probatione, quando vno omnium ſenſu clarè, lateque conſtat.

Quæratur modo, vnde nam exoriatur interdum hiulca nimis rima, & vaſtis faucibus foramen. Primò igitur (& erit in confirmationem iam probatæ ſententiæ) prouenire poteſt à iugi admodum, & frequentato Veneris uſu, pudendique forti, & aſſiduo attritu; ſic videre eſt viduas, quæ fidem viris poſt funera ſeruant, adeò circa muliebria coarctari, vt ſi alteri deinde ſocientur, vas præ anguſtia, & ſymphiſi ferè virgineum præſtent; Natura enim dum quieſcit, partium vnitatem reſtituit, membrorum laxationem ſanat. Secundò, ſi accidat mulieri, vt incidat in virum aliquem vaſtè mutoniatum, cui nempè ſit:

Monſtrum horrendum, informe, ingens.

proculdubio eius genitalis rima fatiſcet valdè. Tertia cauſa nimiæ dilatationis eſt partus difficilis; aliquando ſiquidem accidit, vt quoniam fœtus grandis inſigniter eſt, nequeat progredi, quare opus eſt diſrumpat, diſecet, dilatet, aperiat; & hæc eſt in coniugatis mulieribus potiſſima cauſa; in cæteris verò prædictæ duæ magis concurrunt. Quæres num aliquando accidat, mulierem quampiam remotis accidentarijs cauſis ſecum ducere ab ortu vaſtam, & hiulcam Genitalis rimam? Profectò ſicuti viro ab infantia, & vtero accidit interdum, vt penem multiformem ferat, nunc ſcilicet craſſum, nunc exilem, nunc longum, nunc decurtatum; ita prorſus, & multò facilius contingere poteſt, vt mulier gerat ab vtero, & conceptionis primordijs vas ipſum Generationis amplum, nimiumq; fatiſcens, aut etiam arctum, valdèq; compreſſum.

Sed iam proponamus remedia, quæ non aliunde, quàm ex ipſo Auicenna deſumere placet. Vniuerſaliter itaque adſtringentia omnia ad rem præſentem faciunt; at ſpecificè confert in primis peſſarius compoſitus ex cypero, xiloaloe, enula, cariophillis, ramich, & moſchi parum contritis, & melle cum lana exceptis. Præſtat item fotus ex decoctione baccharum myrthi, hederæ, frondium quercus, & lentiſci. Decoctum conſolidæ maioris eſt pariter, mirę efficacitatis; narrat ideo Hæchſtetterus Medicinalium obſeruationum Decade tertia, quòd cùm Ancilla quædam nuptui tradita hoci eſſet vſa balneo, vt amiſſam iandiu mentiretur virginitatem, cùmque in eodem Hera inſcia inſidiſſet, pudendi rima ei tam arctè obſignata fuit, vt maritus vxori iam fœtæ virginale clauſtrum reparatum fuiſſe miraretur. Gallæ immaturæ, inquit Auicennas, ſuperiora ſquinanthi cribellentur cribro ſubtili, & ſupponantur cum panno infuſo in vino vice vna poſt aliam; *Faciet enim*, ſubiungit illę, *redire virginitatem conſtringendo*: hoc eſt adeo vuluam coarctat, vt ſimilem reddat illi, quæ inuiolatæ permanet, expersque priapi. Alioquin enim virginitas nul-

Digitized by Google

nulla poteſt humana opere reſtitui; hinc Oeno ad Paridem apud Ouidium:

nulla reparabilis arte
Laſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel.

Et Apuleius in Apolog. *Virginitate*, inquit, *excepta quicquid aliud in dotem acceperis, potes cùm libuerit, omnia veteri retribuere.* Immo neque diuina potentia fieri poteſt, vt quæ defloratа fuit, remaneat virgo; ſicutienim ſapientiſſimè docet Molina quæſtione. *An Deus efficere valeat, vt facta ſint infecta*, poteſt Deus de Virginitate refarcire, & redintegrare abruptum panniculum, ſed facere non poteſt, quin ille fuerit abruptus, implicat enim contradictionem. O ſi fieri naturaliter poſſet, vt amiſſa Virginitas reparari valeret, mulieres caeruatim ruerent, vt pretioſam hanc margaritam, qua nihil habent in vita perfectius, nihil poſſident excellentius redimerent. Narrant Vates, & refert Cicero 3. de natura Deorum, Minervam patrem interemiſſe, eo quod eius virginitati inſidiari conatus eſſet; tanti facienda virginitas eſt. At eò regrediamur, vnde ſumus digreſſi: Aliud peſſarium efficaciſſimum eſt, ſi corticum pini contritorum ſumantur partes quatuor, aluminis partes duæ, cyperi, corticum granatorum, balauſtiorum, maſtichis pars vna, & vino rubro decoquantur, & poſtmodum panno lineo ſupponantur. Optima inſuper erunt linimenta ex oleo maſtichis, cotoneorum, & myrtillorum. Ex aquis ſtillatitijs aptæ ſunt aquæ acaciæ, & cornorum immaturorum, vel etiam eorundem ſuccus; ſicuti etiam glandium, ſorborum, & meſpilorum, quæ omnia non nimis matura eſſe debent. Omnium tamen ualidiſſimum peſſarium erit ſequens. Recipe aluminis, lapidis gagatis, vel thracij, nitri an. drach. 1. pulueris gallorum, baccarum hederæ exiccatarum, balauſtiorum, corticum granatorum, atramenti ſutorij, rubi an. drach. ij. ſucci acaciæ, ſorborum, agreſtis oleæ an. vnc. ſ. s. vini rubri vnc. ij. ſ. miſce omnia, & cùm breui tempore lento igne ebullierint, panno adhibe in poſthema, & egregiè fatiſcens quodcunque oſculum compeſcet, & coarctabit. Verùm dum huiuſmodi remedia applicãtur, mulier debet omnino à Venere abſtinere, alioquin perdet oleum, & operam: in vnaquaque enim naturæ operatione neceſſaria eſt quies: vnde eſt, quod pulmonis vlcus ferè nunquam conſolidatur: quoniam in perpetuo motu verſatur. Cæterùm ſi quæ mulier familiare aliquod adhibere velit remedium abſque impenſa, & labore, vtatur petijs madefactis in aqua, in qua diſſolutum ſit alumen, & noctu applicet. Stillatitia aqua Aſteris Attici, ſi Mizaldo credimus, epota, aut vuluæ indita mulierum alba profluuia mirificè ſiſtit; adeò vt eius quoque diutina iniectione corruptæ ab incorruptis vix dignoſci poſſint; quod efficacius, & celerius fiet, ſi decocto eius inſideant. Mathiolus commendat aquam pinearum immaturarum, & hæc ſufficiant de remedijs, ac fucis.

Sed quæret curioſus aliquis, an ſint aliqua ſigna externis delineata membris, quæ indicent vel virum, vel mulierem amplum obtinere genitale? Certè annuunt Phyſiognomonici, qui conantur apparentibus particulis occulta membra deſcribere. Sic aiunt, os faciei amplum in mulieribus, amplum, & immenſum vteri os præſignare: in viris grandem naſum ingentem præmoniſtrare mutonem. Quò videtur illud Martialis ad Papilum pertinere.

Mentula tam magna eſt, tantus tibi Papile naſus,
Vt poſſis, quoties arrigis, olfacere.

Adhuc peslongus in mulieribus genitalem rimam prælongam deſignat: in viris ampla manus pariter amplum denotat Priapum: longa nimis facies idem denotat in mulieribus, longa ſupercilia in viris. At non rarò hæc fallunt.

Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

De flore virgineo, ac defiorationis accidentibus.

PRAELOQVIVM.

VCCIDITVR primo Veneris libamine uirginitatis lilium. Quid sit illud, in quo consistat, & quas habeat sodales, aut consectarias affectiones modò perquirendum erit.

CAPVT I.

Quid sit illud, quod in primo Veneris congressu mulieribus abrumpitur, vbi de Virginitatis insignibus.

COMMVNIS, & ferè apud omnes recepta sententia est, reperiri apud virgines membranam quandam in ostio matricis, aut in medio ceruicis ductu transuersim sitam, quæ hymen appellatur, Ita palàm oculis arbitris arbitrantur Auicenna inter veteres libro 3. sen. 21. tract. 1. cap. 1. Auerroes Collectan. tract. 1. cap. vlt. ac Nicolaus Florentinus serm. 1. tract. 1. cap. 7. & alii. Inter Neotericos verò Vesalius 5. de corporis humani fabrica, Fallopius in obseruat. anatomicis, Coiterus in Tabul. Anatom. Flaterus de corpor. humani structura, Ioannes Riolanus 2. Anthropographiæ, necnon Andreas Spigelius, qui 8. de humani corporis fabrica, apertis fidibus enunciat, in omnibus, quas dissecuit, virginibus membranam istam semper deprehendisse, ac pubicè in theatris ostentasse. Quò etiam factum est, vt nuptiarum Deus apud Ethnicos tamquam ille, qui huius panniculi fractionis auctor erat, Hymen diceretur, vel duplicato nomine Hymen Hymenæus. Inde Catullus in carmine nuptiali.

Iam veniet Virgo, iam dicetur Hymenæus: Hymen, ô Hymenæe, Hymen adest, ô Hymenæe.

Et in Epithalamio:

Collis ô Heliconij
Cultor Vraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenæe, Hymen,
Hymen, ô Hymenæe.

Idem hic panniculus, seu membrana appellabatur ab antiquioribus Eugium. Quare Nonnius definitionem illius afferens, dixit: *Eugium pars media est inter muliebria membra.* Hinc Nevius. *Sine eugio puellam inuenit*, & Laberius. *An concupiscès Eugium scindere.* Idem alibi. *Quæ nam mala mens, quæ nam deliritas vos fuppilatores facit cum cano Eugio puellitari?* Cæterum cuius texturæ sit hic panniculus docuit luculenter Auicennas libro 3. fen. tione 21. de Anatome matricis his prorsus verbis: *& ante violationem puellæ Virginis sunt in ore matricis panniculi contexti ex venis, & ligamentis subtilibus valde, ortis ex omni membro eius, quos destruit violator, & currit, quod in eis est de sanguine.* Et id confirmari satis videtur ex veteris testamenti sacris paginis, vbi legitur, apud Hebræos in more positum fuisse, vt primus nuptarum congressus non nisi substrato candido linteo fieret, in quo sanguis stillicidia seruarentur, & quod postea ita cruentatum vxorum redderetur parentibus, vti asseruatæ Virginitatis testimonium. Ita ad rem legitur in Deuteronomij capite 22. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obyciens ei nomen pessimum, & dixerit vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam non inueni virginem, tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores Vrbis, qui in porta sunt, & dicet pater, filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat, non inueni filiam tuam virginem, & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ, expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis.* Eundem apud Romanorum priscos inualuisse morem, videtur palàm indicare Claudian. in Epithalam. vbi ill. habentur:

Et vestes Tyrio sanguine fulgidas i
Alter virgineus nobilitet cruor,
Tunc victor madido profiliat thoro
Nocturni referens vulnera prælij.

Hunc quoque morem seruari in Hispania refert Ioubertus in libro Gallico idiomate conscripto.

Posuisse creditur natura panniculum istum in mulieribus tamquam virginitatis vexillum, quod quandiu erit integrum, sincera, tandiu, & impolluta virginitas erit; estque unus pudor huius asseruator membranulæ, adeò vt vbi primum in Veneris castris ille frangitur mulier infrons, & impudens penitus euadat.

Sa-

Sanè Engium hoc est optata, & maxima coniugis dos; aurum enim, & argentum vix dotis nomine digna sunt: quantumuis enim ferat mulier argenti, & auri ad coniugis domum, ni ferat hymenem, debita dote illum defraudat. Inde meritò Catullus:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ;
Idem cùm tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, dum chara suis est;
Cùm castum amittit polluto corpore florem
Nec pueris iucunda manet, nec chara puellis
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

Hæc itaque membrana, quæ alio nomine interseptum virginale, clausturum virgineum, & custodia virginitatis nuncupatur, est quæ primo Veneris amplexu frangitur, quæque ob exilium venarum texturam sanguinem fundit in iis copiosiorem, quibus venæ penes hanc membranam sunt ampliores, & pleniores; pauciorem in ijs, in quibus exiles, & exinanitæ sunt venæ. Et ex hoc etiam patet, quæ sit ratio, cur virgines primo concubitu dolorem experiantur, & viri laborent aerius; nam in eius interspti laceratione conari virum, & dolere mulierem aliquatenus, necesse est; cùm præsertim hæc ipsa membrana ob neruosam quandam naturam exquisito sensu polleat, eoque magis, quo ipsa eadem densioris erit contexturæ, & matricis collum arctius, vel viri genitale informius. Semper autem in ætate grandioribus fortior panniculus, quàm in adolescentibus reperitur; quo circa apud illas, vt conatus est maior, ita dolor intensior. Exijsdem causis euenit aliquando, vt post primam Veneris luctam copiose fluxus sanguinis virgini concitetur, ita vt vel ad remedia deueniendum sit, quæ proponuntur ab Auicenna libro illo 3. capite de regimine de uirginatæ, vbi ait. *Cùm ergo accidunt ei fluxus sanguinis, & dolores, necesse est ei, vt sedeat in aquis stipticis, & in vino, & oleo; Deinde administrentur super eam ceratoria in lana inuoluta super cannam prohibentem à consolidatione, &c.*

Et hæc est passim recepta sententia; contra quam ex aduerso est ingeniosissimus Andreas Laurentius, & cùm eo Seuerinus Pinæus Chirurgus insignis; hi enim apertè negant huiusmodi membranulam à natura positam esse tamquam virginitatis areolam, & præter naturam duntaxat aliquando reperiri; verba sunt Laurentij: *Ego membranulam aliquando reperiri, non nego; sed si transuersum eum in ceruici, medio obtineat situm, aut circa pudendi osculum adnascatur, præter naturæ institutum esse puto, & morbum esse organicum in vitiata conformatione.* Verùm id si verum est, in quo consistet flos virgineus, & quibus poterit notis deprehendi virginem aliquam fuisse defloratam? Laurentius idem ex eiusdem Pinæi opinione libello de notis virginitatis in quatuor caruncuiis, quibusdam membranulis cocuntibus, & sub alis pudendi consitis huiusmodi florem consistere asserit. Iuuat eius verba adamussim regiſtrare ex libro 7. Anatomiæ capite 12. vbi hæc leguntur. *Sub alis caruncuiæ apparent valuularum instar, quæ in virginibus quatuor apparent, membranulis quibusdam coeuntes, anterior vna vesicæ orificium tegens, posterior altera, & duæ laterales non transuersim, sed in longum sitæ. Hæ florem virgineum garyophilo non dum planè explicato (ocellum vocant nostri) persimilem clausturum virginale, & hymen tantopere celebratum, vt eleganter obseruat Pinæus constituunt: membranis autem laceratis, & caruncuiis velut attritis perit flos, remanentque eadem caruncuiæ, sed ita disiunctæ, contractaque, vt coiuisse aliquando neges.* Hactenus ille, cuius quippe sententia ut melior à Notericis recipitur, & à nobis plura sequenti capite in eiusdem conformatione deducentur; Interim ad calcem Realdi Columbi lubet apponere uerba; 11. enim de uisceribus habet: *Sub nymphis in nonnullis virginibus non omnibus alia membrana cernitur hymen à veteribus appellata, quæ cùm adest, rarò autem adest, obstat, quo minus penis in vtero immittatur.* Confirmat Carolus Stephanus libro 3. de dissectione corporis humani, ubi sic: *Hymenem autem quam vocant membranulam potius piè credimus in virginibus inueniri, quàm vt certum quid de ea proferre possimus.* Quin Marcus Antonius Vlmus libro de utero muliebri capite 7. primæ sect. ingenuè profitetur se ab adolescentia vsque ad maturam ætatem anatomico studio operam nauasse, nec non plurimas omnis ætatis dissecuisse puellas abortiuas, & adolescentulas bimas, trimas, quadrimas, quimas, septemnesque; neque tamen eius membranæ hymenis dictæ vestigium reperire potuisse, ideoque Arabum commentum id esse existimandum. Ambrosius Paræus idem prorsus affirmat. Ranchinus verò de morb. virgin. capite 4. sectionis primæ membranam istam imaginariam, & à Poetis effictam tradit. Mi lector frustra à me pugnantium opinionum iudicium præstolaris: Haud mihi tribuo tantum, vt medicinæ, atque anatomiæ coryphæorum iudicem agere valeam; eò magis quòd virginum sectionibus rarò interfui, quia rarò celebrantur. Vtramque mensam apposui; vt communi palato satisfacerem, vtque ad ingenij libitum de Veneris hisce ferculis quisque optionem faceret. Alioquin non

ignoro, esse classicos auctores, qui mediam sectantes viam asseuerant, in adolescentulis quibusdã Hymenem reperiri, in alijs verò minime; in omnibus verò necessario reperiri debere internarum caruncularum coalescentiam, & virginalem connexum: ita Foreſtus in præfat. ad lib. 28. Obseruat. Marcellus Donatus 4. histor. medicæ mirab. & Capiuaceus libello de notis virginum, nec non Gregor. Horſtius 4. epistol. medicinal. & ex his pẽdet altera nobilis quæstio, an scilicet in defloratione sanguis necessariò manare debeat, vt ex veteri lege supra relatum fuit; nam siue adsit membrana hymen, siue carneus circulus, ut Riolanus putat, utique virgo primo concubitu cruore madefcere debet. At si solã- sit caruncularum coalescentia, non necessariò eructatur, si præsertim illa recens pubescat, pinguioris sit habitus, & uir non sit onobelus.

CAPVT II.

An per Hymenis præsentiam sufficienter virginitas comprobetur.

DE Corporali tantùm, & materiali uirginitate, non autem de animi, seu mentis intacta puritate, atque impolluta integritate quæstio hæc assumi debet: siquidem potest mulierum quæpiam corporis uirginitatem, seu potius integritatem asseruare, animo autem omni lasciuiarum generi præbere aditum, & nullis non assentirilibidinosis illecebris. Tales fermè sunt petulcæ omnes, & salaces mulierculæ, quæ præ timore quidem, & pudore corporis corruptionem expauent; at mentis nullam detrectant impudicitiam, corde nullas non admittunt uoluptates improbas, de quibus aiebat Diuus Hieronymus in epistolis. *Quid prodest integra caro mente corrupta?* Ex aduerso potest virago aliqua corporis virginitate nudari, animum autem impollutum, intemeratum, atque omnino seruare limpidum, vti accidit puriſſimis illis virginibus, quæ modò æterna super æthera fruãtur gloria: ijs enim licet à scelestiſſimis tyrãnis vis inferretur; virginitatis tamẽ palma nequaquã dispoliatæ fuerunt: quandoquidem sola mentis virginitas, & cordis puritas, non integritas corporis coronam, & stolam meretur candidam; illę verò animi puritatem illibatam asseruarunt. Enimuerò, vt sapientiſſimè testatur Diuus Thomas 2. secundæ quæstione 152. articulo primo. *Integritas corporalis membri per accidens se habet ad virginitatem, in quantum scilicet per hoc, quod ex proposito voluntatis abstinet quis à delectatione Veneréa, remanet integritas in membro corporeo, vnde si contingat quòd per alium modum aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis præiudicat virginitati, quàm si corrumpatur manus, aut pes.* Quod luculentiùs adhuc exarauit primo de Ciuitate Dei cap. 18. D. Augustinus his verbis: *si obstetrix virginis cuiusdam integritatem manu voluti explorans siue maleuolentia, siue casu dum inspicit, perdidit, non opinor, quemquam tam stultè sapere, vt huic peruisse aliquid ex istimet, etiam de ipsius corporis sanctitate, quamuis membri illius integritate iam perdita.* Quæritur igitur, an per præsentiam Eugij, siue hymenis secura virginitas, & per absentiam certa defloratio significetur. Quoad primum quæstionis membrum asserendum est, vt plurimum huiusmodi membranulam intactum corporis florem, & illibatam pudicitiam testari posse; siquidem cùm primum admisso chole disrumpitur hymen ille, nunquam amplius resarciendi spes remanet; vt enim pluribus in locis testatur Hippocrates, & præsertim in Aphorismis: *Quum discissum fuerit os, aut cartilago, aut neruus, aut buccæ pars tenuis, aut præputium, neque augetur, neque consolidatur.* Iam panniculus iste, de quo loquimur, membranosę est naturæ. Profectò poterit Affrania quædam mulier dolosa impostura corruptionem occulere ijs adstringentibus pharmacis, de quibus superius locuti sumus, ita vt angustiſſimum vas referat: poterit insuper fraudolenter sanguinis aliquid *in venereo congressu* destillare, quòd factum aliquando esse non ignoro; Eugium tamen consolidare nequaquam poterit ob naturam illius membranosam. Hieronymus Capiuacceus de affectibus vterinis cap. vltimo vult, neque hymenis absentiam arguere mulierem esse defloratam, neque presentiam eiusdem indubitatam virginitatem testari; quoniam vt ille ait, tempore etiam formationis fœtus pars aliqua fibrosa, & membranosa circa os vteri oriri possit; vide citato loco auctorem. At nos astruimus, primam quęstionis particulam, addito verbo (ut plurimum) & de illa membrana loquentes, quæ non in formatione fœtus in vtero, in huius collo posset oriri, sed quę in muliere ab origine contexta est, quęque proculdubio si semel disrumpatur, nunquam coalescit amplius, vnde primo de semine Galenus aiebat: *Foramen membranæ non solùm non coalescit, sed etiã semper ampliatur pro ratione copiæ eius, quod perfluit.*

Maior difficultas est circa secundum, in quo dubitatur, num ex absentia Eugij de virginalis clauſtri violatione iure dubitari possit. Porrò ex vna parte quemadmodum hymene integro, vt statutũ est, virginalis custodia inuiolata, vt plurimum permanet, ita absente eodem, Virginei clauſtri corruptio signari deberet; partas enim ęquè videtur incedere; perinde enim, ac valet hęc thesis: Solis presentia diem facit, absentia noctem; ita ualere deberet hęc propositio: hy-

Digitized by Google

hymenis præsentia virginitatis candorem, absentia corruptionem præsignat.

Verum paritate, & similitudine non obstantibus asserendum est, hymenis absentiam virginei pudoris haud perpetuò significare corruptelam; id quod verum erit cum tali distinctione; nam carentia hymenis aut est à natura, aut à vi, vel aut est per se, aut per accidens: à natura & per se est, quando haud refertur ab vtero huiusmodi membrana; à vi autem, seu per accidens est, quando vel Venere, vel alia quauis causa fractus est. Iam priuatio per accidens, & à vi illata dubio procul pollutum fuisse virginale clausirum semper arguet, quod nemo ibit inficias: At eiusdem carentia per se, & à natura, cùm scilicet non est huiusmodi panniculus à virtute formatrice in vtero contextus, quis dicat corruptionis esse euidens argumentum? Enimuerò uel obstetrices, ne dum Anatomici asseuerant, membranam hanc in medio muliebrium Genitalium semper non reperiri; ut iccirco haud semper primis nuptijs debeat eadem temerari, seu disrumpi, & sanguinem nerfarier. Quòd cùm ita sit contrapositum argumentum nihil probat; tunc enim bona esset illatio, seu paritas, quando hymen in cunctis virginibus necessariò reperiretur; quocirca nec solis similitudo bona est; siquidem cùm dies est, necessariò Sol est super terram; quando est nox necessariò distat: At cùm virgo est, non necessario hymen adest. Quamobrem virginitatis, & corruptionis definitio nullo modo per hymenis fractionem, aut integritatem afferri sufficienter potest; sed solum per alienationem uirilis contactus, & aphrodisij commercij. Patet hoc, quia si de parthenici pudoris essentia esset hymen, procul dubio eius definitionem, subiret, nec virginis nomen adaptari posset animâ tibus, quę talem non obtinent membranam, & tamen à Plinio equa virgo appellatur, quę non est ad huc experta marem, ut constat in iis uerbis libri 28. capite 9. *Item equarum sanguis, præter quam virginum, erodit, emarginat, vlcerat.* Meritò igitur excellentissimus Capiuacceus in fine libri de morbis mulierum aiebat: *Ergo absentia hymenis non arguit mulierem esse defloratam, nec præsentia certum est virginitatis indicium: nam si foramen sit amplius, seminis ingressus non impeditur, maximè si virile pudendù non admodum vastum, muliebre autem peramplù sit.*

Id totum euentu illo a Hieronymo ab Aquapendente relato libro de chirurgicis operationibus confirmari potest (arrigant aures petulantes uirgines) narrat enim, adolescentes marem, & fœminam amore iuuicem captos cùm fœstim conuenirent ac stantes osculis, ac blandicijs indulgerent auidi, cùm simplici utriusque genitalium adhęsu, atque extrinseco contactu, facta ex nimia uoluptate seminis ad os uulque effusione, genuisse ephebum concepisse uirginem; idque facilè aduenire potuisse, subiungit ille: *Propterea quòd cùm ambo essent adolescentes, & tentigine ambo arderent, potuit glandis orificium hymenis foramini se è directo opponi, & coniungi; & ita semen a mare vi magna emissum potuit per hymenis orificium in vuluam ingredi; inde verò à valentissima vteri attractrice per vulue vaginam sursum trahi, & in vterum recondi.* Sic igitur illa uel integro hymene grauida facta est; quare illius præsentia nequaquam uirginitatis erat indicium: licet existimem ego, haudquaquam per foramen permeasse, vt sentit Hieronymus, uirile sperma; uerùm tantummodo illuc peruenisse ipsius seminis facultatem, siue dicas spiritualem irradiationem, eo modo quo solis spiritibus conceptionem fieri posse, in primo libro abundè probauimus: etenim spiritibus, eorumque furori, & orgasmo nihil obsistit, ideoque uel integra membrana, seu per eius osculum, vel per poros ad uterum peruenire ualent obice nullo.

Sed quomodo illud Deuteronomij subsistit, si re uera huiusmodi membrana non necessariò reperitur, & consequenter ex eius fractione nequit linteolus ille sanguine imbui? Nicolaus Lyranus cõtra communem Patrum opinionem unanimi consensu astruentium, linteolum illum cruore fœdatum à parentibus asseruari solitum, existimat id metaphoricè dictum; eo quòd, ut ille ait, turpe uideatur, quòd huiusmodi pannus coram iudicibus expanderetur, nec uerisimile esse, quod vir eius anderet falsò vxorem accusare; cùm sciret parentes eius virginitatis testimonium asseruare. Profectò censerem ego, verba Deuteronomij, non parabolicè, sed vt sonant rem declarare, quando consuetudo hæc, vel nostris temporibus apud Hebræos viget, necnon apud quasdam alias nationes, vt Mauritanos, & Aphros, de quibus Leo Apher?. Histor. meminit, tradens, quòd simul atque sponsus, & sponsa ex solemni apparatu sponsalium domum reuersi sunt, obserato conclaui, dum nuptiale paratur conuiuium pro hymenæi celebratione, simul congrediuntur; addit insuper annosam mulierem pro foribus expectare; quæ mox porrectum sibi à neonympho cruentatum linteolum in mediam conuiuarum cohortem ouans defert, tanquam raptæ virginitatis opimum spolium, ac manifestum. Hacque ratione licere tum discumbere, tum conuiuari. At si fortè genio, fortunaque siniſtra primo certamine illo coitu nihil cruoris sponsæ per genitalia stillauerit, redditur illa parentibus, quibus magnum inde accidit dedecus. Conuictorum verò turba tristis, atque impransa domum reuertitur.

Dicendum ergo, quòd licet hymen haud necessariò repetiatur, contingere tamen, vt plu-

rimum, vt aliquid cruoris in prima Venere de-
stillat, vel ob venularum illarum quatuor à Lau-
rentio inuentarum diuulsione, vel à simphisis
dilatatione, vel alterius cuiuspiam membra-
nulæ dilaceratione: dixi vt plurimum, quoniam
accidit interdum, vt nihil prorsus cruoris de-
mittatur, sicuti inter alios Marcellus Dona-
tus duabus virginibus omni suspicione carenti-
bus suis temporibus accidisse, testatur libro de
historia medica mirabili. Quare lex illa, ex eo,
quod vt plurimum euenit, constata erat; nec pro-
pterea declarat, membranam hymenem iccir-
co necessariò apud Virgines reperiri debere,
quæ insuper leui etiam negotio, si adsit, infrin-
gi poterit, vel ipso menstruo sanguine periodi-
cè exeurrente, si præsertim copia, & qualita-
te peccet; quod recipit, & probat Iulius Cæsar
Claudinus, vir nostra ætate doctrina singularis
libro responsionum medicinalium; quem pote-
ris adire, si plura expetis; & si is auiditatem
non expleat, consule Valesium libro de sacra Phi
losophia, Fernelium, Vassæum, & egregium
Augenium 2. Epistolarum tomo. Verum de
his plura infra.

CAPVT III.

*An, & qua ratione flore virgineo incor-
rupto mulier aliquando concipere valeat.*

CVNCTIS prima facie videbitur quæstio hæc paradoxologia: mirabuntur in ipso quæstionis limine, quotquot perlegent problema, fortasse etiam rident; At mirari desinant, nec risum edant si leuitatis, ac stultitiæ insimulari verentur, donec perlectis verbis, rationibus, & auctoritatibus libratis rem ita contingere posse didicerint: errant omnes, qui enunciant facilè. Quisquis autem veritatem hanc addiscere concupiscit, necesse est prius, vt quę in superiori capite declarauimus, memoria recolat, nempe in quo consistat hymen, seu tos parthenius, quidue sit illud quod in primo Veneris libamine perit. Necesse est insuper, vt in mente reuocet ea, quę viri doctissimi (vt non vno in loco nos registramus) dixerunt de vi vterinæ tractrice valida erga virile semen, & quæ nos de vi magnetica vtriusque seminis, virilis videlicet, & muliebris suo loco, sequenti scilicet libro, non sine plausu edocemus. His recensitis nihil prorsus difficile est, rem persuadere; si quidè pudendi muliebris ostio vix penetrato, ita vt ad sinum pudoris virga non pertingat, factaque virilis seminis effusione ad os vteri externum, vteri auiditas poterit per poros

A in roris formam semen exugere; immo spiritus illi generationis architecti puri, feruidi, & impetuosi, nulla membrana, nulla angustia obstite ad vterum permeare leui negotio poterunt, ibique in sanguine conuenientem fermentationem excitare. Nihil profectò est spiritibus imperuium, spiritibus præsertim Venereis, qui dum pruriunt, dum feruent, dum æstuant, dum furiunt, penetralia quæque subire poterunt, sit licet in partibus quęcumque densitas, insignis durities, summaque crassities. Audiui interdum salaces quosdam iuuenes œstro libidinis percitos, qui dicerent e suis pudendis feruidum pneuma quasi flammam emicare, adeo fortes, & vrentes ij, si in partibus aggregantur spiritus. Quin Lycosthenes, & Cornelius Gemma 7. Cosmograph. narrant in Thuringia ex vtero mulieris cuiusdam difficili partu laborantis tam ingentem cum fragore flammam exilijsse, vt videretur bellicum tormentum excussum, atque adeò & pueri nates, & obstetricis manus ambussisse; vsque adeo muliebria quoque feruere spiritibus possunt. Quod si addas intensam illam vteri ad spiritus hoscitim, sympathiam, auiditatem, atque suctum nihil deerit ad rationis huiusce efficaciam. Sed alicuius magni viri auctoritatis, Lector, te cupidum video. Afferam libenter.

B

C Auic. lib. 3. fen. 21. tract. 4. cap. 1. expressis verbis habet, quòd si membrana illa, *seu aliud quid, quod opponitur ori matricis interno, sit rarę texturæ, vel plura obtineat foramina, potetit spermatis portionem exugere, quod à virili pene ad ostium ipsum fuerit eiaculatum integro hymene*, verba sunt hæc: *Et quandoque accidit, vt clausa retineat per accidens conceptionem, quare moritur ipsa, & fœtus eius procul dubio si non regitur. Et hoc quidem non est possibile, nisi aliquo modorum, aut vt sit illud, quod opponitur ori matricis de clausura rara textura, aut sit habens foramina plura, ita quod possibile sit matrici attrahere de spermate aliquid, licet enim parum sit semen, tamen ex illo paruo fit conceptio, &c.*

D Petrus de Peramato uir nostri seculi gloriosus, in libro de Hominis procreatione & conceptu in partum, in appendice, ita rem confirmat: *Possibile enim est fœminam non deuirginari, sed conceptum fieri ex solo obscenarum partium attractu, vtriusque semine effuso ad os vteri externum, tunc contigit ex vteri auiditate trahi intus semen in roris formam ad cauitatem, & fieri conceptum, etiam si penem ad vteri ceruicem non indat masculus.* Quid clarius? & subiungit. *Clausa etiã quæ deuirginari nequiuit, hac ratione concepisse est visa, tantillo scilicet viri semine (in roris aut forte vaporis formam) attracto, vt Auctor est Auic.* At Seuerinus Pinæus lib de notis virginitatis multò plenius rem delineat, confirmatq; historijs, quas hic recensere minus grauabor, faciunt enim, & ad institutum, & ad

iu-

iucunditatem, quam nostro in opere interserere semper pollicitus sum. *Nobilis quidam Iuris peritissimus duodecim annis natam virginem castissimam in uxorem duxerat, quæ nuptiarum tempore, & die menses patiebatur, passique fuerat tribus ante, vt pastea duobus adhuc diebus continuis ei fluxerunt; Is autem fluoris ignarus, cùm præ cuiditate esset vel libidinis satiandæ, & nuptam arderet, vesperè facto quàm primum in thoro cum ea dormiturus decubuit. Verum sopori minus quàm Venerivteruque addictus statim suâ nobilis aggressus est, quem primo insultu, & vix salutato hymine compressit, subijtque facile: hinc mari ius tristis effectus, suspectam vxoris alioquin pudicæ habuit castitatem. Mane autem summo venit socrus genero dicens, se admodum ægrè tulisse tota nocte, quòd superiori die non eum monuerit, suæ filiæ ante tres dies menstruus abunde fluxisse, fluereque adhuc. Quod cùm sit, dixit illa, abstinere viros ab huiusmodi virginum, & mulierum consortio toto purgationis tempore, vt honestum, sic ysdem vti sordidum, atque legibus diuinis, naturalibus, & humanis vetitum, atque prohibitum est propter multa, quæ inde sequuntur incommoda. Quare mi fili, inquit illa, quum filia mea, nunc vt opinor, tua vxor nondum munda sit, & planè purgata, si mihi credas, solus ad aliquot dies dormies, aut saltem ab ea abstinebis. Quibus verbis libenter annuit recenter vxoratus dissimulans, & simulare, & tristitia esset confectus propter multas concurrentes opiniones, quæ illius animū exangebant, agitabantque: modò enim de relinquēda vxore tacitus cogitabat, modò de lite mouenda apud summos iudices pro dissolutione matrimonij, facilius sua opinione, & iudicio consummati, existimans fortasse tantis delicijs nephas esse absque labore frui, vt poeta comicus ait: sicque perplexus quasdam probationes, vel nugas potius inuestigare contendebat, quibus id ipsum exequi posset, infinita denique alia deliramenta, quæ occurrebant in vtramque partem apud se disserebat. Inter his autem dum versaretur dubius, tres elapsi sunt dies, & totidem noctes absque consolatione vlla, etiam si rem totam, negotiumq; suum aperuisset integrè Medico physico amico suo, qui (ni fallor) Medicus aliquam corporis sibentius, quàm tanti affectus animi curationem fuscepisset. Interea purgatio domistella absoluitur, ipsaque nullius culpæ sibi conscia, & tantæ mariti mœstitiæ ignara, latatur, speratque breui tempore bene sibi futurum, & proinde fotum ad munditiem pro more parandum sibi curat, atque admouet. His peractis, elapsisque septem diebus socrus prudentissima generum monuit, ei licitum esse, quando vellet cum vxore dormire, & tutò proli indulgere; iacuerunt vna, sed perperam prima, ac altera nocte rem habere conati sunt; vnde vtrique coniugi grauius, quàm antea malum accidit: sed tertio die tandem vti compotes facti lætati sunt quiēt? & amicè inhunc vsque diem vixerunt, prolemque habuerunt fœcundissimam. Quamobrem nobilis Iuris peritissimus, cuiusque amici quidam mirabantur, quibus ipse veram, & integram historiam sæpè, seriò, & iucundè narrare solebat.*

Altera historia est mercatoris cuiusdam nomine Bigami à nobis vocati, quia pro secundis vice matrimonium contraxerat cum virgine eusarca eius vicina, duos & viginti annos nata. Horum autem nuptiæ factæ sunt, cubuerunt simul fluentibus adhuc menstruis purgationibus, rem semel habuerunt, sed ita facile, liberaliter, & opportunè egerunt, vt ex virgine facta sit mulier quæ eodem temporis momento concepit, grauidaque ipsa fuit: postridie verò nuptiarum Bigamus mane summo surrexit, atque ad merces emendas cùm suis socijs rura satis longinqua petijt, nec reuersus est ante vigesimum diem. Is dum ruri esset, rerumque suarum satageret, in memoriam sæpius reuocabat facilem, quem habuerat vnicum cùm vxore noua congressum, nec omnino suspicione castitatis eiusdem vacabat, quamuis hac de re conqueri vnquam non decreuisset; siquidem à longo tempore vxoris amantissima, & parentum eius famam audiuerat, agnoueratque optimam. Reuersus domū Bigamus, & vxor dormierunt simul, sed rem habere tentarunt frustra ista primis vice propter angustius multò redditum, quam antea sinus pudoris orificium post fluxionem menstruorum, & partium pudendarum excoriationem. Qui propterea mirari non desinit, contrà plurimum torquetur, & apud amicum quendam conqueritur, dicens se facilius cùm vxore, dum virgo esset, difficilius cum eadem grauida conuenisse; signa enim grauiditatis apparebant, inappetentia ciborum, nempè nausea perpetua, decolor facies, membrorum laxitudo, & alia. Verum Bigamus mercator, & non philosophus erat, nesciebatque, istas partes sicut & alia corpora membranosa quæ humectantur, plurimum dilatari, & extendi posse, & cùm exiccantur constrictiores, & angustiores fieri. Quare virgo corruptam, & corrupta ei virginem referebat. Nec mirum hoc cuiquam videri debet, et enim virgines quæ semel tātum, aut bis coiuerunt, idque fluentibus menstruis, verius dilatationem solam, eāq; parum, quàm laceration? simul ullam passæ fuerunt.

Festiua hæc acroamata, lector, vt libenter legis, ita noli pertinax detrectare euentum, fidemque scribenti denegare. Nihil est naturæ viribus impossibile, nihil quod in microcosmo contingere non valeat, nihil mirificum, quòd in eo non contingat aliquando; ideoque arbitror, à Trimegisto fuisse hominem magnum mundi miraculum appellatum, quia in eo miraculorum iliades quotidie propalantur. Caueant interim petulantes, & molliculæ Eromenæ, dum suis cùm

Ama-

fecerunt? An quod animal est munditiæ, & elegantiæ perquam studiosum; præterea olfactus sensu valet plurimum? Quum itaque impuri congressus propter impudicitiam, & immoderatam libidinem soleant esse immundiores, & coitus ab apibus deprehenduntur, & odium vehementius aduersus illos concipiunt. vnde apud Theocritum iocosè Venus ad Anchisem a pastore ablegatur, vti apum aculeis propter adulterium commissum pungatur.

Te confer ad idam,
Confer ad Anchisen, vbi quercus, atque Cypirus
Gresceit, apum strepit atque domus melliflua bombis.

Et Pindarus: *Paruula fauorum fabricatrix, quæ Rhoecum pupugisti acuieo domans illius perfidiam.* Profectò in singulis animantibus est quidam naturæ instinctus, quo ad præcipuam quandam virtutem duci videntur. In apibus verò est quidam castitatis amor, & virginitatis affectus, quo non solùm videntur pollutos homines olfacere, sed ipsę per se abstinent ab omni Veneris lurido consortio. Idcecinit Virgilius Maro libro Georgic. his metris.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem soluũt, aut fœtus nixibus edunt.

Quocirca vocabat Apes Pindarus sacras Cereris ministras; Cereri enim non nisi eunuchi, aut spadones ministrare poterant.

Cęterum silentio inuolui non debent quæ Ioannes Baptista Porta ad hanc rem scripta reliquit, alioquin nec iniucunda, nec infructuosa, verba sunt: *Gagatis lapidis, qui frequens est nobis, quo globulos effingimus in corollis præcarijs ad numerandas vel explendas preces rasura, vel ipse pila tundatur, ac setaceo cribro transmissus in tenuissimum redigatur puluisculum, inde ex aqua, vinoue hauriatur, si exit illico lotium, & retinere nequit, corruptæ virginitatis indicium eamque defloruisse prodit; si viri non adhuc congressus, vel puerperium fassa fuit, eam compescit, & arctius cohibendi datur facultas.* Hanc eandem gagatis lapidis virtutem describit Plinius libro 36. capite 19. sed in hoc differt à Porta, quòd hic exhibet per os, is verò per suffitum, inquit enim; *Deprehendit sonticum morbum, & virginitatem suffitus.* Sed redeamus ad Portam, qui sic subiungit: *Nec minus inualidè id manifestat succinum album, seu crystallum, quod electrum vocant, si in puluerem redactũ ieiunè ex vino sorbeatur, & ad interiora feratur: nã si carnis senserit maculam, mouet vrinam. Possumus sic expeditius huius rei capere experimentum: idem suffitu, si portulacæ semen, vel personatæ folia, quam vocant nostrates lapatium ardentibus prunis inspersa ad suffimenta substituantur, & virginitatis fumus proditor surgat, tunc infundibulo, alioue instrumento patulo vuluæ ore sursum permeet, proijciet extemplo vrinam, & meiet; nec retinere valet, si Venereum passa est labem. Si Veneris ignara fumum irritè recipit vrinam tenet, & virginitas deprehenditur. Si quis autem ioci gratia non meiere solum, sed semen mulierem emittere volet, hoc efficito. Agallocli, quod xiloaloe dicitur ferretur, vel præcidatur, eiusque ferraturam uiuis carbonibus affatim inspargito, ac peruri curato, recipiat fumum mulier, ac vuluæ meatus subiens efflet: Ità semen, nec iniucundũ erit specimen,* Hactenus ille.

Quæres problemate licet parergo, an ullo experimento comperiri possit, si mulier viro suo fidem seruet? Respondeo ab eodem Porta ex Alberto sic probari, *Magnes lapis si dormientis cœnigis capiti supponatur, si casta est, dulcibus virum detinet complexibus, sin minus tamquam manu pulsa è cubili proijcitur.* Dices insuper, fieri ne possit, vt mulier alium virum, quàm suum cognoscere nequeat? Potest, si Alberto credimus, ait enim: *Mulier, vt cum aliquo adulterare non possit, incide de capillis, & puluerem illorum tibi super veretrum sparge, vnge veretrum cum melle. & mox coeas cum muliere, & cùm volueris soluere, ex tuis capillis fac similiter*, sed quàm vana, quàm superstitiosa hæc? quis non derideat futiles nugas?

CAPVT VI.

Num per lac mammillarum, & immutatum papillarum colorem certa virginitatis libatio designetur.

NON solùm lac in Virginum mammis collectum, sed mammas ipsas nimium protuberantes volunt multi defloratione attestari; illud quidem scientificè, vt ita dicam, seu demonstratiuè; has verò contingenter, & probabiliter. Ni tuntur autem non alia ratione probare, ac fulcire sententiam, quàm ipsa rei experientia, qua, vt aiunt, manifestè apparet, neque lac in mulieribus, neque earundem luxuriosas fieri mammillas, quandiu penis expertes existunt, & ab omni virorum voluptuoso commercio, & familiaritate viuunt alienę. Mammas etenim tunc extuberare aiunt, cùm in Veneteis complexibus attrectantur, lasciuèque tentantur; & ratio est in promptu, quoniam lasciua manu prolectantur ad mammas & spiritus, & sanguis, quibus luxuriari contingit easdem. Lac verò tunc solum congeri existimant, quando vterus incipit semine respergi: & ratio peti po-

Digitized by Google

potest ex eo, quo manifestum est, nullas omnium animalium fœminas ante coitum, immo etiam ante conceptionem, vel partum lac in mammis gestare; Vnde Aristoteles 3. de historia animalium capite 22. *Nulli*, inquit, *ferè animalium lac fieri solet, antequam vterum ferat.*

Verùm id licet vt plurimum ita accidat, semper tamen, ac necessariò veritatem non habet. Dicendum itaque neque lac, neque nimium luxuriantes mammas certa fide præsignare virginalis claustri pollutionem; idue tum auctoritatibus, cùm rationibus multis probatum velim: auctoritatibus quidem in primis, quandoquidem Aristoteles 3. de historia animalium capite 12. Et Auicennas 12. tractatu 1. capite 3. asserunt, in viris quandoque, pueris, & adultioribus fieri lac. Immo ipsemet Auicennas 13. de Animalib. scriptum reliquit, se vidisse à viro tantum lactis emulctum, vt caseus sit confectus. Hieronymus Cardanus libris de subtilitate testatur, se hominem vidisse Ianuæ Antonium Renzium annorum 35. de cuius vberibus lac tam largè fluebat, vt vel puero alendo esset satis. Adde, quòd lustratores noui orbis referunt, uiros illius climatis ferè omnes in mammis lac gestare. Prosper Alpinus de Medicina Ægypt. libro 1. capite 9. scribit, Cayri viros ad eam pinguedinem deuenire, vt mammas etiam ferant longè muliebrum ingenti vbere maiores. Ipse etiam noui alium virum conciuem, qui curiositatis gratia rogatus à me ostendit vbera nil minora muliebribus, & comprimendo lac fecit exilire. Alexander Benedictus mirabilem & ipse historiam recenset; scribit enim Syrum quendam, coniuge mortua, infanti, qui superuixerat, vbera admouisse, quorũ e suctu lactis eam copiam emanasse, vt loco matris aluerit. Iam dico, si in viris nullo virginali claustro corrupto & lac, & mammillæ protuberantes gignuntur, in quibus tamen congeri nulla ratione deberet, quando viri à nâtura ad fœtum nutriendum nequaquam ordinantur: quanto magis & ampliores mammillæ, & copiosius lac in his produci possunt apud mulieres etiam ante hymenis violationem, & conceptionem, cùm sint hæa natura institutæ ad nutricandam prolem? Ad id, quod ex Aristotele dicebatur, respondeo, ibi Philosophum dicere; *Nulli ferè*, non autem nulli omnino; & quod hoc verum sit, statim subiungit: *Non prægnantibus aliquando, sed rarò edulijs quibusdam efficitur, vt lacteſcant*: & subscribit adhuc: *etiam in quibusdam mulieribus natu maioribus suctu frequentiore, lac prodijt; & copia tanta, vt infantem enutrire potuerint*

Argues, ex hisce Aristotelis auctoritatibus licet colligatur, fieri posse lac, absque quo vtero gestetur, non tamen inferri, illud idem congeri ante Veneris vsum, aut saltem ante aphrodisias illecebras. Respondeo nil minus hoc, quàm illud ex Aristotelis verbis educi; præterquam quod, subiungit ibidem, quod vbera caprarum, quæ coitum non patiuntur, Pastores montis Oetæ vrtica præfricant vehementer, vt dolorem infligant; *Itaque*, inquit ille, *primum cruentum humorem eliciunt, mox purulentum, postremò lac non minus, quàm ex ijs, quæ Venerem patiantur*. Quare Philosophus etiam eas mulieres comprehendit, quæ Venerem non sunt passæ. Dicet fortè quis, neque in viris ante Veneris vsum exoriri mammillas, aut lac produci, atque adeò vim argumenti nullam esse; patet hoc, quia Aristoteles 3. illo de historia animalium, vbi de lacte virorum verba facit, hæc habet: *Viris post pubem exiguum nonnullis exprimitur*, idest, post incœptum vsum Veneris. Respondeo id falsum esse, quia, vt ex Auicenna, & Aristotele iam diximus, in pueris etiam, quorum nullus est vsus Veneris, lac progignitur; præterquam quod verbum Aristotelis, *post pubem*, non sonat post incœptum Veneris vsum, sed post aptitudinẽ ad illum. Atqui instar omnium auctoritatum erunt rationes, ante quas erit breuiter explicandum, quæ nam sit materia lactis, vt facilius, & melius intelligantur rationum vires.

Ex Aristotele de Generatione, atque historia animalium passim lac nihil est aliud, quàm sanguis superfluus mutatus, ac dealbatus; quod ab Hippocrate, & Galeno confirmatur, qui asserunt, ex eadẽ materia fieri lac, & semen; at semen e sanguine coalescit; igitur & lac. Verùm hoc ipsum luculentius adhuc significatur à summo Dictatore Hippocrate tum 2. Epidem. sectione vbi ait; lac esse germanum ipsius menstrui sanguinis; tum libro de natura fœtus, & alibi, vbi asserit, lac fieri e sanguine dulcissimo, ac purissimo; neque locus ipse superiori repugnat, quo dixit lac gigni e sanguine menstruo, qui crassus, ac terrestris est: quandoquidem cùm in sanguine menstruo duæ sint portiones, vna feculentior, altera purior, ac tenuior; ex hac non ex illa coagulari lac, intelligit Hippocrates. Iam cur non possit in Virginibus ante viri commercium ob sanguinis aliquam exuberantiam, & multò nutriri mammæ, & in ijsdem succus lacteus produci? Namque facili labore sanguis in lac transmutari poterit ob viuidum calorem, qui præ vicinia cordis in pectore apud illas præpollet. Sed cur saltem, si non admittatur tanta sanguinis copia, quæ possit & menſibus, & lacti sufficere, menſibus suppressis id euenire non valeat, quando sanguis totus ad mammas andromeæ regurgitat; perinde ac in puerperis accidit, in quibus mira naturæ prouidentia dum fœtus exiuit in lucem, sanguis vterum destituit, seseque totum conuertit ad vbera? Atqui, ne magnus Hippocrates sua de-

fecerunt? An quod animal est munditiæ, & elegantiæ perquam studiosum; præterea olfactus sensu valet plurimum? Quum itaque impuri congressus propter impudicitiam, & immoderatam libidinem soleant esse immundiores, & coitus ab apibus deprehenduntur, & odium vehementius aduersus illos concipiunt. vnde apud Theocritum iocosè Venus ad Anchisem a pastore ablegatur, vti apum aculeis propter adulterium commissum pungatur.

Te confer ad idam,
Confer ad Anchisen, vbi quercus, atque Cypirus
Crescit, apum strepit atque domus melliflua bombis.

Et Pindarus: *Paruula fauorum fabricatrix, quæ Rhoecum pupugisti acuieo domans illius perfidiam.* Profectò in singulis animantibus est quidam naturæ instinctus, quo ad præcipuam quandam virtutem duci videntur. In apibus verò est quidam castitatis amor, & virginitatis affectus, quo non solùm videntur pollutos homines olfacere, sed ipsę per se abstinent ab omni Veneris lurido consortio. Idcecinit Virgilius Maro libro Georgic. his metris.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvit, aut fœtus nixibus edunt.

Quocirca vocabat Apes Pindarus sacras Cereris ministras; Cereri enim non nisi eunuchi, aut spadones ministrare poterant.

Cęterùm silentio inuolui non debent quæ Ioannes Baptista Porta ad hanc rem scripta reliquit, alioquin nec iniucunda, nec infructuosa, verba sunt: *Gagatis lapidis, qui frequens est nobis, quo globulos effingimus in corollis præsarijs ad numerandas vel explendas preces rasura, vel ipse pila tundatur, ac setaceo cribro transmissus in tenuissimum redigatur puluisculum, inde ex aqua, vinoue hauriatur, si exit illico lotium, & retinere nequit, corruptæ virginitatis indicium eamque defloruisse prodit; si viri non adhuc congressus, vel puerperium fassa fuit, eam compescit, & arctius cohibendi datur facultas.* Hanc eandem gagatis lapidis virtutem descripsit Plinius libro 36. capite 19. sed in hoc differt à Porta, quòd hic exhibet per os, is verò per suffitum, inquit enim: *Deprehendit sonticum morbum, & virginitatem suffitus.* Sed redeamus ad Portam, qui sic subiungit: *Nec minus inualidè id manifestat succinum album, seu crystallum, quod electrum vocant, si in puluerem redacta seiunè ex vino sorbeatur, & ad interiora feratur: nã si carnis senserit maculam, mouet vrinam. Possumus sic expeditius huius rei capere experimentum idem suffitu, si portulacæ semen, vel personatæ folia, quam vocant nostrates lapatium ardentibus prunis insperſa ad suffimenta subſtituantur, & virginitatis fumus proditor surgat, tunc infundibulo, alioue instrumento patulo vuluæ ore sursum permeet, proijciet extemplo vrinam, & meiet, nec retinere valet, si Venereum passa est labem. Si Veneris ignara fumum irritè recipit vrinam tenet, & virginitas deprehenditur. Si quis autem ioci gratia non meiere solum, sed semen mulierem emittere volet, hoc efficito. Agallocii, quod xiloaloe dicitur ferretur, vel præcidatur, eiusque ferraturam uiuis carbonibus affatim inspargito, ac peruri curato, recipiat fumum mulier, ac vuluæ meatus subiens effluat latè semen, nec iniucundè erit specimen,* Hactenusille.

Quæres problemate licet parergo, an ullo experimento comperiri possit, si mulier viro suo fidem seruet? Respondeo ab eodem Porta ex Alberto sic probari, *Magnes lapis si dormientis coniugis capiti supponatur, si casta est, dulcibus virum detinet complexibus, sin minus tamquam manu pulsæ cubili proijcitur.* Dices insuper, fieri ne possit, vt mulier alium virum, quàm suum cognoscere nequeat? Poteſt, si Alberto credimus, ait enim: *Mulier, vt cum aliquo adulterare non possit, incide de capillis, & puluerem illorum tibi super veretrum sparge, vnge veretrum cum melle. & mox coeas cum muliere, & cum volueris soluere, ex tuis capillis fac similiter*, sed quàm vana, quàm superstitiosa hæc? quis non derideat futiles nugas?

CAPVT VI.

Num per lac mammillarum, & immutatum papillarum colorem certa virginitatis libatio designetur.

NON solùm lac in Virginum mammis collectum, sed mammas ipsas nimium protuberantes volunt multi defloratione attestari; illud quidem scientificè, vt ita dicam, seu demonstratiuè; has verò contingenter, & probabiliter. Nituntur autem non alia ratione probare, ac fulcire sententiam, quàm ipsa rei experientia, qua, vt aiunt, manifestè apparet, neque lac in mulieribus, neque earundem luxuriosas fieri mammillas, quandiu penis expertes existunt, & ab omni virorum voluptuoso commercio, & familiaritate viuunt alienę. Mammas etenim tunc extuberare aiunt, cùm in Veneteis complexibus attrectantur, lasciuèque tentantur; & ratio est in promptu, quoniam lasciua manu prolectantur ad mammas & spiritus, & sanguis, quibus luxuriari contingit easdem. Lac verò tunc solum congeri existimant, quando vterus incipit semine respergi: & ratio peti po-

Digitized by Google

poveſt ex eo, quo manifeſtum eſt, nullas omnium animalium fœminas ante coitum, immo etiam ante conceptionem, vel partum lac in mammis geſtare; Vnde Ariſtoteles 3. de hiſtoria animalium capite 20 *Nulli*, inquit, *ferè animalium lac fieri ſolet, antequam uterum ferat.*

Verùm id licet vt plurimum ita accidat, ſemper tamen, ac neceſſariò veritatem non habet. Dicendum itaque neque lac, neque nimium luxuriantes mammas certa fide præſignare virginalis clauſtri pollutionem; idue tum auctoritatibus, cùm rationibus multis probatum velim: auctoritatibus quidem in primis, quandoquidem Ariſtoteles 3. de hiſtoria animalium capite 12. Et Auicennas 12. tractatu 1. capite 3. aſſerunt, in viris quandoque, pueris, & adultioribus fieri lac. Immo ipſemet Auicennas 13. de Animalib. ſcriptum reliquit, ſe vidiſſe à viro tantum lactis emulctum, vt caſeus ſit confectus. Hieronymus Cardanus libris de ſubtilitate teſtatur, ſe hominem vidiſſe Ianuæ Antonium Renzium annorum 35. de cuius vberibus lac tam largè fluebat, vt uel puero alendo eſſet ſatis. Adde, quòd luſtratores noui orbis referunt, uiros illius climatis ferè omnes in mammis lac geſtare. Proſper Alpinus de Medicina Ægypt. libro 1. capite 9. ſcribit, Cayri viros ad eam pingnedinem deuenire, vt mammas etiam ferant longè muliérum ingenti vbere maiores. Ipſe etiam noui alium virum conciuem, qui curioſitatis gratia rogatus à me oſtendit vbera nil minora muliebribus, & comprimendo lac fecit exilire. Alexander Benedictus mirabilem & ipſe hiſtoriam recenſet; ſcribit enim Syrum quendam, coniuge mortua, infanti, qui ſuperuixerat, vbera admouiſſe, quorũ ſuctu lactis eam copiam emanaſſe, vt loco matris aluerit. Iam dico, ſi in viris nullo virginali clauſtro corrupto & lac, & mammillæ protuberantes gignuntur, in quibus tamen congeri nulla ratione deberet, quando viri à nãtura ad fœtum nutriendum nequaquam ordinantur: quanto magis & ampliores mammillæ, & copioſius lac in his produci poſſunt apud mulieres etiam ante hymenis violationem, & conceptionem, cùm ſint hæa natura inſtitutæ ad nutricandam prolem? Ad id, quod ex Ariſtotele dicebatur, reſpondeo, ibi Philoſophum dicere; *Nulli ferè*, non autem nulli omnino; & quod hoc verum ſit, ſtatim ſubiungit: *Non prægnantibus aliquando, ſed raro edulijs quibuſdam efficitur, vt lacteſcant*: & ſubſcribit adhuc: *etiam in quibuſdam mulieribus natu maioribus ſuctu frequentiore lac prodijt; & copia tanta, vt infantem enutrire potuerint.*

Argues, ex hiſce Ariſtotelis auctoritatibus licet colligatur, fieri poſſe lac, abſque quo vtero geſtetur, non tamen inferri, illud idem congeri ante Veneris vſum, aut ſaltem ante aphrodiſias ilecebras. Reſpondeo nil minus hoc, quàm illud ex Ariſtotelis verbis educi; præterquam quod, ſubiungit ibidem, quod vbera caprarum, quæ coitum non patiuntur, Paſtores montis Oetæ vrtica præfricant vehementer, vt dolorem inſtigant; *Itaque*, inquit ille, *primum cruentum humorem eliciunt, mox purulentum, poſtremò lac non minus, quàm ex ijs, quæ Venerem patiantur.* Quare Philoſophus etiam eas mulieres comprehendit, quæ Venerem non ſunt paſſæ. Dicet fortè quis, neque in viris ante Veneris vſum exorri mammillas, aut lac produci, atque adeò vim argumenti nullam eſſe; patet hoc, quia Ariſtoteles 3. illo de hiſtoria animalium, vbi de lacte virorum verba facit, hæc habet: *Viris poſt pubem exiguum nonnullis exprimitur*, ideſt, poſt incœptum vſum Veneris. Reſpondeo id falſum eſſe, quia, vt ex Auicenna, & Ariſtotele iam diximus, in pueris etiam, quorum nullus eſt vſus Veneris, lac progignitur; præterquam quod verbum Ariſtotelis, *poſt pubem*, non ſonat poſt incœptum Veneris vſum, ſed poſt aptitudinẽ ad illum. Atqui inſtar omnium auctoritatum erunt rationes, ante quas erit breuiter explicandum, quæ nam ſit materia lactis, vt facilius, & melius intelligantur rationum vires.

Ex Ariſtotele de Generatione, atque hiſtoria animalium paſſim lac nihil eſt aliud, quàm ſanguis ſuperfluus mutatus, ac dealbatus; quod ab Hippocrate, & Galeno confirmatur, qui aſſerunt, ex eadẽ materia fieri lac, & ſemen; at ſemen e ſanguine coaleſcit; igitur & lac. Verùm hoc ipſum lucubrantius adhuc ſignificatur à ſummo Dictatore Hippocrate tum 2. Epidem. ſectione 5. vbi ait; lac eſſe germanum ipſius menſtrui ſanguinis; tum libro de natura fœtus, & alibi, vbi aſſerit, lac fieri e ſanguine dulciſſimo, ac puriſſimo; neque locus ipſe ſuperiori repugnat, quo dixit lac gigni e ſanguine menſtruo, qui craſſus, ac terreſtris eſt: quandoquidem cùm in ſanguine menſtruo duæ ſint portiones, vna ſecuientior, altera purior, ac tenuior; ex hac non ex illa coagulari lac, intelligit Hippocrates. Iam cur non poſſit in Virginibus ante viri commercium ob ſanguinis aliquam exuberantiam, & multò nutriri mammę, & in iiſdem ſuccus lacteus produci? Namque facili labore ſanguis in lac tranſmutari poterit ob viuidum calorem, qui præ vicinia cordis in pectore apud illas præpollet. Sed cur ſaltem, ſi non admittatur tanta ſanguinis copia, quæ poſſit & menſibus, & lacti ſuffiçere, menſibus ſuppreſſis id euenire non valeat, quando ſanguis totus ad mammas androme regurgitat; perinde ac in puerperis accidit, in quibus mira naturæ prouidentia dum fœtus exiuit in lucem, ſanguis vterum deſtituit, ſeſeque totum conuertit ad vbera? Atqui, ne magnus Hippocrates ſua de-

raudetur auctoritate, audiantur, quæ libro 5. Aphorism. 39. apertis fidibus exarantur; scribit enim sic. *Si mulier quæ non concepit, neque peperit lac habet, menses ei defecerunt.* Quid clarius? Igitur à sanguine illo, qui ab vtero fluebat, ad mammas remisso, ibique alterato, & cocto lac gignitur. Quod etiam à Galeno in explicatione illiusmet Aphorismi recipitur, & confirmatur, licèt rarò euenire testetur. Nempe memoria recolendum erit, quòd communes sunt vtero, & mammis venæ; adeò vt si sanguis prorumpat ad mammas, necesse sit researi ad uterum, & sic exaduerso; quod apertissimis verbis à Galeno significatum est 5. de simplici medicamenr. facultate capite 21. ijs verbis: *Communes quin etiam vberibus, vteroque venæ sunt non exiles; at quæ nam ea sint, alibi dictum est. Itaque ad alterutrum partium sanguis defertur, altera siccescit. Proinde quibus menses mediocriter feruntur, ijs lac in mammillis non colligitur, quibus verò hoc largè suppetit, ijs planè menses supprimuntur.* Qua in re Christophori à Vega historia quædam recensenda est; is enim in explicationē relati Aphorismi desuper sic habet. *Vidimus puellam Burgensem, cui mensibus suppressis lac mammis inerat; medicus verò, cui res fuit commissa (accusabatur enim ab Hero constantissime) affirmabat, ipsam grauidam esse, quam ego coram Hero, & aliis defendi, fieri posse dicens, vt lac habeat mulier ex sola mensium retentione citra conceptionem. Tempore tamen nouem mensium tractatu manifestè conflitit, mulierem honestè vixisse, & virginem esse, cui aliquibus postea diebus menses profluxerunt.* Hactenus ille.

Quòd si dicas ex Galeno, & alijs, affectum hunc, nempe lac virginale rarò contingere; non debere autem rarò euenire, quia menses non rarò supprimuntur, sed quotidie restagnantur, vt patet; idcoque lac parthenium frequentiùs etiam videri debere. Respondeam, quòd licet menstrui sanguinis stegnosis quotidie contingat, non tamen idem potest quotidie resluus ad mammas regurgitare; & ratio est, quoniam cùm sanguis ille vt plurimum sit crassus, ac terrestris, & tunc magis, quando ob vitium aliquod redditus est impurior, ac feculentior, non potest ita facilè resilire per venas ad vbera; eò magis quòd virtus spiritalis, quæ in pectore viget forti expultrice illum reuerberat, nec ad regionem cordis appellere sinit; quamuis enim reperiatur in cruore menstruo aliqua particula dulcis, atque optimi sanguinis: maior tamen pars putrida, & sontica est; ut projnde quam occupat partem diuexet, laceret, & quasi ueneno inficiat. Potius ergo alias partes corporis inuadens naria parit symptomata, & morbos. His adde, quòd ad lac in mammis uirginum producendum requiritur virtus γαλακτοποιητικὴ insignis, ac præcipua (tunc enim finis, qui puerorum est nutritio, abest). Iam ista, vt rarò propter eandem causam ad mammas accedit; ita etiam rarò, licet menses non fluant, lac in virgineis vberibus gignitur, & aggregatur.

Si dicas, quonam pacto circa longinquas corporis partes puta caput, & eius potentias, & circa etiam cor ipsum accidentia ſequa adeò producat, si à forti expultrice, vti dictum est, repercutitur? Dico non sanguinem, sed fuligines putridas, atque prauos vapores à sanguine eleuatos caput, & cor grassari, & lacessire; huiusmodi autem halitus aptos non esse, vt in lac transmutentur. Aio tandem, quod ad hoc, vt sanguis menstruus suppressus ad mammas regurgitet, ibique cogatur in lac, requirit maximum cordis calorem ipsi pectori, & mammis communicatum, quo sanguis attrahi ab vtero valeat: nec non venas amplas, patulas, & deobstructas, vt per has commodè exugi possit; hæc verò duo cùm non semper in suppressis mensibus reperiantur, mirum non erit, si frequenter lac in illibatis mammis non coadunetur.

Hoc ipsum sanè intelligi poterit de luxuriantibus nimis vberibus, quæ nihil vetat, etiam in virginibus pletoricis plenius nutriri posse, nulla uirorum adhibita molli tractatione. Cur enim præter menses cohibitos non possit in virgine quadrata, spiritibus, & sanguine scatente delegari à natura, ut sarcina parum exoneretur, eiusdem suppellex sanguinis ad uberum cauitatem, ubi postmodum ab eximio calore coquatur, & alteretur in lac? Etenim in uiris etiam simile quid accidit: nam quando corpus eorum sanguine optimo, & puro refertissimum est, natura vbi largius alimentum nutriendis partibus suppeditauit, vbi copioso semine spermatica vasa repleuit, id quod superest, opus est ad partem aliquādemittat, & vel in phlegmonas deponat, aut ad mammas deleget, & ibi vlteriori coctione in lactis naturam conuertat. Hinc 3. Pentateuchij Chirurgici cap. 13. Fabritius ab Aquapendente aiebat: Hinc viri nonnulli effœminati & lac gignunt, & purgationes instar muliebrium ordinata vicissitudine patiuntur in Germania, & Lotharingia. Dixi in lactis naturam, quia hujusmodi succus ex multorum opinione, non est nisi homonyme lac; non enim id perfectè crassum, dulce, & album est, sed tenue, viribus dispar, & quod magis est ad alendum ineptum. Porrò lac vnionocè dictum est, quod fit post conceptionem per proprij alimenti tractionem; impropriè dictum, seu per quandam analogiam est, quod per expressionem, & resluxum sanguinis ab vtero ad mammas fit; de primo loquutus est Hippocrates libro de natura pueri, & de Glandulis, vbi ait, quod rara est mammarum natura, & alimentum quod ad se trahunt in lac immutant; de secundo verò verba facit ibidem

dum

dum dicit, quod ab vtero accedit ad mammas lac, quod post partum infanti cessurum est in alimentum: hoc autem exprimit, ac sursum mittit omentum ab ipso fœtu iam grandiore coarctatum. Atque hoc tantò in ipsdem viris facilius euenire potest, quantò magis vtilibus affluentes succis abstineant Venere, quæ plenitudinem vndique minuit: nam ipse superius citatus Auega historiam recenset de viro, qui vxore orbatus tantum lactis in mammis congenuit, vt infanti filio satis foret ad nutriendum: etenim existimarim, virum illum alioquin sanguine refertum lactis copiam vberibus ob Veneris dimissum vsum cumulasse, cùm viua vxore Veneri satis indulgeret; lactis verò, & seminis, vt patet, eadem est materia.

Ex his modò fœliciter solui possunt in contrarium allata argumenta: quod enim primò dicebatur, experientia constare, quòd nec luxuriant mammæ, nec in ijs lac excoquitur ante Veneris illecebras, falsum esse aio, & experientia potius contrarium indicari, vt probauimus. Verum quidem est, nec iturus sum inficias, virorum lasciuam contrectationem augere mammillas; sed quòd eædem nequeant ab alimenti copia protuberare, alienum est à veritate; sicuti eadem ratione dissonat à vero sensu, non posse ante coitum ob accidentariam aliquam causam lac in mammis congeri.

Quòd secundo loco arguebatur, nullam videlicet brutorum animantium fœminam visam esse, quæ ante conceptionem lac emiserit, tribus rationibus id fieri dico. Prima quidem, quoniam bruta non tanto alimento, & sanguine scatent: homo enim proportione sui corporis, vt Philosopho placet, omnium animalium calidissimus, & maximè sanguiflaus est; hinc 3. de historia Animalium idem asserit, mulierem inter fœminas omnes maximè sanguine abundare. Secunda ratio est, quoniam brutis fœminis plerisq; non procedunt menses, ob eandem rationem, qua statuimus, illas superfluo non circùfluere succo; & iccircò cùm in his menses haud supprimantur, nequit sanguis ad mammas anadromen habere, & inibi, vt mulieribus accidit, in substantiam lactis degenerare. Tertia ratio sit, quia licet brutorum fœminæ menses haberent: non tamen ante conceptionem lac producerent, quoniam sanæ degerent, & incolumes; nec illis ex morbo sanguis idem compesceretur; homo siquidem omnium animalium morbosissimus est: præterquam quod animantium brutorum fœmineæ non torpescunt otio; quamobrem difficile labes vlla apud illas contrahitur; qua ratione dicebat Archiperipateticus, rusticas mulieres suppressis mensibus rarò laborare; labor enim, quo iugiter illæ exercentur, virtutes roborat, humores digerit, & excrementa dissipat. Nec ex eo, nisi monstruosè contigit aliquando, si Aristoteli, & Auicennæ credendum est, vt caper repertus fuerit, ex quo magna lactis quantitas quotidie mulgeretur; quod idem Gaspar Peucerus de tribus hircis à se in Bohemia visis in suis epistolis testatur, & Cœlius Calcagninus in epistola ad Comitem Thomam nepotem idem duobus catulis accidisse, affirmat.

Cæterùm quoad illud, quod fœminę à virtute seminis habeant, vt lac producant, futile argumentum est; dum enim mulier concepit, & peperit, natura prouida sanguinem in fœtus alimentum parat quidem, at non iccirco negandum est, quin citra conceptionem parari etiam possit; verè enim ad lactis productionem nihil aliud requiritur, quàm vt sanguis vlterius in mammillis coquatur: coctio verò habetur solum ab ipsa facultate alteratrice independenter à quauis virtute seminis, vel alterius rei. Et hoc significare nobis voluit Aristoteles, dum in libris de animalibus dixit, lac fieri posse etiam in maribus: vbicunque enim sanguis collectus à calore dealbatur, ibi dicitur fieri lac; perinde atque pus conficitur calore sanguinem coquente in quauis corporis parte; id quod insinuare voluit Empedocles, cùm dixit, lac nihil aliud esse, quam pus. Verumtamen de lacte impropriè, siue homonyme dicto id intelligi debet; uerum enim, ac legitimum lac à membris glandulosis, cuiusmodi sunt mammæ, elaborari debet, ibique ut in proprio uase seruari; quod affirmauit Aristoteles 3. de historia animalium capite 20, ubi dixit: *Quæ vero lac habent omnia mammis id continent.*

Tandem quod spectat ad papillarum immutatum colorem, neque ex hoc parthenius pudor insimulari potest: nam tametsi rubore perfusæ ut plurimum in uirginibus illæ apparere sueſcant; non est tamen, quod à morbosa aliqua affectione alterari, & immutari citra Venereum sinaphiam, non ualeant; nam etiam ob illum, qui inter mammas, & uterum consensum intercedit, interdum utero affecto purpureus papillarum in chlorum deprauatur color, quod 5. Epidem. sect. 5. ita litteris commendauit Hippocrates: *Si mammarum papillæ, & quod rubet in illis pallescat, morbosum uas est*; quo loco pro uase, Galeno arbitro, uterus intelligi debet. Verùm plenius hanc sententiam elucidauimus in nostris commentarijs ad sextum Epidem. in Romano hoc Archigymnasio pro rostris publicè exaratis, quæ si fata uolent, typis aliquando tradentur.

CAPVT VII.

An in statu Innocentiæ integritas virginalis ex viri commixtione, & seminis receptione corrupta fuisset.

DIVVS Augustinus libro 14. de Ciuitate Dei sentit, futurum fuisse in statu Innocentiæ, vt conciperet mulier absque vlla muliebris genitalis corruptione, & omnino absque hymenis fractione; verba textus lubet apponere. *In tanta facilitate rerum, & fœlicitate hominum absit vt fuspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluptatis nutu moueretur illa membra, quo cætera, & sine ardoris illecebri stimulo cum tranquillitate animi, & corporis nulla corruptione integritatis infunderet gremio maritus vxoris. Neque enim quia experientia probari non potest, ideo credendum non est; quando illas corporis partes non ageret turpidus calor, sed spontanea potestas, sicuti opus esset, adhiberet, ita tunc potuisse vtero coniugis salua integritate fœminei genitalis virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero virginis fluxus menstrui cruoris emitti; eadem quippe via posset illud injici, qua hoc potest ejici.* Hactenus Diuus Augustinus, cui videtur astipulari Diuus Thomas in prima quæstione 98. articulo 2. vbi vel ipsa Augustini verba resumens hæc habet. *Sicut in illo statu nulla corruptione integritatis infunderet gremio maritus vxoris; ita potuit vtero coniugis salua integritate fœminei genitalis semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero virginis fluxus menstrui cruoris emitti.* Conueniunt in hac opinione Pererius libro supra Geneſim, & Molina de opere sex dierum disput. 29.

Verùm enimuerò huiusmodi opinio non leuem habet difficultatem, nisi fortè cùm Seraphico Bonauentura dicamus in 2. sentent. distinct. 20. quòd integritatis corruptio tria dicit, clausſtrorum scilicet muliebrium apertionem, penalem passionem, & fœdam delectationem; quorum primum est naturæ, alterum est pœnæ, tertium verò est corruptionis vitiosæ, quæ medium tenet inter culpam, & pœnam; Si igitur vir cognouisset vxorem in tempore institutæ naturæ, fuisset ibi clausſtrorum apertio, non tamen ibi fuisset pœnalis passio, nec fœda delectatio; quia vis generatiua nec esset tunc corrupta, nec infecta. At Ægidius Romanus omni vera, & luculentissima doctrina refertissimus nititur tueri Diuum Augustinum, affertque ideo sententiam & ingeniosam, simulque probabilem, & scitu pulcherrimam; inquit enim, quòd in statu Innocentiæ fuisset virginitas mentalis, quia nulla extitisset fœda concupiscentia; fuisset etiam corporalis, quia post actum Venereum abrupta membrana virginis coaluisset integrè; nam sicuti partes muliebres in partu relaxatæ post partum reintegrantur nullo vestigio apparente, sic post copulam carnalem repullulasset hymen, vt vocant, adeò vt nulla futura fuisset distinctio eius genitalis à genitali virginis, nec pregnans dignosci potuisset alia re, quàm corporis, & veri mole; sic habet in 2. sentent. distinctione 20. quæstione 1. articulo 2. in dubitatione prima laterali.

Si diceres contra Ægidium, quòd sic in omni generatione, & commixtione disrupta fuisset membranula, & consequenter doluisset semper mulier. Respondetur ilicet, disruptam quidem fuisse, at non ex eo tristem sensationem experturam fuisse mulierem, quoniam dolor fuit pœna peccati: ante peccatum nullus omnino futurus fuisset doloris sensus; siquidem post culpam inculcata fuit sententia illa, *In dolore paries*. Instabis ad quem finem natura sic sollicitè integrasset panniculum hunc disruptum, siue dicas violatum virginitatis caryophillum? Dixerim, & ad maiorem voluptatem, & ad hoc, vt corpus vndequaque integrum seruatum fuisset; de ratione siquidem perfectionis est, vt corpus nulla, vel minima particula disiunctum sit. Argues adhuc: decantata est Hippocratis sententia, quòd membrana quæque discissa non coalescit, quomodo igitur in illo statu hymen semel, & bis disruptus toties coaluisset? Namque in statu illo, quæ sunt ex natura perstitissent, nec ea, quæ conueniunt ex origine, immutata fuissent. Ad hoc responsum velim, quòd in statu Innocentiæ perstitissent vtique omnia, quæ naturæ conueniunt, dummodo imperfectionem non arguissent; at procul exulassent quæcunque vel minimum redoluissent vitium. Quid profectò magis est secundum naturam, quidue magis ob materiam naturæ humanæ competit, quàm mors? Et nihilominus in illo fœlicitatis promptuario vita vigens floruisset perpetuò. Quid magis humano corpori proximum, quàm intemperie premi ob elementorum, ex quibus coalescit, contrarietatem, & pugnam, vnde in præsentiarum mille morbis afflictatur? Attamen in statu illo omnium bonorum aggregatione perfecto nullis curis, nullis febribus, nulli prorsus ægritudini obnoxia fuisset natura. Igitur multò magis vendicare potuisset humanum corpus à partium, vel minimarum diuisione. Igitur Diui Egidij opinio non est, cur reprehendatur, sed vt ingeniosa recipienda, & laudanda potius.

CA-

CAPVT VIII.

An, & quomodo verum sit, mulierem præcipuo amore virum prosequi, qui eam defloraverit, vbi coniugalis amoris eximia reduduntur monumenta.

OMNIBVS quotquot viris mulier in Veneris palestra commiscetur, ingenti deuincitur amore, aut saltem tacita quadam inauctoratur beneuolentia, ob sanguinis nimirum commixtionem, qua veluti quodam insolubili vinculo necti, & arctari videntur ambo; vt ideo non rarò contingat, coniugem prius exosam virum statim quàm sese subiecerit illi, odium in æstuantem amorem iucundillimè transmutare. At verò illum qui suæ virginitatis florem excerpserit, non amare modò, verùm deperire creduntur mulieres omnes; tantus est amoris nexus, quo etiam tum instammantur in virum. Significauit, ni fallor, id nobis Dido in primis apud Maronem 4. Eneidos ijs verbis.

Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetque sepulchro.

Scilicet his vocibus flagrantem erga Sichæum Amorem, cui iuuentæ, ac virginitatis florem præstiterat, Regina propalat. Ita prorsus apud Ouidium in Epistolis Oeno ad Paridem scribens acclamabat.

Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit,
Ille meæ spolium virginitatis habet.

Quibus ostendit, quàm cupido animo memoriam seruet illius, à quo pudoris flos primus lectus fuerat. Quamobrem verò tantus erga suum florilegum concilietur amor in muliebri pectore, hic nobis inuestigandum erit; & quidem vnusquisque alta mente reponit, candidisque, vt aiunt, notat lapillis peculiarem aliquam boni, vel iucundi fruitionem; cuius quippe phantasmata tenaci seruantur memoria: quantò enim res quæpiam fortius apprehenditur, tantò reconditur firmius, ac fidelius asseruatur; Atqui mulier indelebili caractere signans potissimæ suæ voluptatis originem, maximæque iucunditatis dulcorem, illius videlicet, quam in primis amplexibus delibauit; non potest nisi ualde diligere uirum, qui primas dulcedinis ministrauit crateras, ac prima tulit amoris libamina; quæ cordi, animoque adeò hæsere fixa, ut nulla temporis iniuria, nulla mentis agitatione, nulloque alio iucundo occursu aut obscurari, aut aboleri ualeant; sed altiores indies figunt in corde radices: quandoquidem indies in mentem uenit primi illius congressus, amplexus, complexus: quotidie mens perlustrat exuberantem illum illecebrarum torrentem, plenamque sensuum suauitatem: iugiter, ne dicam perpetuò feruidos recensет cupidinis motus, oscula, uerba, lasciuosque impetus illius primæ noctis; quò pertinet illud Propertij 1. Eleg.

O noctem meminisse mihi iucunda voluptas;
O quoties votis illa vocanda meis.

Enimuerò primæ tantùm Veneris mensæ dulcissimæ degustari solent; quę frequentantur assuetudine uilescunt, immo aliquando & amarescunt non citra nauseam.

Cęterùm cùm noua quęlibet magis delectent, ut uulgaris est paræmia, fitex eo, ut ergà eum uirum, qui memorabilis fuit auctor nouitatis amore deuinciatur magis, quàm ergà quemlibet alium, cui fortè succumbat postea, cum quo tanta non mulcebitur uoluptate; ut enim in Ethicis habet Aristotęles quędam delectant noua, quæ postea non similiter delectant, ex consuetudine, ut puto, quę sicut passioni derogat, ita & uoluptati. Adhuc magnus in eum debet amor concipi, apud quem primi pudoris uincula soluta fuerint; uti enim Plato sapientissimus omnium dicebat, pudor prosequitur amorem; & proprij pudoris habenas cuipiam soluere, magni est amoris argumentum. Mirum inde non erit, si mulier amasium primum, apud quem uerecundiam sequestrauit, beneuolo animo intensius prosequatur. Quò ritè etiam pertinere arbitror illud eiusdem Didonis.

Agnosco veteris vestigia flammæ
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras;
Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam.

Rursum omnia primordia rerum, atque primitias chariores, atque iucundiores existimamus (quas ideo Cybele Deorum mater sibi reseruari uolebat) necnon ad eas dem mens conuertitur diutius, sibique magis imprimit. Quocirca primus amor, primę nuptię, nisi nimium dispares, occursus primus, munera prima e mente nunquam decidunt; non est ergo mirandum, si mulier forti apud uirum afficitur amore, à quo Veneris primitias, primaque Iunonis munera, primumque uoluptatis delicium èxhausit; cùm præsertim primo illo complexu, dum æstuant animi, dum feruet amor, dum uiget cupiditas, dum micant spiritus, dumque Venus ardet, maior fiat, perfectaque magis miscela sanguinis, à quo efficax procedit beneuolę affectionis affectus. Et est profectò tantus, qui contrahitur amor ergà con-

coniugem, & amasium primum, ut pleræque mulieres, dum fato volente, vir primus vita fungitur, alium nesciant appetere; sed vsque ad mortis limina in statu viduitatis cœlibes perseuerent, perinde ac dissociatæ turtures solitariæ degentes. Etenim turtur, quæ seruatæ viduitatis hyerogliphicum est, eo apud suum marem afficitur amore, vt si forte fortuna inuida morte dissocietur, non modo aliam societatem, & connubium oderit, sed sola insuper in syluis degens perpetuò gemebunda amissum deploret sodalem; vnde Vates in Eclog.

Nec gemere aeria cessabit turtur ab vlmo,

Quin etiam non defuerunt mulieres, quæ primi coniugis cognita morte sibi ipsis necem inferre aut non sunt veritæ, aut præclarum amoris edidere specimen. Nam vt Gn. Pompeij vxorem relinquam, quæ mariti visa consperfa sanguine veste exanimata est illico. Artemisia apud Cares Regina Mausolum virum suum tanto coluit amore, vt extincti desiderium moderatè ferre non valens, eius in proprio corpore monumentum statuere voluerit; siquidem cineres eiusdem hausit; quomodo si non abstergere, lenire saltem dolorem credidit. Huius quoque gregis extitit Portia Bruti coniux, de qua sic Martialis libro 1.

Coniugis audisset fatum cum Portia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor.
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Crediderat satis, hoc vos docuisse Patrem.
Dixit, & ardentes auidè bibit ore fauillas:
I nunc, & ferrum turba molesta nega.

Sic Paulina Senecæ vxor, audita coniugis morte iussu Neronis per venarum apertionem, non modo mortem, verùm eandem prorsus obire voluit. Sed quæres, num viri etiam peculiari amore deuinciantur in mulierem, à qua fuerint primò delibati? Vtique putarim disparem esse rationem in viris, atque adeò semper penes eosdem latentem odij radium potius remanere, siquidem vt Boetius inquit, de consolatione libro 2. *Tristes esse voluptatis exitus, si quis libidinum suarum reminisci volet, intelliget*; Quòd Romanæ facundiæ parens confirmat de finibus, dum ait: *Voluntas relinquit sæpius causas pœnitendi, quàm recordandi.* Huc omnium magis appositè facit Aristotelis Problema vndecimum 4. sectionis, quod est, cur adolescentuli cùm primò concubere incipiunt, quibus cùm fuerint congressi eas, re peracta, odio habeant? Sed huius quæstionis fruere insuper solutione ex eodem perfunctoria: *An quod mutatio summa afflixerit, sequentis tristitiæ memores eam fugiunt, tamquam sontem, ad quam sese applicuerint?*

Sic Laodomia Protesilao interfecto, cùm in solatium obtinuisset, vt mortui videret vmbram, cùm primum illa apparuit, in eius complexibus animam efflauit. Sic Alcestis proprio languine Admetum ab Orco redemit; dum enim pro illius morbo consultum Oraculum respondit, euasurum Admetum, si Amicorum quispiam pro eo occumbere vellet, ipsa, amicis recusantibus, propriam deuouit vitam.

Sed instar omnium Cammæ Galatiæ mulieris heroicum facinus ex Plutarcho in Amatorio lubet hic verbotenus appingere. *Hæc cùm esset forma venustissima vxor Sinati Galatiæ reguli, adamata fuit à Synorige Galatarum potentissimo, qui cùm marito viuente, neque persuasurum se mulieri adulterium, neque vim inferre posse videret, Sinatum interfecit. Erat Cammæ refugium, & solamen calamitatis sacerdotium Dianæ autum, in cuius æde plerumque commorabatur, neminem admittens, quamquam multi ipsam, & potentes ambirent. Cùm autem Synorix ausus esset eam de nuptijs appellare, non subterfugit, neque facinus eius culpauit, ad quod scilicet non alia prauitas, sed amor ipsius, & desiderium impulisset. Ergo Synorix fidem Cammæ, venit eam in matrimonium petitum, occurrit mulier, dataque dextra ad aram Dianæ hominem adduxit. Ibi cùm de mulso, quod veneno infecerat, e patera libasset, dimidium ipsa ebibit, reliquumque Synorigi exhibendum propinauit. Postquam ebibisse vidit, altè sublato eiulatu nomine maritum inuocans. Hanc ego, inquit, diem præstolans adhuc sine te, Synate carissime, vitam acerbam toleraui, nunc verò lætus me accipe, vltam tui gratia sceleratissimum virum, vtque tibi vitæ, ita huic mortis sociam perlibenter faciam. At Synorix quidem lectica vectus paulò post viuendi finem fecit: Cammam ferunt, diem illam, noctemque superuixisse, valdeque alacrem, ethilarem decessisse.*

Finis Quarti Libri Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

Digitized by Google

SYLLABVS TRACTATVVM, ET CAPITVM quæ in præcedente Quarto libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De natura, situ, conformatione, aptitudine, conspiratione, & motu muliebris conceptaculi, necnon de quibusdam præter naturam affectibus, qui pudendo, uteroque adnascuntur. 497.

Cap. I. *Muliebrium Genitalium compendiosa per singulas partes diagraphia.* 499.

Cap. II. *An uterus sit in fœminis necessarius ad vitam, vt ad Generationem.* 503.

Cap. III. *An fœminæ omnes cuiuscunque speciei uterum habeant, & an simili, vel diuerso modo, ac situ.* 505.

Cap. IV. *Quid præstet uterus in generatione, & num in ipsa fœtus formatione vim vllam efficientem obtineat.* 507.

Cap. V. *Qualem temperaturam ad concipiendum exigat uterus.* 509.

Cap. VI. *De uteri discrasia, atque imbecillitate, vbi plenius præfata Hippocratis doctrina elucidatur.* 511.

Cap. VII. *De Vteri nimia extenuatione, seu gracilitate.* 516.

Cap. VIII. *De utero adiposo, at que orificij pinguedine.* 518.

Cap. IX. *De Hydrope uteri.* 521.

Cap. X. *De uteri ascensu, vbi de motu eiusdem breuiter determinatur.* 525.

Cap. XI. *De uteri prolapsu, atque diflortione.* 528.

Cap. XII. *De Atretis, siue de muliebri clausura, eiusque curatione.* 532.

Cap. XIII. *De clitoride seu muliebri pseudouirga, vbi de nympha, ac nymphotomia.* 535.

Cap. XIV. *De ratione coarctandi vas Genitale amplum nimis, & pudendi interpolandi.* 538.

TRACTATVS SECVNDVS.

De flore virgineo, ac defloration is accidentibus. 543.

Cap. I. *Quid sit illud, quod in primo Veneris congressu mulieribus abrumpitur, vbi de Virginitatis insignibus.* 543.

Cap. II. *An per Hymenis præsentiam sufficienter virginitas comprobetur.* 547.

Cap. III. *An, & qua ratione flore virgineo incorrupto mulier aliquando concipere valeat.* 551.

Cap. IV. *An virgines absque viri consortio intrinseca, aut extrinseca aliqua causa deflorari valeant.* 555.

Cap. V. *An sint aliqua corruptæ virginitatis externa indicia.* 556.

Cap. VI. *Num per lac mammillarum, & immutatum papillarum colorem certa virginitatis corruptio designetur.* 560.

Cap.

Digitized by Google

Cap. VII. *An in statu Innocentiæ integritas virginalis ex commixtione viri, & seminis receptione corrupta fuisset* . 567.

Cap. VIII. *An, & quomodo verum sit, mulierem præcipuo amore virum prosequi, qui eam defloruerit, vbi coniugalis amoris eximia recuduntur monumenta* . 569.

GE-

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER QVINTVS.

De Semine humanæ Generationis Opifice, eiuſque accidentibus.

Ad Illuſtriſsimum, & Excellentiſs. D.

D. SCIPIONEM GONZAGAM Ducem Sablonetæ, Principem Bozzoli, Ex Marchionibus Mantuæ Marchionem Oſtiani, Comitem Pomponeſci, &c. Olim apud Vrbanum VIII. Pont. Max. Oratorem Cæſareum.

INNVMERA, atque ampliſſima, quibus me deuinxiſti beneficia, Excellentiſſime Princeps, nullo vnquam tempore ſinunt, me alto ſilentio ipſa inuoluere; ſed cogunt indies elatis vocibus, vbicunque occaſio fertur, profiteri, aut etiam proclamare. Ab eo enim die, quo me in tuæ valetudinis curatorem Romæ aſciuiſti, in clientelam pariter ſuſcepiſti; adeo vt nouis quotidie fauoribus locupletaueris, maioribus iugiter honoribus auxeris; & vt vnum inſtar omnium e tot, tantiſque recenſeam obiter: Te ſolo patrocinante cathedram in hoc Almæ Vrbis Archigymnaſio adeptus

Digitized by Google

tus sum: Te auctore Vrbanus VIII. Pontificum Sapientissimus me Practicæ Medicinæ Professoribus addidit; & ni discessisses, altiores adhuc honores, ac stipes consecuturus fuissem. Mea igitur dum in publicam lucem Geneanthropeia prodit, officiosam erga me tuam beneficentiam non potui non recolere, & grati animi ergo sponte fateri, me ad extremum vsque halitum memoriam seruaturum beneficiorum non minus, quàm Heroicæ tuæ munificentiæ, & liberalitatis plusquàm Regiæ, quarum simul, & aliarum virtutum suauitate Vrbs tota delinita discessum tuum iamtum ægrè tulit, & absentiam nunc plurimùm dolet. Toto enim tempore, quo Cæsarei Oratoris apud Summum Pontificem functus es munere (functus es autem gloriosissimè sex circiter annorum spatio) eximia tua generositate, maiestate, atque magnificentia præfulsit Aula, & primæuo quasi splendori restituta admirata est cum plausu currus tuos fulgentissimos triumphalibus æmulos, comitatum splendidissimum, famulitium nobile non minus, quàm numerosum. Sed præ cæteris lætata est ob faciem tuam imperio dignam, ob vitæ illibatæ candorem, ob humanitatem indicibilem, ac prudentiam inprimis singularem; neminem enim later, quanta dexteritate, quo iudicio, quali sedulitate, & facundia grauissima Imperij negocia semper obieris; vt proinde nil mirum, si iuxta alios Germaniæ Proceres Inuictissimo Ferdinando maximè acceptus longis, & arduis quoque Diætæ negocijs iugiter affueris, & in comitatibus, atque venationibus nunc etiam proximè sequaris. Rerum omnium arbiter Deus votis tuis pleniùs faueat, teque sospitem ad Lares Dynastiæ tuæ amplissimæ reducat. Vale.

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER QVINTVS.

De Semine humanæ Generationis Opifice, eiusque Accidentibus.

PROEMIVM.

CONSTRVCTIS, & conformatis instrumentis, quæ humanæ liturgiæ deseruire affabrè valeant; consequens est ex ordine, vt eiusdem efficientem causam percurramus, quatenus absolutum omni ex parte exantletur opus. Cùm enim in primo libro pedurgiæ finalem tractauerimus causam: In secundo de eiusdem principijs, nempe viro, & muliere locuti simus: A In tertio, & quarto de concinnis vtriusque Genitalibus instrumentis abundè egerimus; causarum series exposcebat, vti efficiens in quinto; materialis in sexto libro tandem proponeretur. Opifex est semen, materia menstruum; Illud principium à quo, hoc verò principium ex quo; illud agit: hoc patitur; illud format: hoc informatur; illud animam brutã; hoc præstat corpus; Illud iccirco diuinum; rutam: hoc terrenum. Quo circa de semine prius, vt eius præstantia postulat, agemus; mox de menstruo sanguine. Erunt autem in lib hoc bini tractaus. In 1. de seminis ipsius substantia, qualitate, spiritibus, & energia quæstiones instituemus. In secundo de morbosis prolifici humoris accidentibus agetur plenius.

TRACTATVS PRIMVS.

De seminis admirabili natura, progressu, spiritu, scientia, atque influxu.

NATVRA prouida, æternitatis auida, rerum omnium creaturam subsistentiæ consulens cunctis animantibus, ac præsertim hominibus quandam indidit humiditatem spiritibus turgidam, mechanica scientia præditam, mole paruam, energia maximam, quam vocamus proprio nomine Genituram; quæ vbi primum apto miscetur sanguini, statim eiusdem speciei dipingit animal. Mirum sane rei tantulæ, tamque fragili fortem adeo inhærere virtutem! Paruula, vilia, aridaque fere iaciuntur in agris semina, & non multò post intima, & arcana excitata vi, apparent germina, frutices, folia, flores, fructus. Vbi amabo magis diuina refulget potentia? Quod opus naturæ magis polydædalum? Hoc sanè magisterium, & excellens opi- B ficium si cui penitius contemplari placeat, Hippocratem de natura pueri sic dicentem audiat.

Etenim semen vbi dejectum fuerit in terram humiditate quadam ab ipsa impletur; habet enim in se terra omnigenum humorem, vt nascentia nutrire possit: impletum autem humore semen inflatur, & intumescit: & vis quæ in semine leuissima est ab humore condensari cogitur: condensata autem à spiritu vis, & humore folia producente semen rumpit, & primum foliis foras emergunt. Vbi verò emerserint cùm non amplius ab humore in semine existente folia nutriri possint, rumpitur inferne semen, itemque folia, & semen à foliis coactum vim suam ad inferna demittit, quæ videlicet in ipso reflat propter grauitatem, & fiunt radices ex foliis distenta. Postquam autem plantaiam firmiter radices inferne egerit, & alimentum à terra sumit; tunc C

sanè totum euaneſcit, & in plantam conſumitur præter corticem, qui ſolidiſſimus exiſtit. Rurſus autem cortex in terra putrefactus progreſſu temporis euanidus fit, & quædam folia ramos producunt. Ex ſemine itaque tamquam ex humido nata planta donec quidem tenera, & aquoſa fuerit in augmentum ſuperne, as inferne procedens fructum excludere non poteſt: non enim dum habet fortem, ac pinguem, & qua ſemen condenſari queat. Vbi verò ſolidior facta eſt, & progreſſu temporis radices egerit, tunc iam & venas habet amplas, tum ad ſupernam, tum ad infernam partem, & tunc ſanè non amplius aquoſum ex terra trahit alimentum, ſed craſſius, & pinguius, ac copioſius, quod calfactum a ſole efferueſcit in extremitates, & ſit fructus iuxta cognationem, ex quali etiam generatus eſt. Multum autem ex modico propterea ſit, quod ſingula ex terra naſcentia, maiorem vim ex terra, quam ex eo vnde generata ſunt, trahunt, & efferueſcunt, non ſecundum vnum, ſed ſecundum multa. Quum autem fructus proderit: a planta ſua nutritur: planta eundem terra trahens fructus tranſmittit: ſel autem fructum coquit, & ſolidum facit, quod aquoſius in ipſo eſt ad ſeſe trahens. Hactenus Hippocrates, cuius ſermonem hic regiſtrare volui, quoniam ad humani ſeminis, & fœtus productionem plurimum confert; ſemper enim Hippocrates collationem facit ſeminis in terram proiecti, ex quo arbores, & plantæ naſcuntur, ad hominis generationem ex ipſo in vtero concepto ſemine. Porrò tantò re vera maior eſt humani ſeminis admiratio, quantò eſt omni planta nobilior homo. Omnem quippe ſuperat intelligentiam, quomodo ex fragili humore, ex paucula ſubſtantia, ex modico excremento, ex leui ſpuma vegetet animal diuinum, aliorum omnium norma; exurgat, viuatque humana ſpecies, quæ Deo ratione propius accedit. Vt proinde non iniuria putarint alij, ſeminis facultatem a Deo peculiari quodam regi concurſu: alij eiuſdem calorem, non quidem elementarem, ſed prorſus ætherium eſſe iuxta illud Maronis 6. Eneidos.

Cœleſtis origo ſeminibus.

Haud enim induci poſſunt, vt credant, ab elementari calore admiranda Generationis opificia patrari poſſe. Verùm hæc lucidiùs, & ex profeſſo agitabimus infra, dum varijs quæſtionibus exactam ſeminis naturam, atque intimas captabimus proprietates.

CAPVT I.

Quid ſit ſemen ex Principum Philoſophorum dictis, & an differat a Genitura.

QVI non definit, non intelligit; protinus ergo à definitione inchoandum eſt, vt ſeminis naturam aſſequamur medullitus. Porrò apud Philoſophos, & Medicos plures extant ſeminis definitiones, aut potius deſcriptiones, quas hic recenſitas examinabimus. Pythagoras, vt à philoſophantium exordiar maximis, ſemen definiens dixerat, illud eſſe *ſanguinis probiſſimi ſpumam*; ſic legitur apud Plutarchum de Philoſophorum hiſtoria. Alcmeon *cerebri portionem* appellabat: Epicurus *animæ, & corporis fragmentum*: Plato *ſpinalis medullæ effluuium*. Atque huiuſmodi omnes definitiones impetu ſectæ vndique procedunt, ſolumque materialem delineant cauſam. Nec paucæ meliores.

Zeno Cittieus ſtoicæ ſectæ auctor & princeps, tali pacto ſemen definiit: *Semen eſt hominis abſtractum, ac maiorum Generis miſtura, quod homo cum anima parte humida tranſmittit, vtique tale exiſtens, quale id a quo excretum eſt.* Singulas ingenij lancè libremus orationis particulas.

Dicitur in primis *(abſtractum)* quoniam ſemen eſt quoddam inſtrumentum, quod auulſum, & ſeparatum ab homine in huius virtute, obram, qua imbutum eſt ſcientiam, & energiam in vteri congrua regione ſimile producit. Siquidem omne inſtrumentum ſiue auulſum, ſiue coniunctum in Agentis primarij virtute operatur, vt communis eſt Philoſophorum opinio.

Maiorum generis miſtura. Quandoquidem ſemen quodlibet ſuum ſecum genus, ſuam ſpeciem, ſuas tincturas, quinimmo delineaturam, ac mores, atque etiam interdum quorundam accidentia, affectuſque gentilitios. Sic hominis ſemen hominem, Leonis Leonem, Pardi Pardum effingit cum ſua effigie, & ritu, inſtinctu ſuo, proprijſque affectionibus. Ita vt plurimum venuſti venuſtos, ſani ſanos, morbis morbo ſos producunt, ideoque Hippocrates *Omne animal ſecundum parentes naſcitur.*

Cum anima parte humida. Hoc eſt cum vitali nectare, balſamo, rore, elixir, atque ſpiritibus, quos veteres vel eſſe animam ipſam, vel non abſque anima exiſtimarunt. Nempe vel magnus Hippocrates cum 1. de Diæta, tum alibi vitale hoc principium animæ nomine appellitat. Et his verbis inſinuatas præſertim ſeminis facultas, qua quidem non in ſuo-

lio, ac tenaci seminis apparente humore consistit; sed in spiritu, & mechanica scientia, vt abundè in primo exarauimus libro; vt iccirco semen, quod his architectonicis spiritibus est denudatum, sit inutile prorsus, & infœcundum. Sed pari lance librentur cætera hæc. (*Tale exilient, quale id à quo excretum est.*) Postremis his verbis significatur semen actu quidem haud esse animatum, sed potentia tantùm. Porrò prima seminum diuersoria, obscura sunt, infœcunda, & penè mortua, ideoque Orphæus cum priscis Theologis eadem appellabat tenebras, noctem, orcum, abyssum. At non ita citò in destinato loco debitum nanciscuntur alimentum, quod de tenebris ad lucem, de nocte ad diem, de orco ad auram, & vno verbo de morte ad vitam transmigrant. Sic videmus cerealia semina extra terreum sòlum squallida, otiosa, ac penè extincta persistere; verùm vbi primùm tellure madida obruuntur proprio concepto alimento, miro modo solia, frutices, flores, fructusque promunt vndique, & omnino de otio ad negotium, de squallido ad rorem vitalem, deque inanimato ad animam procedunt. Admirabilem hanc seminum progressionem insinuat Hippocrates 1. de Diæta obscurè nimis, & sub enigmate ijs verbis: *Nihil fit, quod prius non erat, neque quicquam perit, sed permixta, & discreta alterantur. Homines verò opinantur hoc ex Orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in Orcum imminutum perire, ac corrumpi.* & inferius. *Lux Ioui, tenebræ Orco; lux Orco, tenebræ Ioui. Accedunt, & transmutantur illa huc, hæc illuc. Omni tempore transfigunt illa res horum, hæc autem illorum, & quæ quidem faciunt, non sciunt, quæ verò faciunt, scire sibi videntur, & quæ vident non cognoscunt: at amen omnia ipsis fiunt per diuinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ non volunt.* Profectò vix alter Oedipus hæc declararet. Hermeticam Scholam, lector, si consulas, reuelabitur tibi mysterium.

Galenus 2. de semine naturam illius delineans dixerat, esse sanguinem accuratè percoctum à vasis continentibus ipsum. Verùm huiusmodi descriptio, pace summi viri dicatur, seminis naturam ruditer nimis explicat; quandoquidem illius duntaxat materiam ex qua, non formam, nec finem aperit; quinimmo eadem ipsa definitio etiam lecti congruè aperiri posset, quod nimirum & ipsum sanguis est accuratè percoctus à vasis continentibus ipsum.

Auctor, quisquis ille fuerit medicarum definitionum apud Galenum semen tali pacto definiendum censuit, vt nimirum sit *humor in vasis, quæ à tessibus oriuntur contentus, calido spiritu conflans, ex quo nasci hominem licet.* Et hæc, me arbitro, satis est naturæ seminiaccommodata descriptio; quandoquidem licet seminalis materia & in venis, & in alijs meatibus contineatur; illud nihilominus est solummodo Generationi expediens, quod in vasis à testibus, vbi exactè perficitur, orinndis detinetur. Additur (*calido spiritu conflans*) vt instituetur formalis causa, facultas, & scientia seminis, vt enim repetitum sæpius est, semen spiritibus orbatum nullam ad humanæ Generationi liturgiam vtilitatem obtinet. Dicitur postremò (*ex quo nasci hominem licet*, vt finalis indigitetur causa; & sic numeris omnibus absolutæ videri hæc descriptio debet.

Hermetici satis congruam & ipsi seminis definitionem proprijs terminis adducunt, & est: *Semen est vitale principium in se continens spiritus mechanicos, & tincturas vniuersæ anatomiæ propriæ speciei, quibus suum sibi fabricant corpus, colores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras, reliquas signaturas consentaneas officijs, & prædestinationibus prædictorum spirituum, & rei producendæ.* Vide Petrum Senerinum Danum in Idea medicinæ philosophicæ, qui profundiori philosophia rem totam percurrit.

Vniuersa Peripateticorum, & Medicorum Schola semen vnanimi placito describens ait, esse vtilem superfluitatem vltimi alimenti sanguinei in partes distributi. Et hæc quoque descriptio, vti quæ ex Galeno relata fuit, materialem duntaxat complectitur causam.

Verum enimuerò ingeniosus quispiam scisciatabitur, cur ab Hippocrate, & Aristotele nullibi semen adæquatè definitum fuerit, cùm vterque tamen de huiusmodi substantia ex professo egerit; Hippocrates quidem in libello de Genitura, & alibi: Aristoteles 2. de Generatione animalium, alijsque locis, in quibus simplici quadam ratione rem adeò mirificam describunt. Profectò, vt mea fert sententia, tanti viri licet scientiarum omnium prædio cumulatissimi, seminis eximiam, & admirabilem naturam nequaquam ausi sunt definitionis limitibus coarctare. Quippe illud res est, adeò in naturæ Oceano miraculosa, vsqueadeo humanam superat capacitatem, vt prudentes hi Speculatores silentio potius inuoluendum, quam temerè, & iniquè definiendum existimarint. Quis Deum definiat? Cuius naturam ex Dionysij mandato quidam Sophos definiturus, cùm plures, ac plures dies mentis acie niteretur, tandem longiori contemplatione in dies confusus, & mentis præstrictus lumine pronunciauit, se, quò plus animæ intenderet aciem, eo minus intelligere. Haud sanè mirum, vt enim se habent nyctycoracis oculi ad Solis iubar, teste Diagnosta, sic intellectus humanus ad ea, quæ sunt in na-

CAPVT VII.

An in statu Innocentiæ integritas virginalis ex viri commixtione, & seminis receptione corrupta fuisset.

DIVVS Augustinus libro 14. de Ciuitate Dei sentit, futurum fuisse in statu Innocentiæ, vt conciperet mulier absque vlla muliebris genitalis corruptione, & omnino absque hymenis fractione; verba textus lubet apponere. *In tanta facilitate rerum, & fœlicitate hominum absit vt fuspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluptatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera, & sine ardoris illecebri stimulo cum tranquillitate animi, & corporis nulla corruptione integritatis infunderet gremio maritus vxoris. Neque enim quia experientia probari non potest, ideo credendum non est; quando illas corporis partes non ageret turpidus calor, sed spontanea potestas, sicuti opus esset, adhiberet, ita tunc potuisset vtero coniugis salua integritate fœminei genitalis virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero virginis fluxus menstrui cruoris emitti; eadem quippe via posset illud inijci, qua hoc potest ejici.* Hactenus Diuus Augustinus, cui videtur astipulari Diuus Thomas in prima quæstione 98. articulo 2. vbi vel ipsa Augustini verba resumens hæc habet. *Sicut in illo statu nulla corruptione integritatis infunderet gremio maritus vxoris; ita potuit vtero coniugis salua integritate fœminei genitalis semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero virginis fluxus menstrui cruoris emitti.* Conueniunt in hac opinione Pererius libro supra Geneſim, & Molina de opere ſex dierum diſput. 29.

Verùm enimuerò huiuſmodi opinio non leuem habet difficultatem, niſi forte cùm Seraphico Bonauentura dicamus in 2. ſentent. diſtinct. 20. quòd integritatis corruptio tria dicit, clauſtrorum ſcilicet muliebrium apertionem, pœnalem paſſionem, & fœdam delectationem; quorum primum eſt naturæ, alterum eſt pœnæ, tertium verò eſt corruptionis vitioſæ, quæ medium tenet inter culpam, & pœnam; Si igitur vir cognouiſſet vxorem in tempore inſtitutæ naturæ, fuiſſet ibi clauſtrorum apertio, non tamen ibi fuiſſet pœnalis paſſio, nec fœda delectatio; quia vis generatiua nec eſſet tunc corrupta, nec infecta. At Ægidius Romanus omni vera, & luculentiſſima doctrina refertiſſimus nititur tueri Diuum Auguſtinum, affertque ideo ſententiam & ingenioſam, ſimulque probabilem, & ſcitu pulcherrimam; inquit enim, quòd in ſtatu Innocentiæ fuiſſet virginitas mentalis, quia nulla extitiſſet fœda concupiſcentia; fuiſſet etiam corporalis, quia poſt actum Venereum abrupta membrana virginis coaluiſſet integrè; nam ſicuti partes muliebres in partu relaxatæ poſt partum reintegrantur nullo veſtigio apparente; ſic poſt copulam carnalem repullulaſſet hymen, vt vocant, adeò vt nulla futura fuiſſet diſtinctio eius genitalis à genitali virginis, nec pregnans dignoſci potuiſſet alia re, quàm corporis, & vteri mole; ſic habet in 2. ſentent. diſtinctione 20. queſtione 1. articulo 2. in dubitatione prima laterali.

Si diceres contra Ægidium, quòd ſic in omni generatione, & commixtione diſrupta fuiſſet membranula, & conſequenter doluiſſet ſemper mulier. Reſponderem ilicet, diſruptam quidem fuiſſe, at non ex eo triſtem ſenſationem expertura fuiſſe mulierem, quoniam dolor fuit pœna peccati: ante peccatum nullus omnino futurus fuiſſet doloris ſenſus; ſiquidem poſt culpam inculcata fuit ſententia illa, *In dolore paries*. Inſtabis ad quem finem natura ſic ſollicitè integraſſet panniculum hunc diſruptum, ſiue dicas violatum virginitatis caryophillum? Dixerim, & ad maiorem voluptatem, & ad hoc, vt corpus vndequaque integrum ſeruatum fuiſſet; de ratione ſiquidem perfectionis eſt, vt corpus nulla, vel minima particula diſiunctum ſit. Argues adhuc: decantata eſt Hippocratis ſententia, quòd membrana quæque diſciſſa non coaleſcit, quomodo igitur in illo ſtatu hymen ſemel, & bis diſruptus toties coaluiſſet? Namque in ſtatu illo, quæ ſunt ex natura perſtitiſſent, nec ea, quæ conueniunt ex origine, immutata fuiſſent. Ad hoc reſponſum velim, quòd in ſtatu Innocentiæ perſtitiſſent vtique omnia, quæ naturæ conueniunt, dummodo imperfectionem non arguiſſent; at procul exulaſſent quæcunque vel minimum redoluiſſent vitium. Quid profectò magis eſt ſecundum naturam, quidue magis ob materiam naturæ humanæ competit, quàm mors? Et nihilominus in illo fœlicitatis promptuario vita vigens floruiſſet perpetuò. Quid magis humano corpori proximum, quàm intemperie premi ob elementorum, ex quibus coaleſcit, contrarietatem, & pugnam, vnde in præſentiarum mille morbis afflictatur? Attamen in ſtatu illo omnium bonorum aggregatione perfecto nullis curis, nullis febribus, nulli prorſus ægritudini obnoxia fuiſſet natura. Igitur multò magis vendicare potuiſſet humanum corpus à partium, vel minimarum diuiſione. Igitur Diui Egidij opinio non eſt, cur reprehendatur, ſed vt ingenioſa recipienda, & laudanda potius.

CA-

CAPVT VIII.

An, & quomodo verum sit, mulierem præcipuo amore virum prosequi, qui eam defloraverit, vbi coniugalis amoris eximia recuduntur monumenta.

OMNIBVS quotquot viris mulier in Veneris palestra commiscetur, ingentideuincitur amore, aut saltem tacita quadam inauctoratur beneuolentia, ob sanguinis nimirum commixtionem, qua veluti quodam insolubili vinculo necti, & arctari videntur ambo; vt ideo non rarò contingat, coniugem prius exosam virum statim quàm sese subiecerit illi, odium in æstuantem amorem iucundissimè transmutare. At verò illum qui suæ virginitatis florem excerpserit, non amare modò, verùm deperire creduntur mulieres omnes; tantus est amoris nexus, quo etiam tum inflammantur in virum. Significauit, ni fallor, id nobis Dido in primis apud Maronem 4. Eneidos ijs verbis.

Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetque sepulchro.

Scilicet his vocibus flagrantem erga Sichæum Amorem, cui iuuentæ, ac virginitatis florem præstiterat, Regina propalat. Ita prorsus apud Ouidium in Epistolis Oeno ad Paridem scribens acclamabat.

Me fide conspicuus Troiæ munitor amauit,
Ille meæ spolium virginitatis habet.

Quibus ostendit, quàm cupido animo memoriam seruet illius, à quo pudoris flos primus lectus fuerat. Quamobrem verò tantus erga suum florilegum concilietur amor in muliebri pectore, hic nobis inuestigandum erit; & quidem vnusquisque alta mente reponit, candidisque, vt aiunt, notat lapillis peculiarem aliquam boni, vel iucundi fruitionem; cuius quippe phantasmata tenaci seruantur memoria: quantò enim res quæpiam fortius apprehenditur, tantò reconditur firmius, ac fidelius asseruatur; Atqui mulier indelebili caractere signans potissimæ suæ voluptatis originem, maximæque iucunditatis dulcorem, illius videlicet, quam in primis amplexibus delibauit; non potest nisi ualde diligere uirum, qui primas dulcedinis ministrauit crateras, ac prima tulit amoris libamina; quæ cordi, animoque adeò hærere fixa, ut nulla temporis iniuria, nulla mentis agitatione, nulloque alio iucundo occursu aut obscurari, aut aboleri ualeant; sed altiores indies figunt in corde radices: quandoquidem indies in men-

A rem uenit primi illius congressus, amplexus, complexus: quotidie mens perlustrat exubrantem illum illecebrarum torrentem, plenamque sensuum suauitatem: iugiter, ne dicam perpetuò feruidos recenset cupidinis motus, oscula, uerba, lasciuosque impetus illius primæ noctis; quò pertinet illud Propertij 1. Eleg.

O noctem meminisse mihi iucunda voluptas;
O quoties votis illa uocanda meis.

Enimuerò primæ tantùm Veneris mensæ dulcissimæ degustari solent; quę frequentantur assuetudine uilescunt, immo aliquando & amarescunt non citra nauseam.

B Cęterùm cùm noua quęlibet magis delectent, ut uulgaris est paroemia, fit ex eo, ut erga eum uirum, qui memorabilis fuit auctor nouitatis amore deuinciatur magis, quàm erga quemlibet alium, cui fortè succumbat postea, cum quo tanta non mulcebitur uoluptate; ut enim in Ethicis habet Aristotèles quędam delectant noua, quæ postea non similiter delectant, ex consuetudine, ut puto, quę sicut passioni derogat, ita & uoluptati. Adhuc magnus in eum debet amor concipi, apud quem primi pudoris uincula soluta fuerint; uti enim Plato sapientissimus omnium dicebat, pudor prosequitur amorem; & proprij pudoris habenas cuipiam soluere, magni est amoris argumentum. Mirum inde non erit, si mulier amasium primum, apud quem uerecundiam sequestrauit, beneuolo animo intensius prosequatur. Quòrité etiam pertinere arbitror illud ejusdem Didonis.

C *Agnosco veteris vestigia flammæ*
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam.

Rursum omnia primordia rerum, atque primitias chariores, atque iucundiores existimamus (quas ideo Cybele Deorum mater sibi reseruari uolebat) necnon ad easdem mens conuertitur diutius, sibique magis imprimit. Quocirca primus amor, primę nuptię, nisi nimium dispares, occursus primus, munera prima e mente nunquam decidunt; non est ergo mirandum, si mulier forti apud uirum afficitur amore, à quo Veneris primitias, primaD lunonis munera, primumque uoluptatis delicium èxhausit; cùm præsertim primo illo complexu, dum æstuant animi, dum feruet amor, dum uiget cupiditas, dum micant spiritus, dumque Venus ardet, maior fiat, perfectaque magis miscela sanguinis, à quo efficax procedit beneuolę affectionis affectus. Et est profectò tantus, qui contrahitur amor erga con-

SYLLABVS TRACTATVVM, ET CAPITVM

quæ in præcedente Quarto libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De natura, situ, conformatione, aptitudine, conspiratione, & motu muliebris conceptaculi, necnon de quibusdam præter naturam affectibus, qui pudendo, uteroque adnascuntur. 497.

Cap. I. *Muliebrium Genitalium compendiosa per singulas partes diagraphia.* 499.

Cap. II. *An uterus sit in fœminis necessarius ad vitam, vt ad Generationem.* 503.

Cap. III. *An fœminæ omnes cuiuscunque speciei uterum habeant, & an simili, vel diuerso modo, ac situ.* 505.

Cap. IV. *Quid præstet uterus in generatione, & num in ipsa fœtus formatione vim vllam efficientem obtineat.* 507.

Cap. V. *Qualem temperaturam ad concipiendum exigat uterus.* 509.

Cap. VI. *De uteri discrasia, atque imbecillitate, vbi plenius præfata Hippocratis doctrina elucidatur.* 511.

Cap. VII. *De Vteri nimia extenuatione, seu gracilitate.* 516.

Cap. VIII. *De utero adiposo, atque orificij pinguedine.* 518.

Cap. IX. *De Hydrope uteri.* 521.

Cap. X. *De uteri ascensu, vbi de motu eiusdem breuiter determinatur.* 525.

Cap. XI. *De uteri prolapsu, atque distortione.* 528.

Cap. XII. *De Atretis, siue de muliebri clausura, eiusque curatione.* 532.

Cap. XIII. *De clitoride seu muliebri pseudouirga, vbi de nympha, ac nymphotomia.* 535.

Cap. XIV. *De ratione coarctandi vas Genitale amplum nimis, & pudendi interpolandi.* 538.

TRACTATVS SECVNDVS.

De flore virgineo, ac defloratione accidentibus. 543.

Cap. I. *Quid sit illud, quod in primo Veneris congressu mulieribus abrumpitur, vbi de Virginitatis insignibus.* 543.

Cap. II. *An per Hymenis præsentiam sufficienter virginitas comprobetur.* 547.

Cap. III. *An, & qua ratione flore virgineo incorrupto mulier aliquando concipere valeat.* 551.

Cap. IV. *An virgines absque viri consortio intrinseca, aut extrinseca aliqua causa deflorari valeant.* 555.

Cap. V. *An sint aliqua corruptæ virginitatis externa indicia.* 556.

Cap. VI. *Num per lac mammillarum, & immutatum papillarum colorem certa virginitatis corruptio designetur.* 560.

Cap·

Digitized by Google

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER QVINTVS.

De Semine humanæ Generationis Opifice, eiuſque accidentibus.

Ad Illuſtriſsimum, & Excellentiſs. D.

D. SCIPIONEM GONZAGAM

Ducem Sablonetæ, Principem Bozzoli, Ex Marchionibus Mantuæ Marchionem Oſtiani, Comitem Pomponeſci, &c. Olim apud Vrbanum VIII. Pont. Max. Oratorem Cæſareum.

INNVMERA, atque ampliſſima, quibus me deuinxiſti beneficia, Excellentiſſime Princeps, nullo vnquam tempore ſinunt, me alto ſilentio ipſa inuoluere; ſed cogunt indies elatis vocibus, vbicunque occaſio fertur, profiteri, aut etiam proclamare. Ab eo enim die, quo me in tuæ valetudinis curatorem Romæ aſciuiſti, in clientelam pariter ſuſcepiſti; adeo vt nouis quotidie fauoribus locupletaueris, maioribus iugiter honoribus auxeris; & vt vnum inſtar omnium e tot, tantiſque recenſeam obiter: Te ſolo patrocinante cathedram in hoc Almæ Vrbis Archigymnaſio adeptus

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER QVINTVS.

De Semine humanæ Generationis Opifice, eiusque Accidentibus.

PROEMIVM.

CONSTRVCTIS, & conformatis instrumentis, quæ humanæ liturgiæ deseruire affabrè valeant; consequens est ex ordine, vt eiusdem efficientem causam percurramus, quatenus absolutum omni ex parte exantletur opus. Cùm enim in primo libro pedurgiæ finalem tractauerimus causam: In secundo de eiusdem principijs, nempe viro, & muliere locuti simus: In tertio, & quarto de concinnis vtriusque Genitalibus instrumentis abundè egerimus; causarum series exposcebat, vti efficiens inquinto, materialis in sexto libro tandem proponeretur. Opifex est semen, materia menstruum; Illud principium à quo, hoc verò principium ex quo; illud agit; hoc patitur; illud format; hoc informatur; illud animam brutã; hoc præstat corpus; Illud iccirco diuinum putatum: hoc terrenum. Quo circa de semine prius, vt eius præstantia postulat, agemus; mox de menstruo sanguine. Erunt autem in lib hoc bini tractatus. In 1. de seminis ipsius substantia, qualitate, spiritibus, & energia quæstiones instituemus. In secundo de morbosis prolifici humoris accidentibus agetur plenius.

TRACTATVS PRIMVS.

De seminis admirabili natura, progressu, spiritu, scientia, atque tinctura.

NATVRA prouida, æternitatis auida, rerum omnium creaturarum subsistentiæ consulens cunctis animantibus, ac præsertim hominibus quandam indidit humiditatem spiritibus turgidam, mechanica scientia præditam, mole paruam, energia maximam, quam vocamus proprio nomine Geniturã; quæ vbi primum apto miscetur sanguini, statim eiusdem speciei dipingit animal. Mirum sane rei tantulæ, tamque fragili fortem adeo inhærere virtutem! Paruula, vilia, aridaque ferè iaciuntur in agris semina, & non multò post intima, & arcana excitata vi, apparent germina, frutices, folia, flores, fructus. Vbi amabo magis diuina refulget potentia? Quod opus naturæ magis polydædalum? Hoc sanè magisterium, & excellens opificium si cui penitius contemplari placeat, Hippocratem de natura pueri sic dicentem audiat.

Etenim semen vbi dictum fuerit in terram humiditate quadam ab ipsa impletur; habet enim in se terra omnigenum humorem, vt nascentia nutrire possit: impletum autem humore semen inflatur, & intumescit: & vis quæ in semine ieiunissima est ab humore condensari cogitur: condensata autem à spiritu vis, & humore foliã producente semen rumpit, & primum folia foras emergunt. Vbi verò emerserint cùm non amplius ab humore in semine existente folia nutriri possint, rumpitur inferne semen, itemque folia, & semen à foliis coactum vim suam ad inferna demittit, quæ videlicet in ipso restat propter grauitatem, & fiunt radices ex foliis distenta. Postquam autem planta iam firmiter radices inferne egerit, & alimentum à terra sumit; tunc sa-

lio, ac tenaci seminis apparente humore consistit; sed in spiritu, & mechanica scientia, vt abundè in primo exarauimus libro; vt iccirco semen, quod his architectonicis spiritibus est denudatum, sit inutile prorsus, & infœcundum. Sed pari lance librentur cætera hæc. *(Tale exiliens, quale id à quo excretum est.)* Postremis his verbis significatur semen actu quidem haud esse animatum, sed potentia tantùm. Porrò prima seminum diuersoria, obscura sunt, infœcunda, & penè mortua, ideoque Orphæus cum priscis Theologis eadem appellabat tenebras, noctem, orcum, abyssum. At non ita citò in destinato loco debitum nanciscuntur alimentum, quod de tenebris ad lucem, de nocte ad diem, de orco ad auram, & vno verbo de morte ad vitam transmigrant. Sic videmus cerealia semina extra terreum sòlum squallida, otiosa, ac penè extincta persistere; verùm vbi primùm tellure madida obruuntur proprio concepto alimento, miro modo folia, frutices, flores, fructusque promunt vndique, & omnino de otio ad negotium, de squallido ad torem vitalem, deque inanimato ad animam procedunt. Admirabilem hanc seminum progressionem insinuat Hippocrates 1. de Dæta obscurè nimis, & sub enigmate ijs verbis: *Nihil fit, quod prius non erat, neque quicquam perit, sed permista, & discreta alterantur. Homines verò opinantur hoc ex Orco in lucem auctum generari, illud verò ex luce in Orcum imminutum perire, ac corrumpi.* & inferius. *Lux Ioui, tenebræ Orco; lux Orco, tenebræ Ioui. Accedunt, & transmutantur illa huc, hæc illuc. Omni tempore transigunt illa res horum, hæc autem illorum, & quæ quidem faciunt, non sciunt, quæ verò faciunt, scire sibi videntur, & quæ vident non cognoscunt: attamen omnia ipsis fiunt per diuinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ non volunt.* Profectò vix aliter Oedipus hæc declararet. Hermeticam Scholam, lector, si consulas, reuelabitur tibi mysterium.

Galenus 2. de semine naturam illius delineans dixerat, esse sanguinem accuratè percoctum à vasis continentibus ipsum. Verùm huiusmodi descriptio, pace summi viri dicatur, seminis naturam ruditer nimis explicat; quandoquidem illius duntaxat materiam ex qua, non formam, nec finem aperit; quinimmo eadem ipsa definitio etiam lacti congruè aptari posset, quod nimirum & ipsum sanguis est accuratè percoctus à vasis continentibus ipsum.

Auctor, quisquis ille fuerit medicarum definitionum apud Galenum semen tali pacto definiendum censuit, vt nimirum sit *humor in vasis, quæ à testibus oriuntur contentus, calido spiritu conflans, ex quo nasci hominem licet*

A Et hæc, me arbitro, satis est naturæ seminis accommodata descriptio; quandoquidem licet seminalis materia & in venis, & in alijs meatibus contineatur; illud nihilominus est solummodo Generationi expediens, quod in vasis à testibus, vbi exactè perficitur, oriundis detinetur. Additur *(calido spiritu conflans)* vt insinuetur formalis causa, facultas, & scientia seminis, vt enim repetitum sæpius est, semen spiritibus orbatum nullam ad humanæ Generationi liturgiam vtilitatem obtinet. Dicitur postremò *(ex quo nasci hominem licet,* vt finalis indigitetur causa; & sic numeris omnibus absoluta videri hæc descriptio debet.

Hermetici satis congruam & ipsi seminis definitionem proprijs terminis adducunt, & est: *Semen est vitale principium in se continens spiritus mechanicos, & tincturas vniuersæ anatomiæ propriæ speciei, quibus suum sibi fabricant corpus, colores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras, reliquas signaturas consentaneas officijs, & prædestinationibus prædictorum spirituum, & rei producendæ.* Vide Petrum Severinum Danum in Idea medicinæ philosophicæ, qui profundiori philosophia rem totam percurrit.

Vniuersa Peripateticorum, & Medicorum Schola semen vnanimi placito describens ait, esse vtilem superfluitatem vltimi alimenti sanguinei in partes distributi. Et hæc quoque descriptio, vti quæ ex Galeno relata fuit, materialem duntaxat complectitur causam.

Verum enimuerò ingeniosus quispiam scisciC tabitur, cur ab Hippocrate, & Aristotele nullibi semen adæquatè definitum fuerit, cùm vterque tamen de huiusmodi substantia ex professo egerit; Hippocrates quidem in libello de Genitura, & alibi: Aristoteles 2. de Generatione animalium, alijsque locis, in quibus simplici quadam ratione rem adeò mirificam describunt. Profectò, vt mea fert sententia, tanti viri licet scientiarum omnium prædio cumulatissimi, seminis eximiam, & admirabilem naturam nequaquam ausi sunt definitionis limitibus coarctare. Quippe illud res est, adeò in naturæ D Oceano miraculosa, vsqueadeo humanam superat capacitatem, vt prudentes hi Speculatores silentio potius inuoluendum, quam temerè, & iniquè definiendum existimarint. Quis Deum definiat? Cuius naturam ex Dionysij mandato quidam Sophos definiturus, cùm plures, ac plures dies mentis acie niteretur, tandem longiori contemplatione in dies confusus, & mentis præstrictus lumine pronunciauit, se, quò plus animæ intenderet aciem, eo minus intelligere. Haud sanè mirum, vt enim se habent nyctycoracis oculi ad Solis iubar, teste Diagnoste, sic intellectus humanus ad ea, quæ sunt in na-

Digitized by Google

tura vniuersalissima. Modò semen est ipsius naturæ vniuersalissimum, ac principalissimum instrumentum, quo illa immortalitatis auida, tamquam vnico suffragio suæ consulit perennitati: vel potius est æterni Plasmatoris ærarium ad naturæ propagationem, & vniuersi conseruationem amplissimè paratum; siquidem absque seminum indeficienti thesauro in nihilum breui redigerentur viuentia cuncta, nec eorundem reuiuiscerent species; quocirca meritò ab aliquibus nuncupatum fuit semen *Specierum promptuarium*; Immo Paracelsicæ Scholæ discipuli palàm profitentur, reperiri in natura præstantiorem quandam materiam potentiotibus signaturis, & qualitatibus ornatam, quæ caducam, & momentaneam indiuiduorum naturam stabili specierum conseruatione ab interitu tueretur, diuiniorisque naturæ participationum rationum ordinatas signaturas in Generationum liturgia dispensaret; & hanc vario nomine vocitarunt, vtpotè *Balsamum, Mumiam, Mercurium, Quintam essentiam, Arcanum, Elixir, Materiam perlatam, & Mannam*, quæ omnia seminis nomine vnico verbo apud nos complecterentur. Atqui hæc quoad definitionem satis.

Iam secundo ordine in quæstionem ducitur, an semen, & genitura idem sonent, aut in quo differant. Enimuerò semen latius patet, quàm genitura; nam illud plantis quoque & insectis accommodatur; genitura verò solummodo est generationis principium in solis perfectis animantibus, atque in iis, quæ natura ad Veneream coniunctionem destinauit. Doctrina est Aristotelis 1. de Generatione Animalium, vbi discrimen his verbis enunciat: *Genitura igitur id vocatur, quod à Generante prouenions, causa est, quæ prima obtineat principium generationis, videlicet in iis, quæ coire natura voluit. Semen autem est, quod ex ambobus coeuntibus illis originem trahit, quale semen plantarum omnium est, animalium nonnullorum, in quibus sexus distinctus non est.* Et ob hanc rationem semen similiter dici poterit mixtura, quę ex genitura maris, & fœminæ intra vterum ad conceptum efficitur; quod etiam præcitato loco videtur annuisse Aristoteles, qui subiunxit: *Velut id, quod ex mare, & fœmina primum miscetur, quasi conceptus promiscuus quidam, aut animal; hæc enim iam habent, quod ex ambobus requiritur.*

Ex dictis duo hæc veluti consectaria legantur. Primum quidem ex semine, non ex genitura, plantas, ac stirpes prouenire, necnon etiam imperfecta quælibet viuentia, vt vermes, locustas, bombyces, formicas, quæ ex cagastro produci dicerent Theophrastei, ex putri materia Aristotelici. Secundum ex genitura perfecta omnia ortum ducere tamquam ex Iliastro, & mouente principio, licet, vt infra dicetur, semen actiuè simul, ac passiuè ad generationem conueniat.

CAPVT II.

De substantia, & qualitate seminis, vbi magni Hippocratis, & Aristotelis obscura quædam reuelantur oracula.

CVM primo de Generatione animalium Aristoteles capite 18. & post eum plerique & Medici, & Philosophi asseuerent, semen nihil aliud esse, quàm vltimi alimenti vtile excrementum; haud ab re futurum fore arbitror, hic post allatas definitiones perspicuo sermone declarare, quod, & quale excrementum sit semen. Quod vt planius intelligatur supponendum in primis erit, triplicem esse coctionem, primariam, quæ in ventriculo celebratur: secundariam quæ in hepate, & venis; tertiam denique, quæ in ipsis particulis, quæ nutriuntur elaboratur.

Præsciendum insuper erit, singulis ex his coctionibus prop ia inesse excrementa, quædam videlicet vtilia; inutilia quædam. Vtilia dicuntur, quæ in aliquem naturæ vsum, ac beneficium excernuntur; inutilia verò, quæ nihil naturæ ipsi commodant. Primi ordinis excrementa (de inutilibus enim non est sermo) est pituita in primis, quæ primariæ coctionis residuum est: hæc namque vtilitatis cuiusdam consors existit: nam vel sola, vel cibo permista perfectum quodque viuens alere potest, imperm xta verò, atque sincera infecta, & imperfecta quædam nutrire, diuturno etiam tempore valet. Qua quidem ratione serpentes in suis meatibus tota hyeme delitescentes aluntur; Quin teste Aristotele 6. de animalium historia capite 30. vrsa quadraginta dierum spatio sine cibo latet, atque adeò per id tempus pinguescit, vt vix mouere se queat; & parimodo Glis non alitur modo, sed latius impinguatur iuxta illud venustissimi Poetæ in Xenijs.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Fertur insuper, in Brasilica regione auiculam reperiri, quæ rostro ex arbore suspenso absque pabulo veluti mortua viuat per sex integros menses. Ita quoque in historia Polonica Martini Cremerij legitur, nonnullas minores aues velut Cypselos, & hirundines implicitis inter se pedibus conglobatę in lacus, pu-

Digitized by Google

paludes, & piscinas sub hyemis initium sese immergere, ac verè nouo emergere; immo additur, Hyberno ipso tempore retibus a piscatoribus illas extrahi sine vllo sensu, & motu, mox ad ignem calefactas reuiuiscere. At non minoris admirationis sunt inediæ ab hominibus factæ, de quibus plena sunt monumenta. Laertius Diogenes de vita Philosophorum, Epimenidem Philosophum tradit, nunquam edere fuisse visum, sed quinquaginta, & septem annos perpetuò acquieuisse sopore. Petrus de Abano testatur, in Normandia sua tempestate mulierem extitisse, quæ per decem & nouem annos nihil cibi degustauit. Athenæus libro 2. Dipnosophistarum de Simonis amita refert, quod in spelunca vrsarum more quotannis bimestre tempus absque vllo alimento delitescebat. Euentus similes narrant Albertus Magnus, Sauonarola, Laurentius Ioubertus, & Polygraphi varij; quarum omnium inediarum causa primæ coctionis pituitoso excremento accepta referri debet, vt 7. de Animalibus Albertus opinatus est; non ferijs alticis animæ, vt placet præstantissimo nostri sæculi Philosopho Fortunio Liceto.

In secunda vtilium excrementorum serie recensentur bi is, & melancholia; illa namque id præstat, vt sua nimirum acrimonia intestina ad fœcum expulsionem irritet, quę rectentæ & colicam, & ileum, & lethalia centum immittere possent accidentia. Hæc autem sua stiptica, & acida qualitate os ventriculi corrugans, illud ad appetentiam excitat, ne longo ieiunio contabescat animal.

Tertio tandem loco inter vtilia excrementa numeratur semen ipsum; vbi enim solida membra opportunè suum ebibere nutricium succum, quod supereſt vltimæ coctionis nuncupatur excrementum; siquidem nulla post illam datur is vinente vlterior pepsis. Ita ergo excrementi nomine insignitur semen. Sed statim quis inquiret, cur totum hoc nutrimentum natura ipsa in solidarum partium alimentum non assimilet? Dicas, tantum assimilare, & apponere, quantum satis est, ne scilicet ex vberiori copia noxia plenitudo excitetur, aut in excedentem molem animantium excrescerent membra: cu liber namque rei paruitatis, & magnitudinis præscripti sunt a natura fines; vel totum iccirco in partium nutricatum non conuertit, vt inde Generationi, ac specierum perennitati consulat. Sed vt vnius Aristotelis auctoritate roboremus omnia, quæ in 1. de Generatione animalium capite 18. leguntur, hic registrare operæpretium arbitror; habet igitur. *Quodcunque in corpore accipimus, aut partem esse secundum naturam vel dissimilarem, vel similarem, necesse est: aut præter naturam, vt vel papulam, vel excrementum, vel*

A *colliquamentum, vel alimentum. Excrementum apellis relliquias alimenti. Colliquamentum quod ex incremento secernitur resolutione præter naturam. Sed nullam id esse partem vel similarem, vel dissimilarem apertum est: nihil enim ex eo quamuis similari constituitur, vt ex neruo, aut carne. Quoniam etiam cum cæteræ omnes partes separatæ sint, ipsum separatum non est, nec verè præter naturam est, neque naturæ oblesæ vitium, cum in omnibus insit, & natura ex eo ipso oriatur. Alimentum planè res aduentitia est. Itaque aut colliquamentum, aut excrementum esse, necesse est. Veteres quidem auctores opinari videntur id esse colliquamentum, quod enim ex toto fecedere*

B *propter motus calorem dicunt, vim habet colliquamenti; colliquamenta autem præter naturam sunt; nec quicquam secundum naturam oriri potest ex ijs, quæ præter naturam sunt. Excrementum igitur esse, necesse est. At omne excrementum aut alimenti inutilis est, aut vtilis. Inutile dico, a quo nihil præterea naturæ suppeditetur. Sed quo plus absumitur, & magis natura vitiatur, vtile contra. Sed enim non tale excrementum id esse constat, eo quod ijs, qui vel ætate, vel morbo pessime se habent genus hoc excrementi plurimum ineſt, semen minimè. Aut enim nullum omnino, aut non*

C *prolificum propter inutilis, ac morbidi excrementi permixtionem. Ergo vtilis excrementi pars aliqua semen est. Vtilissimum autem, quod vltimum est, & ex quo iam vnumquodque gignitur membrum; est enim tum prius, tum posterius. Primi igitur alimenti excrementum pituita est, & si quid aliud eiusmodi est, pituita enim alimenti vtilis excrementum est. Cuius rei indicium, quod permixtum cum cibo puro alere potest, & labore absumitur. Vltimum autem paruum admodum ex plurimo relinquitur alimento. Sed intelligendum pereximio augeri quotidie animalia, & plantas. nam nisi ita esset additione pluris eadem vel minima modum excederent magnitudinis. Igitur contra quàm veteres putarunt dicendum est.*

D *Cùm enim illi, quod ex toto secedat semen esse, fateantur, non quod ad totum suapte natura faciat, semen esse fatebimur; cumque illi colliquamentum dicant, nos excrementum potius esse statuimus; quod enim vltimum accedat, & excrementum vltimi sit id simile esse probabilius est: perinde vt picloribus sæpenumero aliquid andriceli, ideli purpurissi remanet, simile eiut, quod consumpserint. Tabescens autem, quodque, & colliquescens corrumpitur, & degenerat: Argumentum non colliquamentum, sed excrementum potius esse illud est, quod animalia magni incrementi minus fœcunda, parua fœcundissima sunt: plus enim colliquamenti esse in magnis necesse est, sed minus excremen-*

ti

ti quippe cum in corpus magnum copia absumitur alimenti; itaque parum fit excrementi. Item locus secundum naturam nullus colliquamento datus est; sed fluit quocunque facilius ferri potest. At naturalibus excrementis omnibus locus præscriptus est; verbi gratia alimenti sicci excrementis aluus, humidi vesica, vtilis ventriculus, seminalis vterus, genitale, mamma; in ea enim loca se colligunt, atque consluunt. Hactenus Aristoteles, qui fortissimis rationibus, & magno consilio rem prosecutus est, vt vix quicquam addi posse videatur, si diligenti examine verba perpendantur.

Age iam quale sit hoc excrementum, quaue temperie præditum, aperiamus. Omnes quot quot in corpore reperiuntur humores, quamuis etherogenei, vnum tamen à prædominio redolent elementum, à quo denominationem ducunt; sic bilis ignea, melancholia terrea, phlegma aqueum, sanguis aereus præcipua nomenclatura vocitantur. Modò semen cum e sanguine celebriori coctione adæquato originem trahat; inde est, quòd illius substantia magis elaborata, necnon a fecibus, terrenisque excrementis exactè repurgata, aerea, & spirituosa vndique redditur; vnde crassior, albidiorque euadit. Etenim quotiescunque substantiæ alicuius humiditas à calore secernitur, & in spiritum elevatur, continuò fit alba, spumosa, & vt loquitur Aristoteles, fastosa. Ita prorsus ouî albumen, oleum, aut mel agitata fortiter diu præ eo, quem concipiunt spiritum, albissima, & fastosa eueniunt, vt vulgari probatur experientia passim. Insuper galena, quæ est vena plumbi, seu plumbago, vt Aristotelis vtar verbis 2. de Generatione Animalium capite 2. *Aqua mixta, aut oleo amplum ex paruo erigit fastum, & spissum ex liquido, & album ex nigro. Causa est, quòd spiritus immiscetur, qui fastum efficit, & albedinem dilucidè aperit, vt in spuma, & niue, nam & nix spuma est. Aqua etiam ipsa permixta cum oleo, crassa, albaque redditur; per concussum enim, attritumque includitur spiritus, & ipsum oleum quoque multum spiritus continet.* Haud sane mentiri nos faciunt pharmacopolæ, qui vnguentum ex litharg yro paraturi illius pulverem cum simplici oleo diu agitant in mortario, vnde moles quædam & alba, & fastosissima attollitur. Sed ad semen redeamus; quod calidum quippe est, & humidum, nec modo caliditatem possidet actualem, sine qua inutile prorsus foret, quando Generationis præclarum opus calore vti consono instrumento patratur; sed insuper potentialem obtinet, cuius beneficio & cùm fœtus efformatur singulis eius particulis gradus caloris proportionatus affigitur; & cùm idem nutritur, & augetur, robur, & vitales induntur spiritus, atque etiam quandiu in sanitatis latitudine viuit, beni-

A gno irroratur calore, dulcique anima fouetur, quò illud Hippocratis 6. Epidem. pertinere arbitror: *Hominis anima semper producitur vsque ad mortem; si verò efferbuerit vnà cum morbo etiam anima corpus depasitur.*

Verum enimuero in Philosophi verbis est aliqua contradictio; nam in feminis temperici positione inconstans videtur; quandoquidem in libris de Generatione animalium, & Problematum calidam esse genituram, statuit, id quod insuper & meteororum capite 2. apertissimis testatur verbis dum ait: *Quare habentia quidem secundum naturam calida, & sanguis, & genitura, & medulla, & coagulum, & omnia talia.* At secundo de generatione animalium capite 5. B scribit, quòd natura genitura similis cerebro est; iam cerebrum & frigidum est, & frigidi metropolis. Rursus 4. Problem. sectione quærens, cur homini, dum concumbit, oculi potissimum infirmantur, hæc habet: *Argumento verò frigidam esse genituram, quod humida nunquam redditur nisi calefiat, &c.* Soluitur, ac declaratur huiusmodi antilogia, si dicatur, semen suapte natura frigidum quidem esse, calidum verò ob influentem calorem, & spiritus, qui à cunctis corporis partibus abundè conueniunt; quare materialiter est frigidum; formaliter, seu virtualiter calidum; & hæc solutio est ipsiusmet Aristotelis citato capite 2. de Generatione animalium, vbi post quam dixerat, genituram esse cerebro similem, subiungit: *Aquosa enim materia eius est, caloreque aduentitius.* Neque id Magnus Hippocrates præterijt; primo namque libro de Diæta, vbi altiora Generationum mysteria tanquam sub Oraculis proponuntur, astruit, homines, & cætera cuncta animalia constitui ex duobus principijs, facultate quidem differentibus, viu vero, & officij familiaritate conspirantibus, aqua scilicet, & igne. Porrò aquæ nomine intelligendum est simulum illud, humidumque feminis spolium, siue excrementum; nomine verò ignis intelligatur spiritus ille suauis, atque energia corporis formatrix, quam serentiam mechanicam vocant Hermetici; iubet Hippocratis apponere verba: *Constituuntur quidem igitur tum animantia alia omnia, tum homo ipse ex duobus differentibus quidem facultate; concordibus verò, & commodis vsu, igne inquam, & aqua. Hæc autem ambo simul sufficientia sunt, tum aliis omnibus, tum mutuo sibi ipsis, vtrumuis verò seorsum neque sibi ipsi, neque vlli alteri sufficiens est. Vim igitur, ac facultatem vtrumque ipsorum talem habet.* Profectò mirè est in his philosophatus Hippocrates, quandoquidem aqua, ideft seminalis humor ex se sterilis omnino est, & infructuosa; At ignem nihilominus seruat, prolificos nempe spiritus, quos fouet vti testa, & ab extrinsecis tuetur iniurijs. Contra spirituales hinc

por-

Digitized by Google

portio dissiparetur facile, & extingueretur: sed humidi negotio, nisi rore alio madido tegaretur, atque ipso veluti pabulo nutriretur. Sed Hippocrates, vt res melius comprehendatur, ita prosequitur. *Ignis enim omnia per omnia mouere potest.* En formatrix virtus, & ipsorum spirituum reliqua energia. *Aqua verò omnia per omnia nutrire, spiritus namque humore hoc alantur, & ex hoc solida fœtus membra coagulantur. Aqua verò vbi ad extremitatem ignis peruenit, deficit motus;* hoc est feminalis humor, vbi spiritibus denudatur, infœcundus euadit, & generationis liturgiæ omnino inutilis. Plura citato loco ab ipso exquire Hippocrate.

Quæres, num calor huiusmodi seminalis, & ignis ab Hippocrate nuncupatus suis contineatur finibus, quos vltra, citraque Generationis opus nequeat exantlari; an verò in quolibet gradu indifferenter suos moliatur effectus? Petitioni satisfacit Aristoteles 2. de Generatione animalium capite 4. vbi habet. *Inest hic calor in excremento seminali tantam, talemque habens motionem, & actionem, quanta modicè alit quamuis corporis partem accommodetur. Quod si vel deficit, vel excedit, rem quæ fit, aut deteriorem efficit, aut læsam, & mancam, similiter vt in ijs agitur, quæ foris igne coquuntur ad cibum; aut ad alium vsum sed in ijs motum caloris nos moderamur, in illis natura gignentes accommodat.* Sed hæc plenius, liquidiusque in sequenti capite.

CAPVT III.

An calor seminis sit elementaris, & igneus; an solaris, & æthereus.

QVONIAM indigna inter Peripateticos agitur quæstio, num scilicet elementaris calor à cœlesti calore specie differat nec ne; sintque hinc inde fortia argumenta, strenuique auctorum phalanges. Affirmativam partem sequuntur Conciliator, Niphus, Pernelius, Picus Mirandula, & alij. Pugnant pro negativa Averroes, Albertus Magnus, Achillinus, Saxonia, D. Thomas, & plerique. Verùm tamen in suam opinionem Aristotelem tamquam ducem trahere conantur. Atqui nos in præsenti capite id non quærimus; opitulamur enim cohorti Philosophorum, negantium vnum calorem ab alio specie differre; solum hic ducitur in controuersiam, vtrum seminis calor, spirituque plasticus, quo mirabile Generationis patratur opus, æthereus sit, an verò igneus, & elementaris? Qua in re pro comperto statuimus, semen æthereo præditum, spiritu, cœlesti virtute generationem moliri, nec posse eandem igneo administrari calore. Ecquis namque sanæ mentis existimet diuinum Generationis opus ab humile, quàm ab æthere manare posse. Ignis nec aut spiritus igneus, verum vorator omnium viuentium productionem attingere valeat? Num qualitas elementaris progignet animam. Non vtique; vt proinde Sophorum princeps Aristoteles 2. Physicæ auscultationis diceret meritò: *Sol & homo generant hominem;* & 2. de Generat. animal. capite 3. explicatius adhuc profiteretur, vitæ calorem non igneum, sed cœlestem potius existere, auctoris verba sunt: *Inest enim in semine omnium, quod facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur; idque non ignis non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque conflitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur. At verò solis calor, & animalium, non modò qui semine continetur, verum etiam si quid excrementi sit, quamquam diuersum a Natura, tamen id quoque principium habet vitale. Cæterum calorem in animalibus contentum nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est;* Hactenus Aristoteles, qui nobilem hanc sententiam mutuatus est ab omniscio meo Hippocrate, qui libro de carnibus quasi per ænigma doctrinam hac insinuauit his pene verbis: *Verum de rebus sublimibus in aere, ac cœlo, neque opus habeo dicere, nisi quod quantum ad hominem, & reliqua animantia, quæ sunt, & nata sunt, pertinet demonstrabo, & quod sanitas, & quòd morbus; & quod in homine malum, ac bonum, & vnde moritur. Nunc autem ipse meas sententias profero. Et videtur sane mihi id quod calidum vocamus immortale, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura. Huius igitur plurima pars, quum turbata essent omnia, in supernam circumferentiam secessit, & videntur mihi ipsum veteres æthera nominasse.* Vide vt Hippocrates Generationum arbitrum calorem, æthereum, immortalemque statuit, eundemque ab elementis, terrenisque fordibus segregans in sublimi collocat cœlo, omniaque scire, & intelligere asseuerat? quà in re sibi constat magnus Dictator, siquidem in libro de diæta, superius relato idem pene adumbrauit.

Verùm enimuero postulabis, qua in re differant cœlestis, & elementaris calor, si eiusdem speciei ambo existunt, & cur igneus præstare nequeat, quod in Generatione præstat æthereus? Hucte, ingeniose, expectabam. Differe cœlestis calor ab igneo secundum harmoniam duntaxat; cùm enim illa vsque adeò ad symmetriam

Digitized by Google

triam redactus, & vi præclaræ temperiei efficere valeat, quod nequit igneus, qui cùm sit elementaris impurior existit, & ab harmonica crasi longè remotior. Quanta verò, & qualis sit symmetricæ temperiei virtus, docuere Philosophi, qui ex optimi temperamenti tono, vel ad pondus, vel ad iustitiam ordinati non modo admiranda pleraque naturæ opera effici posse putarunt, sed miracula etiam. Hinc Psilli, & Marsi, Strabone, Plinio, & Fracastorio testibus, non modò à serpentibus non lædebantur, sed alios ab ipsis inflictos tactu solo à noxa veneni tuebantur; immo & Æthiopes illi, qui Hydaspis fluuij accolæ sunt, Scorpios, & Serpentes citra periculum vorant; perinde ac Antergoras ille nullum ex araneorum, & Scorpionum lethali morsu dolorem, noxamque sentiebat; quòd idem testatur de quadam puella Coloniæ Germaniæ Albertus Magnus.

Insuper ex hac ipsa corporis præcellenti, & harmonjosa temperatura vires sunt interdum admirabiles emicare proprietates. Sic ferunt ex Plutarcho Regem Epirotarum Pyrrhum pollicem in dextro pede à natura obtinuisse, qui lienosos tactu solo sanabat; adiuntque insuper, hunc ipsum digitum cum reliquo corpore haudquaquam cremari potuisse. Vespasianus & ipse tactu, & saliua pluribus medebatur malis, immò, quod magis est, cæco homini visum restituisse fertur. Quanta fuit Sampsonis capillitij virtus? Quanta Tiberij Cæsaris oculorum acies, qui nocte summa litteras absque lumine perlegebat? Quanta Philippidis agilitas, qui spatio duorum dierum mille ducenta quadraginta stadia Lacedæmonem decurrit? Magnus Alexander ex insigni, qua præcellebat corporis symmetria, humorumque harmonia, anhelitum expirabat balsami; eiusque insuper sudor eam redolebat suauitatem, vt quoties eius referabantur pori, gratissimis undique circumfusus odoribus ille videretur; & quod magis admirationi dignum est, eiusdem etiam cadauer, si Quinto Curtio credimus, mirè ac si aromatibus, balsamisque fuisset repletum, fragrabat. Quid plura? Omnibus passim vulgatum est, Gallarum Reges saliua dissoluere strumas. At cui nam naturali causæ accepti referri debent tot admirabiles affectus? vtique non alteri, quàm peculiari temperamento ad cælestem quandam symmetriam composito.

Sed huiusmodi harmoniæ differentiam vt assequaris ingenio, finge tibi cytharam vnam, quæ dubio procul vnum specie reddit sonum, tam si à docto, & excellenti, quàm si ab imperito, & vulgari pulsetur cytharœdo. Modò licet sit vnus, idemque specie sonus, quis tamen non admiretur ritè pulsantis concentum? Rem quàm præclarè mulcet aures? quanta pellicit suauitate? quàm miros iacit effectus? Etenim Calliopes Genus Orpheum, traduat Vates, cheli sonora, pulsibusque suauibus mulsisse feras, duxisse montes, traxisse lapides, frenasse flumina, pacasse erebum; Hinc Seneca iucundè satis in Hercule Octaco canebat, carmine Glyconico.

Illius fletit ad modos
Torrentis rapidi fragor,
Oblitusque sequi fugas
Amisit liquor impetum.
Et dum fluminibus mora est
Defecisse putant Geten
Hebrum Bistonesvltimi.
Aduexit volucres nemus;
Et sylua residens venit.
Aut si qua aera peruolat
Auditis vaga cantibus
Ales deficiens cadit.
Abrupit scopulos Athos
Centauris obitum ferens,
Et iuxta Rhodope fletit
Laxata niue cantibus.
Et quercum fugiens suam
Ad vatem properat Dryas.
Ad cantum veniunt suis
Ipsa cum latebris fera,
Iuxtaque impauidum pecus
Sedit marmaricus leo.
Nec Dama trepidant lupos:
Et serpens latebris fugit
Tunc oblita mali sui.
Qui per Tanaeas fores
Manes commonitus adit
Mœrentem feriens chelim
Cantu tartara flebili,
Et triftes erebi Deos
Mouit, nec timuit Stygis
Iuratos superis lacus. &c.

Insuper vel morbos putarunt veteres pulsu curari sonoro; Ita fertur famigeratus ille Thebanus Hysmenias cythara, & voce ischiadicos persanasse; quòd & Athenæus, & Gellius confirmant ex Theophrastro. Quin Plutarcus refert insuper, Thaletem Cretensem a pestilentia Lacedemones ope Musicæ liberasse. Ad componendos adhuc vel seditiosos, vel iracundos animi motus nulla res est efficacior concentu musico, & harmonioso numero: Sic Terpander Lacedemones a seditione musicæ beneficio vendicauit; sic ille Clinias Pythagoricus cum difficilimis, asperisque moribus esset, dum aeres innadebant animi motus, lyram compendiò accipiens tractabat, & cur id faceret interrogatus, respondebat: *Mitigor*; sic Dauide canente tandem, cytharamque pulsante Saulis energumeni mulcebat, sedabatq; furorē. Mirum magis est Apulensis Tarantulæ, cui stellionis ictus non nisi dato sono leniri, eumque pulsatorem iuuare ma-

magis, quisnauius canat fidibus, cytharamque verberet. At quis ex aduerso non abhorret ab inconcinno barbito? Quàm malè obstrepit auribus? Quo tædio cunctos afficit?

Age, sic prorsus cœlestis, & elementaris differunt calores in tono, & harmonia, licet sint specie consimiles; vt non sit ideo mirum, si exoticos ille pariat effectus; hic verò vulgares; si Generationis opus diuinum ille moliatur: hic potius corruptionis det maleficium; si cuncta viuificet ille; hic destruat omnia. Hanc sapientiam adumbratam inuenio in Prometheo, qui vt est apud Mythologos, postquam humanam fabricam e varijs animalium particulis effinxerat, illicò accepta ferula currum conscendit, altiusque euolans Palladis ope ignem solarem depredatus est. Cur non abstulit elementarem, vt magis propinquum, & quem nullo crimine, nulloque discrimine prædari poterat, & asportare? En mysterium; elementaris, igneusque calor nimium ferox, mordax nimis, & insolens hominj, atque vniuersæ naturæ infestans viuentum obire munia haud quaquam poterat; At Solaris vt mitis omnino, & passim benignus, harmonicèque suauis cunctis naturæ patrandis operibus concinnè vtilis, atque in primis Generationum liturgiæ percommodus erat; vt hic basilicè dictum ab Aristotele fuerit: *Sol, & homo generant hominem*.

Dices, cur hæc ipsa caloris harmonia, quæ in gradu consistere debet, non contingat etiam in elementari calore, atque adeò is quoque Generationi deseruiat? Respondeo, hanc quaquam contingere; & si contingat statim illum exigneo fieri cœlestem, atque elementarem exuere naturam. Nec, vt reris, in solo gradu huiusmodi consistit harmonia, verùm aliud quidpiam arcanum sapit: nam resilit illa quidem ex temperie graduum, verùm in quo ordine hi reperiãtur, ignotum nobis est, notum naturæ solum, quæ admirabiles temperaturas, & secretas etiam mixtiones excogitare potest eo modo, quo ex eadem corruptibili materia conflata cœlestia corpora sciuit à caducitate, & corruptibilitate vendicare; licet cætera omnia, quæ inferiori orbe continentur ineuitabili corruptionis legi sint inauctorata. Fortè instabis adhuc, quod calor generationis prodromus reperitur quoque in simo, cuius beneficio pulli ex ouis absque galline incubatu extrahuntur; rursus in limo, stercore, & putri qualibet materia, e quibus omnibus animalcula producuntur; non igitur ille cœlestis esse potest; dedecet enim ætheream qualitatem his adhærere sordibus. Obiectioni satisfiet, si dixerim, non esse absurdum, immo ad naturæ conseruationem, & propagationem necessarium, vt cœlestes influxus, ethereique calores perpetuò terrenis assistant rebus; neque est verendum, purum ab impuro coinquinari, aut putrido miasmate sordescere. Ita videmus animalium quorundam seminia in stercore, & putrilagine residere, siue in alterius substantiæ corruptione, vt sunt crabrones, vespe, insecta quædam, & vermiculi, qui generantur in caseo: quorum quidem animalculorum generatio tamquam ex subiecto aduenit quidem ex cœnosa illa, & lutulenta materia: at calor opifex, viteque minister non ex illo genere est, neque eo ex vnguine manat, sed cœlitus aduenit, vbi primum aptæ dispositiones ad illud animal introduci incipiunt, indeque tandem elicit animam, corpusculo illi proportionatam: pari modo existimandum est, calorem illum qui simo inhæret, dum generationi vel pullorum, vel vermium famulatur, dictam harmoniam consequi, & Solaris naturæ fieri instrumentum.

Tandem quòd seminis calor igneus potius existat, obtrudes, argumento est elurus, qui adeo ignitum suum emittit semen, vt ab eo fœmina exuri ad vterum sentiat; quod Ælianus 7. de historia animalium his verbis edisserit: *Aelurorum mas quidem libidinosissimus est, fœmina autem amantissima prolis: fugit coitum cum maribus; quoniam semen emittit calidissimum, & quasi igneum genitalia adurens. Hoc cernens mas communem fœtum dilaniat, illa verò prolis desiderio mares libidine ardentes adit rursus*. Sed neque id nostram harmoniam oppugnat; siquidem nos in primis de humano semine loquimur, quod procul dubio symmetria viget caloris. Præterea dico, æluri semen per accidens, nimirum ab æstro iguitam illam concipere qualitatem; est namque, vt alibi diximus, omnium, salacissimum hoc animal. Postremò addo caloris harmoniam magis, ac magis intendi posse iuxta propriam cuiusque animalis naturam.

Sume tandem sapidum corollarium. Generationis ætherei caloris triplicé gradum, siue circuitum facit Hippocrates primo illo de Dieta, debilem vnum, & infimum, lunæ facultate imbutum; ideoque in humoribus residet, quorum illa est moderatrix; atque is minimorum quorundam insectorum, vti vermium generationem patrare potest ex humore excrementitio luxuriante, ac putredine vda; ita in plenilunijs non rarò est videre verniculorum, similiumque vitæ parum referentum animalculorum prouentum. Alterum paulo superiorem, fortioremque, Astrorum virtute fœcundum rerum externam circumferentiam circumuadentem, qui proinde in superficie terræ herbarum, & plantarum omnium, necnon serpentum, & pullorum ex ouis productioni opitulatur. Tertium denique supremum, ac potentissimum gradum, quem ideirco Solarem appellare possumus, in visceribus collocat, ac potissimum in corde, vbi cuncta modentur, necnon potis est perfectas educere animas (humanam

excludas) mentem, ac prudentiam iuuare, & cætera cuncta vitæ præstare munia. Placeat interim ipsius Hippocratis audire mysteria. *In hoc vero triplices circuitus ignis fecit, inter se mutuò intro ac foras terminantes, alios quidem ad cauitates humorum lunæ facultate; alios verò ad externam circumferentiam, ad ambientem soliditatem aliorum facultate. Medij verò, & intro, & foras terminantes calidissimum, ac fortissimum ignem habent, qui sanè omnibus dominatur, omnia secundum naturam gubernans sine strepitu tum ad visum, tum ad tactum. In hoc anima, mens, prudentia, augmentum, motus, imminutio, permutatio, somnus, vigilia. Hic omnia per omnia gubernat & hæc, & illa nunquam quiescens.* Hucusque Hippocrates, qui symbolicè innati, vitalisque caloris energiam describit; nec mirari debes, quòd ignem eundem hic appellet; consueuit enim in toto hoc libro, & alibi etiam ignis nomine calorem quemlibet intelligere; quapropter ad distinctionem verba addidit illa; *Omnia secundum naturam gubernans sine strepitu*: talis non est ignis, qui cum strepitu omnia destruit.

CAPVT VI.

Quale sit semen ad Generationem aptum, quo spiritu locuples, quæ fœcunditatis probatio; vbi Aristotelis confutatur opinio.

SEMEN, quòd Generationis admirabili ministerio deseruire debet, pluribus dotibus exornatur, crassitie, lentore, albedine, fambuci, vel palmæ odore, vbertate, atque in primis calore, & spiritu; quod enim e contrario modicum, fluidum, subnigrum, ac spiritali flamma orbatum est, sterile, & impar generationi existit vel de Aristotelis opinione 7. de historia animalium capite primo. Nempe rerum omnium abiitrusa, & vacua natura grauida seminibus est, quæ procul dubio non quidem in apparente illa materia, veda consistere putandum est, sed in puriori quadam, & secretiori natura, sensibus non obuia; & hæc vbi paratum locum, opportunamque materiam inuenerint, generationem efficiunt. Seminis arcanam hanc energiam vocant Hermetici spiritum mechanicum, siue scientiam, quæ si non deficiat, perfecta erit rei cuiuslibet soboles; si desit, frustra semen iacitur, otiabitur namque. Profectò haud erit existimandum, spiritus quoslibet calorificos indifferenter generationi præesse, eamque perficere; his enim interdum semen est circumfusum, nec tamen quicquam producit, & si fortè productionem inchoat, complere nequit; verum opus est, vt spiritibus illis imbutum turgeat, qui mechanica scientia, & architectura sint eruditi. Petrus Danus hos mechanica arte imbutos spiritus ita ad vnguem in sua Idea propalauit. Age, lector, ne stomacheris amabo doctrinam Hermeticam, quę non semper chymicorum redolet vana deliria, sed sapientiæ profunda interdum continet mysteria, sic ergo ille.

Deprehendimus enim nonnullos spiritus artificiosa scientia non instructos, sine mechanicæ arte, nudos vaporis, fumos inanes, & fugaces imbras corporum, aliorumque spirituum: alios deinde scientia inusta decoratos, & artificiosa mechanica instructos, qui saporum, colorum, odorum, figurarum, magnitudinis, ordinis & proportionum infallibilem notitiam possident. Hi sunt ergo, qui semper in Generatione suos producunt effectus, & sine his sterile est semen; vt ideo cùm sint hi spiritus inuisibiles, frustra medici quidam laborant, exaspectu seminis putantes illius fœcunditatem, aut sterilitatem dignoscere; siquidem potest esse crassum, album, aliaue extrinseca qualitate imbutum, & nihilominus carere mechanicis illis spiritibus, generationis auctoribus, atque fœcundatrice scientia. Sed cùm tam frequenter hanc scientiam vocitemus, commonendus est hinc lector, ne illius nomine acquisitum habitum intelligat, quem nos rationum deductionibus, & præceptorum connexione acquirimus; verùm intelligat, velim, innatam quandam, seu dicas infusam ipsorum seminum naturam, essentiam, siue potestatem, qua à nullo edocta necessariò Generationum obeunt munia. Quæ nimirum scientia si fortè desit, frustra muliebres fundi seruntur, in vanum vteri semen excipiunt, in cassum laborant medici, vt illam reparent; siquidem nullis pharmacis, nullisue auxilijs naturalibus comparari valet; ideoque eiusdem defectus indelebilem sterilitatis inuret characterem; vt plurimùm enim ab ortus principio huiusmodi læsio deducitur, quamobrem curationem non recipit. At institutum sermonem prosequamur.

Non leuis est difficultas in Aristotelis verbis 3. de historia animalium capite vltimo, vbi scriptum reliquit, fœcundum semen, aut infœcundum aqua probari; si enim aquæ supernatet, infœcundum, si delabatur, fœcundum esse ait: verba sunt: *Delabitur in aqua, quod fœcundum est, atque subsidit: quod autem infœcundum est, diffunditur, atque exoleſcit.* Etenim præterquam quod seminis quælibet extrinseca probatio vana, & infida est, huiusmodi opinio (pace vnius Aristotelis dicatur) nimium à veritate distat, nec subsistere vllo modo potest, vt iamiam fortissimis rationibus demonstrabimus. Porrò si perfectum, ac fœcundum semen communi phi-

Digitized by Google

losophantium arbitrio illud est, quòd ritè, & vndique existit concoctum, tale est vtique illud, quòd spiritibus est magisditatum; igitur consequenter leue magis, ac spumosum; ergo fœcundum, ac spirituosum semen aquæ supernatare potius debet, quàm subsidere; non secus ac lignum, quod aereum magis est, ac porosum vasto mari supernatat, ideoque nauibus construendis aptius extat; quod nobis insinuauit Aristoteles ipse 2. de plantis capite 1. vbi hæc lectitantur: *Vnde non propter folia fundum petit, quod sæpè fundum petere solet lignum, nec propter grauitatem, sed quia aliud solidum est, ac densum, aliud rarum. Quod itaque rarum est, prorsus fundum petere non solet; ebenus verò, & quæ illi sunt vicina, fundum petunt, quia in illis pauca est raritas, neque aer in illis est, qui ea attollere possit*, Cur ergo, inquam, aerea substantia plenum semen, & calorifico spiritu probè circumsitum aquæ fundum petere debebit? Cur non supernatet potius vti oleum, cuius substantiæ ipsemet Philosophus toties comparauit? Præterea si, eodem auctore, coctio nihil est aliud, quàm adæquatio qualitatum; dum igitur perfectè semen elaboratum fuerit, sanguinis e quo conficitur portio terrestrior, vel deponetur, vel attenuabitur: pars tenuior, & fluidior incrassabitur, vniuersa illius substantia à spiritibus fiet aerea; quomodo ergo tali pacto confectum semen aquæ barathrum subibit?

Nec dicant Aristotelici centuriones, qui seruiliter nimis iurarunt in verba magistri, optimũ semen esse densum, lentum, crassum, & penè congelatum, atque adeò subsidere debere. Quandoquidem semen impropriè, seu analogicè solum dicitur congelatum, eiusque profectò densitas, seu crassities, non quidem à frigore, sed à calore prorsus, ac spiritu est. Iam, vt citato libro de plantis Aristoteles ediderit: *Calor autem humidum astendere facit.* Quòd autem semen equinoctè congelatum dicatur, ex eo patet apertissimè, quòd nunquam idem frigore, aut gelu concrescit: quin potius liquatur, soluitur, & fluitat, vt infra ex professo pluribus patebit ex Aristotele, qui 3. præsertim de historia animalium capite 22. manifestis verbis declarauit ijs verbis: *Nunquam id gelu concrescit, immò admodum extenuatur, & aqua tum colorem, tum etiam substantiam trahit.* Præterea experimento edocti fuimus, quod si sanguis, qui à viuente effluit, in aquam projiciatur, primo quidem ipsius aquæ substantiæ protinus immiscetur, postremò verò, ichore excepto, delabitur, ac ima petit. Cuius euentus ratio est, quòd cùm primò fluit, multæ caliditatis est particeps, spiritusque continet, à quibus & suspenditur, & eleuatur. At quantocyus dissipantur, spiritus, & calor euanescit, aquæ frigore gelascit, atque densatur; quare adaucta grauitate, A necesse habet subsidere. Sic prorsus semen cuius aerea magis, & spiritalis est substantia, cùm primum effluxerit, si fœcundum fuerit, vigente calore, & spiritu aquæ supernatabit prius, dein verò ipsis deficientibus calore, ac spiritu, ima petet aucta graueadine. Nec obijcias, Aristotelem, eiusque milites asserere, optimum semen illud esse, quod grandinis speciem præbet. At grando in aqua projecta, fundum petit; igitur & semen, si probum sit. Infirmam enim obiectionem hanc detrectans, nego paritatem. Siquidem grando fit re ipsa à frigore, seu congelatione: seminis verò coagulatio à calore coquente, & attenuante, & in spumam attollente; perinde ac in butyro accidit ex longa agitatione, cui sæpius assimilatur semen. Et hanc veritati consonam, legitimamque sententiam apertè registratam apud Fernelium 8. de hominis procreatione capite 5. videre est his verbis. *Cæterum non sicuti grando, vel nix id frigoris vi concreuit, sed ab ingenito, & interiore vasorum, ac testium calore. Neque tamen vti lac, ouum, aut alia quæcunque multum terreneæ substantiæ permixtum habent, coctione cogitur, in quibus vi caloris humore dissipato crassior portio subsistit. Nemo enim tam rudis est, qui semen quod planè aereum, aut potius ætherem est, inter hæc terrena connumeret. Quid ergo restat? Vt aqua oleo permixta, aut oui candidum diutius agitatum à coercito flatu in spumæ densæ, & albæ ingentem tumorem exurgit; ita propemodum quod in nobis est semen, calore cogitur, & albescit.* Hactenus Fernelius, apud quem plura ad rem facientia videri poterunt. Quamobrem non ex eo, quòd semen optimum speciem grandinis referre debet, iccirco grandinis grauitatem, & qualitatem obtinere par est; quin potius maiorem leuitatem, vt in butyro manifestè apparet, quod licet eo modo densatum, & coarctatum videatur, nihilominus aquæ semper innatat, nec, licet cogas, in fundum ibit.

Quæres, an vulgares illæ fœcundi seminis probationes, quæ ex cerealibus desumuntur; cùm videlicet hordei grana, tritici, vel fabarum, aut etiam lactucæ germina lotio, siue semine respersa, exiccantur sata, vel prolificant, locum habeant? dico impia esse, ac nefaria, nedum vana, & infida huiusmodi experimenta; ideoque protinus ableganda esse. Quomodo enim sterile hominum semen propriam auferre poterit cerealium fœcunditatem? aut qua ratione ab eodem fœcundo hæc ipsa fœcunditatem acquirant, vel adaugeant? Illud ergo tantummodo fœcunditatis compos erit semen, quòd in vterum demissum congruo madidum sanguine, illicet conceptionem facit, fœtusque formationem aggreditur, nec desinit vsque ad plenam, perfectamque illius productionem; quod nimirum absque scientifico illo

piritu neutiquam contingere potest. At hujusmodi spiritum fortè intellectu assequi nequis, cùm præsertim vitra calorem aliud quidpiam sublimius, ac diuinius contineat. Assequeris infra, vbi de seminis formatrice virtute agetur, si mentis penetralia reserabis.

CAPVT V.

An semen sit animatum nec ne.

PLATO in Timæo, cui suffragium ferunt Themistius, Zimara, & alij cùm veteres, tum recentiores, existimarunt, semen actu viuere, idque pluribus argumentis probare conati sunt, quæ tamen apud Scholasticos vetilata videre quispiam poterit: nobis enim haud id consilij est, vt nostras hypotheses hinc inde varijs agitemus arguitionibus; verùm solidiorem duntaxat statuere doctrinam, summi cuiusdam Philosophi, vel Medici roboratam auctoritate, necnon fortiori quapiam ratione fulcitam. Alioquin de seminum anima extat Sennerti locuples illud hypomnema, in quo summorum virorum expenduntur sententiæ, variæ hinc inde librantur argumenta; tametsi illi nullatenus subscribendum censeam, sed potius Thomæ Kieno adhærendum lib. de form. fœtus, vbi plenè sententia discutitur: mihique propterea minus incumbit scribendi onus; eo magis, quod ab ipso dicendi exordio calamum à Scholasticis disceptationibus distrahere consilium fuit; hæ namque ad cathedram attinent, in qua ampla mihi quotidie in Archigymnasio disceptandi suggeritur ansa. Ita in præsentiarum vnius Aristotelis vti meliorem selectam opinionem cunctis alijs repudiatis in medio ponimus, asserentes, potentia tantùm, non actu semen viuere; quandoquidem cùm sit id vitali refertum spiritu, proximam habet aptitudinem, vt animetur; eo prorsus modo, quo sulphur potentia ignis dicitur, eo quod propriæ naturæ dispositione, & collimatione ignem facillimè concipit; etenim absoluto Generationis motu, qui ab ipso proficiscitur semine, statim fit pars ipsius fœtus, ac viuificatur. Quapropter præclarè 2. de generatione animalium dicebat Aristoteles: *Sed habeat ne semen anima necne, ratio eadem, atque de partibus reddenda est. Nec enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo, cuius est, neque pars vlla esse potest, quod particeps animæ non est, nisi aquiuoce, vt mortui oculus. Semen igitur & habere animam, & esse potentia, palam est*; neque est, quod aduersarij auctoritatem hanc pro sua roboranda sententia adducant; nam in eodem libri capite apertis fidibus repetit, genituram, & conceptum in potentia, & non in actu animam obtinere: id quod potissimum ijs verbis apparet: *Animam igitur vegetalem in seminibus haberi potentia. Statuendum est, non actu, priusquam eo modo, quo conceptus, qui iam separati sunt, cibum trahunt, & officium eius anima funguntur.* Quid clarius? Quod si arguas primis illis Philosophis mancipatus, nihil tam in artis, quàm in naturæ operibus fieri actu, nisi ab eo, quod actu tale est, atque adeò semen, quod fœtus materiam in viuentis effigiem construit, actu viuere debere; breuibus ibo obuiam obiectioni, dicens, & in artis, & in naturæ operibus quippiam effici posse per instrumentum, etiam separatum, quod non sit actu tale; sic per ferram, vel dolabram fit scamnum, quod tamen neque serra est, neque dolabra. Sic per calorem in gremio naturæ multa parantur, quæ ab ipso calore diuersa genere, ne dum specie sunt. Quare mirum non erit, si à semine, quod viuentis est ad generationem secretum instrumentum, & in eiusdem virtute operatur, citra animam viuens producatur. Vt ideo prudenter scriptum fuerit libro: *An id, quod in vtero est, animal sit*, semen, quod in vterum mulieris est iniectum, potestate animal esse, sicuti ignis in silice latens, aut in calce ignis potentia est; quo loco plura ad rem præsentem legi possunt attinentia.

Profectò semen esse animatum, tot habet absurda consectaria, vt subscribere, & astipulari mea mens nequicquam potuerit, quamuis auctorum dignitas, & rationum lacertus vim secerint. Et quidem primò, non ne sequeretur, semen, si animatum foret, in se ipsum agere? quod est contra Peripateticum dogma primo de generatione, & corruptione. Neque est cur nonnulli, & præcipuè Sennertus, vt vim argumenti quoquo modo declinent, asserant, non esse absurdum, animam seminis agere in suum corpus, hoc est in subiectam materiam, neque hinc sequi, idem agere in se ipsum. Nimium quippe futilis est responsio; nam compertum est vel tyronibus in Philosophia, actiones esse suppositorum, siue totius compositi, non verò formæ, quæ in composito nullam potest separatam edere actionem.

Rursus anima, si est actus organici corporis ex Aristotelis, & Philosophorum omnium pragmatia; qui potest in semineo corpore, à quo procul est pars quęque organica, anima reperiri, & hospitari? Huius tamen rationis aciem, vt effugiat Sennertus, multa effatur; & in primis id verum non esse, ait, quoniam videmus in plantis figuram, situm, & quantitatem immutari manente eadem anima; & exemplum affert brassicę, quę licet in hyeme emoriatur, superest nihilominus radix, & in radice anima,

At

At gratis respondit vir eximius; siquidem non censemus nos, animam determinata hec organa exigere, sed organa indeterminata, naturæ tamen illius proportionata; neque allatum de mortuæ brailicæ exemplum quicquam probat, sed potius retorquemus illud; quandoquidem etiam radix organis quibusdam completur, vt pote cortice, medulla, fibris, nodis, cartilagine, capillamentis, & similibus. A

Et bone Deus quomodo fieri potest, vt, præsente anima, nulla prorsus edatur vitalis actio in tot volucrum ouis, tot plantarum seminibus, atque rudibus, imperfectisque animalium conceptibus? Quid in his perpetuò feriata facit anima? dormit illa semper alto mersa lethargo? Aut nunquid syderata stupet omnibus exempta viribus? Cur amabo tam prodiga est animarum natura, vt velit illarum infinitas myriades otiari intra horrea, intra puteos sequestrari, in faculis obstringi, in cistis obrui, in visceribus condi? siquidem quotidie insecta, aues, feræ, homines miseras frumenti, ac cerealium innumerabiles deuorarent animas; ita vt paruæ quæque auicula millio saturata gloriari posset, suo in stomacho centena millia animarum absondi. B

Qui tundunt, qui pinsunt legumina, ac triticum, innumera committerent indies animicidia. O si incidissent hi in illorum manus, qui existimarunt, scelus esse, ac delictum enorme plantas abscindere, æquè ac hominem occidere (contra quos D. Augustinus) vtique patibulis traderentur atrocibus, multarentur tamquam psychicidæ impij. C

Præterea denominatio habetur a forma, igitur vbicunque erit exempli gratia anima lactucæ, ibi esse debet ipsum denominatum; atque adeò semen lactucæ erit lactuca, semen equi erit equus, gallinæ ouum erit gallina, quod est ridiculum, & simul absurdum; nec vlla ratione audiendus idem Sennertus, qui vt soluat hunc nodum, negat rerum species ab essentiali ratione, ac forma desumi, sed a constitutione, qua fiunt species mundi sensibiles: quod Philosophiæ principijs apprimè repugnat; siquidem sola forma est, quæ dat esse, & consequenter denominationem rei: ideoque falsa est etiam, quam affert hypothesin, eandem scilicet animam esse in bombyce, ac papilione; ac nihilominus bombycem haud vocari papilionem, nisi dum fit volucris; siquidem bombix degenerat in papilionem quidem, sed falsum tamen est, eandem animam in ambobus vigere, quia verè diuersum fit specie animal; quod & Aristoteles non vno in loco, & Theophrastus libro de plantis palam enunciant. Neque valet hominis pedis instantia, quòd scilicet, licet in eo fit anima hominis, non tamen dicatur homo, quandoquidem pes non est adæquatum animæ subiectum, sed pars subiecti; at verò semen est totum, atque adæquatum animæ suæ substratum. D

Quid immoror? omne animatum nutriri debet ex Aristotele, atque αὐτοτροφικὸν. atqui semina per annos in arcis asseruata nequicquam aluntur, Fortè ad hoc celeberrimus Lycei interpres Licetus suas altricis animæ ferias in medium afferet. Verùm vt animas feriari posse aliquando, & aliquandiu minus detrecto, ita semper, inque omnigenis seminibus feriari, vix adduci potero vt credam. Confugiunt antagonistæ ad animæ considerationem in actu primo, & in actu secundo, seu in actu perfectò, & in actu imperfecto; verùm distinctio ista fugæ rationem obtinet; nam si anima in semine tamquam in suo completo subiecto permanet, ibi tam in primo, quàm in secundo actu reperiri debet. Viuunt quidem semina herbarum, & cerealium, nec sum iturus inficias, quandiu suæ toti plantæ, tamquam matri adhærent; ac tum fructuum vicem subeunt: semina enim, ac fructus ex Philosopho non differant, nisi vt quo, & vt quod. At postquam fuerint excisa, non multò post demoriuntur, vt lacertæ, & insectorum capita, & caudæ abscissæ viuunt quidem aliquandiu, sed antequàm dies prætereat, occidunt. At animalium semina nullo modo viuere dici possunt; nam si viuerent vel eadem anima prædita essent, qua totum ipsum viuens, vel alia propria; primum dici nequit, quoniam semen toti continuari deberet: secundum est etiam absurdum, quoniam in vno, eodemque viuente plures animæ totales reperirentur, immo tot animæ, quot ipsius genituræ partes ac stillæ diuersis in locis subsisterent.

Sed alijs omnibus relictis argumentis vnum ad calcem appingam, quod nescio, an fuerit ab aliquo propositum (in alio saltem videre non licuit) & meo iudicio Achilles est. Si animatum esset semen, daretur animarum penetratio, commixtio, & confusio. Patet manifestè quoniam ad generationem equi concurrit ex aduersariorum non minus, quàm medicorum omnium sententia equi simul, & equæ genitura; fœminæ enim omnes actiuè etiam generationi cooperantur. Quare si animata sunt semina, dum necessariò simul ad generationem commiscentur, eorum quoque animas misceri, & confundi necesse est; quod erit adeò absurdum, vt nihil magis aphilosophon, magisque a veritate alienum dici valeat. Neque mente concipere possum, quam afferre huius argumenti solutionem, nisi sutilem valeant animati seminis assertores: quare meam hanc rationem cùm olim excuperet senex optimus, ac præclarissimus D. Angelus Colius, conuincentem appellauit. Quin eadem plausibilis admodum visa est D. Benedicto Ritæ conciui optimo, Collegæ emerito, & in Romano Lyceo Comprofessori eximio, mihique propterea triplici nomine charissimo. Qui etiam & illud addidit, quomodo scilicet si semen anima foret præditum, tam fragili vinculo ea inhæ-

re-

reret, vt exeunte semine per paulo longiorem penem, vt placet Aristoteli, corrumperetur? non enim corrumpi citra animæ dispersionem posset. Hæc omnia, lector, vbi æquo ingenij tui lance expenderis, iudicium ferto.

CAPVT VI.

An, & quomodo verum sit, semen in Generatione animam, menstruum verò corpus præstare.

ANIMAL, quòd ex duplici componitur portione, anima scilicet, & corpore.

Nos quoque pars mundi, quoniam non corpora solum; Verùm etiam volucres animæ sumus. 15. metamorphos. aiebat quoque Ouidius; non ab eodem efficiente creditur vtrumque recipere, sed ab semine, seu à patre formam, siue animam; a menstruo, seu a matre materiam, siue corpus obtinere. Et est opinio Aristotelis 2. de Generatione animalium capite 4. vbi expressè hæc habet: *Corpus igitur ex fœmina est, anima ex mare, substantia enim corporis alicuius anima est.* Quò nimirum pertinere videtur illud Senecæ in Hercule Oetæo vbi Herculem ipsum iam extinctum matrem Alcmenam sic alloquentem inducit.

Iam pare, mater, queſtibus: manes ſemel,
Vmbraſque vidi: quicquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis inuictus tulit;
Paterna Cœlo pars data eſt, flammis tua.

Porrò huiusmodi sententia Peripatetica potius est; in schola siquidem Aristotelis, mulierem sanguinem tantùm, ac materiam præstare decretum fuit; marem verò semen, vt plastem tantummodo præbere. At quoniam penes medicinæ candidatos, aliosque sanioris iudicij Philosophos sancitum est, tam marem, quàm fœminam ad Generationis ministerium actiuè, & passiuè simul concurrere, vno tamen altero minus principaliter; inde est, quòd semen vtriusque parentis corpus coalescere facit, & sanguis ipse in Brutis spiritum, seu animam sensitiuam e suæ potentiæ latebris commodat. Enimuerò aduersus Aristotelem 2. de Generatione animalium, semini duntaxat motionis tribuentem principium; cæterùm verò id facta cõceptione, ac formatione in halitum abire existimantem primo de semine inuehit potentissimè Galenus, multisque prouocat efficacibus rationibus, quas inibi videre arbitrio suo poterit quispiam; eo magis quòd primo huius operis libro illarum plurimas recensuimus, semelque comprobauimus.

Nempe experientia, quæ sola non finit aberrare mentes, edocti Medici dignouere, e semine virili etiam quamuis pauculo humani fœtus particulas aliquas coalescere, tamquam e substrata materia, vti neruos, tendones, arterias, venas, & similes, quod neque Peripatetici ipsi iuri erunt inficias, si suis constare dogmatibus velint. Igitur multòmelius Hippocrates de natura pueri, vbi sic; *Si genitura ab vtriſque permanſerit in vtero mulieris, primum quidem ſimul miſcetur, vtpote muliere non quieſcente, coacernatur que, ac craſſa per calorem euadit, deinde ſpiritum concipit, &c.* e semine ergo partes illæ, quæ dicuntur spermaticæ, e sanguine menstruo, quæ sanguifluæ dicuntur, humani corporis in generatione concedunt.

CAPVT VII.

An muliebre ſemen actiuè ad Generationem concurrat.

LONGA nimis, ne dicam strepitosa disceptatione huiusmodi quæstio penes multos pertractata inuenitur. Pugnat enim cum suis centurionibus Aristoteles, vt probet, mulierem nullum, aut saltem ad generationem infœcundum semen commodare. Contra Hippocrates cum ampla manu Asclepiadum Peripateticos inuadit, eorumque infringere conatur arma. Qua in re haud est mihi consilium, horum certamina, rationumque phalanges hinc inde recensere, tempus namque inutiliter tereretur, nosque semper in cunctis theorematibus Horatiano indulsimus præcepto.

Quicquid præcipies, eſto breuis, vt cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Profectò magnus ille Lycei rector Aristoteles suam astruit opinionem, 1. & 2. de Generatione animalium, vbi testatissimis verbis edicit, fœminas semen neque conficere, neque emittere. At oh quantum à puris rationibus distat experimentum! quod iure à Pindaro mortalium omnium dicebatur iudex; vt ideo Celsi aurea illa sententia locum vbique recipiat: *Vbi rei phyſicæ experimentum fidem facit, abijcienda ſunt rationes.* En vera, & intemerata ab Anatomicis dissectionibus emicat fides, in quibus non imaginariò, sed oculis ipsis percipiuntur in mulieribus testes albo semine vdi, necnon cornua dicta apud easdem, seu processus genitali semine vndique referti apparent. Cedo, quænam vnquam concepit, nisi prius proprio polluta semine ambas in vtero genitu-

ras

ras exceperit? Melius inde, ac rationabilius Hippocrates libro de naturæ pueri arbitratus est ab vtrisque, mare videlicet, ac fœmina, prolificum fundi seminium, & commisceri insimul, mox denique ex commixtione perfectum exilire fœtum; quam veritatem multis enucleat Galenus libro de semine, quem reuoluere, lector, sedulo debes. Quod si celebres viri, vti inter Philosophos Auerroes 2. coll. capite 10. & Albertus Magnus libro de Animalibus; inter Medicos Auicennas 9. de Animalibus; inter Theologos D. Thomas, Capreolus, Caietanus, Herueus, & alij Aristoteli blandiantur, id mirum non est, siquidem Auerroes, & Albertus Lyceum profitentur, militant in acie Stagiritica, & vno verbo, iurarunt in verba. Auicennas alibi palinodiam recinit. Theologi verò, vt qui Philosophicæ contemplationi citra praxim dant operam, facilè horum aliqui hallucinari potuerunt. Præterquamquod pro Aesculapide, & Hippocrate pugnant eminentissimi viri Scotus, Ochamus, Maior, D. Bonauentura, & alij non pauci, eiusdemque opinionis extitisse multò ante Pythagoram, Democritum, & Hypponem testatur Mirandula libro 1. de examine vanitatis. Neque hinc blaterent aliqui, naturam generationis causas absque necessitate multiplicasse, dum binas virtutes actiuas, binasque passiuas instituit; cùm sufficienter potuisset actiuam in semine masculino, passiuam in fœminino collocare. Siquidem non duas virtutes, sed vnam tantùm dicenda est effinxisse natura prudens, ex vtrisque genituris integraliter compactam; eo modo quo vnica est finaliter facultas, & operatio elementorum ad mixti productionem, licet hoc è quatuor illorum pugnantibus qualitatibus exurgat: natura enim quatuor illa simplicia corpora ad vnius compositi liturgiam destinauit; quod Aristoteles ipse nequaquam denegauit: nam ex duplici styrpium genitura coniuncta vnum effici semen, edisserit.

Sed omnium, vt reor, efficacissimum est argumentum, quo Galenus libro de semine Aristotelem prouocat; nempe quòd si mulieres eunuchentur, non modò fœcunditate destituuntur; sed etiam Venereæ voluptatis omnem deponunt appetitum: quod in suibus fœminis palam innotescere comprobamus, quemadmodum plenius in tertio libro explicauimus. Cuius rei benè conscius rusticus ille fuit, qui Vuiero teste, cùm filtam suam animaduertisset Amasio clam indulgere, ipsam congruè vinculis obligatam castrauit, vt erat fortè sues fœminas castrandi peritus; vnde amoris, & libidinis Nata oblita rei tantum domesticæ sedula deinceps operam nauauit. Nec sanè minoris notæ est ratio illa, quę à similitudine filiorum, ad matres desumitur: cùm enim non à materia, sed ab efficiente similitudo oriatur, si matri filius assimilari debeat, ab eiusdem semine effingi debebit.

Verùm si magis explicitè vsum, ac fœminei seminis opportunitatem cuique perc ipere placeat; ex Valleriola primo locorum communium compendiatim perceptum velim, is enim capite 17. sic scripserat. *Equidem cùm genitale maris semen vuluam omnino implere nequeat (non enim exiguitate sua & fundum & illius processus, quæ cornua vocantur, aspergere potest) mirabile quiddam in eo machinata est prouidentissimi natura, vt quæ fœmineo semine partem omnem hanc subleuerit, ad quam virile semen pertingere non potest. Matricis enim processibus vtrinque vas seminarium est adiectum ex fœminæ testibus procedens, à quibus vasis fœmineum eiaculatur semen mulieve cum viro contumbente, inque vteri sinum, vnà cum virili semine effunditur, illique admiscetur. Inde vbi admixta sunt ambo semina membranulis copulantur, quas motu suo atque progressione fœmineum semen parit, vt membranuli his crustulis quàm simillimis foueri in vtero genitura possit. Atque hunc vsum virili semini fœmineum semen præbet; frigidius enim cùm sit maris semine, cogi in membranam faetilius potest: tum etiam virili semini est alimenti instar; tenuius enim ipso cùm sit, & frigidius, accommodatius ad alimentum præstandum, quàm quiduis aliud est. Eiaculari porrò à mulieribus semen, vnaque cum maris semine comisceri, vbi conceptura sunt, ipsa sensuum fides plenè indicat. Testantur enim mulieres, quandam se sentire in vulua commotionem, ac veluti comprehensionem quandam seminis, vbi conceptura sunt: tum & voluptate sese plurimâ perfundi, dum semen eiaculantur. Qui quidem motus non à mulieribus solum, sed & à viris in concubitu percipitur, vt manifestissimum sit, & fœminas semen emittere, & hoc ipsum semen fœtus magno vsui esse.* Hactenus Valleriola non minus dilucidè, quàm sapienter; vt ideo afferre vlterius rationum longiorem seriem ad probandam seminis muliebris ad generationem necessitatem, opus existimem superuacaneum; cùm contraria sententia, vel ab ipso Peripato sit propemodum exposa. Cæterùm plena Scholasticorum volumina, plenioresque Asclepiadum libros adire ad libitum cuique fas est.

CA-

CAPVT VIII.

Cur si fœmina fœcundo semine diffluit, suo tamen cum sanguine, suoque in vtero citra maris genituram concipere nequeat.

SI mulier ex Hippocrateorum sententia fœcundum, ac γόνιμον semen obtinet, necnon generationis materiam, nempe sanguinem semper in promptu habet, atque insuper ipsum conceptionis prædium, vterum scilicet fert secum ipsa; vnde est, quod ex se sola absque viri semine non concipit? Nimirum inter multa Peripateticorum argumenta, quibus fœminas prolifico semine spoliare nituntur, hoc certè validissimum censeri debet, neque solutu facilè, quemadmodum ex sequentibus innotescere cuique poterit.

Quod enim Iatrophysici aliqui respondent primò, difficultatem nequaquam enucleant; dicunt enim, quod quamuis mulier suum adepta sit semen generationi commodum, ipsum tamen per se solum absque virilis genituræ commercio haudquaquam conceptioni supplere posse, eo quia debile nimis est, frigidum, & inefficax. Etenim responsio hæc Hippocrati in primis repugnat, qui quidem in libello de Genitura apertis fidibus enunciat, in fœmina reperiri semen tam fœmininum, quàm masculinum, necnon interdum fortiorem esse, quæ à muliere, quàm quæ à viro decidua est, genituram: verba sunt hæc: *Quandoquidem fortius est semen à muliere emissum, aliquando verò debilius; similiter etiam quod vir emisit. Et est tum in viro fœmineum, itemque masculum semen, tum itidem in muliere, &c.* Si igitur hæc ita se habent mulier illa, quæ masculinum, atque adeò fortius à natura contineret semen, posset ex se concipere; non enim auxilium, aut energiam præstolari posset à viro illo, qui fœmineum semen, atque adeò debilius infunderet, nam hoc verè debilius, illud ex se fortius, efficaciusque existeret; quamobrem haud est verisimile, robustius ab imbecilliori opem auxiliumque mutuari.

Alij nonnulli dixere, quòd licet e seminibus vnum altero sit robustius, ambo tamen simul coniuncta à natura ad Generationem destinata fuerunt, ita vt vnum absque altero nequicquam operari valeat; ideoque neque fœmina, neque maris per se solum generationis ministerio sufficere posse; eo prorsus modo quo causæ quædam partiales ad vnum effectum à natura ordinatæ nequeunt seiunctim eundem producere. At neque huiusmodi responsio satisfacit; siquidem saltem sequi deberet, quòd quamuis vnum absq; altero completum, absolutumque conceptum efformare nequiret: rudem tamen, & incompletum fœtum singula per se edere valerent; atque adeo mulier aliquam inchoatam saltem, & imperfectam sobolem sola concipere posset.

Has difficultates odoratus ingeniosissimus Vallesius 2. Controuersiarum aliam commentus est solutionem; inquit enim, ideo mulierem quamuis fœcundo affluat semine, absque viri commixtione ex se concipere non posse, quoniamsi frigidior illa sit, debilem, ac prorsus inutilem obtineret ad conceptum genituram; si verò calidior, posset quidem quodammodo seu valido concipere semine, at quia præ caliditate materiæ vbertas deficeret, quæ seminis, & fœtui pro pabulo suppeditaretur, conceptum perficere nequiret. Placet ipsamet Vallesij verba recudere: *Si fœmina non est caloris maximi, neque semen est multæ actionis; si verò calidissima est, minime est excrementis abundans: ac proinde nec satis habet multam materiæ copiam ad fœtus generationem; quare necessariò in muliere, aut debilitas est principium, quàm vt solum possit coagulationem facere: aut materia deest, quæ fœtui pabulum præstet.* Nititur insuper falcire opinionem suam Vallesius experimentis; quandoquidem frequenter mulieres ex se ipsis rudes, & incompletos conceptus producunt absque virili contactu nempe molas, & carnis informis frustula.

Verum enimuero pace, & venia summi coriphæi implorata dixerim, nihil plausibilis huiusmodi sententia accedit, mihique valde Vallesij ingenio inferior videtur, Quippe dari potest mulier (quin passim inuenitur) quæ media sit inter extrema illa Vallesij; adeo vt semen satis calidum, & masculinum proferat, nec tamen materiæ, & sanguinis vbertate careat; qua ratione arbitrio illius citra virum concipere posset, quod est longè absurdum.

Præterea, apud illas mulieres, quæ præcalido semine diffluunt, etiamsi materiæ desit supellex, sæpe fieri deberet primum aliquod conceptionis rudimentum, & staminum, siue spermaticarum partium obscura delineatio; & si deinde sanguinis penuria perfici non posset, excludi tamquam abortiuus embryo, in quo trium principum partium, & membrorum omnium stamina essent conspicua, vt solet in genitura septem dierum contingere, quam vnus medicinæ Genius Hippocrates obseruauit in abortu psaltriæ illius mulieris, quæ genituram post sextam diem data opera exclusit. Profectò id si verum vllatione foret, petulantes Viragines, aut salaciores viduæ vel pudendorum obsceno contactu,

cunque nocturnis in somno effusionibus quàm sæpissimè abortiuos hos fœtus & concipere, & excludere deberent; quod tamen certissimè contendit, atque detrectat. Adde insuper quòd molæ, & informis carnis frustula ex Hippocratis, & Galeni dicto nequeunt absque viri consortio produci, vt alibi fortè consultò probabitur. Præter quamquod rarius illę eueniunt, quàm deberent, si ex sola mulieris seminis fusione coagularentur. Eoque nam amabo inconiugata mulier esset, quę aliquando hos fœtus abortiuos non excluderet? Hinc Andreas Laurentius lib. 8. de formatione fœtus capite 6. contra Vallesium assurgens aiebat: *Quæ si verè essent, viragines calidissimæ citra viri complexum frequenter paterentur abortus, & aliquando obseruatum esset, septima die genituram iam dearticulatam effluxisse, in qua trium partium principium rudimenta, & spermaticarum omnium partium prima flamina conspicua fuissent: Hæc enim solius seminis non sanguinis sunt opera; quia sanguis ad conformationem, & distretionem partium nihil præstat; nec nisi post inchoatam spermaticarum partium descriptionem affluit.* Hactenus Laurentius, qui tamen tam redarguendus ipse venit, quàm aliquem reprehendit; siquidem citato loco litem ipsam compositurus nil aliud promulgare sciuit nisi quod, licet mulier efficientem in se causam atque materiam contineat, eam tamen perfectum fœtum citra maris concursum edere non posse, quòd eius semen debilius, ac frigidius existat. Coarguendus certè venit doctissimus iste vir; primò quidem quoniam si, vt ait, perfectum fœtum edere mulier non potest citra maris congressum, deberet saltem imperfectum concipere, & aliquando excludere, quod ipse in sententia Vallesij damnauerat: secundò longius à veritate, & ab Hippocratico dogmate abiuit, dum absolutè pronunciauit, muliebre semen semper virili debilius, ac frigidius esse; vt enim supra ex Hippocrate demonstrauimus, mulier interdum robustius, quàm vir semen effundit, & mascula genitura nequaquam defraudatur.

Recentissimus auctor Ioannes Gallego de la Serna arduam & ipse, atque sentosam difficultatem reuoluens tractatu primo libri tertij de principijs generationis, vt à tanti argumenti ui se expediret, ineam iuit sententiam, vtpotè arbitratus, semen fœmininum, ac masculinum specie differre, atque essentialiter; ideoque non posse fœmininum, etiam si multum, ac validum supplere masculini vicem. Verùm quòd genitura maris, ac fœminæ specie differat, est omnino absurdum; sequeretur enim, quod proles ex vtroque semine genita non minus spuria, & æquiuoca esset, quàm qui ex equo, & asina exoritur mulus, quam ferui commiscentur.

A Et sanè si mulier & vir ipsi per se specie non differunt, quemadmodum in primo libro abundè probauimus, qua ratione veriusque seminis diuersa specie esse possunt? Quòd si sterilitas, vt Gallego fatetur, ex sola contingit seminum in primis qualitatibus discrepantia, qua ratione fœcunda esse possent, si forma inter se dissonarent? Insuper sequeretur, quod etiam sanguis, cæterique humores, etiam viscera, testesque conficientes semen inter se specie distarent; quorum enim æquiuocus effectus est, non potest vniuoca esse causa. Quam verò sit hoc absonum, vel Musarum Tyrones indicent.

B Ita ergo aliis omnibus conuulsis opinionibus meam in medium afferam, non multis obnoxiatam verborum ambagibus. Dico itaque, ideo mulierem non posse citra viri genitalem rorem concipere; quoniam in ipsa generatione motus principium fit à semine viri; si autem principium talis motus deficiat, deerit quoque progressus, ac finis. Quòd in semine viri sit principium motus expressis verbis non vno in loco enunciauit magnus Philosophus, ac præcipuè 6. de generatione animalium capite 2. vbi marem ita generationis principium constituit, vt omnem à muliebri semine auferat motionem.

C Profectò maior illa efficacia, ac præminentia, quæ masculino semini pari voto à Philosophis, ac Medicis decernitur, nequaquam consistit in maiori copia, non in maiori robore, seu masculinitate; siquidem vt ex Hippocrate iam ostendimus, muliebris interdum genitura copia, viribus, & masculinitate virili præcellit. Igitur alibi reponi debet; in hoc scilicet, quod sit motionis eius initium, quasi fœmininum semen antequam masculini accedat impulsus, sit omninò otiosum, ac penè sopitum; vbi verò ab illo excitatum fuerit, suas partes obeat, suoque munere fungatur, & validius etiam, quàm ipsum virile semen. Roborabo sententiam nec inualidis, nec incongruis exemplis. Quemadmodum piper, aut cinnamomum, in quibus virtualis reperitur caliditas, nequicquam calefacere possunt, nisi excitentur, & in actum deducantur ab actuali genuino calore, licet hic illa sit remissior, ac debilior; vbi verò fuerint e potentia in actum educata, ipsum etiam excitantem calorem & fouent, & augent, cumque illo alias quoque partes calefaciunt, ac viuificant. Ita muliebre semen, licet sit per se forte, validum, & fœcundum, nisi adueniat prius virilis impulsio, siue entelechia, inutile prorsus erit: At illa accedente, statim suam & ipsum edet motionem, continuò promet energiam, atque adeò perfectum vndique cum illo fœtum dabit; quare muliebris genitura erit veluti generationis motiuum

D

quodpiam potentiale, quod alio excitante, & quasi impulsore indigeat. Rursus bina iugaboum, tametsi currum vnà traherent æquis viribus, nisi tamen qui proximiores rhædis adsunt primò impellerent, nunquam tractio fieret; ideoque principium motus pari, quod curru immediatè prostat, acceptum referri debet.

Cæterùm si quæras, vnde sit in virili semine primum hoc motionis principium, aut in qua potissimum vi collocari debeat? Respondeam, id non facilè explicari posse; siquidem non in maiori copia, non in vberiori caliditate, neque in masculina virtute adæquatè reponi potest; hæc enim omnia muliebrem quoque genituram decorare possunt; verùm consistere arbitror in quadam naturali dote, quæ masculino sexui à naturæ præcipuè indita est, quatenus iste præminentia quadam insignitur; atque adeò haud esse dixerim qualitatem, virtutem, calorem, aut simile quidpiam, sed naturæ ipsius quendam ordinem, ius, atque præcellentiam; (nam vis naturæ prioritate etiam mulieri antecellit) quæ omnia in cunctis naturæ operibus elucescunt, in quibus ordo, ac dignitatis gradus vbique conspicitur: eo prorsus modo, quo Princeps, ac Rex ad cuius nutum subditi omnes reguntur, mouentur, & ordinantur, nihil plus naturalium virtutum quàm reliqui homines possident (immo sæpe naturæ vitijs imbuuntur pluribus) constant enim eadem secundum speciem tum anima, tum corpore, ijsdem partibus componuntur, isdem humoribus implentur, ijsdem facultatibus decorantur, humanisque alijs dotibus locupletantur; vtinam etiam deteriori animi, & corporis conditione non detinerentur interdum; sed sola dignitas, & politicus quidam ordo talem agit præminentiam; ita vt ad eius aspectum, ac præstantiam cuncti moueantur, inclinentur, pareant, atque homagium præstent.

CAPVT IX.

Quo pacto semen in Generatione humana rationalis animæ productionem attingat.

OMNIS quippe substantialis generatio consistit in actione, quæ formam producat, vnàtque materiæ. Modò non immeritò inuestigandum hic subit, qua ratione in generatione hominum huiusmodi actionem semen valeat exantlare, quando rationalis anima, quæ in corpus ipsum introduci debet, haud extraducè est, aut vllo modo è materiæ gremio elicitur; nec similiter corporea est, vt valeat inde seminis ipsius terminare actionem. Porrò scholastica licet potius huiusmodi quæstio videatur, non erit tamen ab re hic paucis eandem enucleare, vt sciant saltem Philosophi, quo sensu apud Aristotelem recipi debeat decantata sæpius patrimia: *Sol & homo generant hominem*: D. Thomas Primæ 11. quæst. 118. hanc difficultatem odoratus negauit, aliam esse necessariam actionem ad hominis generationem, quę actio intrinsecè rationalem animam attingat, eam corpori organizato veniendo; sed sat esse, vt dici queat, homo hominem generat, si præparetur ab eo materia, & ita vltimò disponatur, vt ipse Deus mox animam infundat, vnà tque nutu proprio absque hominis vllo alio concursu; & hunc nisi fallor speciare videtur illud Boetij moetro 9. lib. 3.

Hic clausit membris animos
Celsa sede petitos.

Quasi animarum creator ipse Deus eas propriis corporibus vnàt nihil cooperante homine.

Verùm enimuerò huiusmodi opinio licet satis probabilis plenè satisfacere non videtur. Siquidem dispositiones, quæ vt agentis instrumenta formam non attingunt, se habent omnino ex parte subiecti, ac passiuæ potentiæ; quare homo has duntaxat dispositiones præuio semine producens, non actiuè, sed passiuè potius, ac materialiter niteretur ad sui similis productionem; quod nimirum est absurdum, & à communi philosophantium cœtu longè alienum.

Æquius profectò Caietani recipi potest opinio 1. par. quæst. 18. artic. 3. existimantis, in humana generatione dari ex parte ipsius hominis actionem terminatam ad ipsam animam, non quidem vt creabilis est, & vt absolutè accipit esse; verùm vt accipit esse in materia, & quatenus corpori copulatur; etenim primo modo est soluumodo creationis diuinæ terminus. Secundo verò naturalis productionis meta. Nempè creat quidem animam se solo plasmator maximus Deus, vnde vates, qui supra:

Tu causis animas paribus, vitasque minores
Prouebis.

At eandem non vnit independenter ab humana actione, quam homo dum generat, seminariæ virtutis elicit interuentu. Verùm quidem est, nec nisi Atheos aliquis inficias ibit, posse Deum animam nullo labore post quàm creauerit, vnire etiam; at non facit, quoniam relinquit etiam naturæ opus suum; si enim Deus omnia solus agere vellet, superflua, ac deses otiaretur natura, foretque omnis productio creatio potius, quàm generatio.

Sed age, inquies, istius modi vnitiua actio spiritualis dicenda erit, an materialis? Spiritualis vtique, quonjam est idem re cum anima, quamuis eliciatur à potentia corporea, non

Digitized by Google

non elevata; quod non est absurdum; quandoquidem actio ipsa respicit animam, non vt simpliciter spiritualem, & incorpoream; sed vt corporis entelechiam, & formam, ab eoque dependentem, eidemque compatientem quasi per idiosyncrasiam iuxta illud Maronis 6. Æneidos:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auram
Respiciunt clausæ tenebris & carcere cæco.

Ergo igitur, vt in humanæ generationis liturgia semen actione sua rationalis animæ productionem attingit. Si plura quis cupit Theologistas consulat, necnon Conimbricenses 1. de generatione, & corruptione quæst. 13. art. 1.

CAPVT X.

De vi magnetica seminis virilis ad muliebre semen.

QVI mulierem passiuè tantùm ad Generationis liturgiam conuenire putarunt, nullum penè fortius argumentum afferre solent, quàm quòd sæpissimè in vtero conceptio sequitur absque eo, quòd mulier voluptate aphrodisia delinita semen vllum effundat. Id licet prudentiores viri veluti anicularum fabellas detrectarint, & nos quoque in primo libro citra vllum omnino pruritum concipere posse mulierem quantumuis in Venere torpidam inficiati simus; solent enim vel quæ fallaciores sunt mulierculæ callidè vt plurimum libidinem suam obregere, & obscenæ voluptatis dulcorem vafrè dissimulare; Attamen id etiam facilè contingere posse, meliori iudicio examinaui, & mentis lance saniori libraui. Ita Dictator noster Chous nihil temere affirmandum, aut negandum esse 6. epidem. præcipiebat; nec par est semper, & in omnibus muliebre genus tamquam versutum, callidum, & mendax insimulare; quasi nulla reperiri mulier possit, quę nullis, aut leuibus percita Veneris igniculis viro commixta, & subagitata necessariò simul semen suum emittere, magna cum voluptatis mulcedine debuerit, si tamen inde concepit. Quod quatione fieri possit, ita persuadum volo.

Dari in cunctis rebus naturalibus vim quandam magneticam dictam, siue dicas attractiuam, experimenta docent, & viri doctissimi asseuerarunt. Ita Scaliger vapores, & exalationes, quæ meteororum sunt proxima materia, & suspensas in aere nubes à vi magnetica Solis eleuari, & suspendi existimauit; ita fontium in altis montibus scaturigines à Solis, ac terræ virtute eadem electrica pronocari, & exoriri Ludouicus Molina de opere sex dierum, & Conimbricenses arbitrati sunt. Ita, me arbitro, alimentum illud, quod tam diuersum è terra, ab omnigenis prolectatur plantis, non nisi à vi magnetica cuiusque germinis trahi, verisimile est; itaut quemadmodum magnes e tot metallis vnum allicit, ac trahit ferrum, ita vnaquæque planta e tot succis, tot alimentis, quæ in terra reperiuntur, illud solum allicit, atque ducit, quod sibi congeneum, sibi familiare existit, non aliud: adeo vt sterilescere potius eligat, quàm alienum attrahere humorem, aut si attrahat, suo fortè symbolico deficiente, statim degeneret. Mirabile quippe naturæ decus, quo videmus in paruo solo sexcentum diuersæ speciei vegetare plantas, quæ omnes vi magnetica proprium, atque connaturalem alliciunt succum, qui pariter non cuicunque obedit attrahenti germini, sed illi tantum, cui debetur.

Magna hæc, & arcana magnetica virtus longè magis in animalium semiuibus reluceat quæ vti sunt à natura ad præclarum Generationis opus producta: ita ad inuicem trahi, ac trahere debebant. Sterilescere fœminas palmas, dicebat Aristoteles, nisi mares prope sitos habeant, à quibus vim genitalem virtute illa magnetica ad se prolectent, attrahantque. In virili semine, sicuti etiam in semine cuiusque speciei masculorum vis quædam electrica ad fœmineum semen reperitur, qua vbi primum illud in vterum infunditur, allicit, ac ducit fœmineum ad se, vt simul cum illo præstantissimam conceptus fabricam componat: idque incerdum sit absque eximia mulieris voluptate, quæ tunc duntaxat magna excitatur, cum tota simul seminalis materia calore agitata funditur, ac repentè delabitur. At cùm pedetentim e virili semine fit eductio, modica sentitur voluptas, quæ vt stillatim, & sine orgasmo semen è muliebribus vasis scaturit, ita leuiter, & quasi stillatim dulcedinem quandam producit.

Magnetica huiusmodi virtus ex eo manifestissimè probatur, quòd cùm primum semen virile in vterum infunditur, mulier summa delinitur voluptate, eiusdemque semen alioquin restibile, & minus pruriens alteri attrahenti velociter obedit; ita vt voluptas, quæ à proprij seminis effusione efficitur, tunc producatur in muliere, cùm semen immittitur virile, quòd electrica virtute momento fœmineum (aliud sibi compar semen) attrahat, deducatque, in cuius deductione, & effusione dulcor Venereus consistit. Doctrina hæc non absque Hippocratis nutu est libello de Genitura, vbi hæc leguntur, quæ ab ingenioso lectore intimè perpendi desidero. *Et delectatur mulier, vbi coire incœperit per omne tempus, donec vir semen emiserit.*

Et si quidem appetit, viro commisceri, priusquam vir emittit, & de cætero non similiter delectatur: si verò non appetit; simul cum viro delectari desinit, & habet res hoc modo: quemadmodum si quis in feruentem aquam alteram frigidam infundat, illa feruere cessat; sic genitura viri in vterum illapsa caliditatem, & voluptatem mulieris extinguit. Exilit autem voluptas, & caliditas simul cum genitura in vtero illabente, deinde desinit, quemadmodum si vnus in flammam vinum infundat, primum quidem contingit flammam exiliere, & per modicum temporis augeri ad vini infusionem, deinde desinere. Ita etiam mulieris caliditas exilit ad genituram viri: deinde desinit. Igitur ex verbis Hippocratis colligitur, quòd licet mi- B
sceri mulier non appetat, attamen ab infusione virilis seminis non parum delectetur; eo quod viri semen iniectum muliebre statim adnocet, quod & ipsum ex innata conuenientia, ac sympathia sit aduenienti hospiti obuium, obtemperat, blanditur, quæque omni spiritum suppellectili præstò est. Addo ego, quòd si fortè fortuna in vterum infusum virile semen nequeat statim illud probectare ob mulieris repugnantiam, frigiditatem, aliudue impedimentum, prolectabit pedetentim paulo post, parua mora interiecta, non sine mulieris titillatione aliqua: & sic tanquam ex perfecta genitura fœtus architectari incipiet, & mulier concepisse dicetur absque illo celeri concursu, quo vt plu- C
rimum cum viro conuenire solet, & manifestiam, effusum, totamque simul voluptatem patere.

Vt autem sequatur huiusmodi effectus, nempè muliebris seminis illicium, supponi debet, quòd semen actu in vasis illis muliebribus contineatur e quibus effusio fieri solet, dum polluuntur; necnon etiam, vt parum incaluerit, commotumque fuerit; alioquin magnes vt non trahit ferrum in magna distantia situm; ita virile semen in vterum proiectum nequibit a supernis vasis præparantibus elicere genitalem mulieris humorem. D

Cæterum veritas huius opinionis ex eo roborari posset, quòd nonnullæ mulieres nullo pacto Venerem in concubitu absoluere semine fuso possint, nisi prius vir emittat; statim autem quàm vterus virili semine irroratur, semen mulieris, caliditas, & voluptas exilit, vt Hippocrates aiebat, libidinisque prurigo expletur. Quæres, an virtutem eandem magneticam obtineat muliebre semen erga virile? Respondeo, actiones esse præualentium, idcoque cum fortius, & efficacius, immo etiam & vberius vt plurimum sit viri semen, in hoc reponi debebat vis electrica; & licet robore, & copia multò inferior genitura virilis existeret; quòdam tamen naturæ ordine, ac præminentia sexus in A
agendo præcelleret, vt pluribus paulò supra explicauimus; præterquamquòd non muliebre sinum viri infundit, sed vir in mulieris conceptaculum. Adde, quòd virtus magnetica non est reciproca; magnes enim ferrum, non autem ferrum magnetem trahit: debebatur autem vsui genituræ præminentia.

CAPVT XI.

An in semine formatrix virtus resideat, ac vero extrinsecus in Generationibus adueniat.

NON pauci præcipuæ auctoritatis Philosophi cespitarunt, num in semine, humani generis traduce formatrix reperiatur facultas, quæ concinnam fœtus delineationem, eiusdem partium situm, ordinem, connexum, ac symmetriam effingit. Videntes enim corporum humanorum in primis admirandam structuram, præclarum artificium, eximiamque venustatem, haudquaquam induci potuerunt, vt crederent, prouinciam tàm opus naturæ esse; verùm alterius cuiusdam sublimioris principij, supremiq. numinis; quod sentire visus est in primis Trismegitus ille Theographorum maximus, cùm dixerat: *Cogita, o fili, artem, diligenter perpende, & dicte quis sit opifex, qui hanc hominis pulchram diuinamque imaginem fecerit, quis oculos formauerit, quis neruos tetenderit, quis nares, & aures terebrauerit, quis os aperuerit? Aspice, quot artes vnius materiæ, quot opera vna circumscriptione, cunctaque pulchra, cunctarum mensura, cuncta sursum; quis hæc omnia fecit? quæ mater? quis pater, nisi inuisibilis Deus, qui sua voluntate operatus est?* A Mercurio non discrepat Empedocles, cuius illa sunt carmina.

Omnia quot quot erunt, quot sunt præsentia, quotque
Orta fuere ante hæc stirpes, hominesque, feræque
Inde etiam volucres, piscesque humorit alumni
Sunt figmenta Dei.

Qui fieri potest (aiebat ille) vt semen, & natura, quæ cæca rationis ductum agunt, id operis exercere valeant, quod prudentis artis consilium, consultamque solertiam, aut solertem poscit industriam; cuiusmodi nempe est, quæ organici corporis contextum, membrorum varietatem, harmoniam, atque apparatum exprimit?

Inde ergo factum est, vt varij in varias abierint opiniones. Zeno, & Leucippus, referente Galeno, arbitrati sunt, formatricem hanc virtutem fru-

Digitized by Google

ſtulum quoddam eſſe ipſius animæ. Straton, ac Democritus ſpiritualem quandam energiam. Epicurus, & Aſclepiades omnia caſu fieri, ac fortuito atomorum concurſu cenſebant. Chryſippus in ſemine dixit formatricem reſidere virtutem, non quidem a Cœlo, & ſupernis cauſis; verum a generante communicatam. Alij nonnulli aſſeuerabant, animalium, & plantarum ſemina fuiſſe ab initio a prima cauſa uſque adeo virtutibus locupletata, vt generationis tempore ipſa per ſe, nullo accedente extrinſeco auctore, motionem excitare, atque nouum germen efformare valerent. Plato, & Ariſtoteles virtutem cœleſtem: Arabes, vt 7. Metaphyſices teſtatur Auerroes, virtutem diuinam rationis, & intelligentiæ comporem. Auicennas præ cæteris commentus eſt Cholcodem illam ſuam, ſublunarium omnium formarum productricem. Galenus & ipſe in libro de formatione fœtus, nondum ſibi conſtare ait, an mundi anima per ſeipſam corpora viuentia architectetur; tameſi dignam cenſeat, cui id muneris demandandum ſit. Tandem ſtatuit, ſatius eſſe in tam ardua, & ancipiti quæſtione nihil aſſeuerare, licet ratum habeat, vim formatricem, quæcunque ea ſit, ſummam eſſe, ſapientiam. Ex Platonicis inſuper quidam fuerunt, qui exiſtimarunt, vniuerſam materiam primam ab æterno animatam fuiſſe, ideoque in diuerſis, ac multigenis generationibus ſe ipſam, ſolum ideas reſpiciendo, formare, & excolere. Alij quidam ex Platonis Academia arbitrati ſunt, per vniuerſam mundi molem animam quandam extendi omnium corporum formatricem, & huic ſententiæ illud Maronis 6. Eneidos conſonat.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

His proximè accedit inter Neotericos Medicorum coryphæos Fernelius ingenio vaſtus, qui libro de abditis rerum cauſis opinatur pariter, cœlum, & mundi quandam animam omnium; non modo ſubſtantialium formarum eſſe productricem; verum & quarumcunque naturalium facultatum, ſpirituumque; atque adeò ſemen diſponere duntaxat generationis materiam impetu quodam a Generante inſito, Cœli verò animam formam introducere.

Verumtamen huiuſmodi omnes opiniones haud perſiſtere poſſunt, vti pluribus rationibus apud Ariſtotelis paraphraſtes reiectæ apparent. Quandoquidem nulla creata ſubſtantia a materiæ ſocietate abiuncta vi ſua formam aliquam in materiam intrudere potens eſt; nec Deus, licet abunde poſſit, naturæ opera ſe ipſo patrare aſſolet abſque cauſarum ſecundarum interuentu. Quin ſi ſolus operaretur, cùm nequeat

A ſidem a ſummæ artis præſcripto, & norma deſciſcere, proculdubio nunquam accideret in corporum formatione, vt monſtra, defectus, ac turpitudines effingerentur, quæ tamen omnia quotidie contingunt.

Quamobrem ſtatuendum erit, vt in rei veritatem collimetur, vim hanc formatricem, primariò in Generante reſidere, à quo vtà principali Agente fœtus producitur; ſecundariò in ipſo ſemine reperiri, in quo nimirum facultas eadem tanquam Vicaria conſiſtens materiam, ipſam fœtus architectari, expolire, diſponere, & ornare valeat; neque ad hanc prouinciam licet mirabilem vllum vlterius requiritur rationis conſilium; ſed ſat eſt regulari ad id a ſummo naturæ inſtinctu, quem Auerroes intelligentiam non errantem nuncupabat.

B Quem ſanè inſtinctum, ſeu virtutem omnibus animantibus inſitam fuiſſe arbitror iam tum, cùm Protoplaſta pantocrator animalium cœtum paulo ante productum coram ſe aſtare, iuſſit, illiſque præceptum dedit illud: *Creſcite, & multiplicamini*; quibus verbis vti propagationis virtus indita fuit, ita formatricis quoque energia, inſtinctu inſinuat.

Et quidem vt rationum acie decertemus, tot, viri illuſtres, qui extra propriam viuentis corporis, ac ſeminis ſpheram vagantur, vt formatricem facultatem adinueniant, naturæ iniuriam facere, nec non ad Deum, & Cœlum gratis confugere, videntur. Ita namque naturæ poteſtas, arctè præſtringitur, nimiumque anguſto circumſcribitur limite, immo omnis a naturali Agente auferetur actiuitas; ſiquidem illorum arbitrio ſemina, cæteræque ſecundæ cauſæ diſponerent ſolummodo ad generationem ipſam materiam. Profectò propius metam attigiſſe mihi videntur, qui vim formatricem dixerùt in ſemine reſidere, a parentibus, a quibus id effluxit, communicatam; Alioquin non intelligo, quodnam ſeminis eſſet officium, quod enim materiam duntaxat motione ſua diſponat, nimis vile, ac ſeruile munus eſt; paratur enim eadem nihil minus, fouetur, & excitatur à fœminarum vtero. Quid fuiſſet opus multiplicare ſine vlla neceſſitate entia? D Quomodo adhuc veritatem haberent Philoſophorum decantata dogmata, ſemen videlicet eſſe Generationis principium, fœtum coagulare, formamque præſtare? Præterea vnde manat eſſentia rei indidem debent etiam fluere virtutes omnes, quibus illa non minus in individuo, quàm in ſpecie conſeruetur. Atqui a forma eſt eſſe rei; igitur ab eadem emanare debet virtus quæcunque actiua, ipſaque in primis ius formatiua. Adhuc ex Ariſtotele, & experimento innatus unicuique eſt appetitus generandi ſimile ſibi. Modò fruſtra a natura inſitum eſſet hoc deſiderium, niſi virtutem quoque in-

trin-

Digitized by Google

trinsecam obtulisset, qui cupidinem hanc explere, & consimilem undique fœtum ex se formare valeret; ergo non aliunde, quàm ab interno principio virtus plastica pendere debet. Rursus quemadmodum in quolibet naturali composito materia cuiuscunque passionis est principium; ita in eodem forma substantialis omnium virtutum, actionumque, necnon formarum quarumlibet accidentalium fons, & origo esse debet mediante semine, cui suas virtutes communicat. His omnibus accedat Philosophorum principis auctoritas, qui passim docet, genituram esse, quæ prima generationis principium habet, ac præcipuè 1. de Generatione animalium hæc tulit: *Genitura igitur id vocatur, quod à generante prouenieus causa est, quæ prima obtineat principium generationis.* Hæc, tibi lector, ni fiant satis, Peripatum adeunto, vbi non sine strepitu quæstionem agitatam inuenies. E Medicis verò consule recentissimum Ioannem Gallego de la Serna tract. 1. libri 3. de principijs Generationis, vbi singulas diuersorum Auctorum sententias exarat scholasticè, & expendit.

Cæterùm qua ratione in semine virtus huiusmodi sita vigeat, putarim, spiritibus illis mechanicis nuncupatis tamquam subiecto inhærere; absque his enim, vt supra dicebatur, semen sterile, ac prorsus inutile foret. Quare Paracelsicæ doctrinæ sectatores meritò spiritibus illis vim totam agendi tribuunt, asserentes passim, ex incorporeis, & inuisibilibus elementorum thesauris corporea, & visibilia illos producere. Adeo vt diuina hæc facultas subiectiuè in toto reperiatur semine, formaliter verò in harmonica illa, atque ætherea caliditate, ad quam Generationis liturgiam pertinere supra probauimus; & quantò perfectior, & ab harmonica illa symmetria minus recedens huiusmodi caliditas est; tantò excellentior fœtus ipse conformatur, delineatur, pingitur, mangonizatur, nullo prorsus accedente membrorum defectu, siue artuum inconcinnadeformitate. Porrò talis est ex Hermetica doctrina horum spirituum potestas, vt si scientiam habuerint cordis ex alimento attracto corconformabunt: Si cerebri cerebrum; si hepatis ex eodem alimento hepar, carnes, venas, ossa, neruos, arterias, oculos, aures, & vniuersa membra, quæ ad animalis constitutionem concurrere oportet, idque debito ordine, definitisque temporibus. An non Hippocrates etiam, in hoc spiritali calido omnem animæ collocat virtutem? dum asseuerat, *id quod calidum vocamus immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia*; quin 5. Epidem. vt alibi dicimus, ipsum calorem vocauit animam: *Hominis*, inquit, *anima semper producitur vsque ad mortem.* & libro de diæta: *Ignis omnia per omnia mouet.*

Si quæras, an semper, & in omni semine huiusmodi virtus recipiatur, ac subiectetur? Dixerim, diuinam, & immortalem hanc facultatem non nisi post decimum quartum annum, vt plurimum in semen derinare, qua potissimum ætate substantia seminis incipit perfici; post verò vigesimum annum expletè apud viros informare; At apud mulieres duodecimo anno delabi; experi autem decimoseptimo, vt alibi enunciauimus. Etenim licet pueris rudimentū quoddam seminis insit, hoc tamen formatrici virtuti, siue mechanicę scientię haud est aptum subiectum; quelibet namque forma recipi habet in subiecto ritè parato; quamobrem donec semen cœlesti illo, atque harmonico calore plenius imbuatur, huiusmodi virtus nequaquam infinuatur. Simili modo post annorum diuturnam seriem, quo tempore ab homine recedit natiuus calor, eadem facultas abit, suumque repetit iliastrum, vt cum Hermeticis loquar; non enim rerum seminia vnquam corrumpuntur, vt infra liquidò parebit, vbi de seminalis facultatis incorruptibilitate exprofesso agetur. Tandem ob ægritudinem, qua pariter caloris dissoluitur harmonia, formatrix exoluitur virtus, vt ideo Generationum ministerio huiusmodi quęque semina tamquam inutilia a natura reijciantur. Placet interim exodium breui verborum supellectili ex Idea Petri Dani efficere, his pene verbis: *Generationis humanæ radicem, fundamentum, principium in balsamo illo vitali contineri, quod œniuersi corporis anatomiā occupauit, idque tam in fœminis, quàm in maribus vigere, mutuoque congressu effœruescere, & fusitari, fœcundaque spirituum mechanicorum globule ad testium anatomiam, & hinc ad matricem naturali impetu confluere vna cum materia seminali, quæ in testibus preparata spiritualia principia felicius custodit. In spiritibus verò mechanicis vigere scientiam, cuius potestate elementa, corporum principia, consentanea ex alimentis opportuna mixtione aucta ex inuisibilibus visibilia, ex incorporeis corporea tandem euadunt; partiumque numerum, situm, consensum, figuras, magnitudines, reliquasque signaturas secundum prædestinationes dictæ scientiæ definitis temporibus absolut;* Hæc igitur facultatis formatricis munia sunt, cuius celsa opera sequenti capite clarius percrebescent.

CA-

CAPVT XII.

An, & qua ratione seminis potestas parentum affectiones in genitos, mores, robur, formæ similitudinem, staturam, & reliquos caracteres vnà traducat, & quomodo Auorũ similitudines in nepotibus interdum resudantur.

OMNE animal, dicebat Hippocrates, secundùm parentes nascitur, à sanis sanum, a morbosis morbosum; quæ sententia vsque adeo vera est, vt non modo sæta proles (genitorum corporeas affectiones, vt plurimum referat; verum etiam & ipsos animi mores, pathemata, atque propensiones. Age ergo seriatim animi gratia doctrinam hanc elucidemus:

Scilicet est olim vis rerum in semine certa,
Et reseruant animos singula quæque patrum.
Nec leporem canis Aemathius, timidamue columbam
Notus hyperboreo falco sub axe creat.

Vt canit Marullus. Porrò quod ad corporum attinet accidentia, summus naturæ indagator Hippocrates de hac veritate nos ambigere non finit, tum in ea, quam retulimus, paræmia; cùm etiam libro de Aere, aquis, & locis, vbi apertioribus fidibus idem his verbis testatus est. *Quum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, a morbidis morbosum; siatque, vt ex caluis calui gignantur, ex cæsis cæsi; & vt plurimum distortus distortum generet, eademque ratio sit circa reliquas formas, &c.* Nec modo huiusmodi labes in situ, & partium conformitate in prolem per semen deriuatur; sed longè adhuc sæuiores, ique intrinseci morbi, vt facer morbus, lithiasis, podagra, lepra, scabies, elephantiasis, gallica lues, phtisis, & similes centum hereditarij, seu gentilitij dicti morbi, & egritudines; quarum intuitu nefas erat apud Lacedæmones, viros defectu quopiam commaculatos, & non vndique integros vxores ducere: quinimo, vt Plutarchus refert de sera numinis vindicta, mos erat apud Priscos post parentum obitum, qui aliquo ex his morbis excesserant, illicet superstites filios Medicis tradere curandos. Siquidem parentum morbosi caracteres in semine delitescentes in filiorum analogas portes transmigrant, statoque tempore explendescunt; nec nisi præ-

peditis generationis causis interdum genitorum noxas proles effugere potest, quemadmodum in nostris Prælectionibus de morbis hereditarijs plenè, & ex professo dictauimus, & breui luci, ac publicæ vtilitati, si protendant stamina Parcæ, committemus.

Præterea deriuat semine traduce in filios parentum lacertus, & robur; ita non rarò ex Athleticis Athletici prosemінantur, ex vegetibus vegetes; quare apud Horatium venustè simul, ac doctè:

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam.

Quis vnquam vidit ab languido, infirmo, ac segne Herculem, aut Achillem progenitum? siue ex dasypode pardum, ex dama leonem?

Rursus ab ipsomet semine transfertur ad natos parentum pulchritudo, venustas, splendor, partiumque decentia; quò spectat illud Horatij

O matre pulchra, filia pulchrior. Et illud magis apud Maronem, dum Iuno Iouis, sororis, & coniux Regi ventorum Euro in tempestatis premium contra Teucros suarum nymipharum pulcherrimam Deiopæam in vxorem pollicebatur, vt ex ea venustam vndique excuperet prolem; sic ille:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ,
Quarum quæ forma pulcherrima Deiopea,
Connubio iungam stabili, propriamque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulcra faciat te prole parentem.

At contra simius simium gignit, deformis deformes, hircosus hircosos. Idem prorsus in magnitudine, ac paruitate accidit; non enim pygmæi gygantes, neque hi pygmæos proseminant, sed quantus genitor est, ac genitrix, tantus esse gnatus, ac gnata solent. Id mysticè Ouidius insinuauit in sua metamorphosi, vbi e Gygantum sanguine, post eorum stragem homines haud longe ab origine discrepantes procreatos ait:

Persusum multo natorum sanguine terram
Immaduisse ferunt, calidumque animasse cruorem;
Et ne nulla suæ stirpis monimenta manerent
In faciem vertisse hominum; sed & illa propago
Contemptrix superum, sauaque auidissima cædis,
Et violenta fuit. &c.

Sed age ad mores dirigamus verba, illud genericè cum Seneca in Hyppolito præfati.

Redit ad auctores Genus,
Stirpemque primam degener sanguis refert.

Nunquam ex vrtica petroselinum, vulgari ser-

tur

tur adagio: lilium, & rosa neutiquam solent ferre cicutam, aut malè quempiam redolentem fruticem; sicut exadverso infausta quæque olera, prava, ac deleteria, nec suavi præditos odore flores, nec bona germina in lucem edunt. An id prætermisit, qui mentiri nequit in evangelicis institutionibus Salvator noster Christus? Non equidem, sed palam illud: *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.* Inde in Persa Plautus venustè satis:

Probum patrem esse oportet,
Qui gnatum suum probiorem quàm ipsus fuerit, postulet.

Confirmat Euripides in Hercule furente his metris:

Nisi fundamenta stirpis iacta sint probè
Miseros necesse est esse deinceps posteros.

At si hoc est, scisciteberis, qua ratione contingit, vt generosus pater, ingeniosus, audax, prudens, & sagax filios interdum proferat deà generes, rudes, timidos, imprudentes, ac stolidos; & ex adverso nebulones aliquando magnanimæ, conspicuæque prolis auctores fiant? Insignem hanc difficultatem aperit in suis problematibus Alexander, siue ille fuerit Aphrodisiæus, vt vulgo creditur, siue Trallianus, vt recentiores, isque sapientiores quidam viri non absque ratione autumant. Primo igitur libro problemate vigesimo octauo sic habet. *Cur plerique stulti liberos prudentissimos procreauerunt, & contra multi valde prudentes stolidissimos? Quòd homines stulti ores cum concumbunt totos libidini sese dedunt, itaque animo penitus in corporis concretionem demerso, astricloque rei tantum Venereæ, semen vires optimas tum rationales, tum animales adeptum profiuit, creatque proinde hominem prudentiorem. At homines prudentes, & docti semper aliquid vel honesti, vel vtilis animo complectuntur, nec in ipso quidem Venereo coitu omnino à rerum studio desistunt, itaque animo remissiori profluens semen expers longè facultatis istius animalis incumbit. Hinc etiam deduci ratio potest, cur homines stulti, atque indocti filios robustos maximè procreant, prudentes, & docti imbecilles.* Hactenus Alexander, cuius validissima verba, & rationes intellectui plenè satisfacinnt, vt non sit opus ideo rem longiori conatu perfuadere: & hinc adagium illud originem duxit. *Heroum filij noxæ*; verùm de hoc alibi.

Iam quo pacto & corporis affectiones, & signaturæ, animique mores ad natos per semina traducantur, haud sanè arduum erit explicare; siquidem spiritus generationis opifex talis est fere per idiosyncrasiam, qualis particulæ, a qua defertur, temperatura. Cùm itaque ab omnibus artubus virtualiter semen effluat, ipsorum omnium temperaturam seu caracterismum effingit medio spiritu, dummodo extrinsecus non impediatur; accidere siquidem potest, vt viri semen calidum, fœcundoque spiritu loeuples ab vtero frigidiori, ac mulebri sanguine, seu genitura euincatur interdum, ideoque naturalem temperiem, iconemque immutet, propriasque tincturas amittat. Simili modo cum de recepta Galeni, omniumque Philosophorum sententia mores corpoream temperiem consequantur; quum spiritus seminalis temperamentum effingit, mores illi harmoniæ consonos consequenter colineat. Et quoniam in Veneris agone imaginatio maximè præpollet, fit ideo, vt boni viri probæ cogitationes, rectaque phantasmata in semine ipso imprimantur; sicut perditorum hominum ex adverso prauæ mentes, perperæque imagines. Quòd si nutricis mores per lac deferuntur ad lactentem puerum, quanto magis per semen traduci debent mores parentum ad suam prolem? Etenim efficacius appidò est quod produeit, quàm quod alit; illud est intrinsecum principium, hoc autem extrinsecum.

Sed fortè maior adhuc difficultas erit explicare, qua ratione forma similitudo a seminis facultate pingatur in Genito; siquidem scientissimus Hippocrates libro de genitura sententiam statuit his penè verbis: *Est autem impossibile partum per omnia matri similem esse, & patri nihil, aut è converso, neque alteri quicquam similem esse; sed vtrisque necesse est in aliquo similem esse, si quidem ab vtrisque corporibus semen in partum procedit.* Profectò similitudinis huiusce rationem affert Galenus 2. de semine, capite primo ita prorsus: *Similitudo ex membrorum formatione exsistit non quantum ad communem speciem, sed quantum ad differentias, quæ species aeeidunt. Quippe cùm communis species hominem, equum, bouem constituat: membrorum verò differentia ea sit, quæ aduenum, aut sumum facit, in quo similitudo, & dissimilitudo omnis ad parentes consistit.* Enimuerò Philosophorum opiniones circa filiorum similitudinem ad parentes extitere multiplices. Empedocles similem prolem fieri, aiebat, ob robur genituræ, dissimilem ob languorem: opinio haud sanè contemnenda, si pro robore intelligatur caloris illius ætherei, atque spiritualis substantiæ vigor, & energia, cuius gratia membrorum idòla adamussim exprimuntur; pro languore verò spirituum imbecillitas, ac formatricis virtutis defectus, & segnities. Parmenides oppidò magis sutilem opinionem ferens dixerat, assimilari Genitos patri, si semena dextro effundatur testo, matri si a sinistro. At fortè sententia consistere posset, si de similitudine quoad sexum verba capiantur; nam a sinistro delapsum semen, vt pote debilius potest a mulebri superari, ideoque mu-

Digitized by Google

liebrem characterismum imprimere; a dextro ve- A
ro diuulsa genitura superat, ac triumphat, ideo-
que virum pangit.

Verùm vt ad rem collimetur; sicuti similitu-
do non vna, sed triplex extat, ita eiusdem
non vnicum, sed triplicatum est principium.
Nempe Generis similitudo suam ducit origi-
nem ex materia vnde fit: Similitudo specici ex
seminis motione vel maris, vel fœminę, eius-
demque temperatura: similitudo eandem for-
mæ ortum suum nouit ex dominio seminis v-
triusque parentes. Etenim quodcunque gene-
rat ea, qua donatum facultate, nisi extrinse-
cus præpediatur, tale quid generabit quale ip-
sum est, non modo secundum genus, & spe-
ciem; verùm etiam iuxta partium delineamen- B
ta; qua ratione perfecta est Generatio, ipsum-
que genitum animal omnibus numeris absolu-
tum; quandoquidem in semine Generantis si
perfectum illud sit, perfectèque mechanica
scientia imbutum, reperiuntur facultates
genericæ, specificæ, & indiuiduales. Generica
facultate genus proditur, specifica species, in-
diuiduali verò tale indiuiduum. Exempli gra-
tia, Socrates, vt animal quoddam est ea, qua
fœcundatur seminali facultate animal gignit: vt
homo hominem: vt hic homo, hunc sibi con
similem producit; adeo vt si quæ proles pro-
mitur, non sit etiam iuxta indiuidualem figu-
ram similis, monstrum appellari valeat; quod
exarauit Aristoteles 4. de Generatione animal. C
cap 3. vbi sic legitur: *Qui enim suis paren-
tibus similis non est, monstrum quodammodo
est; discessit enim in eo quodammodo natura
ex proprio genere, eœpitque degenerare*; nam
vt Hermetici aiunt Philosophi: *Progredientia
semina ad legis imperium signaturas, qualita-
tes, quantitates in Generationis liturgia profe-
rent, si aliorum seminum confluentium tinctu-
ris, & impressionibus non impediantur*; vide,
si placet, Seuerinum illum, feuerè nimis do-
ctum. Ita, auctore Aristotele 2. Politicorum,
apud Gammatas, quibus communes erant v-
xores, quilibet filium suum ad similitudinem
agnoscebat.

Et hinc non iniuria brutorum generatio hu- D
mana perfectior aliquibus visa est; quandoqui-
dem sæpissimè, immo fore perpetuò apparet,
ferarum pullos ijsdem penitus caracteribus,
præter pellium varietatem) insignitos ad lu-
cem prodire, eodem integi pallio eandem cor-
poris molem, ac ferociam ostentare; adeò vt
postquam ad incrementum peruenerunt, vix a
Genitoribus suis distinguantur. Id quod in-
humana generatione munus contingit; rarò
namque in hominum fœtu illud 1uli decan-
tari potest.

Sic oculus, sic ille manus, sic ora gerebat.

Cuius nimium euentus ea potissima ratio est
quod bruta non sit mente, vt homines distra-
huntur, non sic ciborum alterantur ingluuie:
luxu, ac libidine non ita hebescunt: non tot
subiacent Cœli, temporumque iniurijs; ac tan-
dem eorum semina haud ita facile ab extrin-
seco patiuntur, vt inde proprius immutent
caracteres, ac tincturas. Atquidoctrinam hanc
pulcherrimè exaratam, & ad vnguem registra-
tam penès nostrum Hippocratem, si cui pla-
ceat haurire adeat librum de Aere, aquis, &
locis, vbi hæc leguntur: *Reliquum autem in
Europa hominum genus valde inter se dissimi-
le est, & diuersum, tum quod ad magnitudi-
nem attinet, tum quod ad formam, atque id pro-
pter temporum mutationes contingit apud eos
magnas, & frequentes. Sunt enim eis calores
vehementes, & hyemes fortes, pluuiæ multæ, nur-
sumque siccitas diutina, & venti plurimi, ex
quibus multæ, & omnimodæ fiunt transmuta-
tiones. Neque a vero discrepat circa generatio-
nem hai ipsas mutationes sentiri, inque seminis
genitalis coactione aliam, neque ex eodem etiam
eandem æstatis pariter, vt hyemis pluuioso, vt
sicco tempore progigni. Eaque causa est cur pu-
tem Europæos, magis quàm Asianos secundum
corporum formas inter se discrepare, & magni-
tudines diuersissimas, in singulis adeò vrbibus
prouenire. Plures enim corruptiones contin-
gunt in seminis coactione, quum tempora fre-
quenter variant, quàm si eadem sunt, & simi-
lia.* Viuit Deus, quod Hippocratis hæc do-
ctrina naturæ mira aperit arcana. Confirmat
Aristoteles relatum dogma decima sectione pro-
blematum 12. vbi quærens, cur in brutorum
genere mostra non appareant, quot in huma-
na specie: *An quia*, respondet, *homo vago, va-
rioque plurimum animo est in coitu; cætera
verò animantia rei tantum ipsi intendunt, to-
taque sese Veneri dedunt.*

Vnum illud silentio prætereundum non erit
quid sit nimirum quod proles interdum ne-
patri, nec matri similis prodit, sed auo, vel a-
tauo. Pro quo dicendum erit in semine Ge-
nerantis maiorum etiam seminales reperiri fa-
cultates obscurè tamen potentia, ac remotè;
quod probari à signo, vel ex eo posset, quod
nepotes ab auis, necnon pronepotes ab ata-
uis ardentius diliguntur, in eisque perpetuari
creduntur. Quocirca si ipsius proximè Gene-
rantis genitura sua defraudetur proxima, pro-
priaque virtute, qua consimilem sibi fœtum
producat, continuò reuiuiscit apud illam, in-
surgitque aui, aut ataui, quæ magis prævalet
formatrix potentia, fingitque, formatque ne-
potem sibi simillimum quoad potest. At verò
quod proxima Generantis impediri possit fa-
cultas, iam paulo supra ex Hippocrate enun-

ciauimus, qui rem expressè verbis illis insinuauit: *plures corruptiones contingunt in seminis coactione*. Cæterùm sub obscura quadam phrasi eandem ipsam sententiam inculcat Aristoteles; ait enim superius nuncupato loco, quòd si soluatur motus eius, qui generat, fœtus non erit patri similis; sed age quid est solui generantis motum? Profectò nihil aliud, quàm Generantis ipsius facultatem debilitari, atque impediri, quò minus valeat fœtum adamussim similem pœniciliare, & parentis insignire lineaturis. Quod fortè significare voluit Auerroes 4. de Generatione animalium, vbi aiebat, quod quotiescunque masculinitatis forma menstruum mouet, si validè, & efficaciter moueat, gignuntur non modo mares, verùm ijdem patribus vndique similes; si verò segniter moueat, fieri quidem mares, sed Genitoribus dissimiles; & sic solui per Auerroem Generantis motum, est virtutem seminis debiliter agere, aut forsan nihil agere, & multum pati, vt verbum solui pro dissolui habeatur; qua in re Empedoclis opinioni superius relatæ suffragari videtur. At cur instabis, Generantis hic soluitur motus? Rationem Aristoteles ipse adducit, dum eodem capite subdit: *Causa vt motus soluantur, est, quòd omne agens patitur etiam a patiente, vt quod fecat hebetatur ab eo, quod secatur: quod calefacit refrigeratur a calefacente; denique quodcunque mouet, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu.*

Verùm vt regia hæc doctrina maiori fulcita lumine nitescat, ejusdem Philosophi selectiores quosdam contextus apponere minus grauabor ego, tuque minus ægrè feres; is igitur 4. illo de generatione animalium capite 3. sic primo habet: *Quamobrem ex facultatibus insunt in seminibus eiusmodi omnium motus: Maiorum etiam propria in nepotum semine insunt potentia; sed propinquius semper quod particulare est, particulare Coriscum dico, & Socratem.* subdit paulò infra: *Insunt autem motus alij actu, alij potentia. Actu insunt motus eius qui generat, & vniuersalium vt hominis, vt animalis. Potentia insunt motus fœminæ, & Maiorum tam in patre, quàm in matre; mutatur igitur transigens in opposita; motus autem qui creant, soluuntur in propinquos; verbi gratia motus eius qui generat, si soluatur, primum differentia minima in motum patris transibit, mox in aui, atque deinceps ad hunc modum in cæteros similes. In fœminis quoque transitus fit: motus enim concipientis in motum soluitur matris, si non in eum, in Auiæ, eodemque modo in superiores.* Quàm doctè, quàm dilucidè cuncta perstrinxit Stagirita megalophron?

Hanc seminalis facultatis solutionem Hermetica schola suis vocibus transplantationem appellat, quam generationis symptoma esse asseuerat; cùm videlicet manente radice signaturæ duntaxat immutantur. Placeat id ex Seuerino illo Dano seueriſſimo scriptore haurire, in idea enim medicinæ Philosophicæ ita loquitur: *Vt autem in his facilius intelligi possit Transplantationum ratio, obseruandum, alias esse transplantationes indiuiduorum, alias verò specierum. Indiuiduorum transplantationes dico, in quibus manente radice signaturæ mutantur, vt colores, sapores, magnitudines, figuræ, &c. ita tamen, vt maneant etiam num imperium radicis, & familiæ suæ certa signa, quamuis vehementer immutata referre possit. Huiusmodi transplantationes in omnibus continguntgenerationibus locorum, temporum, & externorum asscendentium ad Generationem conspirantium efficientia, & proprietates indiuiduæ naturæ constituunt durabiles, vel momentaneas secundum impressionum virtutes. Specierum verò transplantationes intellige, vbi omnibus signaturis immutatis nouæ familiæ insignia repræsentantur, &c.* De hac specifica transplantatione satis egimus in secundo huius operis libro, tractatu 1. capite 9. vbi quæritur. *An etiam bruta, & plantæ specificè, vel secundum sexum immutentur.* Sanè Hermetica doctrina in his nihil abhorret ab Hippocratica, & Aristotelica scientia relata; siquidem Generationum, ac seminum transplantationes fieri, idem prorsus est, atque corruptiones contingere in seminis coactione, vt Hippocrates, & quod si soluatur motus eius, qui generat, fœtus non erit patri similis, vt Aristoteles; Tu interim, lector accuratè singulorum verba perpende.

Atqui hæc satis erunt, si addatur solummodo, hac eadem ratione, & hismet causis contingere, vt gentilitius aliquis morbus sileatin filio, resurgat autem in nepotibus, perinde ac de forma 1. de Generatione animalium capite 18. dicebat Aristoteles ita: *Redditur enim post plura genera similitudo, vt in Helide, quæ cum Aethiope incubuerat, non filium forma Aethiopis peperit; sed natus ex filia erat Aethiops.* Quare illud Senecæ supra decantatum in sensu morali, crediderim ab eo ad naturam primariò directum fuisse: sic enim sonat:

Redit ad auctores Genus,
Stirpemque primam degener sanguis refert.

CA-

CAPVT XIII.

Vnde semen defluat, an a toto secedat, an potissimum a cerebro, & spinali medulla, vbi Hippocratis, & Aristotelis examinantur opiniones.

PENDENT ex huius quæstionis solutione aliæ multæ, ideoque paulò fusiùs hæc reuoluenda erit. Nempè inter Philosophos, & Medicos nondum constare videtur, ex qua nam corporis parte semen decidat, quinimo Aristoteles Hippocrati è diametro aduersatur. Amborum itaque opiniones librandæ veniunt, quæque magis veritati consonæ censebuntur, amplectendæ erunt.

Venerandus ergo Senex ille Cous Empedoclem, & Anaxagoram imitatus libro de Genitura palam professus est, semen à toto, & præsertim à cerebro per spinalem derinare medullam. Explicat idem defluxionis modum, quem verbis ipsis registrare operæpretium arbitror; licet alibi in alium finem ille idem textus fuerit ad scriptus. *Venæ, & nerui ab omni corpore in pudendum vergunt, quibus dum aliquantulum teruntur, & calefiunt, ac implentur, velut pruritus incidit, & ex hoc toto corpori voluptas, & caliditas accedit. Quum verò pudendum teritur, & homo mouetur, humidum in corpore calescit, ac diffunditur, & a motu conquassatur, ac spumescit: quemadmodum etiam alij humores omnes conquassati spumescunt. Sic autem in homine ab humido spumescente id quod robustissimum est, ac pinguissimum secernitur, & ad medullam spinalem venit. Tendunt enim in hanc ex omni corpore viæ, & diffundunt ex cerebro in lumbos, ac in totum corpus, & in medullam, & ex ipsa medulla procedunt viæ, vt & ad ipsum humidum perferatur, & ex ipsa secedat. Postquam autem ad hanc medullam genitura peruenerit, procedit ad renes; hæc enim via tendit per venas: & si renes fuerint exulcerati, aliquando etiam sanguis simul defertur; A renibus autem transit per medias telles in pudendum. Procedit autem non qua urina, verùm alia ipsi via est illi contigua.* Hactenus Hippocrates, qui propositam sententiam adhuc rationibus fulcire nititur; ideoque in principio præcitati libri dicebat: lex, idest ratio omnia corroborat.

Tribus igitur potissimis argumentis persuadere conatur opinionem. Primo quidem, quoniam semen continet in potentia omnes corporis partes, quas proculdubio haudquaquam contineret, si a singulis particulis eiusdem substillum non defluxeret. Secundò quia cùm fœtus similitudo ad parentes vel secundùm omnes, vel secundùm plurimas partes a semine traducatur; id nimirum contingere non posset, ni ab omnibus, vel plurimis parentum particulis idem emanaret. Tertio demum quoniam voluptas, quæ maxima contingit in Generationis ministerio adeo intensa minimè foret, ni semen, huius voluptatis opifex, ab vniuerso corpore separaretur.

Cæterùm quòd e cerebro potissimum defluat semen, exemplo Scytharum probat Hippocrates libro de Aere, aquis, & locis, quos ob venarum postaures incisionem steriles euasisse testatur; venas autem has incidere oportebat ob crurum rebelles morbos, in quos præ equitatione absque stapedibus frequentissimè incidebant. Rursus quòd e regione oculorum semen affluenter delabatur, probat ex eo, quòd scilicet in Veneris congressu oculi plurimùm laborent. Hæc sunt Hippocratis fundamenta, quæ tamen Aristoteles susque deque destruere conatur primo de Generatione Animal. cap. 18. vbi ex professo contra reuerendum senem disceptationem iniuisse videtur. Et quo ad primum illius argumentum, negat omnino, semen eo quia corporis cunctas architectetur, & mangonizet partes, iccirco ab omnibus partibus proficisci, siquidem quòd vim obtinet formandi totum, indiuiduum, virtutem etiam possidet formandi omnes particulas. Verùm Aristotelis ratio nequicquam probat, quandoquidem pars est prior toto, & totum ex omnibus coalescit particulis, quas natura medio semine ordinatim, & successiuè delineat, ac fabrefacit; vt ideo ni prius efformarentur particulæ, totum nequaquam effingeretur; semen igitur ex eo indiuiduum producere potest, quòd eius particulas omnes efformare valet; has autem nulla ratione plasmare posset, ni a singulis Generantis secederet partibus.

Secundum Hippocratis argumentum a similitudine desumptum demoliri arbitratus est Aristoteles ex eo, quòd multi suis parentibus pilis, vnguibusque similes enascuntur; a quibus tamen particulis semen decedere, absurdum foret affirmare. At Philosophus in hoc etiam aberrauit; nam licet a pilis, & vnguibus immediatè semen non profluat; procedit nihilominus a materia illorum antecedente; Etenim cùm fluui crines ab humore bileo, nigri a melancholico, alterique ab altero exalent humore, fit ideo, vt semen, quod etiam ab omni humido teste Hippocrate fluit, humorem apparet, progignatque, qui tale capillitium, & non aliud sit aptus exarare. Pari modo cùm vngues aut leniores, aut asperiores, aut albidiores, aut nigriores terrestris materiæ diuersitatem indigitent, ab hac ipsa materia decidens semen

aptum est congenitum expromere humorem, quo similes deinceps effingantur vngues.

Tertio demum argumento a voluptate decerpto satisfacere putat Aristoteles dicens, insignem voluptatem propter corporis titillationem fieri, non autem ex eo quòd corporis vniuersa membra ad iaculationem consperent. Veruntamen ipsemet Philosophus palinodiam recinit 4. sectione problem. vbi quærens, cur concumbentes resoluj, atque infirmari magna ex parte soleant, sic respondet: *An quod semen omni ex parte corporis secretio est?* Adhuc quod a cerebro seminis maior portio deriuet, idem Aristoteles professus est Problematum sectione 10. vbi dubitans cur spadones calui minus efficiantur, sic habet: *An eo quod multum cerebri obtinent, quod sanè his contingit, quia rem Venereamnon agunt; semen enim labi per spinam e cerebro videtur.* Rursus quòd ab oculorum regione seminis delabatur copia, confirmat 4. sectione citata problem. 2. vbi quærens cur immodicè concumbentibus oculi, & clunes subsideant, ait post multa: *Oculi autem, partesque sedi proximæ perspicuè collaborant; haud enim fieri potest, vt semen profluat, nisi partes coagantur illæ, nisique oculi demittantur quippe cùm partibus his coeuntibus humor quasi manu ex vesica prematur, oculisque coactis cerebrum sua dimittat. Oculos vero, & locum his proximum vim ad procreationem maximam obtinere docent illinimenta, quæ mulieres tam sterites, quàm fœcundæ experiuntur, vt potè cùm vis ad semen transmitti hinc debeat. &c.* Sed luculentius adhuc 2. de Generatione animal. cap. 5. hanc sententiam prosecutus ait: *Sedes enim oculorum maximè omnium locorum capitis seminalis est, quod patet cum sola ipsa per coitum Venereum manifestè immutetur, & vsu immodico rei Venereæ oculi apertè languescant, & subsideant; causa est, quòd natura genituræ similis cerebro est, aquosa enim materia eius est, calorque aduentitius.*

A

B

C

En ergo vt veras theses, firmasque sententias Hippocrates protulit, vtque huic vel inuitò coactus fuerit assentiri, & suffragari Stagirita Aristoteles, quamuis discrepare studuerit. Fortior omni re veritas, quæ tandem latere nequit, suisque oppugnatoribus referat linguam. Hippocraticæ doctrinę Hermetica quoque blanditur; huius enim Sectatores inquiunt suo loquendi modo, *Genitalem, seu seminalem materiam in balsamo animali, in vitali sulphure, in spiritu vitæ, in mumia, in radicali & prima materia contentam vniuersam anatomiam totius animantis occupare, ideoque non in præcipuis quibusdam particulis residere, ac membrorum quorundam domicilijs claudi, sed in partium omnium œconomia stabiliri, ideoque omnes omnium partium tincturas secum ferre.* Obscuras loquendi formulas, & mysteria, lector, si non intelligis, Paracelsicam consule Academiam.

D

Atqui vnum Aristotelis argumentum citato loco de Generatione animalium negocium aliquod facessit, & est quòd imperfecta quædam animalia generant quidem, sed non sibi simile, non modo secundum individualem formam, verùm etiam secundum ipsam speciem, vtputa muscæ, vespertiliones, & ea prorsus omnia, quæ ex putri producuntur materia, quæ quidem cuncta si fortè gignunt, vermiculum quendam proseminant formæ, specieque dissimilem. Igitur, infert Philosophus, non ex eo, quod ex omni corporis parte secedat semen, Parentum exprimitur similitudo; nam in hisce productionibus, vt patet, nulla, nec specifica quidem accidit similitudo. Lubet in legentium gratiam textum vti arduum registrare, qui est huiusmodi. *Item nonnulla animalia oriuntur ex nullis vel eiusdem, vel diuersi generis animalibus, vt muscæ, & genera papilionum, ex quibus gignuntur quædam animalia, sed non similis naturæ, sed genus quoddam vermiculi. Patet igitur non semine, quod ex cunctis partibus secesserit generari quæcunque diuersi generis sunt; nam similia essent, siquidem similitudo indicio esset, quod ex cunctis secesserit.* Sanè efficax est obiectio, sed nil minus cordata responsio erit. Dico igitur imperfecta hæc quoque animalia gignere simile, verùm secundum genus tantummodo: producunt siquidem animal quoddam; nec eis præimperfectione meliorem modum natura conceßit; vt enim superius dictum fuit, triplex est similitudo, generica vna, dum animal producit animal: specifica altera, qua leo leonem proseminat: individualis tertia cum cæsius cæsium; venustus venustum, distortus distortum, macrocephalus macrocephalum generat, & sic in reliquis extrinsecis, aut intrinsecis lineaturis. Perfectum animal, quod supra materiam satis eleuatur, trigeminam hanc in generatione similitudinem exprimit; At imperfectior ipsius materiæ obruta fœce, vt quæ vitæ gradum obtinent obscuriorem, parumque distant a stirpibus, sat est, si vnam duntaxat nempe genericam similitudinem promant; & sic semen quod a toto generice secessit, simile genericum profert.

Quæres interim, cur natura his putribus animalculis hanc specie dissimilem tribuerit generationem. Ne scilicet illa tanto bono, quantum est generatio priuaret omnino; cùm enim præcipuus viuentis cuiuslibet sit instinctus, generare, videns prouida natura, non posse ab ijs propagari speciem, generationis munere nolurit penitus defraudare, verùm dedit, vt aliud imperfectius tamen animalculum (ita semper in deterius ruit mundus) progignere possent, quo

Digitized by Google

quo pacto illorum fit genio satis. Quid si dicamus semen illud, non proprium, sed alienum esse? Enimuerò si nostro de semine vermiculus gignatur, haud nostra proles dicitur. Si quidem ex corrupto processit semine, ideoque non nostro, sed alieno. Doctrina est Aristotelis 2. sect. Problem. 13 vbi sic legimus. *Ex semine verò ipso, si quid extitit aliud vt vermis, vbi vel foris putruit, vel corruptum in vtero est, vt quæ monstra appellamus, prolem id esse nostram haud quaquam dicendum est; cum enim corrupto creetur semine, non insuper ex nostro creatur, sed alieno.* At quæso si alienum, cujus nam erit proprium? Profectò illius naturæ, quam effingit, puta illius speciei, sub qua vermiculi illi continentur; eo modo, & ratione, qua in primo huius operis libro explicauimus, dum quærebamus, cui nam causæ debeantur animæ, quæ à primi materia educuntur; ea igitur in mentem reuoca. Instabis, cur semen illud contineatur in aliena specie? Quoniam nequit in propria contineri, quæ virtute similis genitiua ob imperfectionem destituta est. Cæterùm in aliena continetur etiam per accidens, quatenus vbicumque illud, & imperfectum seminium impotens producere simile indiuiduum, vbi foras emicuit, viuens aliquod quoquo modo progignit, vel insita à natura facultate, vel quia putridum euasit, ea ratione qua videmus è bubulo stercore longa agitatione, & rotatu apparato, seu calefactio scarabeum exurgere, necnon ex humano excremento, seu alia viuentum fæce, vbi deteriorem, & peculiarem nacta sunt putredinem, vermes & animalcula, quædam exilire, &, si verum est, ex hominum putrefacta medulla anguem profeminari; inde Metamorphoseon modulator Sulmonensis libro 15. doctè satis.

Non ne vides quæcunque mora, fluidoque calore
Corpora tabuerint in parua animalia vertit
I quoque, delectos macfatos obrue tauros
(Cognita res vsu) de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur apes quæ more parentis
Rura colunt, operique fauent, in spemque laborant: (est.
Pressus humo bellator equus Crabronis origo

Et inferius

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro
Mutari credant humanas angue medullas.

Profectò doctrinam hanc mira excellentia declarat Hollerius 1. de morbis internis capite de mola in Scholijs, vbi sic habet: *Ea est naturæ prouidentia, vt calor opifex, & formator eorum, quæ generantur, nunquam sit otiosus, sed quamlibet materiam in opus aliquod mira artificio ducat, qualecumque tandem sit:*

A *sic Aristoteles in putredine vermes generari scribit, cum humidum substantificum, in quo calor insitus est, dissoluitur, & extra, calore externo illectum effluit. Tum enim calor in exitu, ne proprio subiecto deserto intereat, quicquid est benignioris materiæ colligit, eamque effingit in animalium aliquod, in quo conseruari queat pro quantitate, & qualitate illius materiæ, ex qua nihil maius efficere potest. Quod si eam quasi pro arbitrio tractare non possit, quia, aut copiosior, aut minore copia, aut ex diuersis generibus constans, minus q. sequax, monstrum generat; siquidem aliquid perfectius non licet. Sin inepta omnino sit, aut herbam, aut aliquid adhuc rudius efformabit inducta quam maxima fieri poterit perfectione Naturæ enim, quæ in perpetua indiuidui successione continuatur, longè satius est creare aliquid, quàm nihil.*

Hermeticæ Philosophiæ professores vocant euentum hunc suis vocibus Generationum transplantationem, quam in perfectis animalibus, in quibus sexus reperitur distinctio, difficilè contingere aiunt, solumque accidere posse asseuerant in ijs, inter quæ seminum, ac naturę magna intercedit affinitas, vt in lupo, & cane, equo & asina, perdice, & gallina, & similibus, quę seminales radices naturę societate coniunctas habent. At sępè, & facilè euenire dictitant in genere insectorum, in quibus discrimina sexus haud manifestè apparent; ideoque seminalia horum principia, vt Seuerinus inquit, multarum specierum scientia instructa æquiuocas generationes admittunt.

Vndique demum solutum dixeris argumentum, si addas, productionem similis esse perfectionem, virtutemque a natura perfectis tantùm animantibus inditam, quæ sola specificum absolutumque obtinent semen; Cętera verò insecta ac putri enata fæce vera genitura defraudata esse, id quod perspicuò inde deducitur, quòd videlicet illorum nullę sunt spermaticę partes, quę ex naturali defluxu non deperdantur; toto namque vitę curriculo consumuntur, ac regenerantur, deperduntur, ac per nouam renutritionem apponuntur, vt inde aliquò temporis interuallo accidat, vt non sit idem numero animal in ortu, ac multo post ortum, id quod alicui primis auribus paradoxon videbitur. Patet, quia indiuidualis numerus, teste Aristotele, est a materia; At longo temporis tractu materia illa, cùm qua vile animalculum exortum est, tota absumitur, ac tota insuper per nutritionem regeneratur; igitur non idem supereſt subiectum materiale, ergo nec idem indiuiduum. Nec dicas, eandem supereſſe formam, quę ad idem numero subiectum seruandum sit satis; quandoquidem anima putrium, & insectorum est tota in toto, & pars in parte; quare ex vnius particulæ deperditione, deperditur insimul vna pars ani-

animæ : ex consumptione omnium materiæ partium, animę quoque particulas omnes disperdi necesse est. Non remanet ergo illa eadem materia, nec illa eadem forma, quę inortu apparuerant; igitur neque idem numero indiuiduum. Atque hęc in præsentiarum dicta sint satis : fortè enim in altero tomo ex professo quęstionem hanc agitabimus longiori sermone, quam sępissimè oretenus apud magnos Philosophos plausibiliter sustinuimus.

Collige interim ex dictis, semen à toto secedere corpore, atque in primis à cerebro affluentius per spinalem effluere medullam: quod tamen non ita est intelligendum, vt putes, in actu ipso aphrodisio semen ab omnibus, & singulis demitti particulis; vt ineptè nimis putauit Parisanus ille sententiarum nouator, crassissimæque subtilitatis auctor; solùm enim tunc temporis a vasis spermaticis, ijsque præsertim, qui pudendo propiùs adstant, excurrit; sed pro comperto habere debes, vel ipsam seminis materiam ab vniuerso corpore, & cerebro in primis suppeditari, vt cùm seminales meatus fuerint vacui, vniuersæ corporis particulæ, ac potissimum cerebrum lege naturæ œconomica pro prio alimento detrahere habeant, vt illis ministrent sanguinem in semen conficiendum; vel vitalem spiritum, quod rationi magis est consonum, generatricis, ac formatricis facultatis vehiculum a toto, & cunctis artubus demandari, quod sanè verissimum est; non enim pars eadem aut similis in fœtu efformaretur, nisi spiritus architectus a Parentum decideret membro conformi. Quòd si dicas, e mutilatis parentibus integri nascuntur filij, quo pacto ergo spiritus ille architectonicus e vacua parte demandatur? Supplet in tali casu spiritus, qui a corde procedit; cùm enim princeps hoc membrum auctor sit omnium vitalium spirituum; cùmque eminenter facultates omnes aliarum partium contineat, si fortè membrum aliquod in Genitore, & consequenter spiritus membri illius formator deficiat, cor ipsum, cordisque spiritus vices subeunt, ac parentis deficientem effingunt, formantque particulam. Et hoc significare voluit Hippocrates libro de Genitura in fine ijs verbis. *Cæterùm quòd ex mutilatis hominibus sani, & integri gignantur pueri, vt plurimum contingere solet: habet enim mutilatum numero omnia, quæ sanum.* In virtute scilicet cordis, à quo spiritus primariò pendent, & subiecta membra reguntur.

Denique pro corollide apponam, non esse absurdum, si quis censeret, semen eatenus dici posse a toto secedere, quatenus a tribus principibus membris, in quorum ditione cæteræ omnes partes continentur, proficiscitur; & hac ratione quod a cerebro destillat, vim haberet & cerebrum, & ossa, & nerues, & medullam, & ligamenta, ac membranas conformare; quod a corde cor ipsum, arterias, pulmones, cęteraque finitimas, sibique deseruientes particulas; quod tandem ab hepate & hoc, & venas, & carnes cuncta membra. Ita quoque non defuerunt alij, qui a singulis partibus semen destillare putarunt, non indiuidualiter, sed specificè, ita vt ab vno osse omnia ossa, ab vno neruo cęteri alij, ab vna vena & reliquæ originentur medio semine, quod ab vno illorum destillet. Quòd si aliquis diceret, a quonam osse, neruo, vena, arteriaq. destillare deberet? Posset rationabiliter dici, ab osse capitis, quod aliorum princeps, a neruo primo, a vena caua, ab arteria magna. Quomodo insuper ab omni etiam humido, Hippocrate auctore, semen secernatur, in libro de Morbis Hæreditarijs explicamus.

CAPVT XIV.

An seminis materia sit cambium, an verò sanguis ille secundarius, qui dicitur anonymus.

CARISANVS ille parum sanus in opinionibus libro de microcosmica subtilitate, vbi sua mille expressit deliramenta, censuit, partium alimentum, quod in semen transmutatur, esse illud, quod ipsarum partium assimilationem iam est adeptum, atque adeo esse humorem, qui dicitur cambium; & hoc in actu Venereo per vias ignotas destillare; atque ita Hippocratis sententiam illam, quàm superiori capite examinauimus, veritatem habere, semen videlicet a toto, & singulis partibus deciduum esse. Eiusdem opinionis (quod valde miror) in libro de perfecta hominis constitutione, & in quadam epistola fuit scientiarum illud columen Licetus; Apage qui fieri potest, vt per abstrusas, occultasque vias tam citò, æque a remotis, atq; a proximis partibus ad vnum præscriptum locum materia illa commeare, & confluere valeat, vt eodem momento in resolutione Venerea tota simul effundatur? Non ne insuper hinc sequeretur, quod Aristoteles contra Hippocratem inculcat, nempe seminis fusionem esse syntexin quandam? nam destillare non posset semen, nisi quodammodo partes, a quibus excidit, colliquarentur; nihil enim aliud est colliquatio, quàm partium ob subtractum appositum alimentum consumptio. Neque profectò est, cur Licetus primam difficultatem subterfugiens respondeat, tenuiores cambij partes remeare posse in venas capillares, harum oscillis a spiritibus dilatatis; quippe ciruitus iste impendiosus nimium esset, & indies perpetua in corpore venularum omnium

nium anastomosis fieri deberet; quod non videtur rationi consentaneum. Rursus ista oscillotum dilatatio a spiritibus vel fieret in ipso actu aphrodisio, vel ante: si in ipso Veneris certamine, quo micant genitales spiritus, vt Parisanus insanit, difficile admodum est intelligere, quo modo eo momento æqua, & contemperanea in omnibus venulis dilatatio fiat, ita vt ab extremis pedibus pari concursu simul, atque a proximis partibus genitura ad pudendum confluat: in venis namque interioribus, ac visceribus proximioribus fieri prius dilatationē istam, par esset, ideoque ab ijs prius, quàm a longè dissitis genitalis humoris effluuium fieri deberet. Si dicatur ante, nulla est ratio, ob quàm fieri debeat oscillorum illa dilatatio; tunc enim geniales spiritus non seruent, libido non vrit, non æstuant Veneris prolubio viscera, neque ipsæmet venæ obscæno tripudio incalescerunt.

At non desunt aliæ innumeræ rationes, quibus validè huiusmodi conuellatur opinio; nam cambium, quod a cerebro verbi gratia, & pedibus excideret, vt comparia membra in generatione delinearet, sanguine remixtum recrudesceret in longo illo itinere, neque suum temperamentum, neque caracterem seruare diu posset; quod si accidat, partis similitudinem, a qua decesserat, exprimere neutiquam valebit. Nec satisfacit Licetus, dum respondet, eo modo seruari posse illesum cambium cum sanguine mixtum, quo bili intra venas confuso humor pituitosus temperiem suam frigidam, humidamque custodit, ac seruat; nam diuersa est ratio primorum humorum, qui vnam conficiunt massam sanguineam, quorum quandiu seruatur symmetria, ac proportio, alter alterius qualitate temperatur, atque infringitur; & si parum vnus alteri copia, aut qualitate præcellat, magna exoritur perturbatio, & seditio; At cambium cùm sit humor iam degener, nihil commune habet cum sanguine, alijsque humoribus, cum quibus nequit vnam construere massam.

Quòd si vera esset Heruei sententia illa de sanguinis circulatione, quàm inter alios Romæ probat, strenuèque defendit egregius medicus chirurgus Ioannes Trullus in Romana Academia lithotomiæ magister, diuina prouidentia Italiæ, & Vibi ex Gallia redditus, vt huic sæculo summè lapidoso consuleretur, quòd sanguis nimirum e cordis prorumpens ventriculo sinistro in arterias, ex arterijs in venas; iterumque e venis in arterias, ex ex his ad cordis ventriculum & spiritus, & caloris recuperandi gratia remeret, non video, quomodo cambium sanguini per tot circuitus commixtum, & reuolutum suam primæuam formam, & caracterem seruare valeat; caracterem inquam illius partis, a qua excisum esset, & quam in generatione recudere deberet. Sed hæc plenius in meo Tractatu de morbis hæreditarijs dictantur. A

Cæterùm illud ad calcem inter omnia maximi momenti est argumentum (nam reliqua multa consultò omitto) quòd in arterijs, veniſque spermaticis vsque ad testes non cambium, sed sanguis satis ruber, ac tenuis deprehenditur, imo qui effrenes in Venerem intemperanter, atque enixè ludum agunt, sanguinem loco seminis iaculantur; quod etiam apud illos, qui gonorrhea detinentur, experimento probatur; nam cruorem interdum loco seminis emittunt. Neque vrget Liceti responsio; in sanguine scilicet illo reperiri etiam cambij portiones; siquidem apparere quodammodo deberent; cambium enim crassum, & album, sanguis ille serosus, ac ruber. B

Sed suo Aristoteli saltem debebat subscribere vir emeritus; is enim 4. de generat. animal. capite primo manifestis enunciat verbis, semen non cambij, sed sanguinis proximè nutricij excrementum esse; verba philosophi ponderentur illa: *Semen excrementum esse vltimi alimenti, positum est: vltimum autem intelligi volo, quodin vnamquamque partem feratur.* Iam non est cambium, quod in vnamquamque fertur partem; hoc enim est iam delatum, appositum, & assimilatum; sed sanguis, qui proximè partem circumfluit, & iam iam ad partem accedere potest; quamobrem semen est sanguinis excrementum in cambium transmutabilis, non iam transmutati; quod insuper ipsomet nomine excrementi patet; nam si est cambium, non potest esse alimenti superfluum, siue residuum. C

Esto igitur in Aselepiadum vniuersitate sancitum, proximam seminalis humoris materiam minime cambium existere, sed sanguinem illum secundarium, qui anonymos nuncupatur, & iam iam in partem nutriendam paratus est affundi; qui tamen qua ratione membri obtinere possit similitudinem in fœtu exprimendam, cùm nondum parti adhæserit, in libro nostro de morbis hæreditarijs propediem cunctis innotescet.

CAPVT XV.

An, & qua ratione semen maris fœminam virtualiter contineat, & semen fœminæ virtualiter marem.

PRÆCEDENTIS quæstionis occasione indagandum hic erit, num viri semen mulierem, mulieris virum producat, & an per se, & primariò, an solùmmodo per accidens. Etenim naturæ consentaneum videtur, vt semen viri

non

non nisi virum suæ in potestate contineat, mulieris non si mulierem; quandoquidem sui similis productionem opifex quilibet intendit: sicuti enim specificè equi semen equum, leonis leonem progignere fatuor; ita indiuidualiter siue secundùm sexum quantum est exse equa equam, equus equum, læna læna, leo leonem delineare præuio semine debebit. Quod si contingat immutato ordine virum fœmellam fœminam verò virum effingere, id per accidens fieri dicendum erit ex alterato scilicet vtriusque semine, & a propria crati, atque architectura, desciscente; eo prorsus modo quo sæpissimè contingui semen ab omni opere, ne dum a similis productione frustrari.

Verùm enimuerò his parum reclamantibus astruendum erit ex celeberrimi Hippocratis doctrina tum libro de Genitura, tum primo de Diæta, & viri semen mulieris productionem per se attingere, & mulieris genituram in sui virtute continere virum. Lubet ipsius Dictatoris in medium afferre verba præclara nimis, atque alta philosophia referta libro igitur de Genitura sic habet. *Et est tum viro fœmineumque, item masculum semen, tum itidem in muliere. Fortior autem masculus fœmina est, necesse igitur est ipsum à fortiore semine generari, habetque res hoc modo. Si ab vtrisque semen fortius prodierit; masculus erit partus: si verò debile, fœmina nascetur. Vtrum autem multitudine, ac copia præualuerit, iuxta illud partus nascetur. Si enim multò plus fuerit debilis feminis quam fortioris; superatur forte, & debili permixtum in fœminam transit. Si verò plus fuerit fortis seminis, quam debilis, superatur debile, & in marem transit. Quemadmodum si quis ceram, & adipem misceat, & de adipe tamen plus conijciat, eaque ad ignem liquefaciat; quandin quidem liquida fuerint, non apparet vtrum tandem horum superet: vbi verò congelata fuerint; tunc iam conspicuum est, quod adeps ceram copia exuperat. Sic habet etiam masculi, ac fœminæ genitura. Quòd verò & in fœmina, & in viro genitura fœminea sit, ac mascula, ex factis manifestis coniectare licet: multæ enim mulieres iam fœminas pepererunt ex propriis viris, verum ad alios viros transgressæ masculos genuerunt. Et viri illi ipsi, apud quos mulieres fœminas pepererunt, ad aliarum mulierum mixturam progressi, masculos genuerunt, & quibus masculus sexus gignebatur, aljs fœminis permitti fœmineam sobolem genuerunt. Atque hæc sanè ratio declinat, tum virum tum fœminam, & fœmineam, masculum genituram habere.*

Rursus primo de diæta luculentius adhuc, & altiori doctrina hæc repetit: *Si quidem igitur mascula corpora ab vtrisque secreta fuerint augescunt pro te præsenti, & fiunt hi viri animis splendidi, & corpore fortes; si non à dicta postea detrimentum sentiant. Si verò à viro quidem masculum secernatur, à muliere verò fœmineum, & superauerit, si ita contingat masculum, (genitura enim admiscetur ad fortiorem, aut debiliorem; non enim habet ex præsentiaus aliquid, ad quod familiarius suadere possit: suscipit enim parua maiorem, & maior minorem, in commune autem super hæc quæ adsunt, dominium exercent) corpus sanè masculum augescit, fœmineum verò minuitur, & in aliam sortem secernitur, & ni quidem minus prioribus splendidi fiunt, tamen, quia masculum viro superauerit; viriles euadunt, & hoc nomen merito habent. Si verò à muliere quidem masculum secretum fuerit, à viro autem muliebre, superauerit autem masculum; augescit eodem modo sicut prius, & fœmineum verò minuitur, & fiunt hi Androgyni ideſt viri effeminati, atone sit rectè appellantur.* Ex his liquidò patet Hippocratis arbitrio & virum suo semine fœminam, & fœmina semine suo marem per se, & non per accidens, progignere ooſſe, quod est auctoris verbis, si tamen intus, non incute perpendantur, quilibet comprehendet.

At inquies qua nam ratione ambo hæc semina modo ad fœminæ productionem, modo autem ad maris generationem determinantur? Porrò à triplici causa definiri statuo, à spiritibus, à materia; & à loco. A spiritiaus quidem, quoniam si his validiores, & calidiores existant marem potius delineabunt: contra si hebetiores, ac frigidiores fœminam architectabunt. A materia quoniam si vel sanguis equo fœtus coagulari debet, vel seminis materialis portio, e qua fœtus plurimæ particulæ, ac præcipuæ quæ solidæ dicuntur, coalescunt, humidior, impuriorque fuerit, ipsum seminis opificium ad fœminam potius destinabitur; ficuti e contrario ad marem vterque collimabit, si diuersis bualitatibus & semen, & sanguis imbuatur. A loco tandem quoniam sinistra vteri pars, testisque sinister ex communi Philosophantium arbitrio fœminæ potius conceptioni auxiliantur. Igitur quemadmodum plastes ac statuarius si vel commodis instrumentis, vel congruo marmore, & argilla, aut etiam opportuno loco, seu fornace careat, haud potest ita expolitam, & numeris omnibus absolutam iconem promese; ita naturalis artifex si cuncta hæc ad amussim non conspirent, generationis opus paulò imperfectius prodibit. Quamobrem humanæ generationis principium in viro, & muliere, quod in semine tamquam in suo instromento continetur, licet quantum est ex se non pbtius virum, quam mulierem produceret, à relatis tamen conditionibus, & à superue-

nientibus tincturis, vt Hermetici loquuntur, modo ad maris, modo ad fœminæ productionem determinatur.

Doctrinam hanc nec vulgarem, nec omnibus perspectam Theophrastari, quorum e Neotericis principè agit Seuerinus Danus, hoc theoremate astruunt; nimirum contineri in vna radice, vitali scientia tam maris, quàm fœminæ exordia, superuenientibus verò mixtionibus, & tincturis separari, fœminamque transplantatum esse marem non monstrosa transplantatione, quemadmodum Aristoteles arbitrabatur, sed naturali, & necessaria. Elucidat hoc lemma, pluribusque declarat Petrus ipse Danus, quæ tamen registrare, ne sim prolixior, abstineam.

Quòd si postremò quæras, quid sibi velit Hippocrates obscurissimis illis verbis in primo de diæta: *se inuicem constituere possunt masculus, & fœmina, quia anima eadem est omnibus animatis*, &c. Pro anima Hippocratis arbitrio intelligitur radix, ac principium vitale, quod in semine continetur, cùmque vtrique sexui illud commune sit, propterea simul consistere possunt, inquit ipse, inque radice eadem fundari, & se mutuò propagare masculus, & fœmina; siquidem radicales tincturæ, quæ in tali principio continentur, stabiles sunt, perpetuæ, & mixtioni non subiectæ.

Et ex his argumentum in contrarium allatum non difficile soluitur; nam mulieris genitura, æquè marem, ac fœmellam intendit, quia hanc, & illum in sua radice, seu potestate continet, vnde nihil minus mares matribus ipsis assimilantur; neque inde sequitur, fœminam, dum masculus producitur, haudquaquam produxisse sibi simile; quod vel ex eò probari posset, quòd nimirum fœminæ naturali instinctu potius marem, quàm fœminam parere gliscunt, censenturque fœcundiores, quæ masculam, quàm quæ fœminam edunt prolem, quasi genitalium sola diuersitas paruipendatur à natura.

CAPVT XVI.

De seminalis facultatis incorruptibilitate.

RERVM omnium sublunarium caduca est, & corruptibilis natura, nec præter hominum immortalem spiritum quicquam, à fati morsu exemptum esse putatur. Verùm in hoc ipso naturæ corruptibilis orbe ipsa rerum semina inter communes interitus illæsa supersunt; non enim licet corrumpatur seminale corpus, æthereus ille calor, formatrixque facultas occidit, sed perinde ac mens hominum superstes à casu, exoluta corpore Cœlum transmigrat, suum illa repetit orbem, quem abyssum, siue Orcum cum Hippocrate vocant Hermetici. Porrò ab origine mundi e vasto illo, immensoque Chao eduxit protoplasta magnus Deus rerum omnium, ac specierum semina, quatenus horum beneficio reparata indiuiduorum caducitate mundum à nece propera vendicarent; ideoque cùm huiusmodi semina deberent perennitate naturam donare, meritò & ipsa à corruptibilitate aliena esse par erat. Enimuerò qua ratione si seminalis virtus corruptibilis foret, statim non periret, vbi primum squallida, vel vliginosa tellure sepulta semina cerealia Cœli omnibus iniuriis, atque putredini subijciuntur? Profectò seminis corpoream molem, seu testam corrumpi paulò post luculenter apparet; at facultas, ac potestas nihil omnino patitur, sed prædestinato tempore suo, profert germina, suas producit fruges. Quòd si accidat vel Planetarum sinistro influxu, vel tempestate Cœli quapiam, aliaue causa, vt seminalis potestas corrupto ante tempus corpore nihil producat, agerque nulla fœcundetur segete; non tamen ex eo illam perijsse arbitrandum est, verùm potius ociosam perstitisse donec nactæ meliorem opportunitatem in lucem iterum prodire valeat. Id significare voluit celebertimus noster Hippocrates primo illo de diæta, vbi obscuris verbis aiebat: *Equidem nullum omnino corpus perit, neque fit, quod prius non erat, verùm permixta, & discreta alterantur. Homines autem putant hoc quidem ex Orco in lucem auctum generari, illud vero ex luce in orcum imminutum perire.*

Altiorem hanc Sapientiam vel Metamorphoseos Cantator Ouidius libro tertio exarauit ab Hippocrate, vel saltem Orpheo, siue Trismegisto traductam; habet enim sic

Nec perit in toto quicquam, mihi credite, mundo,
Sed variat, faciemque nouat: nascique, vocatur
Incipere esse aliud, quàm quod fuit ante: morique
Desinere illud idem, quum sint huc forsitan illa,
Hæc translata illuc, summa tamen omnia constant.

Ita prorsus videre est pulueruleuta æstate, imbre tepido decidente, ranas ilicet exurgere, a quanam facultate? à virtute nimirum seminali in terra, vel aere relicta, vbi ranarum cœtus extinctus perijt. Pari modo accidit interdum, vt longos post annos reuiuiscant in agro frutices iandiu vel excisi, vel alio modo præcisi; ex eo videlicet, quòd illorum seminales facultates haudquaquam perierunt, sed eo vsque sub terræ sinu latitarunt, quousque nactæ proportio-

natum alimentum, Cœlique fauore iterum sobo-
lescere cœperunt. Nec mihi obtrudas, facul-
tatem huiusmodi seminalem, quæ in spiritu,
æthereoque calore residet, nullo pacto extra
fuum subiectum seruari posse; siquidem hoc
ipso spiritus nuncupatur, calorque æthereus,
quòd scilicet æthrę incorruptibilitatem partici-
pet. Cedo, quonam pacto in fundo maris calor
generationis arbiter seruatur? qualitas adeo
debilis in tam vasto contrarij sinu? seruatur ta-
men, semperque seruabitur, donec Cœlum, ac
terra transeant, omniumque sileant Anima-
lium Generationes; eo quia huiusmodi calor
Cœlestus aduenit, vti supra declaranimus. Resi-
lit ergo genitalis energia in Orcum, vt inquit
Hippocrates, e quo iterum opportuno tempo-
re in Generationum prodit lucem; ideque so-
nant verba illa citato paulo supra Hippocratis
loco: *Lux Iouis, tenebra orco: lux orco, tene-
bra Iouis. Accedunt, & transmutantur illa hu-
jus, hæc illuc.* Perinde ac dicat, rerum seminia in-
terdum explendescunt, suamque pandunt sobo-
lem; interdum vacua silent nequicquam pro-
ferentia; verùm non multò post ex obscuro si-
lentio in lucis auram prodeunt, aut ex luce ea-
dem in abyssum remeant; atque adeò transfe-
runtur, non pereunt. Hermeticę philosophiæ
studiosi non ob aliam causam, vt reor, voca-
runt genitalem potestatem balsamum; nisi quia
eamquam balsamum a corruptibilitate remota
est; damnantque meritò eos, qui nullam spiri-
tibus, & facultati operationem absque inno-
luero corporeo concedunt. Placet ex Seuerino
Dano apponere pauca tum in præsentis doctri-
næ elucidationem, cùm etiam in roborationem
sententiæ a me in primo huius operis libro exa-
ratæ, qua statuimus, hominum Generationem
solis spiritibus absque vlla seminali materia, &
humoroso corpore contingere posse; sic ergo
in Idea Medicinæ Philosophicæ Danus ille ca-
pite octauo de seminum corpore, & spiritu ver-
ba faciens. *Itaque postrema corpora sensibus
obuia, inualida sunt, sterilia, mortua; etiam
vulgi iudicio seminis appellatio illis negata est.
Apud Philosophos tritum est, cortices, & sili-
quas non gignere; Quid igitur ipsis facultatem
continendi, conseruandi iniustè tribuimus? Spi-
rituum mobilem, fugacem, & momentaneam
naturam timentes multi, nullam sine corpori-
bus facultatum naturalium admixtionem
absolui posse docuerunt: adeoque in corporibus,
tamquam in primis radicibus, & fundamentis
contineri omnia. Hi absurdo timore velut som-
niantes, multa in vanum molientes, cauere ni-
tuntur, ne aues apertis fenestris auolent. Longè
alia natura est spirituum mechanicorum, &
seminalium principiorum. Vincula sunt visi-
bilium, & insensibilium, temporalium, & æter-
norum, corruptibilium, & incorruptibilium*
A *superiorum, & inferiorum. Vtriusque igitur na-
turæ proprietates ostendere debent, ita tamen ea
neutrius conditiones purè, & exquisitè referant.
Deficiunt enim a puritate, statu, æternitate, po-
testate superiorum: inferiorum mutabilem, &
momentaneam sortem longè superarunt.*

CAPVT XVII.

*Cur sanguis emissus congeletur, semen vero
tectum fluidius reddatur.*

B SANGVINEM, paulò post
quàm e venis eductus est, con-
crescere, & condensari, ipsoque
dicimus oculorum sensu, & quo-
tidiano probatur experimento,
ideoque non nisi debile, aut so-
phisticum ingenium iturum erit inficias; nam-
licet interdum sanguis aquescere videatur, ab
nihilominus permixto ichori acceptum referri
debet, non autem ipsius substantiæ sanguinis.
Potius ergo huiusce euentus physicæ afferantur
rationes: quarum esto prima; quæ a calore de-
sumitur; quandiu enim caliditas in humore
persistit, fluxilem illum seruat, nec patitur con-
gelascere; id quod apertis fidibus enunciauit
Hippocrates libello de Carnibus, vbi sic legitur:
C *Quum vnà cum calido multum humidi concin-
sum esset citra glutinosum, ac pingue, frigi-
dum superauit calidum, & congelatum est.
Huius signum hoc est. Quando quis victimam
mactat, donec calidus fuerit, liquidus est san-
guis, postquam autem perfrigeratus est, con-
gelatur.* Sentit idem eodoc ille magnus Arist.
4. Metereologicorum summa 2. cap. 3. vbi ait:
*Et sanguis similiter; concrescit enim; eo quod e-
niccetur infrigidatus.* Verùm doctrina hæc, vt
intelligatur, supponendum erit, substantias a-
queas fundi à calore, & non concrescere ab
igne, sed à frigore tantum condensari; Sic in
D dies perspicuè videmus, ius, vina, serum, lo-
tia, & similia centum, quandiu calore non de-
stituuntur, tandiu liquida, fluxiliaque seruari;
aduenientè verò frigore congelascere, aut sal-
tem concrescere: frigoris namque natura est
congregare homogenea simul, & etherogenea.
Quòd si ex ore Philosophi id arrideat magis
audire, 4. metereologic. summa 4. cap. 1. ver-
ba illa perlegantur. *Aurum itaque, & argen-
tum, & æs, & flammum, & plumbum, & vi-
trum, & lapides multi innominati aquæ sunt.
Omnia enim hæc liquefiunt calido. Amplius vi-
na quædam, & urina, & æthum, & lixiuium,
& serum, & sanies aquæ: omnia enim concre-
scunt frigido.*

Sed obiter, cur ex Aristotelis relato textu vi-

Digitized by Google

vina quædam, & non omnia frigore concrescunt? Quoniam aquosa tantum, & oligophora dicta depauperata spiritu, non falerna, & generosa congelari frigido possunt. Et quoniam omnis doctrina forti quadam ratione, aut nobili auctoritate fulciri debet, audienda sunt quæ ab ipso Peripateticorum principe nuncupato loco adduntur, nimirum hæc: *Quæcunque igitur sunt aquæ, non concrescunt ab igne, soluuntur enim ab igne. Idem autem eodem secundum idem non est causa contrarij. Amplius dum abscedit calidum, concrescunt: quare palam quod dum ingreditur, soluuntur. Quare faciente frigore concrescunt.* An poterat luculentiùs res nostra decantari? Quod si dicas, sanguinem in grumos concrescere, etiam si intra corporis cauitatem aliquam vbi, calidus persistit, euomatur iuxta Galeni sententiam libro de Atra bile; responsum velim, sanguinem licet in locum calidum decidat, priuari tamen spiritibus insitis, a quibus oritur fluxibilitas; & hinc est, vt arbitror, quòd senum sanguis ocyus concrescit: nam spiritibus orbatus ille est, nec non calore pauperrimus; id quòd significauit nisi fallor Aristoteles 3. de historia animalium, vbi aiebat: *Concrescit etiam facile senum vel in corpore sanguis, qui per summa est.*

Secunda ratio cur sanguis susus non multò post consistat, illa est; quoniam in sanguine perfectè elaborato reperiuntur quædam fibræ, quarum natura cùm frigida, atque glutinosa existat, vbi primùm extrauenati sanguinis euanuere spiritus, illico illum constipant. Eximiam hanc doctrinam aperuit nobis in primis scientipotens noster Hippocrates libro illo de Carnibus, seu dicas de principijs paulò ante citato, quo hæc insuper exarantur: *Si verò quis ipsum conquassset, & fibras eximat, non congelatur, fibræ enim frigidæ sunt, & glutinosæ.* Quam eandem sententiam confirmauit Galenus 2. de elementis cap. 2. nec rursus præterijt naturæ summus indagator Aristoteles, qui eam fortè ab ipsomet Hippocrate vti alia multa didicit. Nam pluribus contextibus hanc ipsam veritatem enucleauit, quos omnes cùm plena, & vberrima scateant scientia, hic recensere non grauabor, ratus iucundissimos futuros fore omnibus naturæ studiosis. Philosophus itaque metereologicorum 4. summa, & capite præsignatis sic habet de sanguine loquens: *Quicunque autem non concrescunt, velut Cerui, tales aquæ magis, & frigidissimi. Quapropter non habet vilios: vilii enim sunt terræ, & solidum. Quare & extractis non concrescunt; hoc autem est, quia non exiccantur; aqua enim est, quod relinquitur, vt lac caseo ablato. Signum autem est, morbosi enim sanguines nolunt concrescere, sanioſi enim; hoc autem est pituita, & aqua, propterea quod inconcoctum est, & insuperatum a natura.* Rursus 3. de Animalium historia cap. 19. hæc eguntur: *Sanguis humidus, & calidus semper est quandiu in corpore animalis continetur. At vbi effluxerit concrescit omnium, præterquam ceruorum, & damarum, & si quid aliud natura huiusmodi sit. Itaque cæterorum omnium sanguis spissari solet, nisi fibræ quibus refertus eximantur; sed celerrimè omnium sanguis taurorum coit, durescitque.* Adhuc eodem 3. de histor. capite 6. luculenter magis rem enucleat his verbis: *Secundum etiam genus fibrarum est, quod consistere in sanguine solet: quamquam non cuiusque animalis. Spissari autem sanguis non potest, si id genus fibrarum detrahatur, spissatur verò, si non detrahatur. Genus id ergo fibrarum tametsi maiori ex parte in sanguine animalium inest, tamen cerui, damæ, bubali, & aliorum quorundam sanguini deest; quocirca eorum sanguis non similiter, atque cæterorum concrescit. Sed ceruorum perinde vt leporum solet spissari, videlicet non coitu firmiore, vt cæterorum, sed fluido, quale lac est, quod sine coagulo sponte coiuerit. Bubali sanguis aliquantuo amplius spissatur: quippe qui proximè ouillo, aut paulo minus consistat.*

Hactenus Aristoteles, ex cuius verbis plura legi possunt consectaria; Primum nempe ceruorum, damarum, leporum, & similium sanguinem non congelari; eo quòd huiusmodi animantia frigiditate pollent; quare sanguinem nec bellè coquunt, nec satis adæquant; quo fit vt fibræ in ipso nequaquam generentur, quarum beneficio, vt diximus, concrescit sanguis. Secundum, taurorum sanguinem ideo citius coire, atque durescere, quoniam robustissimus est, ac natura præferuidus, ideoque percoctus, adæquatus, ac fibrosus. Et ex hac eadem ratione arterialem sanguinem, vbi refrixit, putandum est ocyus concrescere; quandoquidem longè est venoso sanguine perfectior, & calidior. Tertium, sanguinem morbosum minus concrescere, eo quòd in illo est humiditas multa interminata, vt ideo non absque ratione dixerit idem Aristoteles, sanioſos sanguines haud concrescere; sanies enim ex eiusdem Philosophi dictato, sanguis incoctus est: aut quia concoctus nondum est, aut quia in serum degenerauerit. Quam eandem rationem confirmat eodem illo 3. de animalium historia toties nuncupato, dum ait: *Si sanguis immodicè humescit, morbus infestat: sic enim in speciem saniei diluitur, & adeò serescit, vt iam nonnulli sudore cruento exudarint. Idem etiam interdum causa est, vt qui effluxerit, aut omnino concrescere nequeat, aut incomptè, particulatimque spissetur.* Atqui non est denegandum, interdum ex morbosa sanguinis natura, vtpote visciditate, lentore, ac miscela phlegmatis, craſſioriſque pituitæ statim, vel paulò post missionem concrescere; perinde

ac refrigeratum ius illud, in quo animalium extremitates, nerueaque subſtantia ebulierint (vulgo gelatinam vocant) continuò ſpiſſatur, & in lactis coagulati modum coit. Sanguis huiuſmodi apud eos in primis reperitur, qui ſedentariam, & omnino otioſam vitam viuunt; Quò pertinet illud Xenophontis 5. de Cyri expeditione: *Quum ex ſedendo, & quieſcendo viderem ſanguinis concretionem quandam contrahi.* At frequentiùs idem ſanguis apud leproſos gignitur, hi namque pituoſo, lento, ac viſcido cruore circumfluunt. Hinc extat apud Marcellum Donatum hiſtoria illa celebris, de quodam Annibale Pedemontano, qui cùm per biennium Arabum lepra vexaretur, in pleuritidem incidit, cùmque ob id illi vena tali ſecaretur, aqua calida vnæ menſura excedens, in qua ſanguis ad ſex vnciarum pondus effluxerat, poſt quam deferbuit, haud ſecus ab ipſo denſata eſt, quàm ſi aqua lac, ſanguis verò coagulum extitiſſet; vide apud ipſum auctorem caput 6. primi libri de hiſtoria medica mirabili, vbi ad rem hanc plura, eaque præclara.

Tertia demum ratio, cur ſanguis extrauenatus concreſcat, accepta referri inſuper debet naturæ ipſorum locorum, qui conſeruandi locata vim poſſident. Sic videmus, in proprio barathro aquam nequicquam gelaſcere; extra tamen abyſſum ſuum in glaciem facillimè verti. Rurſus in centro ſuo terram non grauitare, conſpicimus, necnon rariùs ibidem contraria admittere qualitates: Aerem in tribus ſuis regionibus vniformem permanere: Ignem in ſua ſphæra non marceſcere. Præterea metalla in ſuis mineris vigere, ac ſeruari; in ſuis matricibus vniones, cereroſque precioſos lapillos in finibus ſuis: In mari piſces, in aere volucres, in terra bruta, & omnia in omnibus a natura præſcriptis locis, & finibus κατα φυσιν ritè permanere, ac ſeruari diu. Ita prorſus in microcoſmo humorem, & particulam quandam in vaſe, ac ſede ſua integrè, & fœliciter ſeruari quo ad poteſt, cenſendum eſt; vtpotè in capite cerebrum, in corde ſpiritus, ſemen in teſtibus, poriſque, aliis, in mammis lac, in cyſti fel, in ſplene melancholiam, in venis demum, arteriiſque ſanguineam ſobolem. Quid ergo mirum ſi propria ſede deſtitutus ſanguis illicò præ dolore ferè, ac timore, vt ita dicam, corrugetur, conſtipetur, & congelaſcat, venarum calorifico ceſſante influxu. Atque hæc de ſanguine ſatis.

Modò alterum quæſtionis membrum examinandum proponitur, cur nimirum effuſum ad aerem ſemen paulò poſt liquefcat, prorſuſque euadat fluidum; quod non modò experientia fit compertum, verùm ab ipſo Ariſtotele 2. de Generat. animalium his verbis palàm enunciatur: *Semen enim prodit de animali craſſum, & album, nox refrigeratum humidum ad aquæ* A *ſpeciem redditur, calorem etiam acoipit aquæ &c.* Sanè id haud leue dubium eſt, quandoquidem, vt Philoſophus ipſe ratiocinatur ſecundo capite nuper citari libri: *Omnia aquoſa concreſcunt frigore, ſemen verò poſitum in gelu ſub dio non concreſcit, ſed humeſcit, quaſi a contrario craſſum extiterit; ſed neque a calore craſſari, ratio probabilis eſt; quæ enim plus terræ continent ea conſiſtunt, craſſanturque per coctionem, vt lac igitur refrigeratum ſolideſcere debuit; at nihil ſolidius fit, ſed totum modo aquæ liqueſcit.* Diſſultatem ſapientiſſimè, vt ſolet, exoluit Protoſophos, dum ait: *Non ſolùm enim quod ex aqua, & terra humidum conſtat, craſſatur, ſed etiam quod ex aqua, & ſpiritu, vt ſpuma craſſior, albuque exiſtit, & quò ampullæ pauciores, incertioresque ſunt, eò & altior, & rigidior faſtus conſpicitur.* Quocirca paulò poſt idem ſubiungit. *His de cauſis ſemen quoque exit quidem intrinſecus ſpiſſum, & album calore interiore, multum ſpiritus calidi continens, ſed egreſſum vbi calor euanuit, & aer refrigeratur, humidum, nigrumque euadit, remanet enim aqua, & ſi quid paruum terreæ portionis continetur.*

Verùm enimuerò, vt hæc plenius diluciden- B
tur, animaduertendum erit, ſubſtantiam ſeminis & ipſam etherogeneam eſſe, vt quæ particeps eſt aquæ, terræ, & calidi aeris, vt puta ſpiritus; id quod 4. Meteorologicorum ſumma 4. capite 2. expreſſit Ariſtoteles iis verbis: *Sanguis autem, & genitura communia ſunt terræ, & aquæ, & aeris.* Dominari tamen in ſemine ſpiritum ex eo dignoſcitur, quòd ſpumoſum eſt, leue, & album, vt ideo 1. de Generatione Animalium iure diceret Auerroes, ſemen eſſe veluti quoddam butyrum multis ſpiritibus plenum, & Galenus primo Aphoriſmorum comm. 14. ſemen habere paucam terrenam ſubſtantiam, plurimum autem aeris calidi, humidique in ſe continere. Quamobrem quandiu ſpiritus e ſemine haud euaneſcunt, illud craſſum, & conſiſtens permanet, vnde 2. illo de Generatione Animalium ſcribebat Ariſtoteles: *Craſſum autem, albumque eſt ſpiritus mixtione.* Cùm igitur ab effuſo ſemine ſpiritalis C
ille calor euolauerit, neceſſe eſt omnino, vt humidum quod ab aere ipſo in faſtum, & craſſitiem eleuabatur, fluidum vt ſuæ naturæ eſt reddatur; eremim vt 4. Metereolog. docebat Philoſophus, quæ a calido, & ſicco conereuerunt, ab aqua, ideſt frigore ſoluuntur; Iam ſemen, quod a calido, atque ſpiritali aura concreuit, nihil mirum ſi ab ambiente frigido facta ſpirituum reſolutione humeſcat, ac penè aqueum fiat.

Rurſus cùm inter ſymbolica elementa ſit facilis degeneratio, quid mirum ſi demiſſum ſemen exemplo euadat aqueum? Aer ſiquidem, qui D
cali-

calidus in illo continetur in aquam leui negotio transmutatur, symbolizat enim cum hac in humiditate, qua de re sat est, vt solummodo refrigeretur; & hoc, ni fallor, significare voluit archisophos cùm dixit: *Vbi calor euanuit, & aer refrigeratur, humidum, nigrumque euadit, remanet enim aqua, &c.* Equis amabo non animaduertit, bullas cum primum euanescente spiritu disrumpuntur, in paruum humorem degenerare? Vt meritò hinc redargui debeat Ctesias ille Gnidius, qui scripsit, elephanti semen siccescens adeò indurari, vt electro, siue succino persimile euadat; nam semen quodcunque emissum, tantum abest, vt induretur, vt potius fluxile, & omnino aqueum eueniat.

CAPVT XVIII.

Quamobrem qui genituram humidiorem obtinent, insalubrius degant, vt sentit Hippocrates.

SEXTO Aphorismorum vndecimo Iatricæ facultatis dictator Hippocrates hanc exarauit paræmiam, quæ ex doctissimi Heurnij paraphrastica versione ita sonat; *Quibus nares natura sunt humidiores, & semen humidius sanitate sunt morbosiore, viuuntque valetudinary; At qui contra sunt affecti, salubrius degunt.* Relictis natibus de semine hic verba duntaxat sunt facienda, quod nimirum cùm tertiæ coctionis frugi sit excrementum, inde meritò nutriciæ partium œconomiæ vitium, aut salubritas deprehenditur. Profectò humidior corporis, partiumque solidarum cumprimis habitus, dubio procul integræ, firmæque valetudini est infestus; nam inde corpori varia accedunt symptomata, vtpote œdemata, dissolutio, infirmitas, hydrops, aliaque similia multa, iuxta pituitæ, quæ fluctuat, multiplicem naturam, quæ insuper si euadat salsuginosa, deteriores adhuc affectiones infligit. Etenim licet humanæ vitæ hyparxis in humido consistat, illud tamen haud quaquam fluxile est, aqueum, & excrementitium; sed pingue, tenax, atque consistens, qua ratione insitum calidum & fouet, & retinet. Semen ergo, quod plurima circumfluit humiditate, quoniam partes principes excrementitio fluctuare humore præsignat, iccirco læsæ valetudinis, ac deprauati vitalis toni est index. Nec dicas, humidius interdum reddi semen absque quo culpatæ salutis detrimentum significetur, cuiusmodi vt plurimum apud ebrios reperitur, euexia alioquin præditos, quorum iccirco infœcundum est, vt alibi exarauimus, nec tamen propterea humiditas illa tecmerium insalubritatis apud eosdem existit indicium. Nam soluitur obiectio, si dicatur Hippocratis verba esse, γόνιμ ὑγρότερον φύσει, hoc est semen humidius natura, non autem ex accidente, vti est in temulentis ex vini copia. Atqui natura humidior genitura spermaticarum partium indicat vitium, ac pepseos imbecillitatem, aut etiam ipsius materiæ spermaticæ ineptitudinem.

Porrò materiæ spermaticæ vitium est apepsia, quæ proinde ventriculi primum, mox hepatis, tertio solidarum partium discrasiam, atque segnitiem arguit. Prima coctio celebratur in ventriculo; hic si humiditate fluctuet, chylum cruditatibus conspurcatum exerit; chylus vbi sic vligino sus fertur ad hepar, nequit adæquari, & absolutè perfici; quandoquidem primæ concoctionis error, in secunda neutiquam reprenditur; inde dilutior exantlatur sanguis, & fluxili ichore commaculatus. Rursus hic ad solidas partes demandatus nutrimentum nimis infœlix præstat primò: mox quod supereſt in semen transit; verùm & illud aqueum prodit, ac parum distans a pituita, ideoque spiritibus, & aura calorifica depauperatum; cùm ad congruam pepsin a solidis particulis nequeat redigi. En ergo vt semen interminato humore turgidum totum corpus male affici testatur ex materiæ spermaticæ vitioso crimine. Significatur præterea ab humida genitura solidarum, ac spermaticarum partium crimen, quandoquidem cùm hæc ad exactam consistentiam nequaquam redigatur, frigida, humidaque earundem redarguitur intemperies. Atque hæc extat germana aphorismi explanatio iuxta classicorum virorum doctrinam, & opinatum.

At modo meam capite expositionem, quæ fortassis Hippocratis menti est oppidò propinquior. Insalubrius nimirum degunt, qui cerebrum humidius adepti sunt; ab hoc enim in varias corporis partes innumeræ fiunt fluxiones, ac rheumatismi, vt verissimum exinde sit, ægritudines omnes vel a cerebro esse, vel incrementum inde recipere; cuius plurimę, præuæque defluxiones libro de glandulis describuntur. Quoniam verò, vt probatum superius est, maior seminis portio a cerebro per spinalem medullam delabitur, sit ideo, vt malè affecto cerebro prę humiditatum colluuie, semen quoque ipsum cœnosum, fluidumque reddatur, ex quo prę sagium fieri valeat vulneratæ salutis vniuersi corporis; consectarium enim humidioris cerebri est subiecti corporis vniuersale detrimentum, ac tonus labefactatus. Atque adeo sensus huius aphorismi erit, ijs quibus humidiores extant nares, cerebri frigidiorem, humidioremque indicantes complexionem, inesse insuper humidiorem genituram, qua cùm solidæ partes perperam nutriantur, insa-

insalubriorem inde, atque effœtam fieri valetudinem.

CAPVT XIX.

De semine squallido, siue præ nimia siccitate in grandiuis formam densato, ideoque ad exitum inepto.

HÆC seminis affectio opponitur e diametro inuoluntarijs eiusdem effusionibus, de quibus in sequenti tractatu; nam illa detentus quantumuis in venere. B Iucta ad iaculationem nitatur, nihil tamen effundit, immo quantò laborat magis, tantò euadit sterilior, & vt fertur adagio, tundit aquam in mortario. Hem quid hoc morbi est. Quàm infestus Generationi? quàm Veneri inimicus? frustra namque in Amorum palestram exit athleta: frustra miles aphrodisius in ephodon exilit: incassum natura in speciei propagationem incumbit. Sic est; dum præ siccitate semen squallet, dum arescit calore nimio, & in formam penè vitri densescit; redditur impar fusioni. Doctrinam hanc insinuauit Hippocrates aphorismo sexagesimo quinto sectionis, vbi legitur: *Aut enim ob corporis raritatem spiritus foras fertur, ita vt genituram effundere nequeat; aut propter densitatem humor foras non exilit.* Licet autem Galeno hic aphorismus censeatur spurius, rei tamen veritati satis consonat. Percurramus amabo causas, morbique huius ideam exactiùs describamus.

Natura prouida animalium Generationi consulens semen aptum, & prolificum primò submini-strat, mox de perfectione, & cõseruatione eiusdem sollicita, vasa, & meatus congruos, in quibus idem locetur exantlat. Modò hoc ipsum semen tandiu fœcunditatis est compos, quandiu a debita crassi non descisceret; propria verò ac debita temperies est, vt neque nimis humidum, neque nimis sit aridum, neque nimis fluxile, neque admodum consistens, atque densum. Humidiori semine relicto, quod iccirco sterile est; quoniam prolificos, & mechanicos spiritus haudquaquam continere valet, de sicciori duntaxat hic facienda sunt verba; quod sanè tametsi commodè emitteretur, foret attamen infœcundum iuxta illud Lucretij 4. de natura:

Crassius hoc porrò, quoniam concretius aquo
Mittitur, aut non tam prolixo prouolat ictu,
Aut penetrare locos aquè nequit, aut penetratum.

A *Aegrè admiscetur muliebri semine semen.*

Enimuerò cùm semen huiusmodi nequeat in stamina expandi, sed squallido modo densatum nulla circumfluat humiditate, e suis cuniculis impos erit exilire, quantumuis ad expulsionem laboret Genitor.

Atqui cur ita grandinis modo arescat interdum; causa est calor nimius circumfluam absorbens humiditatem. Quę sententia Galeni auctoritate fulcita acceptior veniet; is itaque 5. aphorismorum sexagesimo secundo aiebat sic: *Eodem modo, & propter excedentem calorem fit toſlo ſimile.* Et aphorismo sexagesimo tertio luculentius adhuc: *Nam torreri, aut tale aliquid ſemen pati propter calorem, rationem habet.* Qui quidem calor vel in ipsomet subiectatur semine, vel vasis adhæret, vel aliunde influet. Immodestus calor semini ipsi associatur, cùm feruens nimium sanguis est, e quo elaboratur; aut quia eidem humores alij immiscentur feruidiores, & acres, qui temporis tractu substantiam seminis coagulant, vt ita dicam. Adhæret vasis, quando hęc habitualem quandam nacta caliditatem, eo modo quo solidę partes apud hecticos æstum contrahere solent, genitalem humorem depascunt, absumunt, & in terrestriorem substantiam deducunt. Enimuerò spermatica vasa hecticum hunc feruorem concipere interdum posse rationi consonum est, & nos pluribus demonstrabimus, cùm de febre spermatica sermonem inibimus, in qua tres species constituimus, puta ephemeram spermaticam, putridam spermaticam, atque hecticam spermaticam. Aliunde influit immoderata caliditas in semen, quando scilicet hepar, ac renes in præseruidam discrasiam delapsi calorem genituræ, & continentibus ipsam communicant, qui nimirum calor semen inuadens exugit, exurit, & in grandinis formam vndique condensat; adeò vt in stamen postmodum expandi nequeat, qua ratione ad exitum fit prorsus inutile; quin si quis huiusmodi semine imbutus in Veneris arena admodum laboret, præ maiori, quo insuper arescit calore, squallidum oppidò magis euadit, atque adeò fluxioni ineptius. Adde tandem, quòd si melancholicus humor, cuius ingens copia semini plerumque immiscetur, pręualeat, austera sua qualitate breui temporis interuallo illud fermentat, cogitque. Immo etiam interdum, non modò excrementa varia, quę genituræ interfunduntur, possunt meatus, seminalesque cuniculos obstruere; verùm etiam ipsummet semen suo lentore & crassitie, ita potest ora vasorum intercludere, vt nullo pacto exitum sibi valeat aperire.

Verùm enimuerò contrà dicta videtur esse Aristoteles, qui Problem. sect. 4. problemate 15. quærens, cur homines in aqua concumbe-

re

re nequeant, sic respondet. *An quod res nulla in aquæ liquefiere potest, quæ ab igne liquefieri apta est, ceu plumbum, aut cera; semen autem hominis igne planè liquefcere videmus; haud enim prius fluere incipit, quàm per attritum recaleat.* Igitur ex Philosophi sententia, calor exuberans genituram non densiorem, vt ratiuimus, sed fluidiorem reddere deberet. Porrò malè sentit Aristoteles (parcant summi Philosophi manes) putans in primis semen aptum esse liquefieri à calore: siquidem illud ex eius quoque arbitrio aptum est à calore liquescere, quod à frigore densatur; modò semen haudquaquam à frigore, verùm à calido spiritu concrescit, vt alibi contra ipsummet Philosophum disseruimus, dum scilicet statuerat, optimum, ac prolificum semen aquæ simdum petere. Quòd si vt genitura fundatur in actu aphrodisio, opus habet, vt motu, & Veneris agone recaleat, non proinde sit, vt illa liquescat; verùm vt vasa spermatica aperiantur, natura irritetur, seu potius proliciatur, &, vt semen ipsum commoueatur, ac descendat. Id sanè experientia manifestè patet, qua conspicimus semen, vbi primum erumpit, densum, & grandinosum esse, vbi primùm verò ab aere, ac frigore tangitur, ilicet aqueum reddi. Cur autem in aqua minus concumbere valeamus, acceptum id feratur frigiditati illius, quæ exinde geniales spiritus hebetat, necnon vbere humiditate pruritum, ac titillum infringit, quo sine in Venereo certamine ad effusionem non excitur Natura.

Si tandem pro auctario, quæ huic squallido semini medeantur auxilia, posteà, dixerim, iuxta diuersas causas diuersos insurgere curandi scopos. Nempe si arescat semen ab immodesto calore, refrigerantibus, & humectantibus opus erit, siue calor ipsis adhæreat seminalibus vasis, siue aliunde, vt à renibus, & hepate influat. Pro qua re nullum certè magis præsentaneum erit auxilium post leuem purgationem, quàm dulcis aquæ balneum, vel, si opus sit, olei ipsius recentis. Ptisana, communium seminum emulsiones, oleum amygdalarum dulcium, atque etiam caprillum lac appositè adrem facient. At si præ obstructione semen emicare nequeat, deobstruentibus obuiam ibimus, quorum ingens apud Medicos catalogus. Potiora tamen, quæ minus calida, censenda: meoque arbitrio chalibi, eiusque infusionibus primus locus cedendus erit.

CAPVT XX.

De polyspermia, aspermia, & cacospermia, siue de vbertate, priuatione, ac vitio seminis.

QVEMADMODVM inter animalium genera non omnia æquè sunt polygona, sed vt alia alijs petulantia magis, & salaciora existunt, vt plenè in 2. libro disseruimus, sic nonnulla sunt cæteris longè magis polyspermata. Ita inter homines reperiuntur nonnulli, qui ex naturæ proprietate, ac temperamento ea scatent genituræ vbertate, vt semper, licèt Veneri frequenter indulgeant, plenos referant meatus, perpetuò seminali alluuione madescant: Ita tamen vt sæpè, nisi coeant, opprimantur à copia; nisi iugiter misceantur, infirmentur; robur ab vsu, languorem ab abstinentia: à Venere valetudinem, à temperantia agritudinem nanciscantur. Familiaris mihi inest cum nobili viro consuetudo, qui cùm huius ordinis existat, ac viuente vxore nullam diem citra aphrodision præteriret, eam nunc viduatus genituræ plenitudinem, & affluentiam patitur, vt licet magnis, ardùisque distentus negotijs, nisi bis, terue in hebdomada vasa concumbens exinaniret, omnibus læderetur naturalibus functionibus; siquidem vbi diutius gynæchomachiæ pareit, anorexia, torpore, vigilijs, & mentis quadam fuligine grauatur, & offunditur: quin etiam vbi rem Veneream agit, eam genitalis vrinæ illuuiem reddit, vt videatur in sinum muliebrem pleniffimum enema iaculari.

Huiusmodi verò polygonia, siue seminis affluentia solet plurimùm emanare à forti, & robusta testium facultate spermatopoijtici, quæ tam locuples est interdum, vt alimenti maiorem partem in genitulam conuertat; vtitur autem tanquam ancillante valida virtute trahrice, quæ ab alto sanguinem, ac poros genitales euocet, ac iugiter proleget, non sine superiorum partium emaciatione; quare vt plurimum omnes, qui polyspermia insigniuntur, exuccos videmus, nisi temperamento, siuque deque sanguineo sint præditi; & omnino magis graciles, quàm pingues fœcunda seminis implentur fœaturigine.

Rursus, qui venas in toto corpore non valde latas, magnos verò a natura testes, atque ampliffima spermatica vasa obtinent, succum genitalem vberrimum cumulant; ad hæc enim, vt repleantur à supernis meatibus demandatur iugiter sanguinis copiosa supellex, cùm præ-

præsertim illi præ angustia minimum sanguinem humoris excipiant. Quin etiam quotus quisque ampliores renes, calidioresque sortitus fuerit, is genitali rore impendio diffluet: renes enim ad Veneris fœcunditatem non minimam partem conferunt; &, vt alibi traditur à nobis, in ijs tamquam in regia libido residet. Addatur his totius corporis ad vasa phlebotoria, & succulentior habitus; ad vasa inquam, quoniam, vt infra dicemus, plenitudo ad habitum genituræ detrahit. Cæterum naturali huic fœminis fœcunditati non parum opitulantur cibi dapsiles, cuchimi, polychimi, quique ex natura sua multum genitalis humoris progignunt; cuiusmodi sunt in genere carnium phasiani, perdices, columbi, externæ, cornurnices, ouarecentia. Inter fructus pinei nuclei, pistachia, amygdalæ; inter radices bulbi, satyriones, & gonima innumera, quorum in 3. libro mentionem fecimus.

Contra aspermia aliquibus contingit, itaut vel parum, vel nihil prorsus accumulent seminis, ideoque infœcundi viuunt, nihilque aphrodisijs illecebris addicti; tametsi reliqua generationis instrumenta bene conformata, & integra adepti fuerint. Huiusmodi genitalis vrinæ penuria ijs frequens accidit, qui nimium faginantur; absorbent enim in corporis habitum, quicquid ad poros spermaticos deflectere deberet; etenim virtus attractrix, atque assimilatrix valida, quæ in corporis viget ambitu, adeò nutricios exhaurit succos, vt nihil, aut valde modicum supperat, quod ad seminales meatus regurgitet; *quoniam excrementum coctum transit in pinguedinem*, inquit 1. de generatione animalium Philosophus. Nimirum cum nihil aliud sit semen, quàm vltimæ coctionis excrementū, quotiescunque alimentum vniuersum apponitur, & assimilatur, vt in obæsis contingit, huiusmodi recrementum neutiquam aggregatur; id quod supra, vbi de vtero adiposo libro 4. verba fecimus, ex Aristotele comprobauimus: qui insuper id genus corpora vitibus comparabat, quæ dum valde luxuriant pampinis, & racemis lætantur, nihil afferunt fructus; eo prorsus modo, quo & hirci, qui nimium obæsantur, generationi, quamuis natura apprimè salaces, inutiles redduntur. Quid multa? Quisquis fœcunditatem exoptat, saginam adimat, à qua genitales spiritus obruuntur, sanguis minuitur, meatus arctantur, ipseque natiuus marcescit igniculus. Hinc petulantes mulierculæ clinopalis peritæ, lacertique Veneris bene conscię coniuges detrectant ventricosos, qui genitabilis expertes humoris earum cupidini haudquaquam satisfacere queunt.

Secundo feminis oritur ἀποφία ob imminutam, siue abolitam testium facultatem σπερματοποιητικὴν, tametsi materia vtpotè humores, & sanguis minimè desint. Et hoc vitium vel est ab origine, vel à morbo, vel etiam ab intempestiuo, & immoderato concubitu, à quo testes ipsi fatiscunt, & eorum virtus infirmatur. Immo in ipsis etiam fœminis ob ingentem fœtificationem exarescit seminale pecu, eo modo quo arbores, vt Philosophus 3. de generat. animal. cap. 3. testis est *multa fructificatione exarescunt*. Hinc eodem auctore gallinæ, quæ bis in die pariunt, vsque adeò seminali virtute exhauriuntur, vt vel citò intereant, vel prorsus sterilescant; vndæ hyperinæ, siue effœtæ illæ appellari solent. Id ipsum lœnę contingit, cum enim quinque, aut sex edat in primo partu catulos, sequentibus annis vnicum tantum promit; quasi primo illo fœcunditatis excessu effœta vis vteri, & exhaustum genituræ gratium reddatur.

Tertiò tandem oritur aspermia ob rerum imprensè calidarum vsum, quę semen, & succos, e quibus prodit, exiccant, & exhauriunt, vt ruta, mentha, camphora, & alia id genus maleficа naturalia, de quibus tertio libro abundè. quibus addi potest noua illa forbitio ex calidissimis herbis ab Indis parata, quam vocant, *chocolate*; hęc enim seminalem succum arcescit adeò, vt qui illam frequentant, breui tempore aspermati fiant. Pari ratione edulia quęque terrea, arida, nullius chimi; vt furfures, olera pleraque, radices insipide, ac fructus, quos incultę ferunt syluę, cùm vix corpus, ne tabescat, enutriant, genituræ non supplent. Vt ideo qui vastas, aridasque Ægypti eremos incolebant primi patres, cùm rebus vescerentur huiusmodi, libidinis omnem conculcabant fomitem; quandoquidem nihil quod prurire seminis aggregabant, ipsum potius radicale humidum commaculabant, & insumebant. Hinc Lucretius 4. de natura basilicè:

Atque adeò refert, quo victu vita colatur;
Namque alijs rebus concrescunt semina membris,
Atque alijs extenuantur, habentque vicissim.

Denique cacospermia, seu vitiata seminis productio fit ab instrumentorum intemperie, meatuum scilicet seminalium, ac testium insigni discrasia, ob quam gignitur quidem humor genituræ, verùm infœcundus, inutilis, omnique lithurgo spiritus orbatus, vt nihil plus habere videatur, quàm habeat serum, & ichor, quem per vrinam emittimus; nam in primis albedine caret, colore turbidam repręsentat aquam, odorem iniucundum spirat, fluidum est veluti aqua, spiritali calore destituitur; quare nullum dum emittitur, voluptatis infert sensum. Atque hinc de proprio semine coniecturam faciant, qui Venerea in commixtione nullam, aut exiguam valde suauitatem percipiunt, per-

perinde ac ipsam redderent vrinam; quippe deest in semine spiritus ille feruidus, qui dum proterue micat, impetumque facit, membra titillat, pruriginem excitat, amoris dulcedinem creat. Verùm de his infra, vbi de voluptate Venerea ex professo Tractatum efficimus. A

Simili modo si contingat semen produci impensè calidum, & acre ob feruidiorem vasorum intemperiem, non modo infœcundum prodit, citraque mulcedinem funditur; verùm tristi quoque sensatione coeuntem afficit, dumque emittitur, vrit, mordicat, vlceratque interdum. Sæpius illustris viri curationi adfui, qui temperamento alioquin atrabilari, renibus in primis feruidioribus præditus, quotiescunque in somno polluitur in ipsa glande, ac præputio vlcuscula tamquam caries Gallicas incurrit; adeò vt illicò fiat opus loturis, vnguentis, tutia, & aliquando etiam præcipitato occurrere, perduratque exæsio interdum plus duodecim dierum spatio. Quin aliquot ante annos deteriora ab onirogmo inureb ntur vlcera; sed refrigerante diæta, medicamentis varijs, & in primis aquæ Nucerinæ haustu copioso, duobus annis in æstate successiuè repetito, seminis feruescentia. & acrimonia plurimum sedata est. Simili modo a serosa, putridaque colluuie, alijsque omnibus excrementis genituræ commixtis cacosspermia produci solet. B

Demum aliud in semine vitium contingere potest, summa nimirum crassities, ac tenacitas, siue dicas coagulatio, ob quam è suis meatibus exire, ac destillare nequit: vnde contingit, vt nonnulli in aphrodisio polemo, quamuis diù, ac strenuè agant, nihil tamen genituræ effundant, quemadmodum in 3. libro edocuimus. Oritur verò huiusmodi seminis concretio non à congelatione, vt aliqui perperam existimarunt; nequit enim in viuente corpore, inque calida genitalium regione humor vndique spiritibus turgens algere. At à præcipua quadam vasorum virtute coagulatiua, siue à feruida eorundem, ficcissimaque intemperie, qua resolutis genituræ humidioribus partibus crassiores ad modum grandinis constipentur; quamobrem cùm in Venereo tripudio huiusmodi genitura fundi, & liquari non valeat, concubitus peragi nequit, sed sterilis est labor, frustraque vomere predium mulie bre reuoluitur. C D

CAPVT XXI.

De seminum seris, atque de eorundem Orco Hippocratico.

HAVD semper semina, fœcunda licet existant, Generationum obeunt munia; Silent interdum, & in proprijs diuersorijs seriantur, donec opportuna prolificandi suppeditetur occasio, ac tamquam ex Orco euocentur ad Iouem. Ita constat, non semper bruta in Genium ac Venerem propendere; sed certis quibusdam temporibus, ac vere potissimum pleraque ad generationem declinare; eo quia reliquis temporibus eorum genituræ tamquam sopitæ quiescunt, neque e suis tenebris in lucem prodire gliscunt, aut ab ocio ad negocium suscitari. At verò dum geneseos tempus adest, expergiscuntur, turgent, efferuescunt, spumant, exitumque celerrimum quærunt, vt noua sobole naturæ gremium impleant:

Irritata tument loca semine, fitque voluntas
Eijcere id, quò se contendit dira libido.

Lucretius libro 4. canebat: Audiamus Aristotelem 5. de historia animalium ita loquentem: *Tempora autem coitus descripta, & ætates certas ad Venerem singulis animalium natura fixit, & statuit. Ergo plurimorum animantium natura vult quidem rem Veneream peni tempus, cum hyemis cessante sæuitia, ætatis clementia oritur: quod sanè tempus veris est, quo plurima, & volatilia, & pedestria, & natantia ad coitum excitantur. Sed sunt quæ per autumnum etiam, & hyemem coeant, atque pariant: vt nonnulla cum aquatilium tum volucrum genera.*

Id ipsum in cerealibus luculentiùs apparet, quæ si fortè intempestiuè iaciantur in agros diù sepulta iacent, nullam agunt motionem, torpent, & in proprio abysso ociantur solitaria. Verùm non ita citò congruam Cœli, terræque nanciscuntur occasionem, quod pulso sopore excita resurgunt, quasi fermento tuberant, susque deque motione facta locupletissima segete campos lætificant. Quod sanè multo euidentiùs in plantis sponte nascentibus perspicitur: nam in summa hyeme, vbi nam tot herbarum, fruticumque seminia, quæ prata, & syluas ornabant? Nunquid periere? nequaquam; Iam enim paulo supra illa omnia perennitati consecrauimus. Igitur silent, & suo in Orco tamquam delitescentia stupent, donec aduentante Fauonio, ac fœcundante cœlitus imbre actutum euocantur, ac fœlicissi-

ma propagine vniuersam campestriam ditant. Hunc seminum orgasmum ex aduentante Fauonio describit etiam egregiè Lucretius primo suo de rerum natura in ipso exordio ad Venerem, vbi hæc.

Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Et reserata viget genitabilis aura Fauoni:
Aeria primum volucres te, diua, tuumque
Significant initum perculsæ corda tua vi.
Inde feræ, pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amnes: ita capta lepore
Illecebrisque tuis omnis natura animantum
Te sequitur cupidè, quò quamque inducere pergis;
Denique per maria, ac montes, fluuiosque rapaces,
Frondiferasque domos auium, camposque virentes
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, vt cupidè generatim secla propagent.

Ita Deus omnisator cunctis generationibus sua præscripsit tempora, ac prædestinationes, vt loquuntur Hermetici; ideoque semina modò prolificant, modò suis abstrusa conceptaculis vacant ab omni opere.

Hanc seminum vicissitudinem vocant nonnulli fluxum, & refluxum, neque incongruè: fiunt enim, cùm suas explicant vires, & in hanc mundi scenam promulgantur: refluunt, dum aresscente sobole se ipsa colligunt; vt ideo generatio nihil aliud esse videatur, quàm seminum augmentatio, & explendescentia; corruptio nihil aliud, quàm eorundem imminutio, & obscuratio. Quò pertinet illud sapientissimi nostri Hippocratis primo de Dæta: *Nihil fit, quod prius non erat, neque quicquam perit, sed permixta, & discreta alterantur. Homines verò opinantur, hoc ex Orco in lucem audum generari; illud verò ex luce in Orcum imminutum perire, atque corrumpi.*

Sed lectoris animum audire glisscentem video, quid sit Hippocraticus Orcus, ad quem seminales virtutes refunduntur, quando corpora, quibus inerant, corrumpuntur, ac dissoluuntur. Dicam paucis, esse materiam siue subiectum improportionatum, in quo recipiuntur, ac tamquam in obscuro carcere desides continentur (Orcus enim obscuritatem sonat) omni earum potestate, ac fœcunditatis energia præstricta, donec disposita, ac rite præparata alia materia illam sibi in propriam adiungant, cum qua deinceps explendescant, atque Iouis, hoc est naturæ officio, luci, ac mundi theatro reddantur cum sobole conspicuæ. Neque absonum alicui videatur, seminalem formam, seu virtutem extra suam sphæram vagari, & in aliena materia obscuram, & ociosam cunctando seruari; quandoquidem si possunt formæ substantiales, & animæ ipsæ in extraneo subiecto, tamquam in vase contineri, absque eo quod formæ vel minimo fungantur munere, vt sentit in suo de spontaneo viuentum Ortu opulentissimus nostri seculi Physiographus Licetus, non erit absurdum, seminales virtutes, quæ ad rerum perennitatem destinantur, in locis, ac subiectis alienis ad tempus sequestrari. Ita nimirum decidit interdum, ex arbore proxima in stagnum, cœnosamque paludem vel pomum, vel amygdala, vel simile quicquam, vbi non multò post putrescit, fitq; corporis dissolutio. Attamen non iccircò seminalis ratio, ac dynamis perit, sed in putredine delitescit, ac cœno tamquam in Orco absconditur; donec renoluto stagno, & resiccata palude, lutulenta materia in agrum fortè translata, nouum sibi corpus ex conuenienti materia fabricat, indeque soboleseit admirante agricola; quod, nemine ferente mallus, vel amygdalus suo in prædio exortæ fuerint. Ita quoque naturæ studiosi tradunt, posse exoticarum plantarum si semina desint, haberi sobolem, si earum radice, vel frutice exustis, mox cineres in optimam terram proijciantur.

CAPVT XXII.

De seminum vtriusque sexus harmonia, siue consona ad conceptionem temperie.

NON semper fœcunda Venus, sit eius interdum sterilis voluptas, quamuis vtrinque, a viro scilicet, & muliere læta, & vberrima iaciantur semina; vnde mœsti cõiuges iniquam deplorant filiorũ orbitatem, atque inde diuinæ maledictionis exhorrentes supplicium ad numina ipsa precibus, & altaribus confugiunt supplices, tamquam sterilitas ab ijs, non a proprio seminum vitio, ac dissonantia immittatur. Quod tamen redarguit Physiopsaltes 4. de natura his metris.

Nec diuina fatum genitalem numina cuiquam
Abflerrent, pater a natis ne dulcibus onquam
Appelletur, & vt sterili Venere exigat aeuum:
Quod plerique putant, & multo sanguine mœsti
Consspergunt aras adolentque altaria donis,
Vt grauidas reddant vxores semine largo.

Ne-

Nequicquam Diuum numen, sortesque fatigant
Nam sterilis nimium crasso sunt semine partim,
Et liquido præter iustum, tenuique vicissim,
Tenue locis quia non potis est affigere adhæsum. &c.

Atqui tametsi maris, & fœminæ genitura nullo interdum crimine detineatur, infructuosè tamen funditur ab vtroque, non ob aliam causam, nisi quia manifestis, vel occultis qualitatibus mutuò non conuenit, atque adeò inter vtramque dissonantia, & quædam intercedit antipathia. Nimirum cùm viri semen intra vterum infusum muliebri semine pro alimento indigeat, si inter ipsa amica sodalitas, & harmonia interueniat, conceptio fœliciter cedit: Si verò ex arcana dispathia, aliaue manifesta discrepantia diffideant inuicem, licet per se, & seiunctim mas, & fœmina fœcundi existant, commixti tamen nunquam generabunt, sed perpetuò mœrebunt proles.

Hanc seminum harmoniam Aristoteles 4. de generatione animalium cap. 2. appellat moderationem; habet interim textum apponere, namque ad rem nostram basilicè facit. *Nam omnia, quæ vel natura, vel arte efficiuntur ratione aliqua sunt: calor autem si valde superat, exiccat humorem: si multum deficit, non concernit, sed medij rationem ad rem condendam seruari requiritur. Alioquin vt in ijs, quæ igne coquuntur, plus ignis deurit, minus non coquit, ac euenit vtrinque, ne quod agitur perficiatur. Sic in coitu maris, & fœminæ moderatione opus est. Hinc multis tum maribus, tum fœminis euenit, vt coniuncti inter se nequeant generare, disiuncti queant*; quod idem 7. de historia animalium cap. 6. repetit. Sed multò ante omniscius Hippocrates primo illo mysterijs refertissimo libro de Diæta hanc eandem sententiam obscuriori sermone exarauerat his verbis de similibus loquens: *Corruptio omnibus mutuò inter se est maiori à minore, & minori à maiore, & augescit maius à minore, &c.* At pluribus adhuc eandem prosequens harmoniam Præceptor eodem loco hæc protulit: *Posquam verò regionem permutauerint, & nacti fuerint harmoniam vectæ: habentem symphonias tres, comprehensim penetrantes per omnia viuunt, & augescunt ijsdem, quibus etiam antea. Si verò harmonias non assecuti fuerint, neque grauia acutis consona fiant, prima symphonia perit. Et si etiam secunda generetur, propterea quod vnus per omnia corruptus, omnis tonus vanus est: Non enim conuentum habuerint, sed transitio sit ex maiore ad minus ante definitum fatum.* Profunda sanè doctrina obscurior tamen, quoniam naturæ thesauris noluit Hippocrates prostituere. Eandem insuper harmoniam explicant suis vocibus Hermetici dicentes: *Progredientia semina ad legis imperium signaturas, qualitates, quantitates in generationis liturgia proferent, si aliorum seminum confluentium tinctluris, & impressionibus non præpediantur, sicuti compotes erunt.*

Cæterùm nihil aliud Hippocratis est harmonia, quàm seminum consonantia, & familiaris societas: nihil aliud mutare regionem, quàm è proprijs meatibus in vterum ambo influere; nihil demum aliud tres habere symphonias, nisi quod vtrinsque semen sit proportionatum, congruum, & sufficientem in vtero sanguinem adinueniant, necnon consentaneum nutrimentum obtineant. Quam præclarissimam doctrinam, Paracelsicæ militiæ Professores explicantes appellant primam symphoniam seminalem tincturam, vitale principium, balsamum, mumiam, radicem: Secundam corporum principia, vtpote sulphur, mercurium, salem: Tertiam elementa his principijs consona. Qua in re contineri non possum, quin Petri illius Dani profundæ scientiæ viri, & auctoris ut paucis noti, ita à paucioribus intellecti verba ex idea Medicinæ Philosophicæ in Hippocraticę sententię elucidationem ascribam; ita ergo tamquam e tripode Sybilla: *Semina enim in Generationibus ab vnitate labentia partes tanquam numeros, & sonos ordinata progressione producunt, elementa constituunt, ac corporum principia, numeris antea in scientia definita: quæ si consentanea fuerint, harmoniam, mixtionem, proportionem, & consonantiam efficient: consonantiam dico ex tribus debitè confluentibus constantem scilicet seminali tinctura, elementis, & corporum principijs. Hæc enim ad mixtionem conspirare antea ostendimus. Nec est vlla particula corporis quamuis minima, in qua tres dictæ harmoniæ concentum non efficiant; requiritur enim seminalis tinctura, balsamus, mumia, radix, vitale principium, si communi vitæ frui, si toti & cæteris particulis conspirare, ac confluere oportet: requiruntur corporum principia: hoc est Sulphur, Sal, Mercurius, signaturis suis ornata. Si proprium ac peculiare officium absoluere tenentur; requiruntur elementa principijs consentanea, & domestica si nutriri, viuere, incrementaque sumere vnicuique naturæ lege iniunctum est.* Plura ex Theophrasto afferrem, sed vereor obscuritatem, & ne forte plus nimium chimicus audiam.

Hanc ipsam seminum harmoniam non ignorauit Lucretius, sed graphicè illam descripsit libro 4. vbi illa.

Nam multum harmonia Veneris differre videntur,
Atque alias alij complent magis, ex aliisque

Sustipiunt aliæ pondus magis inque grauescunt.
Et multæ steriles hymenais ante fuerunt
Pluribus, & natæ post sunt tamen vnde puellos
Susceipere, & partu possent ditescere dulci;
Et quibus ante domi fœcundæ sæpe nequiuerunt
Vxores parere, inuenta est illi quoque compar
Natura, vt possent natis munire senectam.
Vsque adeo magni refert, vt semina possint
Seminibus commisceri genitaliter apta,
Crassaque conueniant liquidis, & liquida crassis.

Denique illud perorare lubet, seminum hanc harmoniam si desit, nulla medicinæ opera parari posse, solumque ab ætate, atque a natura ipsa beneficium expectandum esse; siquidem non rarò euenit in sexu præsertim fœmineo, ut quę in iuuenta concipere nequierat, in maturiori ætate fœcundior euaderet, uel e contra, facta uidelicet in genitura mutatione; quod scriptis tradere non abstinuit Aristoteles 7. de histor. animal. cap. 6. ubi sic: *Aetatis etiam ratione immutantur, vt iuuenes inter se fœminas generent, seniores facili mares, aut contra. Ratio quoque generandi omnino diuersimen hoc idem recipit, vt iuuenes nihil proereent, seniores iam incipiant generare: aut e contra vt qui ante possent, nihil possint fœtificare.*

Illud in calce, lector, te monitum uelim, ne seminum hanc harmoniam unisonam existimes, ita ut uirili prægalido semini muliebre eque calidum associari debeat; frigidiori frigidius, atque ita in cęteris omnibus qualitatibus compar; uerùm perfecta harmonia illa censenda erit, quę ex inęqualibus tonis, consonantibus tamen efficitur, ut si frigidiori calidius admisceatur, humidiori siccius; quod eodem libro de Dieta ita basilicè expressit Hippocrates. *Quod humidissimum est in igne, & siccissimum in aqua si in corpore temperamentum acceperint, sapientissima sunt.* Hoc est plena generationis architectura, atque scientia prępollent. Perpendantur amabo senis mysteriosa verba: Et hinc accidit, quòd mulier huicsociata uiro nequaquam concipit, alteri iuncta statim impletur, uel contra quę antea numerosa prole fœcunda in primis nuptiis extiterat, ad secunda nota transiens omnino sterilescit. Tantifacienda est in coniugijs celebrandis dispar sed consona qualitatum in seminibus harmonia.

TRACTATVS SECVNDVS.

De morboso, & inuito genituræ effluuio, ac primum de Nocturnis pollutionibus.

PRAELOQVIVM

CAELIBES, & casti viri quamuis diurnis renuncient Veneris illecebris, nocturnas tamen illusiones, & impudica phantasmata vix effugiunt. Quamobrem hi intemeratum vt valeant seruare corpus; quique viribus existunt imbecilles, pollutionum cuadere queant noxam, de his, aljisque seminis inuoluntarijs effusionibus agendum censui; eo præsertim libentius, quo affectiones huiusmodi generationis liturgiæ incommodant; siquidem ex frequentatis effluuijs ipsum sterilescit semen, calore, & spiritibus defraudatum; præterquam quod nobilissimæ creaturæ seminarium dispergi absurdum est, ne dicam impium, & sacrilegum. Quo misterio, vt arbitror, in sacris litteris tam profanum habebatur seminis effluuium, vt qui eo detinebatur, templo non magis, quàm abhumano consortio arceretur.

CAPVT I.

Quid sit, & quomodo fiat nocturna pollutio.

DICTATOR noster Hippocrates libro illo de Genitura laconicè nimis, & quasi per transennam, vt aiunt, Venerea somnia, seu nocturnas pollutiones describit his verbis: *Et sanè qui somnia Venerea habent, propterea per somnum genituram effundunt, cum humidum in corpore diffusum, & calefactum fuerit, & siue ex labore, siue alia quapiam re spumauerit, dum ab ipso secernitur, coitus imaginem repræsentat.* Quibus verbis profectò auctor ipse latenter insinuare videtur, quòd sicuti bilioſus humor arma, litigia, clades, ac certamina repræsentat in somno: melancholicus umbras, funera, mortem, lachrymas: pituitosus flumina, mare, pluuias, balnea: sanguis hortos, rosas, tripudia, cantus, & similia: pita semen vel copia flu-

Digitized by Google

fluctuans, vel commotum, & calore spumans rei Aphrodisiæ dormienti referat imaginem. Præclara doctrina quidem, sed quæ tamen ad amussim rem non delineat; pluribus ergo diluci danda erit, à pollutionis definitione facto auspicio.

Porrò nocturna pollutio, quæ Græco nomine ὀνειρογμός, siue ὀνειρογόνος dicitur, est nocturna illa hominis illusio, qua semen, ac si concumberet, non sine eximia delectatione, & aphrodisio dulcore dormiens effundit. Huiusmodi autem illusio tripliciter contingere potest, naturaliter, morbosè, ac Dæmonis astu, præstigioque; vt ideo Plato, qui somnia cuncta Dæmonibus in Symposio ascribit, à veritate paulò recesserit. De postrema hac illusione fit satis dixisse, illam à cacodæmone mediatè, vel immediatè accidere posse. Immediatè aduenit, cùm nefarius ille, & impurissimus Asmodeus viros cœlibes, omnisque prorsus corruptionis extorres, itemque virgines intemeratas noctu laruata facie incubi, vel succubi specie innadit, atque imaginationi, vel ipsis oculis Venereas offert obscœnitates; adeo vt natura infirma, ob insitum vellicantem somitem, impotens quasi reddita voluptati cedat, ac genituram emittat. Ita infame illud, ac putidum monstrum dum nequit interdiu virginitatis candorem prosternere, audet noctu, & sæpè corpus (quia nequit animum) commaculare conatur. Mediatè autem accidit pollutio per Satanica instrumenta, Erebique ministros. Proh scelus! Reperti sunt Plutonici viri, necnon Stygiæ mulieres, quæ interdiu solo istuitu, obscura quædam murmurante lingua: noctu decantatis quibusdam abstrusis verbis, lumine accenso, vel præsentes, vel distantes, seu vigiles, seu somno sepultos homines in pollutionem demergerent. Hem cur de Cœlo filet ignis, si terrenus non vrit? sed procul à nobis magica præstigia exulant, inque Cocytum execrandum abeant.

Verùm naturaliter accidit seminis nocturna profusio, vel ex plenitudine, vel imaginariò ex præmeditatis Veneris amplexibus, aut ex obscœnis iconibus, impuris cantilenis, fabulisque, & aliorum rerum lectione. Ex plenitudine quidem, dum natura oppressa onere farcinam genitalis humoris deponere cupit; idque facilius multò in somno præstare potest, quo, sopitis sensibus, calor vniuersus ad interna refunditur. Sic frequentissimè religiosis accidit viris, & ijs, qui, cùm re Venerea assueti forent vti, abstinuere diu. Simili modo suppressę hæmorrhoides post temporis diuturnitatem genitur lapsui præbent ansam; namque ab illarum stegnosi plethoricè, & cacochymè simul seminalia vasa repleri possunt; repleta lecti negotio semen euomere. Hinc magnę erudi-

A tionis vir Hollerius, de morbis internis capite de hæmorrhoidibus in scholijs prædoctè scriptum reliquit, eos qui harum venarum fluxione intempestiuè curantur, obscœnis insomnijs vexari.

Imaginariò autem contingit onirogonos, quia mens, quę nunquam obdormiscit, sed in ipsa sensuum quiete vagatur magis, ea cuncta in somnis retractat, quę inter diu per sensibiles potentias hausit; ideoque non ab re somnium definitum à quodam fuit. *Diurnarum cogitationum reuolutio*. Hunc accedat Sapientissimus Hippocrates, sermonemque nostrum sua doctrina fulciat; is profectò libello de insomnijs ita scriptum reliquit: *Anima enim vigilat, & quum quidem corpori inseruit, in multas partes distributa, non sui iuris est, sed partem aliquam singulis corporis partibus, siue sensibus distribuit, auditui, visui, tactui, gressui, actioni, & omni corporis facultati. Ipsa autem anima cogitatio sui iuris non est. Quum autem corpus quieuerit, anima in motu est, & corporis partes perreptans domum suam gubernat, & omnes corporis actiones ipsa perficit. Nam corpus dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, odit, tangit, tristatur, animaduertit; in summa quacunque corporis, aut animæ munia, ea omnia anima ipsa in somnis obit.* Hactenus Hippocrates, à quo nil discrepat Aristoteles 1. Ethicorum capite 13. vbi asserit, ea quę agitur interdiu, in nocte reuoluiquod luculentiùs adhuc edisserit Problem. sectione 30. problemate 13. vbi hęc exarata legimus. *Quapropter ea maximè somniamus, quæ agimus, aut acturi sumus, aut volumus; de his enim maximè cogitationes imaginationesque obueniunt, & qui infirmi circa tibus sunt, meliora somnia vident, quod etiam vigilantes meliora animaduertunt. Qui detentus vel animo, vel corpore sunt affecti, deteriora concipiunt, quippe cum affectio corporis faciat in somni visionem; humanis enim morbo laborantis proposita quoque animi vitiosa sunt, atque etiam propter corporis perturbationem animus quiescere nequit.* Aristoteli subscribit Galenus de dignotione ex insomnijs, vbi sic: *Videtur enim in somnis anima in corporis profundum ingressa, & ab externis sensibus digressa affectionem, quæ in corpore est, sentire, atque eorum omnium, quæ appetit tanquam iam præsentium visa concipere.* Vnde meritò Lucretius 4. de natura

In somnis eadem plerosque videmus obire,
Quæ sibi quisque vigens cupit, & componere leges:
Induperatores pugnare, & prælia obire;
Nautas contractum cum ventis degere bellum,

Et

Et quo quisque ferè studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus musitum fumus ante morati

Sensit idem Apuleius in Asino, itemque Claudianus in præfatione sexti libri de Consulatu Honorij; confirmatque ritè Seneca in Octauia his modulis:

Quæcunque mentis agitat infestus vigor,
Eâ per quietem facer, & arcanus refert
Veloxque sensus

Quid ergo si obscenarum imaginum caracteres in phantasia, veluti prælo excussi noctu percurrant, & aphrodisiæ illusionis præbeant ansam?

Hac de causa D. Bernardus fratres de monte hortabatur, vt ituri dormitum imaginatione reuoluerent sancta quæpiam, vt his in somno etiam delectari possent; iuuat ascribere verba: *Iturus in somnum aliquid tecum defer in memoria, & cogitatione, in quo placidè obdormias, quod etiam somniare iuuet. Sic tibi nox vt dies illuminatur, & nox illuminatio tua in delicijs tuis, &c.*

Porrò imaginatio inferioribus cunctis potentijs imperat; adeò vt quantumuis quisque sensibus solutus alto sepeliatur sopore, spiritus tamen excitare, humores agitare, expultricem irritare, semen acuere, fluxile parare, ac tandem foras protrudere valeat. Huc mehercle appositè collimat illud Lyrici vatis in Satyris

Hic ego mendacem stultissimus vsque puellam
Ad mediam noctem expecto; somnus tamen aufert
Intentum Veneri; tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant, ventremque supernum.

Morbificè tandem seminis in somnis effusio contingit, vel ex ipsius mala qualitate, vel ex renum imbecillitate, seu inflammatione, aut etiam vasorum debili retentrice. Nempè quotiescunque semen aere nimis redditur, serosum, & bili permixtum naturam facilè ad expulsionem irritat. Si vasa spermatica imbecilla reddantur, genituram continere nequeunt; Si renes phlogosi corripiantur, suo æstu humores accersunt, ipsamque genituram insimul feruidiorem efficiunt; quò fit, vt facultas expultrix excitetur, retentrix labefactetur. Atque hæ omnino sunt causæ, quibus ὀνειρογονίαι contingere solet. Neque sanè abominabilis duntaxat, ac fœda passio istæc censeri debet, verùm etiam humanæ saluti; ac robori summopere insensa, quando totius corporis consumptio, syntexis, atque hectica febris inde originari solent; quod inferius pluribus ostendemus.

CAPVT II.

Proponuntur, ac soluuntur insimul varia, scituque digna problemata ad nocturnas seminis fusiones pertinentia.

I.

CVR nocturna pollutio impendiò magis debilitat, quàm si sponte coeatur? an id ex eo contingat, quòd longè maior seminis copia in somno, quàm in voluntaria, ac vigili Venere profunditur? Siquidem sopitis sensibus tota natura cum spirituum satellitio ad intima sese colligit: calor vniuersus ad viscera refunditur; quò fit, vt cum seminis vbertate largiores demittantur spiritus, in quibus vitæ robur, & membrorum consistit lacertus.

II.

CVr maior voluptas delinit in somno Venereo, quàm in vigili concubitu? Ex eadem prorsus causa prouenire, arbitrandum est; Spiritus enim omnes cùm in somno penitus congregentur, vniuersi ad aphrodisiani fœdationem collimant. At interdiu in varias distrahuntur partes; sensibus namque, cæterisque potentijs famulantur; Atque hæc ipsa insuper ratio est, cur facilius in somno, spatioque temporis breuiori semen ipsum effundatur; quin extirere nonnulli, qui semen coeuntes emittere nulla ratione possent; in somnis verò abundè extruderent.

III.

AN mulieres veluti viri polluantur in somno? Vtique non est inficiandum, cùm ipsa palàm edoceat experientia, cui præterea Aristotelis accedit auctoritas 10. de historia animal. cap. 8. vbi sic legitur: *Quin etiam mulieres in somnis effundant, atque his posti somnationem eadem affectiones solent contingere, dissolutio sanè, & imbecillitas, quæ etiam posti coitum cum viro ipsis accidunt.* Quidius quoque Byblim describit, quæ in somnis non sine obscenarum partium odaxismo Venereo phantasmate resoluebatur; sic ille:

Byblis in exemplo est; placida resolutaque quietè,
Sæpe videt, quod amat; visa est quoque tangere amanti
Corpus, erubuit quamuis sopita iacerret.
Somnus abit: silet illa diu, repetitque quietis
Ipsa suæ speciem; dubiaque ita mente profatur;
Me miseram tacitæ quid vult sibi mentis imago?

Et

Et paulò post subiungit,

Testis abest somno, nec abest imitata voluptas;
Prob Venus, & tenera volucer cum matre Cupido.
Gaudia quanta tuli! quàm me manifesta libido
Contigit! vt iacui totis resoluta medullis.

IV.

QVæres, an bruta etiam in somno genituram aliquando eijciant? His quoque pollutionem contingere probabile est; rarius tamen, cùm ob corporis densitatem, tum etiam ob simplicem, frigidumque victum, necnon ex duro accubitu nullis mollito stratis, omnique Cœli patente iniurię. Confirmatur ex eo, quòd bruta etiam somniant, vt canes, oues, equi, cæteraque viuipara, si Plinio fides est, qui quidem opinionem mutuatus est ab Aristotele 4. de historia animal. cap. 10. vbi hęc habentur: *Item somniare non solùm homines, sed etiam equos, & canes, & boues palàm est, atque etiam oues, & capras, denique genus quadrupedum, idemque animalis fœcundum.* Id quod Lucretius Naturę vnicus modulator 4. sui operis non prętermisit: concinit namque.

Non homines solum, sed verè animalia cuncta,
Quippè videbis equos fortes cùm membra iacebunt
In somnis sudare tamen, spirareque sæpe,
Et quasi de palmis summas contendere vires;
Tum quasi carceribus patefactis sæpè quiete
Venatumque canes, in molli sæpè quiete
Iactant crura tamen subitò, vocesque repente
Mittunt, & crebras reducunt naribus aures,
Vt vestigia si teneant inuenta ferarum,
Expergefactique sequuntur inania sæpè
Ceruorum simulacra fugæ quasi dedita cernant,
Donec discussis redeant erroribus ad se.

Quin etiam ipsas volucres, & ouiparas somniare Lucretius censuit, quod incertum esse dicebat Plinius in fine decimi libri; ideoque subiungit ille.

At varia fugiunt volucres, pinnisque repente
Sollicitant Diuum nocturno tempore lucos
Accipitres somno in leni si prælia pugnasque
Edere sunt persectantes, visaque volantes.

Si bruta igitur somniant, variisque iactantur phantasmatibus, cur saltem quo tempore in Genium ruunt, Venereas non somnient illecebras, fundantque insimul pruritiuum semen? Certum quidem est, bruta eadem cùm non semper insomnient, rarò pollutionem subire, id quod insinuauit Aristoteles Problematum sect. 10. vbi ex professo quæstionem agitans ita scripserat: *Cur cæteris animantibus partim nunquam profusio seminis per somnum incidere solet, partim rarò? Vtrum quòd nullum, homine excepto, resupinum cubare consueuit: nullum autem nisi resupinum semen profundere potest? An quòd cæteranon pariter vt homines somniant: seminis autem per quietem illæ profusio non nisi cùm imaginatione fieri potest.* At illud Aristotelis æquo animo recipere nequeo, nimirum non nisi resupino corpore inuitam pollutionem contingere posse; liquidem & prono, & in latera iacenti quàm sæpissimè etiam accidit; quinimo noui ego iuuenes, qui resupinè iacentes genituram nunquam effundebant, prono verò corpore cubantes illicò, & facillimè seminis effusionem agebant.

V.

CVr ebrij nocturnis pollutionibus non tentantur? An quorum potentiæ in vigilia sopitæ, ac torpidæ sunt præ mero, multò magis accedente somno soporentur, & obdormiscant? Quocirca cùm temulenti sint veluti ecstatici, nihil mirum si hebetes, ac prorsus ociosas potentias habeant. Diximus alibi quod vnum e remedijs amoris apud Ouidium est, vsque ad ebrietatem bibere; quo pacto amans sit aljus a se ipso, cunctaque obliuiscitur mero demersus animus. Hinc 2. de legibus Plato non iniuria vino interdicebat coniuges, cùm generationi daturi erant operam. Capc. *Ae nulli penitus interdiu vinum concederem, nisi exercitationis corporeæ, morborumque causa hoc potu opus fuerit; neque etiam nocte, viro vel mulieri, quando liberis operam dare volunt.* sic ille.

VI.

CVr proni decumbentes difficiliùs ut plurimum, & rarius polluamur in somno? An quia renes, & spinalis medulla, e quibus præcipuè genitura destillat, Hippocrate arbitro, haud ita excalefiunt, dum proni accubamus? Etenim supra dorsum iacenti renes licet exæstuant, quibus recalescentibus libidinis spumat humor.

VII.

CVr facilius onirogonon patiatur, qui incenatus decubuerit, quam qui pleno ventre, & crapulatus potius obdormierit? An quia inedia spiritus reddit acutiores, meatusque liberos magis, expeditos, ac pervios; crapula contra spiritus hebetiores, nec non poros ipsos infractos, & obstructos. Fit ideo, vt qui ventrem cibis onerarunt, veluti impotentes abdomine distento iaceant; & quod plus est, omni penè primi sensorij phantasmate careant ob crassorum vaporum vbertatem, mentem vniuersam

Digitized by Google

sam caligine obruentium. At qui vacuo sunt corpore, imaginatricem facultatem depuratam seruant, & cunctas alias naturales potentias integras obtinent, omnique oppressione exolutas. Viros noui, qui nocte ieiunium subsequente vix vnquam pollutionem euadebant; quam tamen vt effugerent, opulentiori ientaculo sibi vespere indulgebant,

VIII.

CVr transacta potius media nocte, quàm ante sopita corpora polluuntur? An quia post mediam noctem cibus descendit, nec natura admodum ad coctionem distrahitur; quamobrem seminis effusioni liberior cediturfacultas, ante ipsam verò mediam noctem cibis grauata natura pepsim totis molitur viribus? Ni fortè cum Astrologis asserere placeat, post mediam noctem dominari sanguinem, & cum remeante Sole vitales quoque spiritus excitari, quorum beneficio vniuersum corpus calidius redditur.

IX.

CVrqui nocturnam fœdationem perpessisunt, manè plus nimium pallescant, qui verò interdiu coiuerint, rubescant potius? Humani corporis, & orbis centrum in somno calor petit; quare non ita citò ad partes recurrit extimas, vt roseo easdem colore imbuat; cùm præsertim, vt paulò supra dicebamus, maior in somno spirituum iactura fiat. At in voluntaria clinopali, Venerisque spontaneo polemo, præ labore, genialique motu aduocatur etiam calor, & sanguis ad cutaneas partes: vnde purpureus efflorescit color in vultu. *Lux orco, tenebræ Ioui: lux Ioui, tenebræ Orco.* Magnus ille Medicorum Genius libro de diæta aiebat; quod est: Virtus, & lampas naturæ si vigeat, ac splendeat, intus, foris languescit, & obscuratur; dum vigor in radice continetur, exolescit frutex; at cùm nimis luxuriat germen, tabescit radix: dum æstuat in superficie cutis, in penetralibus algetur: dum riget in cute, in visceribus calet.

X.

CVr interdum Veneris certamen in somno compleri non posse videtur? An quia præ aliqua obstructione semen delabi, forasque exilire nequit? An quia virtus expultrix aliquo onerata pondere genitalem succum ejaculari nequit? An quia obscænæ imagini haud prorsus phantasia inhæret, & obtemperat? An verò, quia semen ipsum non sit epirrhoton, idest fluxui facile, egeatque propterea, vt liquescat maiori quodam conatu, ac Veneris tripudio?

XI.

CVr, qui præsertim sub dio calido exercentur, nocturnis vexenturillusionibus? Quod labore sanguis attenuetur, spiritus acuantur, lumbi incalescant, meatus referentur; quocirca prurigo semen & expultricem facultatem alacrem, & vias, e quibus effluat, meabiles habet.

XII.

CVr graciles frequentius quàm obæsi polluantur? An quia hi frigidiores existunt, seminalesque poros angustiores obtinent; illi verò acutiori sanguine circumfluisint, necnon corpus ipsum magis euoren ferant?

XIII.

CVr febre detenti, hectica præsertim crebriùs polluantur? An quia febribus omnis calor semen acuit, renesque inflammat; hecticus verò solidis etiam particulis intrusus cunctas virtutes lædat, & in quandam exolutionem, ac syntagma deducat?

XIV.

AN polluantur eunuchi? Vtique polluuntur, sed modo imperfecto, vt imperfectè Venerem exercere solent; solumque tenuem ichorem, exilemque exprimunt.

CAPVT III.

De remedijs nocturnarum pollutionum, tam ſi a demonum illuſione, quàm ſi a cauſa naturali, & morbifica ortum ducant.

IMPETIT adeo fœuè, & ingiter interdum nocturna Venus, vt multi in malum habitum, & cachexiam inde decidant, & moriantur etiam. Operæpretium ideo est potissimas edocere medelas, vt corpus ab impura labe seruetur, & eiusdem saluti prospiciatur. Paucis ab hinc annis apud Sanctum Cassianum in ditione Magni Ducis Hetruriæ, quò balneorum gratia conceſſeram, virum Romanum allocutus sum, qui balnea & ipse petierat, & mihi retulit, se qualibet nocte onirogmon pati, nec semel tantùm, sed bis quandoque; neque potuisse mille remediorum generibus ab ea seminis fœdacolluuie liberari; ideoque gracillimo erat habitu præditus, vultu pallido, aut potius squallido, & quasi ad Acherontis ora deductus. Proh calamitatem, proh fœditatem!

Ex ordine igitur procedens, nocturnis illusionibus, quas Asmodeus vel mediatè, vel immediatè humano generi inſligit, nil magis conſert, quàm seſe spiritualibus, & sacris munire auxilijs. Signare se signo Crucis, dum itur dormitum circa cordis, renumque regionem mirabiliter prodeſt. Quod libro Cathemerinon Aurelius Prudentius ita metriculis monuit in hymno ante somnum.

Fac, cum vocante somno
Caſtum petis cubile
Frontem, locumque cordis

Cru-

Crucis figura signes.
Crux pellit omne crimen,
Fugunt Crucem tenebræ:
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul, o procul vagantum
Portenta somniorum,
Procul este peruicaci
Præstigiator aflu.
O tortuose Serpens,
Qui mille per meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda,
Discede, Christus hic est
Hic Christus est. Liquesce;
Signum quod ipse nosti,
Damnat tuam cateruam.

Diuus Basilius exaltat in hunc vsum versiculos illius hymni.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprimens,
Ne polluantur corpora.

His porrò versiculis piè in vespere recitatis nouj, qui se a nocturna Veneris exemit sordi-tie, qua sæpissimè polluebatur. Pari energia fusfulta est Oratio illa itidem ante somnum proferenda.

Vre igne Sancti Spiritus renes nostros, & cor nostrum Domine, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.

Rursus Virginis Deiparæ sacratissimæ, & semper immaculatæ inuocatio præpotens est auxilium; illa namque puritatis mater, & castitatis archetypus luridum dæmonem haudquaquam sinit corpora temerare eorum, qui sub eius candoris vexillo militare cupiunt. Precum autem ad eandem plurimæ possunt esse formulæ, illa tamen in primis consona.

Virgo singularis
Inter omnes mitis
Nos culpis solutos
Mites fac, & castos.

Adhuc ad rem facient, alicuius Sanctæ Virginis Zona sese vincire: renes, & lumbos sacerdotis candida stola obstringere. Sanctorum reliquias, sacrasque purissimæ Virginis Mariæ icones de collo suspendere, nec non frequentissimè sacrosanctæ Eucaristiæ sacramentum adire. Cæteram superstitiosa auxilia, quæ religionem redolere videntur, nullo pacto admittenda.

Sed modò ad naturalis pollutionis naturalia remedia conuerto calamum, Morbos omnes ex repletione inanitio sanat, Hippocrate, & experientia testibus. Quamobrem cùm pollutio naturaliter e seminis vbertate, ac plenitudine contingat vt plurimum, hanc plethoriam eximere opus erit. Eximitur autem vel spontaneo concubitu, vt Paulus Æginas, Oribasius, & alij veteres consulunt, qui nocturnas has pollutiones Venere ipsa, quasi clauo clauum pellunt. Verùm id consilij ijs tantummodo inculcare fas est, quibus impunè, & absque vllo peccati crimine mulieribus adhærere permittitur. Tutius auferetur seminis vbertas ciborum, vinique paucitate; vt enim sæpius decantauimus:

Sine Cerere, & Baccho friget Venus.

Sancti quippe Eremi patres hoc potissimum antidoto intacta seruabant corpora. Vnde est, quod nil magis ab Ecclesia quadragenario tempore ad sydera vsque tollitur, quàm ieiunium, de quo canit in solemnibus Missæ.

Mentem eleuas, vitia comprimis.

Aufertur insuper genituræ copia sanguinis diminutione; quare præsentaneum censetur auxilium eundem de vena cubiti affatim haurire; non secus ac fomitis recalcitrantis igniculus, & carnis irritamenta punctorijs disciplinis, quæ cruorem eliciant, deprimuntur, & extinguuntur. Abstinendum itaque à polychimis esculentis, opiarisque obsonijs, vti etiam à calidis omnibus, & genituræ prolificis ceu bulbis, ostreaceis, capis, domesticis pipionibus, & similibus multis, de quibus supra. Sed vinum cum primis abnegandum, quod veluti venenum id morbi genus fouet, nutrit; illud perpetuò memoria recolentes, quòd Venus ex mystica antiquorum theogonia indissolubili vinculo nectitur Libero patri, nec absque huius consortio nimium illa audet. Sed hæc satis loco suo. Refrigerantes ergo deligantur cibi, & ad siccum vergentes potus, pauci succi, & molis minimę. Potus esto aqua hordei, vel oxalidos, uel frigidi alterius oleris, ut etiam chalibeata, cui fas erit immisceri & vinum Granatorum, & succum cythoniorum, uel etiam limonum. Motus modicus, & minimè uehemens esse debet; non per acclinia, minus per decliuia. Sit somnus breuis, intercisus, & instrato simpliciter è paleis conflato, vel supposito coriaceo tegmento. Auferantur ab imaginatione uel minima Veneris phantasmata: lasciuiores picturas, asotas imagines, & inhonestas icones auertat oculus: lectiones geniales, libros eroticos, carmina fescennina, & omnino uerba nil prætexta detrectent aures: fuerunt apud Cælium Aurelianum, qui commendarent in Onirogono, ut urina diutius detineretur; quatenus inde non tam profundus cogeretur somnus, & seminalia uasa ab extenta uesica compressa seminis exitum non permitterent. Rursus & alij apud eundem digiti maioris ligaturam, usque ad integrum dolorem fieri iubebant eo consilio, ut altior somnus arceretur, & ex dolore phantasia in Veneream uoluptatem nequaquam solueretur. Atqui

utrumque auxilium Cœlio non immeritò improbatur. Placet eius apponere verba: *Aliqui verò conuenire dixerunt, etiam melius dilationem tendere, ne frequenti officio causa vesicetur, & completa vesica se somno agrotantes dare, quo neque in altum somnum venire sinantur, & interesse frequenti excitentur, quo visa Venerea voluptatis, qua somno singuntur, amittant, & extenta vesica seminales vias sibi vicinas comprimendo seruen vetineant. Alij maiorem digitum ligandum, atque constringendum sorti filo, vel lino iusserunt, quo dolore intercedente altior oreatur somnus, & neque animorum visa in Venereum voluptatem soluantur. Sed hæc utraque à nobis excludenda, &c.*

Cæterum vim plurimam infringendi libidinem, & restagnandi seminis impurum fluxum obtinet camphora, vel arbitrio Io. Baptistæ à Porta in Magiâ naturali; vsus est dimidij Scrupuli cum succo limonum, vel etiam portiunçula cassiæ. Rutam redoleat aer, quiper nares, & os inspiratur; ex vinamque siccatoria manifesta, & insuper occulta proprietate aduersatur aphrodiziæ palestræ. Lens cibus est titè conueniens; reprimit namque libidinis œstrum. Lactuca & ipsa non minus seminis vbertatem, & calliditatem coercet, ideoque apud Pythagoricos eunuchus eadem nuncupatur, quòd homines frigidos, atque impotentes perinde, ac eunuchos reddat: quo mysterio patiter fabulati sunt poetæ, vt ex Callimacho cernere datur, Venerem Adonidem suum, ideſt, suam libidinem lactucis cooperuisse in sarcophago. Demum flatuosa cuncta vitanda erunt. Atqui hæc satis dicta sint ad pollutionem auferendam, quæ non cacochymicè, sed plethoricè contingit.

Postremò nocturnæ pollutioni, quæ ex mala seminis qualitate, & morbosa vaforum intemperie accidit, aduersantia propalemus remedia. Omnium sanè deterrima seminis *καχόχυμια*, quæ ex morbo contingit, difficilius namque curatur, & sæpius ad malum habitum deducit miseros. Accidit autem præ materiali, vel immateriali discrasia totius corporis, vel renum, atque adiacentium partium. Intemperies materialis totius est biliosa, vel ialsa pituitosa, quę semen impurum, acre, salsuginosum, & ichorosum gignunt, quibus omnibus qualitatibus natura ingiterad expulsionem irritatur. Intemperies hæ imbecillitas retentricis comes, propter quam non rarò pollutiones contingunt; iis præsertim, qui Veneris studio intemperanter vacarunt, cuius census apud Platorum tertio observationum quidam legitur, qui ex frequentato impensius libidinis ludo eò deuenerat, vt licet abhinceret, tu noctuque genitura collunie fœdabatur. Cumbicur huiusmodi intemperatura in primis vitio contrario, puta frigido, & humido, alijsque bili aduersantibus, necnon humorum aliorum salacitati oppugnantibus, quorum hic haud est opus longam recensere seriem. Sanguis ad iecoris feruorem, infringendum non semel tantùm, sed repetitis vicibus, perque diuersas corporis venas hauriendus erit; semper enim impensè calidum hepar biliosæ, & salsuginosæ complexioni iungitur.

Præterea corpus ab ichoribus, biliosisque recrementis repurgare sedulò debemus cassia fistula, syrupo violaceo solutiuo, rosaceo laxatiuo, manna, tartaro, rhabarbaro, electuario rosato cum decocto hordei, violarum, ac thamarindorum, & similibus, quæ cum bilem, tùm cæteros ichores mirificè ducunt. Validiora purgantia vt quę calorem adaugent, abeant protinus. Alterantia verò erunt ex vsu varij syrupi frigida facultate pollentes, veluti è succo boraginis, ex oxalide, cichorio, endiuia, plantagine, portulaca, coronopo, & similibus. Serum caprillum optimè depuratum, cum succo limonis, & insuper chalybeatum, magnopere proficit, si præsertim rutę folium, vel agni casti fuerit in eodem infusum, & per multos dies adhibeatur. Simili modo ad rem faciunt conserue e floribus cichorij, rosarum, violarum, boraginis, maluarum, nec non etiam ex absynthio pontico, quod bilem purgat, ac totum roborat corpus.

Post lenem purgationem vtor ego satis feliciter hoc iure. Sumatur vernecis caput, & in magnam ollam immittatur cum aquæ chalybeatæ sufficienti quantitate, & libra vnæ hordei. Bulliat donec infra dimidium reficeetur, deinde adijciantur santalorum citrinorum ana drach. 1. fœnicnli peponum vnc. 2. liquiritiæ mundę drach. 3. portulacæ, nymphææ ana m. 1. foliorum viticis, m. 1. 5. radicis altheæ vnc. 1. 5. conserue violaceę libr. 5. superbuliant hæc omnia per breuem horam, mox fiat colatura, de qua singulo mane sumenda erit mensura sex vnciarum, & per quindecim saltem dies assumatur. Insuper Donatus ab Altomari syrupum magistralem omnium validissimum concinnat, qui est.

℞. *Sanguinariæ, acetosellæ, plantaginis an. m. 1.*
Portulacæ, capreolorum vitis, umbilici Veneris, summit. rubi an. m. 1 5.
Myrtillorum, semin. coriandr. præpar. semin. papauer. albi an. vnc. 5.
Fol. lactucæ, florum nymphææ, borrag. & violarum an. m. 5.
Fol. rutæ, viticis, menthæ, calaminthæ siccarum an. drach. 3.
Coquantur in sufficient. q. Aquæ. deinde in dicta colat. lib. 3. succi rosarum rubearum, granatorum, pomorum acidorum

rum an. lib. 5.
Aceti parum, & sacchari q. 5. f. syrupus, cuius dosis singulis diebus drach. 2. vel drach. 3.

Commendat eruditissimus Vueccherius in sua Syntaxi medica semen torridum viticis, cannabis, lactucæ, & nimphææ. Alij vt Rondeletius pulueres inteſtinorum pullorum gallinaceorum, ac tunicæ præſertim interioris ventriculi eorundem. Chriſtallus etiam optimè præparata ouo recenti crudo, & integro remixta ad ſcrup. 1. impurum fluxum validiſſimè compeſcit; id quod paucis ante diebus me præſcribente fauſto ſucceſſu comprobauit Comes quidam nobiliſſimus, qui fruſtra innumera alia in gonorrhœa vſurpauerat auxilia. Vetuſti ſeculi homines ad nocturnam pollutionem arcendam conſueuerant ſolijs nimphææ, myrthi, ac viticis linteola reſpergere, a quibus neque recentiores abſtinent. Plinius inſuper meminit cuiuſdam herbę, quam vocat perſolutam, & hanc duplicis generis eſſe ait, atque vtrumque Veneris compeſcere ardores: Herba hęc apud Dioſcoridem perſonata dicitur, & officinis lappa maior, ſeu bardana; illi tamen Dioſcorides eam virtutem non tribuit. Addam non inuitò in calce ex Gilberto Anglico, referente Mizaldo centuria ſecunda, quòd ſi ſemen acetoſę a puero virgine collectum quis habuerit ſecum, nec in ſomno, nec in vigilia poterit ſemen emittere; ideoque contra nocturnas pollutiones plurimum illud valere.

Plurimum celebratur lamina plumbi vndique perforata, renibusque alligata; lumbos namque refrigerat, ipſumque ſemen incraſſat, atque ad motum torpidum reddit. Narrat Galenus Gymnaſtarum quempiam ſe vidiſſe, qui renibus cuiuſdam athletę laminam ſuperponeret, quò nocturnis imaginibus careret. Verum longo vſu vererer ab huiuſmodi lamina, nam meatus finitimos refrigerando, & obſtringendo, accedente præſertim ſpermatis viſcidi retentione, fortè lapidi, & renum difficultati præberi poſſet occaſio.

Neque interim abſtinendum ab inunctionibus ad lumborum regionem, quæ multæ ac variæ poſſunt eſſe; Ceratum ſantalinum, vnguentum roſaceum cum ſucco ſolani, ſemperuiui, & cichorij, oleum nenufarinum, ſpongia cum poſca renibus applicata. Cataplaſmata parari poterunt ex malis auſteris, palmulis, acacia, hypociſtide, œnanthe, rhoe, ac ſimilibus. Simili modo inſeſſus erunt ex vſu ex foliis aſtringentibus in vino rubro auſtero decoctis cum portione aquæ roſaceæ.

Idem Vueccherius libro 2. parte 2. Therapeutices deſcribit ſyrupum quendam compoſitum, nec non quoſdam trochiſcos, quos apud illum perlego.

Si vſus tandem harum omnium medelarum infructuoſus contingeret, quòd planè eſt impoſſibile, demittendus erit æger ad aquas celeberrimi Nuceriæ fontis, quæ ratione ſuæ mineræ vt pote ſemniæ, vel ſamiæ terræ, ſeu ſmaragdi mirabiles inuentæ ſunt. Nec fortè minoris efficaciæ cenſendum erit balneum Ficuncellæ apud S. Caſſianum. Etenim apud illud ferrum, vt aiunt, prævalet, cuius qualitas eſt partes laxas corroborare, aſtringere, pariter ac refrigerare. Apud hoc balneum Romanum illum ciuem adinueni, qui cùm per biennium fero huic morbo miſerè ſuiſſet adſtrictus, pallebat ſquallidè, emaciatus vndique, ac victus apparebat, nares geſtabat acutas, præcanos oculos, collapſa tempora, infirma crura, & omnino totius corporis deformem ferebat aſpectum. Ille mihi ſignificauit, ſe Romę omnem poſſibilem adhibuiſſe medelam, vt nocturnam pollutionem, qua iam fœdus erat abijceret, incaſſum tamen expertum fuiſſe omnia. Poſt vſum tamen huiuſce aquę Ficuncellæ retulit, non amplius quauis nocte, ſed bis duntaxat in hebdomada onirogmon pati. Ipſe autem auſpicatus ſum fore, vt poſt aquarum completum vſum penitus euaderet. Naturales itaque thermæ opportuno tempore, ac præpurgato corpore ſaluberrimæ erunt; quemadmodum & eiuſdem balneum, aut ex alijs aquis natura, vel arte refrigerantibus, & adſtringentibus mirificè opitulantur.

CAPVT IV.

De pollutione diurna inuoluntaria.

NON modò ſopitos homines ſoda pollutio commaculat, verùm & cum ſenſus vigiles, experrectæque potentiæ ſunt, eoſdem inquinat. Sic prorſus qui ad Venerem ſunt procliues, quine renum debilitate laborant, vix viſa muliere, vix obſcęnis eiuſdem partibus vel perſpectis, vel tactu prælibatis, vix feſcennina aliqua ludi gratia audita cantilena in pollutionem inuoluntariè labuntur; non ſecus ac æſtiuo tempore perdices (animalium genus libidinoſiſſimum) vix maris audito cantu Veneris dulcorem fuſo ſemine experiuntur. Rem hanc ex Ariſtotele addiſcere licet, qui 3. de generatione animalium luculentis verbis narrat euentum, hic eſt contextus. *Tum etiam perdices famina, & quæ non dum coierint, & quæ coierint, quarum vſus in aucupijs, cum oſſaciunt mares, vocemque eius audiunt, altera implentur, altera ſtatim pariunt, cuius affectionis cauſa eſt eadem, quæ*

in homine, & quadrupede; nam si fortè eorum corpora accensa libidine turgent ad coitum, alia cum primum viderint, alia cum leuiter tetigerint, semen emittunt. Hactenus Philosophus Rusticum quendam se nouisse Leonellus testatur, qui ex solo mulierum obtutu genituram effundebat, sæpeque interdiù polluebatur; quod sanè extremæ salacitati, atque anacrisi inexplebili acceptum referri debet, nec non fortissimę imaginationi, quæ Veneris illecebras vt præsentes effingit, semen excitat, commouetque, ac virtutem ad eius effusionem proritat. Non sum tamen iturus inficias, quin interdum hæc ipsa affectio à renum debilitate contingere valeat, atque in primis à retentricis imbecillitate, propter quam nonnulli adeo sunt in Venerea symplegade infœlices, vt in primo ipso mulieris complexu, ipsoque in limine iannæ immatura voluptate resoluantur, atque semen intempestiuè effundant; quomodo inane cedit mulieris votum, frustraturque libido. Profectò turpis est hæc affectio, & sedulo magis quàm nocturna pollutio curanda; ideoque suis gradibus incedendum; si enim ob seminis luxuriantem copiam diurna contingat pollutio, ea prorsus quę paulò supra diximus de nocturna fœdatione, a feminis vbertate oriunda erunt adhibenda. Si verò ex renum imbecillitate, ac mala seminis qualitate affectio ingruat, alia insuper præscripta auxilia erunt properanda, atque in primis renes, lumbosque corroborare oportet, & præterea vel minimam Veneris imaginem ab oculis, menteque arcere: impudica verba detrectare, pathicos libros ablegare: corporis inhonestos motus neutiquam effingere: mulierumque protinus vitare aspectum nedum consortium.

Neque id morbi genus contemnendum erit, siquidem ad interitum recto valet conducere tramite, quod ab Hippocrate 6. Epidemiorum circa finem ijs verbis apertè colligitur: *Satyrus in Thaso cognomento Gripalopex vocabatur, hic quum annorum viginti quinque esset, sæpè per somnum semen effudit, & interdiù quoque frequenter ipsi prodibat; cum autem ad annum trigesimum peruenisset, tabidus fiebat, & mortuus est.* Verùm de his, ac tabe dorsali ab Hippocrate recensita plura inferius.

Illud postremò corollidis gratia apponere lubet, nocturnas nimirum, simulque diurnas pollutiones affectiones quasdam esse, quæ viros ęgaces, atque intemperatos redarguunt, sobrios autem, atque abstemios illis rarius tentari. Id nimirum à Platone in Dialogo nono de Republica, vel de Iusto discere fas est, vbi sermonem habens de quibusdam passionibus, quæ in multis sunt efferatæ, in aliis verò exiles, ita scribit: *Quas potissimum istas vocas? Quæ in somnis sapiui excitantur, cum dormientibus ea pars animi, quæ mentis, & rationis sit particeps sit sopita langueat; illa autem in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas, cum sit immoderato ob Hupefacta potu, atque pastu, exultare eam in somno, inuoderatèque iactari; itaque huic omnia obijciuntur à verecundia, ac ratione vacua, vt aut cum matre corpus misceri videatur, aut cum quouis alio vel homine, vel Deo, sæpè bellua, atque etiam trucidare aliquem, & nullo cibo abstinere, multaque facere impunè, atque tetrè cum temeritate, atque impudentia. At qui salubri, & moderato cultu, atque victu quieti se tradiderit, &c.* Parcatur ergo gulæ.

CAPVT V.

De seminis inuito profluuio, quod Gonorrhœa nuncupatur.

EFFLVIT peremni quodam cursu semen interdum nobis inuitis, nullamque penitus ex eo voluptatem, quin potius ingentem percipimus dolorem, atque molestiam, indeque, vt plurimum tristitiam, corporisque colliquationem, ac tabem reportamus. Præterquamquod fœda nimis impura, & execrabilis est passio huiusmodi, quemadmodum sacræ etiam paginæ contestantur, adeò vt immunditiei crimini apud illas damnarentur, quotquot inuoluntario seminis detinebantur effluuio: Placeat ex Leuitici capite xv. rem ipsam palàm excipere. *Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens, Loquimini filijs Israel, & dicite eis, Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. Et tunc iudicabitur hunc vitio subiacere, cum per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor. Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, & vbicumque sederit. Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Si sederit vbi ille sederat, & ipse lauabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Qui tetigerit carnem eius, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Si saliuam huiusmodi homo iecerit super eum, qui mundus est, lauabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Sagma super quod sederit, immundum erit: & quicquid sub eo fuerit qui fluxum seminis patitur, pollutum erit vsque ad vesperum: Qui portauerit horum aliquid, lauabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Omnis quem tetigerit qui talis est, non lotis antè manibus, la-*

lauabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem lignеum lauabitur aqua. Si sanatus fuerit qui huiusmodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus, & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus. Die autem octauo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonij, dabitque eos sacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum, rogabitque pro eo coram Domino, vt emundetur à fluxu seminis sui.

Accidit autem huiusmodi affectio vel vasorum debilitate, vel ipsius vitio seminis: vasorum quidem laxitate cùm retentrix facultas reddita, ob frigidam, humidamque intemperiem imbecillis, genituram, vt par est, continere nequit; seminis verò vitio, dum id acrius ac feruidius redditum expultricem ad expulsionem irritat, aut etiam humidius, ac serosius à testibus elaboratum non permanet, sed sponte sua diffluit. Cæterum vtraq; tum vasa, tum semen tali ratione affici possunt, non modo ab immoderato concubitu, quo vasa dilatantur, virtutesque infirmantur; verùm etiam a nimio labore, cursu, equitatione diuturna, cibis calidis, vinis generosis, & similibus, quibus omnibus citra voluntatis arbitrium, ac voluptatis promulsidem semen interdum reiectari solet. Non prætereundum hic tamen, fieri aliquando per genitales meatus effluuium, quod pseudogonorrhœa nuncupari potest, quando haudquaquam genitura est, quod effluit, verùm putridorum, salsorumque humorum alia colluuies, quæ ob similitudinem medicis imponit; eo modo prorsus, quo per vterum non rarò consimilis epirrhia citari solet, quam albos menses appellant; de qua sanè gonorrhœa ingeniosè, atque præclarè commentatus est Ioannes Langius 1. epistol. 5. qui pariter, & aliam gonorrhœæ speciem constituit, Gallicam videlicet, in qua virulenta prorsus effunditur materia, fraudolentè tamen; quandoquidem initio nullam videtur infligere, tristem sensationem, nullum prauum symptoma, sed solummodo fœda quadam, ac virosa commaculat illuuie. At verò progressu temporis penis exest meatum, caries insanabiles parit vrinæ ardorem atrocem, aliaque sæua accidentia immittit; quamobrem sedulò prius perquirendum erit, vnde nam gonorrhœa originetur alioquin inanis cedet curatio; siquidem longè diuidenti a auxilis ab vna, atque altera expetuntur, atque indicantur. Nimirum si gonorrhœa a facultatis retentricis imbecillitate oriatur, siccantibus, atque roborantibus auxilijs præsidio erimus, nunc quidem calidis, nunc verò frigidis iuxta causarum, quæ præcesserint, conditiones. Illud quidem verum est, in longis, & inueteratis effluuijs, a quibus plurimum corpus vniuersum refrigeratur, conuenire frequentius calida, tametsi ab initio calorificæ occasiones gonorrhœam excitarint. Si verò vitium a nimis tenui, & seroso semine ortum duxerit, ea adhibenda, quæ id exactè coquere, & in meliorem consistentiam redigere possunt, quod victu calidiori, & simul incrassante consequi licet; quemadmodum si ab eodem acriori, atque nimis æstuante effluuium fiat, frigidioribus, temperantibus, ac blandientibus agendum erit. Quod si Gallico tabo fœdatum, & infectum semen extiterit, alexipharmacis, ac specificis antidotis pugnandum. Tandem si de capite rheuma, aut aliunde affluuium gonorrhœam ipsam efficiat, vitanda prorsus erunt astringentia, solumque caput, & reliquum corpus à colluuie repurgandum, mox calida potius, & exiccantia vsurpanda. Ita Rondeletius auctor e Neotericis grauissimus historiam refert viri cuiusdam, qui cum genituræ diuturno effluuio à frigido renum abscessu laboraret, pro quo expugnando frigida, & semen extinguentia adhibens in deterius laberetur, contraria victus ratione, vtpote generoso vino, & optimis, calidisque edulijs ab ipso curatus fuit. Neque amabo affectio isthæc paruipendatur; quando ex ea non modò homines contabescunt si diu peremnet, verùm etiam generatione defraudantur; siquidem genituram refrigerari, ac spiritibus omnibus depauperari inde consueuit.

Vbi ergo vniuersalis præcesserit purgatio iuxta diuersam patientis temperiem, & causarum rationem, ita ex ordine in curatione procedemus. Nempè si retentricis imbecillitas infirmuletur, ea omnia vsurpentur medicamenta, quę humiditatem affluentem exiccare, necnon astringere ac roborare apta sunt. Huius census erunt corallia, succinum album, cornu cerui ustum, lucij mandibula, mastiche, mumia, rosæ, sumach, hypocistis, balaustia, cortices granatorum, smaragdus, bolus armena, terræ omnes sigillatæ nuncupatæ, & alia id genus plurima, ex quibus intrinseca, vel extrinseca aptantur medicamenta. Appingam formulam pro lunioribus.

℞. *Conserua rosarum antiqua, conserua cerasorum an. vnc. 1.*
Corall. rubr. præpar. cornu cerui præpar. an. drach. 5.
Balaustiorum, mastichis, terræ sigill. an scrup. 1.
Syrupi de rosis siccis vnc. 1. m. f. opiata cuius per horam ante sibum mane & vespere sumatur cochleare.

Quorum testas lapide porphiretico præparatas multi commendant, & aliquando ipse quoque non infructuosè sum expertus; exhibui enim

Digitized by Google

enim cum ouo recenti crudo ad scripturam vnum. Non minori energia insignitur oleum de charabe, iusculo tenaci ex animalium extremitatibus propinatum; accedunt galli cristæ, & gallinarum interioris ventriculi tunicæ; his tamen omnibus crystallus præparata antecellit cum conserua e floribus maluæ assumenda.

At si malum erit ex acriori, & feruidiori semine, præmissa vniuersali euacuatione, ex cassia, syrupo violaceo, & rosaceo laxatiuis cum rhabarbaro, aut electario de succo rosarum, nec non hausto sanguine de basilica dextri brachij, refrigerantibus, & humectantibus prestò erimus, inter quæ principatum obtinebunt emulsiones ex quatuor seminibus frigidis maioribus ptisana hordeacea, serum caprillum cum succo limonum bene depuratum, vel oxigala; syrupus de nenufare, capil. Veneris, syrupus violaceus coloratus, & his consimiles. Soleo non infaustè præscribere gonorrhoeticis bolum ex flore cassiæ, ac pulpa tamarindorum post cœnam hora somni deglutiendum, ita vt dosis quas non excedat drachmas; quin idem locum habere poterit etiam ante prandium, ac cœnam immediatè: neque interim prætermittendæ inunctiones in regione lumborum, ac spinæ ex cerato santalino, vnguento rosaceo, Comitissæ, infrigidante Galeni, oleo nenufarino, & similibus.

Cæterùm si tenue, & aquosum nimis fuerit semen, illa omnia, quæ testium frigidam, humidamque imtemperiem corrigunt adhibenda, quæque seminalium vasorum coctricem adiuuare queunt. Huius census erunt in primis aromata, generosiora vina, sylueſtrium animalium carnes, columbi, externæ, phasiani, nec non quod vulgo album edulium appellatur, aut oriza cum lacte excocta, & pineis nucleis, aut pistachijs condita. Præterea genitalia ipsa membra roborare non mediocriter solent, quæ confici solent tabellę ex speciebus aromatici rosati, Diamoschi, Diambræ, & similium. Item syrupus myrtinus, de mentha, de absynthio, de corticibus cytri: satyriones conditi, & id genus pleraque, quibus addi quoque possunt extrinseca auxilia vt fotus testium ex vino maluatico, in quo cubebę insuſę fuerint, inunctiones ex adipe leonino, ex nuce myristica, ex balsamo, & congeneis multis.

Tandem si a Gallica lue, & virulenta sanie, aut etiam ex desluxu, atque humorum ad vasa genitalia anadrome gonorrhœa excitatur, caueant medici, vti diximus, ab astringentium vsu, verùm totam curationem ad colluuiem repurgandam, necnon virulentiam edomandam conuertant, quod & purgantibus proportionatis, & ligni Guaiaci decocto consequentur, aut etiam si decocto non sit locus, syrupo illo magistrali, quo Forestus vir nostri seculi celeberrimus iuuenem curauit testium genuque inflatione, ac seminali effluuio laborantem. Si placet obseruationum librum 26. & obseruationem decimamsextam adeunto, vbi longam habebis descriptionem. Qui plura cupit, Praxis reuoluat volumina, Nos ad reliqua concedimus propere.

CAPVT VI.

Quomodo in epilepsiæ, & conuulsionis paroxismo semen interdum effundatur, vti etiam aliquando in metuentibus, & morientibus.

QVi seuo, calamitoso, turpi, & execrando laborant epilepsię morbo dum in eius concidunt paroxismum, si magnus & vehemens sit, genituram vt plurimum, eamque copiosam inuoluntariè fundunt; similiter etiam qui conuulsione corripiuntur; Cuius euentus causam assequi nihil est difficile, si statuatur ex celeberrimorum virorum auctoritate, epilepsiam totius corporis esse conuulsionem, ideoque vti reliquarum partium facultates in ea resoluuntur, ita etiam spermaticorum vasorum in primis labefactari, & solui retentricem virtutem, indeque fœdam illam seminis emanare colluuiem. At exapeculiari morbo seminalibus vasculis, reliquo corpore integro, potest huiusmodi affectio infligi, quod si accidat semen inuoluntariè vel perpetuò, vel periodicè effluet.

Simili prorsus modo passio eadem apud metuentes efficitur, quoniam calor totus in magna formidine ad intima sese colligit, ibique meatus dilatando, semenque fundendo ectionem facilè molitur; ea fermè ratione, qua in metuentibus stercus, & vrina quàm sæpissimè reijci solet, ipsius nimirum caloris actione ventres exoluente, vt sentit Aristoteles Problematum sectione 27. problemat. 10. Infra tamen problemate vltimo Philosophus aliam videtur afferre opinionem; quærens enim, cur homines metuentes suos testiculos contrahunt, in algorem, & contractionem seroti causam reijcit his verbis. *Scortum ergo surſum conuellitur, atque eo contracto vna testiculi contrahuntur, quod melius in coitu Venereo patet, metus enim excernit, multisque conturbatis, aut perterritis genituræ mouetur profluuium.*

Sed cur morientes pariter aliquando polluuntur? An quia natura suum indiuiduum interire videns, ægrè ferens iacturam alterum in eius locum sufficere vellet, ideoque semen ex intereunte homine colligere, ac seruare studet, ne pereat substantia vsque adeo mirabilis, ne calor ex-

extinguatur harmonicus, atque ethereus, humanæ Generationis opifex, & seruator; eo prorsus modo, quo in stirpium genere, vbi arescere frutices, & plantas natura prouida conspicit, semen deciduum suo gremio excipit, & fouet, vt loco demortuæ radicis, ac tabescentis calycis nouum substituat vegetabile. An forte id natura facit, vt nos moneat, qualis naturæ nostræ conditio sit, quodque fragilis vitæ principium, quasi velit cùm e corpore pereunte iacit semen, edicere cunctis: id est, o mortales, vitæ vestræ seminarium; id auræ vitalis origo; ne miremini ergo, si adeò facilè ad occasum properare videris & vitam, & auram: segnis igniculi breuis flamma: paruæ facis exiguum lumen. Atqui hæc ingeniosa potius; physicè magis dicatur, ic-circò seminalem humorem apud morientes exumpere, quoniam facultates omnes proprio defunguntur officio; quare amplius familiares humores nequeunt retineri, ideoque & oculi lucrymantur, fœces, vrinæque demittuntur, nec non sudores diaphoreticè transmittuntur. Philosophus Problematum sectione 4. problemate 8. id quoque fugienti calori tribuit, non autem frigori; habet enim sic. *Quam ob causam cum ratio concumbendi calore continetur: timor autem & mors refrigerandi vim habeant: plerisque tamen cùm ab ipsis tenentur affectibus, semen excurrit? An quod cùm loca quædam corporis refrigerantur, alia quædam intepescunt cum & suum colorem habeant, & pulsum de locis refrigeratis illum ipsa suscipiant, quamobrem frigentibus quidam id euenit, verùm non quia frigent, sed quia calent. Conflat hoc etiam ipso aspectu; partes enim superiores timentium sanguine priuantur, inferiores autem humescunt, & alui solutur, & vesica. Calor igitur cùm se per timorem deorsum per mortem sursum deuius agitat, madificare, & seminis excitare, profluuium potest.* Hactenus ille, cuius non indigna speculatio est.

CAPVT VII.

De Tabe Dorsali.

INTER alia seminis inuoluntaria effluuia vna est calamitosa effluuies ab Hippocrate sub nomine dorsalis tabis nuncupata, quæ quidem facili tramite ad Orcum ducit: Cuius professò notio 2. de morbis apud eundem his verbis habetur. *Dorsalis tabes à medulla fit, corripit autem maximè vrentes, sponsos, & Veneri deditos. Sunt autem sine febre, & bene cibum capiunt, ea consumunt, & si interroges ita affectum, dicit sibi sudare de capite in spinam, velut formicas descendere videri, & vbi mingit aut ventrem exonerat, prodit ipsi genitale semen multum, ac liquidum, & genitura in vtero non manet, & in somnis semen profundit, siue dormiat cum vxore, siue non, & quum iter fecerit, aut cucurrerit, tum vltra, tum ad accliuem locum anhelatio, ac debilitas ipsum corripit, & capitis grauitas, & aures sonant, &c.* Age lector si placet examinemus modò, & succinctis commentariolis illustremus huius contextus quodlibet membrum.

Dorsalis tabes à medulla fit.

QVatuor esse species dorsalis tabis inter alios testatur ex Hippocrate Petrus Salius in Commentario primi libri de morbis. Primam quidem ex Veneris immodico vsu: alteram ex vberiori sanguine in spinalem medullam irruente. Tertium ex medullæ ipsius resiccatione. Quartam denique ex prauo destillatione in hanc ipsam decumbente. Is idem auctor libro 2. supra iam regestrata ægritudine censuit, hanc dorsalem tabem nequaquam à medulla, vt sentit Hippocrates ortum ducere, verum ab affectione seminalium vasorum, eo prorsus modo quo tabes à gonorrhœa manat quandoque. Immo subiungit, id fibi facilè potuisse Hippocratem persuadere, quoniã existimabat ille, maiorem genituræ portionem à cerebro, & spinali medulla deriuare. Porrò veræ huius controuersiæ resolutio pendet ex eo, vndo scilicet semen defluat, & an verum sit à cerebro, & spinali medulla, vt Senex Chous arbitratur, largius & in maiori copia destillare. Quod cùm superiori tractatu de semine abundè fuerit sanctum, nihil est, quod de tabis huius dorsalis origine in ancipiti versemur, aut quoquo modo Hippocratem aberrasse putemus, qui vel testimonio Macrobij, *tam fallere, quam falli nesciebat.*

Fit igitur dorsalis huiusmodi tabes a medulla debilitata, exiccata, consumpta. Debilitata cerebralis humoris alluuiem recipit, nec coquit: exiccata fatiscit, & squallet alimento primogenio destituta: consumpta languet, indeque neruorum exortæ propagini haud benè consulit. An non ex his legitima huius tabis origo? Profectò spinalem ipsam medullam debilitari, exiccari, & consumi posse, nemo ambigat; siquidem cùm sit illa substantiæ cerebralis, cerebrique κατ' ἐξοχὴν, seu vicaria, quam ob rem à multis oblongum cerebrum appellatur, eodem modo quo cerebrum ipsum affici poterit, quod nemini dubium aliquatenus arescere, & absumi potest, id quod insinuauit in Epidemicis Hippocrates, vbi ait: *Veneris sequitur cerebri consumptio.* Dixi aliquatenus arescere, quandoquidem cùm cerebrum apprimè viscidum sit, torridum fieri nequeat, quod libro de principijs annuebat Hip-

po-

portrates idem dicens: *Hinc est, quod cerebrum cum minimum habeat pinguis, plurimum verò viscosi à calido torreri nequeat.* Calida itaque à spinali medulla contracta intemperie, quod est pingue, & vnguinosum assatur, maior verò portio, quæ viscida est, siccatur, & induratur, vnde tabis exurgit seminarium.

A

Corripit autem maximè recentes sponsos, & Veneri deditos.

B

INcalescunt enim hi culcitræ palestra, & clinopali resoluuntur indies. Adde quod Venereo congressu, qui apud recentes sponsos frequentior, & semper extat intempestiuus, dilatantur, & laxantur etiam seminalia vasa, virtusque retentrix infirmatur. Salaces insuper geniali cupidine perpetuò flagrantes dum rei aphrodisiæ abusè dant operam, vitalibus spiritibus depauperantur, & facultatum omnium robore destituuntur, vt ideo coitus expertes hac lue tentari magnus Duretus in Coacis iure denegarit.

Sunt autem sine febre.

C

NVlla dum concepta putredine; fortè quia vnà cum semine affatim emisso eruditatum, & noxiorum humorum colluuies expurgatur; sic Aristoteles Problematum sectione 4. Problemate 30. dicebat, semper cum semine aliorum excrementorum aliquid vnà exire, ideoque non nullorum, qui excrementis abundant, geniturам pisium redolere lauamentum. Et primo de Generatione Animalium capite 8. *Non enim (inquit) solum semen est quod exit, sed etiam aliæ permixtæ facultates cum eo secedunt, quæ insalubres sunt.* Addas, quod immodestus calor in hac tabe cordis regionem non inuadit, sed ipsi medullæ tenacius hæret. Non rarò tamen accidit, vt febris etiam adiungatur illius generis, quod a corrupto spermate ortum ducere infra probamus.

Bene cibum capiunt, ac consumunt.

D

NAtura debito defraudata alimento, quod totum transit in semen, rebus suis prouida consulens appetentiam suctu excitat, vt multo cibo confecto restaurari commodè valeat.

Et si interroges ita affectum, dicit sibi superne de capite in spinam velut formicas descendere videri.

NOn ex sensu quodam rigoris a spina refrigerata id prouenire putandum est, vt Salius putat, verum potius ex humorum de cerebro effluxu, inque medullam irruentium, qui vnà cum semine expultricem ad effusionem irritant, motus namque genitalis cuiusdam colliquamenti formicularem illam sensationem parit, eo prorsus modo, quo tenuis omnis, & calida destillatio pruriginem quandam excitat.

Et vbi mingit, aut ventrem exonerat, prodit ipsi genitale semen multum, ac liquidum, & genitura in vtero non manet.

PRæ calida intemperie seminalium pororum retentrix virtus infirmata suo defungitur munere, vt ideo leuide causa semen prorumpat. Quia verò in mictione, & egestione aliquo eget natura conatu: hinc est, quod semen in his functionibus effluit facilè, eo magis quod satis tenue, & fluxile est, nec lentore ad motum redditur segnius. Est autem ex eo fluxile, & liquidum, quòd superfluæ humiditati immixtum nequit; vt par est a natura coqui, & ad debitam consistentiam adæquari; cuius insimul rei gratia in vtero non manet, ocyus namque excurrit, nec adhæret, ideo 2. Problem. Alexander 9 8. *Semen quoque ipsum lentum, glutinosumque factum a natura est, videlicet vt tenacius insidere possit, & firmius.*

Et in somnis semen profundit, siue dormiat cum vxore, siue non.

SOmnus viscеribus, & penitioribus particulis calorem adauget, hinc retentrix seminis facultas laxatur magis, expultrix magis roboratur; ideoque facili negocio pollutio contingit; & licet antea nuptiali thoro operâ dederit, vasa nihilominus, quæ vndique genitalem succum alliciunt præ contracta intemperie, eundem facile enomunt, iugiterque reiectant.

Et quum iter fecerit, aut cucurrerit tum aliàs, tum ad accliuem locum anhelatio, ac debilitas ipsum corripit.

HEm quo pacto in tanta seminis colluuie corpus vniuersum non langueat? *Vt aditij constructio,* inquit Aristoteles sectione Problem. 22. *sic corporis compactio quatitur, dum semen decedit, quasi sanguinis multum aut aliqua pars alia decedat, ita quod exit peroportunum est, & quod exiguum ex multo conficiatur, quemadmodum amylum ex farina.*

Et capitis grauitas. & aures sonant.

FLatuoso spiritu concepto, & præ imbecillitate cerebralis humoris vitiata pepsi. Porrò in hac tabe cerebrum quoque colliquatur, cuius deinceps locum inanis occupat spiritus, vnde ceruicis pondus, & aurium sonorus strepitus.

At

At modò ex eodem Hippocrate morbi huius curandi rationes ascribantur, & breuibus etiam illustrentur notulis.

Quam ita habuerit, si ab initio curandum susceperis, fomentum per totum adhibeto, medicamentum sursum purgans bibendum ipsi dato.

CORpora cùm quis purgare voluerit, meabilia prius reddat, necesse est ex eodem Hippocrate; ideo monet hic, vt fotus in primis adhibeatur, vti corpus ipsum ὑγρὸν reddatur. Potissimum ante elleborum præceptor noster vtebatur fomento, & balneo, vt humor qui purgari debebat, funderetur, & meatus euaderent laxiores. Pro medicamento sursum purgante forti ille elleborum intelligit, ni fortè aliud quodpiam lenius, ac mitius emeticum arrideat magis, cuius gratia delabentes in spinalem medullam humores deriuentur, ac reuellantur. Enimuerò tunc fiet meabile corpus, quando materia, quæ purgari debet, medicamento attrahenti, & naturæ expellenti cedat, quod à fotu consequi facile est. Sed accipe cautionem. Id genus auxilij præstari debet ab ineunte tabe, quando affectio schectica potius existit, viresque non dum collabsæ sunt; alioquin confirmato morbo ex forti agitatione, ac vehementiori colliquatione præceps daretur æger.

Et postea caput purgato: deinde deorsum purgans exhibeto.

CAput prius purgandum, quoniam inde per spinalem medullam fit colliquatio. Nimirum in qualibet fluxione termino primum è quo consulendum est, alioquin frustratoria curatio foret: postmodum verò terminum ad quem respicere debemus. Demandanti membro prospiciatur exiccantibus. & confortantibus; recipienti verò roborantibus. Hæc est breuissimæ curationis hyparxis.

Optandum autem fuerit, vt vere hanc curationem aggrediamur.

IVxta doctrinam aphoristicam: *quibus sanguinis missio, aut purgatio conuenit, his vere celebranda est.* Aptum quippe, & opportunum tempus vernum est, quoniam qualitatum temperie inuoluitur. *Sub cane, & ante canem difficiles purgationes*, Hippocrate arbitro; dissoluitur enim corporis habitus. Hyeme nimis est vniuersum corpus constipatum; quare medicamentum ægrè trahit. Adde quod cùm lacte renutriri debeat hoc morbo detentus, vt infra dicetur, nulla dies ad lactis vsum commodior est verno tempore, quo animalia cuncta pleno scatent vbere, neque ipso hyemali tempore lactis vsus est valde proficuus. At perpende verbum, optandum: quasi dicat Hippocrates, dorsalis tabis curatio statim est celebranda, at longè operæpretium foret, si verno tempore inchoari posset, & si ad idem differri auxilia, morbi violentia daret.

Postea verò serum, aut lac asininum bibendum dato. Cæterùm bubulum lac per quadraginta dies bibendum præbeto.

PRæscribit prius serum, aut lac asininum, quod serosum magis est, vt scilicet meatus præparet, necnon calidam, siccamque intemperiem euincat; demum lac bubalinum ad renutriendum commendat; habet enim illud crassiorem, ac tenaciorem substantiam; quò fit insuper, vt semen ipsum lentum magis, & pingue reddatur, & consequenter haud ita ad fluxionem, seu effluuium paratum, dispositumque.

Ad vesperam verò quandiu lac potat, alicam sorbendam dato, à cibis autem abstineat.

IVbet abstineri à cibis, ne ab his lacti corruptelæ præbeatur occasio. Nomine autem alicæ vespere propinandæ intelligit iusculum aliquod, seu consumptum, quod facile coquatur, ventriculum onere non opprimat, calorem non fatiget; & omnino talis huiusmodi sorbitio esse debet, qualis primo de Dieta Hippocrati commendatur, nimirum; *Cibus humidus, imbecillis, sitis expers, coctu facilis, & liquidus.*

Post quàm verò lac bibere cessarit, cibis mollibus ipsum reficito ex modico initium sumens, & quàm maximè crassum, ac pinguem facere studeto.

MOlles cibi citius alunt; hinc Hippocrates, qui ad restaurationem in hac tabe totam dirigit mentem, fluida proponit esculenta, facilius enim, illo docente, est impleri potu quàm cibo, hoc est citius mollibus, quàm duris alimur. Vult autem, vt à modico initium faciamus, ne calor imbecillis opprimatur à copia. Crassum tandem, ac pinguem ægrotantem reddi, est maximè operæpretium, vt à tabe vindicetur in primis, quæ consumptio, & ariditas est; dein verò vt angustior circa seminis meatus euadat; pinguedo enim, & phæsitas tenuiores, & arctiores cum ve-

Digitized by Google

nãs, tum vasa omnia præstat, quod etiam in libris de animalibus asseuerat Aristoteles. Adde quod pingues habitus pauco imbunntur semine, vt alibi ex Philosopho abundè diximus, quare dorsalis fluxio quoque immiuitur.

Per annum ab ebrietatibus, & Venere, & laboribus abstineat, exceptis deambulationibus, in quibus vitet frigus, & Solem, tepida autem lauet.

IMmodicum vinum, Venus, & labores huic ægritudini aduersantur quàm maximè, debilem namque calorem absumunt, spiritus exhauriunt, naturam obruunt, sanguinem attenuant, fluxiones à capite accersunt, pinguedinem colliquant, quam tanti facit pro huius morbi salute Hippocrates; & quod deterius est, omnia hæc vias aperiunt, atque adeò genituræ, quæ non continetur, exitum facilioremparant. Par est tamen modicè exerceri absque tamen aeris læsione; tam frigore enim, quàm calore excedente funditur humor è cerebro, à quo huiusmodi affectio originaria est. Tandem vtatur balneo ad sanguinis mitificationem. Hæc Hippocrates.

CAPVT VIII.

De morbo, qui apud Hippocratem Typhos appellatur.

LIBRO de internis affectionibus Hippocrates quosdam recenset affectus Typhonis nomine, quod sonat (stupor attonitus) & inter illos vnum describit, qui seminis profluuio inuoluitur, & a tabe dorsali nuper explicata haud multum dissidet, licet obscurioribus multis, & fere imperceptibilibus implicetur accidentibus. Amabo perpendantur verba: *Fit hic morbus, quum humor qui est in corpore putrefactus fuerit, & magis quàm opportunum est reficcatus, fit igitur ager hoc morbo correptus specie limpidus, ac hamectus, subpallidus, pellucidus, & vesica vrinæ similis: verùm non intumescit, sed tenuis, & aridus est, ac debilis. Attenuantur autem in corpore maximè clauiculæ, & facie fortiter gracilescit, & oculi valde sunt excauati; & hæc quidem à morbo patitur. Color autem corporis niger est, causa vero hæc est. Quum bilis tetra in venas, & ad cutem subierit, & postea calor cessenit, necesse est a calore venas comburi, ac reficcari. Quare sanguis e venis excedit; hæc igitur patitur. Hic tenuis fit, & fortiter gracilis & oculis raro nictat, & muscas a stragulis venatur. Et grauitas ciborum maior est, quàm cum sanus esset, & lucernæ extinctæ odore delectatur; & frequenter semen per somnum effundit; sæpe verò etiam inter eundum genitura ipsi exit. Huic quum sic habuerit ventrem nigro veratro purgato, supernum videlicet, infernum vero stammoniæ succo. Post purgationem eadem quæ & aliis dato, & serum, & lac bubulum, aut caprinum pro tempore exhibeto, dato & lac asininum decoctum ad purgationem. Hic ita curatus in duobus maximè annis sanus fit. Cibos autem quos vult assumat, & qui maximè nutriant, & deambulet coniectura ad cibos facta. Hic morbus corripit maiorem viginti annis, ubi verò corripuit, si non a principio morbi quis curatus fuerit, non desinit nisi viginti anni preterierint, sed adhæret postea ab aliquibus dum curantur, decedit. Morbus autem grauis est.* Hactenusile. Fateor libere, nullam aliam Hippocratis lectionem mihi vnquam tantum negocij, seu potius confusionis facessisse, quantum hunc morbum Typhonem, seu Typhoden nuncupatum; verè Typhonem, hoc est horrendum monstrum Palladis astu, vt fabulantur vates, absque patre natum, quodque Iouem ipsum in conflictu obscura in antra detulit, ibique præcipuos manuum ac pedum obtruncauit neruos. Ita prorsus hic morbus Typhos in obscurum detrudit mentes, omnesque intelligentiæ exhaurit neruos. Hem quid est illud, virum hac affectione detentum specie esse limpidum, & pellucidum, & vrinæ similem? Quænam ista comparatio? & rursus infra e contrario corporis nigrum esse colorem? Cur extinctæ lucernæ odore delectatur? Quænam proprietas hæc morbi, temperamenti, an casus? Præ atra bile æstuque magno concepto exiccari venas, gracilescere vultum, arescere oculos, est quidem rationi consonum. Similiter genituram effundi & in somnis, & interdiu cùm ambulatur, non est à veritate alienum, siquidem atra bilis flatus est feracissima, à quo distentum pudendum facilè ad effusionem paratur, accedente præsertim feruore multò, qui semen acuat, eiusque meatus referet, & expultricem irritet; qua ratione morbus idem tabis cuiusdam redoleat naturam: id quod ab ipsa curatione deduci potest, tota namque circa renutritionem occupari videtur, ideoque lac bubulum, asininum, caprinum, cibique huiusmodi præscribuntur. At in tanto squallore, tam rebelli ariditate, ac æua combustione, quo consilio nigrum veratrum, scammonium-

niumque exhibentur? Quæ nam elateria magis, magisque exhaurientia pharmaca? Qui valet exucens æger, exanguis, exhaustus tam fortem sustinere purgationem? Sanè circa huiusmodi ægritudinem intellectus cessitat; solum rationabiliter dici posse videtur, illam tabis referre speciem, sequaque multa, ac symptomata, quæ concomitantur haud esse tecmeria, verum per accidens alicui conjuncta, quæ apud aliquem peculiariter Hippocrati observata registrare, haud visum est inconueniens. At breuibus commentariolis textus elucidemus, vt paulò supra in dorsali tabe peregimus.

Fit hic morbus, quum humor, qui est in corpore putrefactus fuerit, & magis, quàm opportunum est resiccatus &c.

PRo humore intelligas non e primis aliquem, sed secundum, ac ipsum nutricium succum, & partium proximum alimentum, siue sperma, quod vbi computruerit, aut resiccatum validè fuerit ab ipsarum particularum feruore, nutritioni redditur ineptum; quare membra vitali nectare defraudata, aut vitioso, putridoque diffusa humore ichores accersunt, iisque vt possunt fruuntur, aluntur-que perperam. Inde autem color aduenit limpidus præ humoris illius tenuitate; humectus præ cruditate; subpallidus præ citrineitate; pellucidus præ quadam flatuosa aereitate, vesicæ vrinæ similis præ ichorum flauitie. Etenim talis in cute semper effloresceit color, qualis intus dominatur humor, atqui eiusmodi ichores præ bilis tinctura, siue putredine ad flauitiem quandam procumbunt, hinc ergo subcroceus color.

Verùm non intumescit, sed tenuis, & aridus est, ac debilis.

PRopter membrorum squallorem, & exurentem caliditatem, quæ vitiosos eiusmodi succos haud finit in systrophen elenari, atque ad superficiem vsque turgere, seu protuberare. Adde quòd humorum tenuitas vix est intumescentiæ apta; quin potius cutis reseratis meatibus facilè dissipatur, & euaporat. Quamobrem ad huiusmodi affectionis initium fieri quidem poterit, vt genæ aliquatenus tumidæ appareant, at paulo post dissipato humore siccescunt. Id quod appositè conscripsit Aristoteles Problematum sectione xxiiij. quæstione xviij. vbi quærens. *Quæ de causa, quæ parum temporis calido in humore maduere, tument, quæ multum hæc collabuntur, & rugant?* sic habet. *An quoniam calor, vt ex concretis humorem elicit, ita ex humore spiritum creat, densaque omnia laxat. Principiò igitur concreta tepefaciens, facit humidiora, ciam spiritum ex humidis ducens diffundit, & tumefacit; cumque amplius calefacit, partem summam elaxat, vt vapor inde respiret: humorque exiccatus facit, vt res concidat: qua collapsa, cutis omnium summa rugatur. Quò autem magis contractione inæquali flaccescunt, eò rugosa multiplici asperitate efficiuntur.* Ita omnino in Typhode accidere putandum est. Cæterùm quoniam nectare primigenio, vtilique defraudantur alimento solidæ partes, robur, & lacertus confidet, inde imbecillitas, vitæque impotentia.

Attenuantur autem in corpore maximè clauiculæ, & facie fortiter gracilescit, & oculi valdè sunt excauati, & hæc quidem à morbo patitur; color autem corporis niger, etc.

CArnibus exhaustis clauiculæ apprimè tenues, & acutæ apparent, Facies autem tamquam corporis emporium prima refert membrorum defectum, ac tabescentiam, oculi similiter ob humoris congenei arescentiam in concauum retrahuntur, suisque claudantur orbibus. Color insuper niger ob adustionem apparet, ob quam succi melancholici cumulantur, vt patet ex curatione, in qua Hippocrates veratrum, & scammonium præbet. Nec sibi sanè contradicit Hippocrates, qui paulo supra dixerat (*Specie liuidus, subpallidus, & vrinæ similis*) ibi namque peculiariter de faciei colore loquitur, qui semper paulò delicatior existit; præterquam quod cum pelluciditate potest nigredo combinari, vt inesse, & ebeno videre est.

Quum bilis atra in venas, & ad cutem subierit, & postea calor successerit, necesse est à calore venas comburi, ac resiccari, &c.

NIgri coloris, totiusque corporis tabis modò causam affert, & est bilis atra per totius corporis centrum, & peripheriam dispersa, cui nimirum calor, ideſt febris succesſerit, à qua nempe, hoc est solidæ omnes particulæ & continentia in squallorem, & vacuitatem deducuntur, nihilque, aut parum sanguinis, roris, glutinisq; intra eadem remanet; cõtinuò namque à calida, atque exurente intemperie depascitur.

Hic tenuis fit, & fortiter gracilis, & oculis rarò nictat, & muscas à stragulis venatur.

DVm febris exhaustum corpus inuadit, vsque adeo exurit, vt in marasmum leui negotio impingat ægrum, in quo ipsi etiam oculi præ siccitate squallent, & veluti attoniti non nictant. Muscas venatur, dum propè est interitus.

Et grauitas ciborum maior est, quàm quum sanus esset.

NAtiuus calor tam debilis, quàm fortis nimium præter naturam cibum nec bellè parat, nec ritè coquit; vnde corpus ex eo potius onus, quàm beneficium recipit.

Et lucernæ extinctæ odore delectatur.

EXtinctæ lucernæ fumus est adeo grauis, & infestus, vt non modo mulieres, verùm etiam equas abortiri faciat; sua namque nidorositate, & peracuta caligine caput adeò malè afficit, vt pœnè virtute animali illud destituatur. Iam quoniam simile simili gaudet humores in typhonosa affectione ab exurente calore in nidorosam quandam degenerant qualitatem, quæ vniuerso corpori communicata, & olfactiuæ præsertim potentiæ facit, vt simili quodam tetrico vapore delectetur. Ita videre est interdum nonnullos à suauibus odoribus abhorrere, insuaues, ac molestos exquirere. Noui inuenem melancholici temperamenti, qui glasti contriti, ac putredine fumigantis tetro odore adeò delectabatur, vt loca vbi agitabatur, sedulò peteret, apertis naribus odoraretur, eiusdem globo iuxta pulmonaria in somno vteretur, & insuper ad libidinem vsque eodem excitaretur. Vnde hoc nisi ex quadam cum humoribus sympathia?

Et frequenter semen per somnum effundit. Sæpè verò etiam inter eundum genitura ipsi exit.

COlliquescente corpore ad renes fit humorum de capite, cæterisque partibus defluxus, inde iidem debilitati neque copiam, neque vitium succorum sustinere valentes, assiduò euomunt, ac præsertim in somno, in quo calor ad viscera refusus lumborum vniuersam regionem impetit, vasorumque ferniodiorem auget intemperiem, seminisque molitur expulsionem. Adde quòd strata, thorus, quies, ac somnus Veneri, rebusque pandemijs faciunt, ideoque cubilis calore statim excitati Venereum pruritum, palam est. Rursus quoniam motus calefacit, vasa dilatat, succosque fluxiles præstat, hinc typhode tabescentes renes motu leui negotio satiscunt; seminales meatus hiant; necnon genitura in reliquum vitiosa, & infrenis funditur, vomiturque sponte.

Iam allatam ab Hippocrate curationem examinemus.

Huic quum sic habuerit, ventrem nigro veratro purgato, supernum videlicet, infernum verò scammoniæ succo.

VT melancholici succi colluuies repurgetur, ichorumque, ac bilis copia minuatur. Etenim cuiusque semper morbi curatio à noxiorum humorum ablatione inchoari debet. Verùm enimverò, vbi corpus extremè tabuerit, procul absint & veratrum, & scammonium.

Post purgationem verò eadem, quæ & alijs dato, & serum, & lac bubulum, aut caprinum pro tempore exhibeto.

AD intemperiem corrigendam, ad renu-triendum, ad seminis vasa impinguanda, necnon ad ichores educendos; hinc Pythocles ægrotantibus aquam, & lac multa aqua admixta dabat, vt 7. Epidem. legimus.

Dato & lac asininum decoctum ad purgationem.

VAlde huiusmodi remedium est Hippocrati familiare; attemperat namque, purgat, humectat, corporisque penitioris peruadit partes.

Hic ita curatus in duobus maximè annis sanus fit.

AEgrè, & non nisi longo temporis interuallo tabifici morbi curantur; opus est enim corporis habitum innouare, hecticam qualitatem euincere, ac radicitus euellere noxam.

Cibos autem quos vult assumat, & quàm maximè nutriatur, &c.

QVos vult ob anorexiam, qua cibos detrectans natiui caloris extinctionem ocyus molitur, tabescentiam auget. Hic maximè locum habet aphorismus: *Paulò deterior cibus, & potus fuauior tamen melio-*

Digitized by Google

fioribus eſt eligendus. Porrò tabeſcentem vi-
ræ rorem ſatius eſt aliquo, quàm nullo prorſus reficere alimento.

Hic morbus corripit maiorem viginti annis, &c.

IAm tum cùm ſanguis ebullit, calor viget, feruet hepar, atque adeò aduruntur humores; conſonat Aphoriſmus 29. tertiæ ſectionis. *At verò iuuenibus expectorata ſanguinea, tabes, &c.*

CAPVT IX.

An, & quomodo nocturna pollutio febres diuturnas interdum abigat.

SEMINIS effuſionem in ſomno febres præcipuè chronicas aliquando claudere, indicat experientia, qua medici quotidie eruditiuntur. Præterquam quod eſt etiam Hippocratis 4. Epidemiorum contextus in hiſtoria Nicippi, quo res eadem inſinuatur; habet enim. *Nicippus in febribus per ſomnum ſemen effudit, & nihil ad primo proceſſit, & hoc ipſum ſæpe ipſi factum eſt, & nihil læſit. Prædictum eſt ipſi id desiturum, poſtquam febres iudicatæ forent, & ſic factum eſt*. Porrò vis horum verborum, ſi nauiter perpendantur, ea eſt, quòd videlicet natura per ſeminis ductus ſæpius criſim aggreſſa, tandem repetitis pollutionibus & febris ipſa, & naturæ molimen ceſſerint omne. Namque vt criſim hæc moliatur, ac perficiat, non vnam, ſed innumeras tentat vias; ideoque ſudore interdum ſeſe nititur exonerare, interdum vrinis, modò ſeceſſu, modò vomitu, ſæpe ſanguine, non rarò cutaneis eruptionibus, abſceſſu, apoſtemate ad aures, ad alas, ad inguina, & ad corporis vniuerſum ambitum. Cur itaque non poſſit ac debeat præpeditis alijs vijs per vaſa ſpermatica criſim celebrare? Certè non eſt maior ratio. Quin fortaſſis huiuſmodi meatus naturæ commodiores cæteris extant; à febre ſiquidem dilatati apti ſunt non modò elaboratum vtile, ac frugi excipere ſemen; verùm & eruditates, & alios putrilagine commaculatos humores, vti pluribus in locis ex Hippocrate, & Ariſtotele probauimus. Et quod hoc verum ſit, apertè colligitur ex eo, quod genitura, quæ nocturna pollutione projicitur apud febrientes copioſior eſt, impurior, humidior, & ſemper extraneo aliquo tum colore, tum odore imbuta. Apageſis nonne coryzas, & capitis fluxiones alias conſimiles ex Hippocratis ſanatas inde aliquando obſeruauimus? Cum igitur aliæ quoque multæ affectiones à ſuccorum prauitate oriundæ nequeant identidem feminis fluxu leuari? Renum, ac lumborum grauedines ideo ſeminilicet exuuntur. Vniuerſi corporis torpor, & quædam veluti ad motum, & res gerendas impotentia, ſegnitiesque non ſemel re Venerea ceſſere. Et cæteræ ergo à ſuccis impuris emanantes affectiones eadem ſemita extrudi poterunt. Verùm ſciſcitaberis, cur in principio febrilis æſtus nocturna pollutio malum potius, & longitudinem præſagiat; in fine verò ſalubritatem, atque febris ipſius ſolutionem ſpondeat? Profectò in cuiuslibet initio morbi, nullo adhuc apparente pepaſmo, natura humorum oppreſſa colluuie nihil boni perficere poteſt; quod ſignificauit præceptor noſter tum alibi, cùm ſecundo de morbis popularibus ſectione prima ijs verbis: *Quæ verò ad melius iudicant, non ſtatim apparent*. Nempe ægri natura dum nulla adhuc facta eſt ſuccorum mitificatio, nullaque ſequeſtratio boni à malo, ſi quid moliatur, ſymptomaticos agit, irritata nimirum aut à copia, aut ab humorum prauitate ſemini commixtorum; quo circa nihil decretorium, ad morborum initia accidere poteſt, & legitimæ criſis anteſignana eſſe debent coctionis indicia: alioquin ſient indicatoria non iudicantia, quæ, teſte Hippocrate, præcitato Epidemiorum ſecundo partim lethalia ſunt, partim difficilis iudicij. Inde doctiſſimus Heurnius in primum Aphoriſmorum baſilicè dicebat. *Quare ſigna apparentia ad ſpeciem criſis incerta, & calamitoſa ſunt, niſi præceſſerint ſigna ad tempus*. Et hæc quidem ſigna ad tempus non ſunt alia, quàm pepaſmi indicia. At verò in declinatione morbi coctione prælibata, natura vigens prauos ſuccos ab vtilibus ſegregat, inutiles demittit, proficuos retinet; ſic prauis explosis excrementis ſubleuatur, demiſſo onere alleuiatur, reficitur, & robuſtior euadit. Ita ergo ſalubre interdum experimur ὀνειρογμὸν morbo declinante, dum exinde funditus febris auerruncatur. Id totum eò facilius perſuaderi poteſt, quòd ex anatome nouimus, duas vtrinque venas, ac duas identidem arterias cum quatuor ipſis ſpermaticis vaſis incedere. Dextra vena ab ipſius cauæ medio ferè ſub ea, quę hac parte in renes tendit oritur. Siniſtra verò ex ea, quę ad renes fertur, procedit, cui nonnunquam ramulus à caua accedit, & cum hoc vnà pergit. Arterię autem à magna arteria, quę ſpinę incumbit oriuntur. Adeò vt ex his

fa-

facilè pateat, posse naturam noxios quàmplures humores de seminali ductu deponere, per varias vias, vtpote per magnam arteriam, per spinalem medullam, per venam cauam, & per eius ramos.

Ethæc de semine satis: non vltra ingenioli vires progredi valuerunt. Obtuli pro virili non extrita, non passim obuia, sed noua multa, & exotica, quæ tibi si arrideant, amice lector, gaudebo mihi, gratulabor tibi. Alioquin in re tam præclara, tamque in naturæ theatro admirabili humanum cœcutit ingenium, perspicacitatis cuiusque caligat oculus. Quò plus de semine, fateor, aut cogito, aut scribo, eo amplius offertur commentandi stadium.

FINIS QVINTI LIBRI CENEANTHROPEIÆ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

SYLLABVS

TRACTATVVM, ET CAPITVM quæ in præcedente Quinto Libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De seminis admirabili naturâ, progressu, spiritu, scientia, atque tinctura.

Cap. I. *Quid sit semen ex Principum Philosophorum dictato, & an differat à genitura.* 580.

Cap. II. *De substantia, & qualitate seminis, vbi magni Hippocratis, & Aristotelis obscura quædam reuelantur oracula.* 584.

Cap. III. *An calor seminis sit elementaris, & igneus, an solaris, & æthereus.* 589.

Cap. IV. *Quale sit semen ad Generationem aptum, quo spiritu locuples, quæ fœcunditatis probatio; vbi Arist. confutatur opinio.* 595.

Cap. V. *An semen sit animatum necne.* 599.

Cap. VI. *An, & quomodo verum sit, semen in Generatione animam, menstruum verò corpus præstare.* 603.

Cap. VII. *An muliebre semen actiuè ad Generationem concurrat.* 604.

Cap. VIII. *Cur si fœmina fœcundo semine diffluit, suo tamen cum sanguine, suoque in vtero citra maris genituram concipere nequeat.* 607.

Cap. IX. *Quo pacto semen in Generatione humana rationalis animæ productionem attingat.* 611.

Cap. X. *De vi magnetica seminis virilis ad muliebre semen.* 613.

Cap. XI. *An in semine formatrix virtus resideat, an verò extrinsecus in Generationibus adueniat.* 616.

Cap. XII. *An, & qua ratione seminis potestas parentum affectiones in genitos, mores, robur, formæ similitudinem, staturam, & reliquos caracteres vna traducat, & quomodo Auorum similitudines in nepotibus interdum recudantur.* 621.

Cap. XIII. *Vnde semen defluat, an à toto secedat, an potissimum à cerebro, & spinali medulla, vbi Hippocratis, & Aristotelis examinantur opiniones.* 626.

Cap. XIV. *An seminis materia sit cambium, an verò sanguis ille secundarius, qui dicitur anonymos.* 636.

Cap. XV. *An, & qua ratione semen maris fœminam virtualiter contineat, & semen fœminæ virtualiter marem.* 638.

Cap. XVI. *De seminalis facultatis incorruptibilitate.* 641.

Cap. XVII. *Cur sanguis emissus congeletur, semen verò eiectum fluidius reddatur.* 644.

Cap. XVIII. *Quamobrem qui genituram humidiorem obtinent, insalubrius degant, vt sentit Hippocrates.* 649.

Cap. XIX. *De semine squallido, siue præ nimia siccitate in grandinis formam densato, ideoque ad exitum inepto.* 651.

Cap. XX. *De polyspermia, aspermia, & cacospermia, siue de vbertate, priuatione, ac vitio seminis.* 654.

Cap. XXI. *De seminum feriis, atque de eorundem Orco Hippocratico.* 658.

Cap. XXII. *De seminum vtriusque sexus harmonia, siue consona ad conceptionem temperie.* 660.

TRACTATVS SECVNDVS.

De morboso, & inuito genituræ effluuio, ac primùm de nocturnis pollutionibus.

Cap. I. *Quid sit, & quomodo fiat nocturna pollutio.* 664

Cap.

Cap. II. *Proponuntur, ac soluuntur insimul varia, scituque digna problemata ad nocturnas seminis fusiones pertinentia.* 668.
Cap. III. *De remedijs nocturnarum pollutionum, tam si à dæmonum illusione, quàm si à causa naturali, & morbifica ortum ducant.* 672.
Cap. IV. *De pollutione diurna inuoluntaria,* 678.
Cap. V. *De seminis inuito profluuio, quod Gonorrhœa nuncupatur.* 680.
Cap. VI. *Quomodo in epilepsia, & conuulsionis paroxismo semen interdum effundatur, vti etiam aliquando in metuentibus, & morientibus.* 684.
Cap. VII. *De Tabe dorsali.* 685.
Cap. VIII. *De morbo, qui apud Hippocratem Typhos appellatur.* 691.
Cap. IX. *An, & quomodo nocturna pollutio febres diuturnas interdum finiat.* 697.

Digitized by Google

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER SEXTVS.

De materia generationis humanæ, ſiue de ſanguine menſtruo.

Ad Illuſtriſsimum D.

D. HIERONYMVM MATTHAEIVM Marchionem Iouij, Arcis Sinibaldæ, &c.

VI debet (Marchio Illuſtriſſime) & ſe debere ingenuè profitetur, debitum maiori ex parte ſoluiſſe videtur. Igitur ego, qui ab eo vſque tempore, quo tuæ valetudini præſum, beneficiorum cumulo ab incredibili tua humanitate ornatus, immo oneratus concedo, æquum cenſeo, illa eadem vniuerſo Terrarum orbi ſponte propalare, vt ſi referre mihi non liceat, habere me tamen gratias, vnicuique liqueat; ita tamen vt tot, tantaque beneficia gratè accipiens, primam eorum penſionem, auctore Seneca, ſoluiſſe videri debeam; Nam, vt ipſe ait: *Vis reddere beneficium? benignè accipe.* Mea iam prodit in lucem Geneanthropeia, neque, vt reor, inauſpicatò; in qua nimirum Illuſtriſſimæ tuæ Proſapiæ fauſtum omen præludo, tibique in primis nouæ prolis læta auſpicia reddo. Id ſi Numinum benignitate contingeret, non leuem ex meis laboribus fructum exantlaſſe exiſtimarem. O vtinam communia exciperentur vota, ac tandem numeroſa proles Te, tuamque

que præstantissimam vxorem DOROTHEAM, egregiam ac prudentissimam Heroinam, & Vrbis totius nedum Mattheiæ Gentis splendorem lætos faceret: Sic enim assiduè videret, nec sine plausu Roma Proceres, qui INNOCENTIVM illum Secundum P. M. tuæ nobilissimæ Stirpis columen, vel D. Bernardi Abbatis commendatione optimum, & glorioſissimum; nec non gentiles quamplures Purpuratos Principes probitate æmularentur, dignitate æquarent, virtute superarent. Profectò vbi cum auita generositate dotes genuinæ, opes amplissimæ, Aedes magnificentissimæ, signis & claris imaginibus passim conspicuæ, argentea atque aurea suppellectili vbique spectabiles: Vbi amœnissima illa viridaria polis vtrisque celeberrima, quæ iucundissima etiam Thessaliæ Tempe æmulari queunt: Vbi Villæ re, & nomine Macares, quibus mehercle vel ipsius Luculli amœnitates inuidere possunt: Et vbi demum (quod erit instar omnium) tanta in Te, tuaque Ornatissima coniuge probitas, morum suauitas, prudentia, magnanimitas, & omnes quæcunque in optimis Principibus optari solent virtutes (vt relinquam interim Excellentis. Aloysij Fratris tui nunc Ferrarienſis, ac Bononienſis militiæ Generalis Præfecti, & Pontificiarum copiarum nuper Magistri Campi Generalis Heroicam Virtutem, Martiale decus, egregiaque facinora vni Vrbano VIII. recenter post Cæsarem rebus in arduis abundè probata) Vtique solùm desideratur ab omnibus longa filiorum series, quæ hilares tantos coniuges, & voti compotes pleniùs efficiat. At fortè in humanis aliquid desit, necesse est; nihilque in terris omni ex parte beatum; vel negant mortalibus vt plurimum Superi hilaritatis culmen, vt cœlestis beatitatis nunquam obliuiscantur. Interim cum votis reliquis illibatam valetudinem peræuum Tibi, clarissimæque vxori cœlitus deprecor.

Digitized by Google

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER SEXTVS.

De materia Generationis Humanæ, siue de sanguine menstruo.

PROEMIVM.

DE semine vti Generationis Opifice differuimus abunde; superest, vt agamus iam de materia, in qua seminis ipsius facultatis recipitur actio, quæ non inquolibet, sed in subiecto apte dispositio fieri assolet. Huiusmodi verò subiectum est sanguis menstruus, non omnis, sed qui duntaxat κατὰ φύσιν, καὶ κατὰ νόμον essluit, ex quo fœtus maiori ex parte coalescere potest: maiori ex parte inquam, siquidem e corporata etiam seminis portione (quicquid in contrarium essutiant Peripatetici) quædam ipsius embryonis particulæ vti nerui, rendones, ossa, arteriæ, venæ, & similes coagulantur, quemadmodum in primo libro rationibus, & auctoritatibus probauimus. Sed hem qui superbis homuncio, quiq; in Cœlum alter Enceladus fastum erigis animaduerte originis tuæ promptuarium, corporisque tui alterum principium expende; non enim aurum, argentumque, marmor, aut nobile lignum tuæ conceptionis est elementum, sed longè his deterius quicquam: Nempè inconcti sanguinis pusillum, ac digestionis excrementum. Hinc ille Vates Palladus.

Si autem rationem quæris veram, ex immodestia
Libidine natus es, & fœda gutta.

Secabitur autem liber in duos Tractatus, quorum primus enucleabit menstrui sanguinis naturam, generationem, fluxionem, fluxionisque tempus, modum, mensuram, atque eiusdem alias etiam præter naturam affectiones, quibus omnibus examussim describetur Humanæ Generationis proxima, opportunaque materia: Alter verò de sterilitate muliebri non panca commentabitur. In vtroque breuem, sed solidam simulque iucundam degustabis philiatre doctrinam.

TRACTATVS PRIMVS.

De natura, & causa, tempore, mensura, & varijs menstrui sanguinis accidentibus.

PRAELOQVIVM.

NON puto fore, vt lector aliquis delicatior inueniatur, qui Tractatum hunc nauseabundus auertatur ex eo, quod de re turpi, fœdaque qualis est sanguis mulieris menstruus, agere videatur; quandoquidem hunc non quatenus est eius sexus excrementum impurum, ac turpe vteri stillicidium reuoluimus, verùm prout humanæ Generationis est proxima, & necessaria materies, vtque fœtus constitutiuum, atque nutritiuum intra vterum principium; quomodo contemplatione, imo, & admiratione apprimè dignus existit; vt iccirco egregiè Philosophorum didascalos, 1. de partibus animalium cap. 5. ediceret: *Non enim fieri potest; vt ea sine magna abominatione inspiciamus, ex quibus corpus conflat humanum, vt sanguinem, carnem, ossa, venas, reliquaque generis eiusdem. Omnino ita censendum est, vt qui de quauis corporis parte, aut de vase aliquo disputat, non de materia, aut eius materiæ gratia doceat, sed formæ totius ratione. Sicut, & cum de ædibus agitur, non de lateribus, non de luto, non de lignis, sed forma ipsarum ædilium docemus. Pari ratione, qui de natura agit, de compositione, totaque substantia tractet, non de ijs, quæ nunquam euenit, vt a sub-*

stantia separantur. Est igitur sanguis ipse menstrualis præclarissimus, quoniam Generationis sit elementum, & præstantissimæ formæ substratum; quare cum Aristotele eodem loco illa perorabo. *Aggredi enim quæque sine vllo pudore debemus, cum in omnibus naturæ numen & honestum, pulchrumque insit ingenium.*

CAPVT I.

Quid sint menstrua, secunda, an tertia coctionis excrementum, & cur flores appellentur, itemque tempora, & Marchio.

ARISTOTELES, qui exilliA mauerat, mulierem semen ad generationem haud quaquam conferre, verum sanguinem tantummodo, primo de generatione animal. cap. 20. scriptum reliquit, menstrua nihil esse aliud, quàm ipsius mulieris impurum, & inconcoctum semen; verba sunt illa: *Sunt enim menstrua semen non purum, sed indigens confectionis, quomodo in fructuum generatione adhuc imperfecta inest quidem alimentum, sed confectionem, ac puritatem desiderat*. Verùm vt falsò statuit Philosophus, mulierem in Generatione nequaquam præstare semen; sic menstruorum definitio ista longè distat a rei veritate; præterquamquod eadem definitio cuicunque sanguini aptari posset; siquidem e sanguine vterius elaborato fit semen, & omnis penè sanguis dici poterit semen immaturum, ac nondum adæquatum. Ex verbis adhuc ipsius Aristotelis colligitur, illum opinatum fuisse, menstrualem sanguinem esse tertiæ coctionis excrementum, id quod exeo luculenter patet, quod illum semen appellat; Atqui hoc nimium a rei natura discrepat; quandoquidem is non tertiæ, sed secundæ coctionis verè est recrementum, nempè illius, quæ in ieciB nore celebratur. Patet id liquidò, quoniam secus huiusce natura sanguinis partibus solidis esset similior, foretque longè magis coctione perfecta; ita vt etiam futurum foret, vt oppidò maiorem imbecillitatem, atque languorem reciperent mulieres, dum eius effluuio irrorantur; iam enim saperet naturam seminis, cuius vel minima portio apta est exeundo labefactare vires. Scio doctissimum Andream Laurentium lib. 8. quæst. 9. de formatione fœtus censere sanguinem menstruum dici posse, sub diuersa tamen ratione secundæ, ac tertiæ coctionis excrementum: dicit enim: *Excrementum est secundæ coctionis, quia totus sanguis primam in hepate generationem habet, & ab hepate tamquam vedundini quid, & superfluum pellitur*

a instrumentum venæ cauæ. Excrementum est tertiæ, quia a carnibus saturatis post tertiam coctionem excernitur. Verùm ægrè subscribam Laurentio, quoniam non a carnibus, vt ille ait, sat bratis sanguis ad vterum excernitur, sed antequam paribus carnosis vllo modo appropinquet, ad vterum delegatur.

Melius ergo cum Galeno Medicorum Musageta 14. de vsu partium dicatur, menstrua profluuium esse naturale, & ordinatum vtilis, verum crudi sanguinis superflui. Expendantur singula definitionis verba. Naturale profluuium in primis dicimus, quoniam cùm sanguinis quicunque fluxus Galeno arbitro 4. de symptom. causis toto genere sit præter naturâ, solum menstrua eluies secundum naturam existit; quia nimirum ad mulierum repurgationem, valetudinemque, necnon ad fœtus conceptionem, atque nutritionem dirigitur. Ordinatum præterea additur, ad aliorum effluxuum differentiam, qui ab vtero nullo tamen ordine seruato excurrunt. Dicitur postremò vtilis verùm crudi sanguinis ac superfluj; quandoquidem licet sanguis ille eiusdem qualitatis, & naturæ sit cum eo, qui in venis reperitur; est nihilominus superfluus, ac tamquam excrementum secundi coctionis: est vtilis, quoniam tam mulieris, quàm fœtus nutritioni confert. Imbuitur autem cruditate quadam non respectiuè ad semen, vt arbitrantur multi; omnis enim sanguis, vt aduersus Aristotelem impugnabam, si cum semine comparetur, crudus est. Sed quia C pro copia, & muliebri imbecillo calore omnem adæquationem, ac perfectionem nondum nactus est, id quod ex paucitate spirituum, qui sanguinem illum fouent, liquidò constat. Id nimirum significauit Archiosophos 4 de Gener. animal. cap. 1. vbi edisserit, non omnem humidum succum, & colore cruentum esse sanguinem: *Quasi*, inquit, *æquè quoduis sanguis esse possit, modò humidum sit, & colore cruentum*. Velsi mauis appelles crudum, quod sordidis multis, noxisque humoribus, quorum sentina est vterus, admisceatur; qua ratione dixerat Florus apud Plutarchum in Symposijs, menstruum D sanguinem esse prauum, corruptum, perperamque hem tamen haud esse talem ex sui natura putandum est, sed ex praui admixtione excrementi, quod in vteri cauitate, veluti in lacuna vliginosa stabulatur. Quocirca natura vt a polyæmia in primis, qua veluti sarcina premitur, necnon insuper ab aliorum excrementorum colluuie sese eximat, exonereq. stato quodã tempore, menstruo videlicet, *καταμηνίων* ordinauit.

Verùm enimuerò quoniam sanguis hic apud mulieres, eiusque menstrui fluxus flores vulgato nomine appellantur, non immeritò ingeniosus quispiam de huiusmodi onomatopœia sciscitabitur. Cui tamen primò respondum velim, ideo

ideo flores nuncupari, quoniam in ipso primo iuuentæ flore apparent. Secundò quòd veluti arbor, e qua flores erumpunt, non sterilis, sed fœcunda censetur: ita mulier illa fœcunda audit vt plurimum, cui menstrualis catharsis debito modo, tempore, ac mensura accidit. Flores insuper vocari possunt, quòd floridus hic sanguis, non fœtidus, non tabo remixtus esse debeat, si Generationis officio deseruire debeat. Vel tandē, si mauis, appelles flores, quòd floridas puellas sanguineus ille reddat fluxus; quod adeò verùm est, vt quæ illo defraudantur, compendiò labantur in clorosim, cachexiam, phthysim, hydropē, & similes, nō minus perniciosas quàm deformes ægritudines, formam videlicet, speciem, atque omnem vitæ floridum decorem deturpantes, ac destruentes.

Solent præterea menstruæ purgationes tempora passim vocitari, primò quidem quia statis temporibus recurrunt, ideoque non perpetuæ sed temporariæ fiunt; Secundò, quia definitus sui cursus tam vniuersalis, quàm particularis tempora obtinent: Tertio quod temporarium commodum mulieribus afferant.

Cur verò apud Italas mulieres recepto Marchionis nomine vocitentur, mehercle ignoro, neque potui talem ingenio consequi ætimologiam. In mentem scilicet venit, honestatis gratia rem pudendam conspicuo, ac titulari quodam nomine circumscribi libuisse: aut etiam dicas, quòd sicuti Marchiones sua obtinent nobilitatis insignia, atque dignitatis coronam ita mulier per menstrua suæ fœcunditatis edat monilia, quibus ille sexus coronatur. Lector si præstantius aliquod ethymon adeptus fueris, impertire ne dedigneris; non enim casu id nominis puto impositum: nec sua minimis mysteria desunt.

CAPVT II.

Qua ratione, & quo consilio menstrua in mulieribus generentur.

EMPARMENIDES, itemque Democrytus arbitrati sunt, mulieres præ nimia, qua feruent caliditate, feruidiorem, acrioremque sanguinem cumulare, qui tamen vbi plus nimium excreuerit, naturam ad expulsionem vi, & mole irritet, & sic periodicam apud illas excitari fluxionem. At quantum veteres hi Philosophi longè inerint a veritate, pluribus enunciauit Aristoteles 4. de Generatione animalium capite primo. Nimirum falsa in primis est hypothesis, mulieres videlicet calidissimas esse, qua re nihil est cur tempus inutiliter teramus; quando id vel aphoristicè edisserit Hippocrates sub hoc lemmate. *Mulier ambidextra non fit.*

Atqui Polybus veterum illorum alumnus nouam circa menstrui sanguinis productionem commentus est opinionem primo de morbis mulierum (Polybi namque hi, non Hippocratis extant libri) vbi hæc habet.

Dico, mulierem rariore carne præditam, & teneriorem esse, quàm virum: & hæc res sic se habet. A ventre trahit humiditatem, & citius, & magis corpus mulieris, quàm viri; etenim, si quis super aquam, & per regionem aquosam, duobus diebus, ac duabus noctibus molles lanas ponat, & veflem puram; & contextam æquali ad lanas pondere, sublatis vtrisque, appenderatione facta; multo grauiores lanas comperiet quàm veflem. Fit autem hoc ex eo, quòd semper aqua sursum decedit in vasa ampliora oscula habentia. Et lana quidem, tanquam rara, & molles ex decedente amplius suscipiunt: veflis autem, vt quæ plena est, & ex contextu obturata, explebitur, non multum ex decedente qua suscipiens. Sic sanè etiam mulier, velut qua rarior est, ampliorem a ventre humiditatem corpori attrahit, & citius, quàm vir: & tanquam teneriori carne prædita mulieri, vbi corpus sanguine repletum fuerit, si non ab ipso secesserit, carnibus impletis, ac calefactis, dolor obortur. Habet enim mulier sanguinem calidiorem; & propterea calidior est, quàm vir. Si verò amplior accedens sanguis secesserit; dolor non fit a sanguine, neque calor. Vir autem vt qui solidiore carne præditus est, quàm mulier, neque in superna ventris parte adeò sanguine su perimpletur, vt nisi aliquid sanguinis singulis mensibus secedat; dolorem fieri: necesse sit; & sanguinis quantum satis est ad nutrimentum trahit: &, quum corpus ipsi non sit teneru non dolore affligitur, neque superincalescit plenitudine, velut mulieri.

Porrò opinio hæc est ingenij potius, quàm veritatis; quis enim absque mendacij crimine asseuerare ausit, mulierem in vniuerso corporis ambitu sanguinem obtinere calidiorem, nec non corporis texturam rariorem, quàm virum possidere? Quæ commenta, aut potius figmenta sunt hæc, Asclepiadæis non minus, quàm Peripateticis contraria? Exurgat ergo veritatis lampas, & rationi consona eluceſcat opinio. Nam Polybus qui statuit, mulierem corporis habituram rariore præditam esse, quàm virum, aberranit a signo; siquidem ex muliebri corpore glabro, leni, pigro, imbecilli, ac timido, sat manifeste illius sexus arguitur frigiditas, nisi tamen auctorem hunc inter veteres celebrem placeat hic perfunctorie à calumnijs vendicare, dicentes, illum de caliditate ascititia, non verò

lor, & corpulentiam transit, homo enim leuior A
cæteris est, atque etiam in vrinam diuertitur, quod postremum in mulabus fit palàm, quando præ crassissima, & fæculenta vrina ijs menstrua silent omnino. Huic rationi addas, mulierem vitam viuere sedentariam, multo, ac vario vti nutricatu, ac delitiosè degere; Bruta econtra simplici victu, ac pauco sese inuitare, necnon humi iacere, cuique cœli exposita iniuriæ, ac nunquam quiescere; non ergo in eis congeri potest vtilis excrementi copia: præterquamquod ex naturali tēperamento mulieres etiam polycymæ sunt longè omnium fœminarum maximè, ficuti & viri multi sunt seminis proportione corporis, & polygoni habito respectu ad bruta. Adde adhuc, bruta esse hydropota toto genere, B
mulieres verò iugiter vino delectari; quod quantum huiusce purgationi faueat, nihil est quod probare contendam.

Ex his ergo colligas primò, neque pisces, neque ouipara, nec omnino volucrum genus menstruo fluore madescere, sed viuipara tantummodo, & inter hæc mulierem vberiùs: secundò, hunc ipsum effluxum apud brutas plerasque fœminas in vrinam crassam, cornua, setas, & consimilia diuertere, ideoque, non æquè, ac mulierem cruentari; cui tamen etiam si fortè ante naturæ tempus deficiat purgatio menstrua, abire etiam in pilos, & huiusmodi alia excrementa, vnde barbescere viscum mulieres restagnantibus mensibus, vt inter alias Phætusa apud Hippocratem celebris est.

Cæterum inter mulieres illas vberiùs purgari statuendum est, quæ graciliores, & magis sanguineas complexiones sunt adeptæ; Post has biliosæ huiusmodi fluxum largiorem patiuntur; siquidem præ sanguinis feruore, ac tenuitate & venæ referantur, & sanguis æstu concitatur, ac turget, iuuante facultate quæ à sanguine feruidiori facto erethismo stimulatur ad expulsionē. Postremæ omnium phlegmaticæ, ac melancholicæ. Rursus quæ impensè laborant, parciùs repurgantur, quàm quæ parum exercentur excrementi enim plurimum illæ dissipant exercitio: quæ victitant crassioribus cibis minus. C

Quæ sub Cœli regione frigidissima degunt, magis, quàm quæ sub clementiori; & ratio est, quòd stipatis corporis vniuersi meatibus, præ frigore exalationes in primis, & fuligines non efflant; quare ex intercepta diapneustia, & facta metastasi, humores, & sanguis ad intimare fundūtur: polyphagę & Oenopotæ magis quàm hydropotę, frugi. Quæ Veneris palæstræ crebriùs dant operam largiùs, quàm quæ rarius in illa exercentur, aut omnino cœlibem traducunt vitam. Sic nuptæ magis, quàm viduæ, hę magis quàm virgines sanguineo irrorantur imbre. D

CAPVT V.

Quonam tempore mulieribus menses appa-rere incipiant, quoue tandem desinant.

DVO tempore masculis puberibus incipit emicare genitale semen, eodem apud adolescentulas menstrua apparere solent; idque tempus est, peracto anno bis septimo, si Aristoteli habenda fides est 7. de historia animalium capite 1. vbi addit, puellabus menses tunc fieri, quando iam vbera ad duos digitos prominent, voxque ingrauiorem mutatur. Hic ipse admiror naturæ prouidentiam, seu diuinam sagacitatem; siquidem cùm illa marem, fœminamque ad sobolem propagandam in lucem ediderit, eorumq; vnus opificium, altera materiam primariò præstet, nempe semen ille, sanguinem hæc; vno, eodemque tempore & opificem, & subiectum elaborat; alioquin si vnum altero prius prodiret, otiosum vndique foret, ac generationi parum proficuum. Verùm non est in omnibus absolutè id temporis determinatum, quando etiam in duodecimo anno repurgari interdum, licet rarò puellæ solent; aliæque vel ad octauum decimum, & sæpè vlteriùs distrahunt menses; quod sanè invarium temperamentum reijciendum est: quæ enim calidiores, alacrioresque, & vndique sunt circumfluæ sanguine immaturiùs inficiuntur menstruis: quæ verò habitu frigidiori, melancholico, seu phlegmatico torpescunt, multò serius naturalem promunt effluxum. Sic præcocius erumpunt ijs, quę calidas regiones incolunt, quæque calidiori vtuntur diæta, magisque exercentur. Ante duodecimum annum vix induci possum, vt credam, posse naturam tantùm alimenti superfluì congerere, vt augmento sit satis, & menstruo profluuio; ideoque loco prodigij recipio illud Sauonarolæ, affirmantis, extitisse puellam, quæ nono ætatis anno menstruadederit, & vtero conceperit. Nec minus portentosæ erunt existimandæ aliæ de mensibus immaturè nimis profluentibus historiæ, quarum illa Alberti Magni in secundum Physicorum rarissima, & monstrosissima est, narrat enim puellam in lucem prodiuisse turgentibus mammis, vt in adultis assolet, cum pubè ad inguina; ac gynecomastiæ, necnon cum pilis sub axillis, & quod magis est cum mensium periodico fluxu. Ioannes Skenchius ex Iacobi Suteri fide narrat, vxorem Vlrici cuiusdam Negelim Friburgensis in Brisgoia puellam edidisse, cui statim absoluto quinto anno menstruæ purgationes

nes fluere cœperunt; quod idem de octeni puella narrat Fernelius lib. 6. Pathol. cap. 16. Quin Hercules quoque Saxonia Venetijs puellam, quinque annorum vidisse profitetur, quæ menstrua purgatione, modica tamen, singulis mensibus madescebat. Illud verum est, iuvenculas, quæ nimis immaturè hos flores recipiunt, præcocioris ætatis, ac breuiotis vitæ existere, quasi natura ijs anteire tempore sit sollicita.

Cæterum menstruę purgationes non vltrà quàm ad quinquagesimum annum proferuntur, in multis tamen non attingunt quadragesimum quintum. Hos terminos non transiliunt, quoniam ætate calor flaccidus residuum alimenti non in sanguinem, sed in pituitam conuertit; Adde quod expultrix facultas præ marcescente calore facta imbecillis nequit extrudere superfluitates materias, sed potius intra corpus ad varias demandat particulas: vnde vetulæ valetudinariè semper degunt; nam vel capite dolent, vel tussi obstrepunt, vel ptyelo madent, vel tandem vndique fœtent. Illud insuper verum est, obęsis mulieribus ocyus deficere menses, quoniam copioso non scatent sanguine; gracilibus verò diutius protendi; hę namque vel teste Aristotele sanguineo rore affluentius madent, viasque obtinent patentiores, vnde facilis fluxus datur aditus.

Simili modo statuas, apud adolescentulas eodem ipso tempore, quo menstrua catharsis apparet, elaboratum quoque, & confectum recipi semen; Siquidem vbi natura sagax animadvertit, superesse in mulebri corpore aliment cam portionem, quę sit satis incremento, & insuper semini; quod est adhuc superuacaneum incipit ad venas vteri delegarea vena caua per ramum iliacum in hypogastricas, quę per collum, & vniuersum eius corpus dispersę tandem apertis osculis eructat in sinum sanguinę: vt ideo mirandum hic quoque sit naturę consilium, quę in mulieribus prius elaborat semen vti opificem, mox materiæ satagit, nempe superfluitis sanguinis, quasi hoc apparente in adolescentulis, mutis verbis natura dicat: parata est iuuencula ad conceptionem, turget in uasis prolificũ semen, materia præstò est; accedat vir, fiatque Generatio tantopere expetita, & vniuersò expediens orbi. Et hac eadem ratione, vbi menses desiere, paulò post & semen deficit, vel quia alimentum deest, vel quia præ debilitate calor efficetus coquere nequit humores, illosque in seminis conuertere substantiam; & sic rarò erit inuenire mulierem, sanguinem non vitiosum ad vterum habentem, quæ insuper suo semine non sit prolifica; & e contrario vix inuenias mulierem, quæ sit præ senio destituta mensibus, cui non sit insuper absumpta materia fœcundi seminis, cuius uice si quid in meatibus, ne detur vacuum, contineatur, est quid crudum, impurum, & spiritibus depauperatum, & per consequens Generationi inutile.

CAPVT. VI.

Qualis sit sanguis menstruus, & an per se, an vero per accidens adeo noxius, ac deleterius existat.

VENEFICAM qualitatem, inesse menstruis indicant mille symptomata, eaque sęuissima, quorum sunt ea prolifica. Canes ab eis rabie concitantur: ferrum rubiginem contrahit, specula contaminantur, terra vti ab aceto fortissimo abraditur, arbores exiccantur, flores, olera, frutices omnes radicitus aresçunt; homines demum dementes fiunt, nec non in rabem deducuntur miserè; quin cum menstruata simpliciter concumbentes, & sæuissimos morbos, & lepram in primis ex. fluerroe contrahunt, vt ideo & ab Hesiodo, & a legislatoribus talis concubitus fuerit omnino vetitus, vt nos alibi longiori sermone prosequimur. Adde, quòd eundem illum sanguinem pellaces mulierculæ philtrum existimarunt, ideoque vt Dęmonis vtuntur aucupio, quasi residet in illo vis amoris; sed mortis atræ illicium existit. Ita Cari Lucretij vxor credula, dum coniugem poetico furore abstractum, ac pene ecstaticum extraneo detineri putat amore, illi suum sanguinem propinauit menstruum, quo ductus in feram rabiem sibi tandem crudelem consciuit mortem. Meritò ergo ambigunt alij, num eo componatur, nutriaturque sanguine fœtus, alijque, vt in primis magnus Auenzoar detrectant omnino, succum hunc vllatenus nutricium esse; verùm ajunt veneni potius promereri nomen: quo si mulieres vt à veneno non lædantur, id esse, quia familiaris est illis, nec vllum a proprio veneno offenditur animal.

Quamobrem vt rei veritas eluceścat, & quæstionis præsentis, & antecedentis solutio habeatur, statuendum erit, sanguinem menstruum penes bonæ valetudinis mulieres esse benignum, ac suauem æquè ac illum, qui intra alias exundat venas, ideoq; alimento & matris, & prolis aptissimum. Verùm quia sæpè dum prodit, ex aliquo accidente haud excurrit illicò, sed paullò immoratur, fit ex eo, vt putrescat facilè, & a putredine æstum, auramque prauam concipiat, id quod tantò facilius accidere potest, quantò iugiter confluunt ad vterum, vehti ad sentinam vndique corporis muliebris sordes, & excrementa, quibus immixtus confluens sanguis corrumpitur perperam, intenditque ex alieno miasmate pro-

los, & corpulentiam transit, homo enim leuior A
cæteris est, atque etiam in vrinam diuertitur, quod postremum in mulabus fit palàm, quando præ crassissima, & fæculenta vrina ijs menstrua silent omnino. Huic rationi addas, mulierem vitam viuere sedentariam, multo, ac vario vti nutricatu, ac delitiosè degere; Bruta econtra simplici victu, ac pauco sese inuitare, necnon humi iacere, cuique cœli exposita iniuriæ, ac nunquam quiescere; non ergo in eis congeri potest vtilis excrementi copia: præterquamquod ex naturali tẽperamento mulieres etiam polygmæ sunt longè omnium fœminarum maximè, sicuti & viri multi sunt feminis proportione corporis, & polygoni habito respectu ad bruta. Adde adhuc, bruta esse hydropota toto genere, B
mulieres verò iugiter vino delectari, quod quantum huiusce purgationi faueat, nihil est quod probare contendam.

Ex his ergo colligas primò, neque pisces, neque ouipara, nec omnino volucrum genus menstruo fluore madescere, sed viuipara tantummodo, & inter hæc mulierem vberius: secundò, hunc ipsum effluxum apud brutas pleràsque fœminas in vrinam crassam, cornua, setas, & consimilia diuertere, ideoque, non æquè, ac mulierem cruentari; cui tamen etiam si fortè ante naturæ tempus deficiat purgatio menstrua, abire etiam in pilos, & huiusmodi alia excrementa, vnde barbescere viscst mulieres restagnantibus mensibus, vt inter alias Phætusa apud Hippocratem celebris est. C

Cæterum inter mulieres illas vberius purgari statuendum est, quæ graciliores, & magis sanguineas complexiones sunt adeptæ; Post has biliosæ huiusmodi fluxum largiorem patiuntur; siquidem præ sanguinis feruore, ac tenuitate & venæ reseruantur, & sanguis æstu concitatur, ac turget, iuuante facultate quæ à sanguine feruidiori facto erethismo stimulatur ad expulsionẽ. Postremæ omnium phlegmaticæ, ac melancholicæ. Rursus quæ impensè laborant, parcius repurgantur, quàm quæ parum exercentur excrementi enim plurimum illæ dissipant exercitio: quæ vicitant crassioribus cibis minus. Quæ sub Cœli regione frigidissima degunt, magis, quàm quæ sub clementiori; & ratio est, quòd stipatis corporis vniuersi meatibus, præ frigore exalationes in primis, & fuligines non efflant; quare ex intercepta diapneustia, & facta metastasi, humores, & sanguis ad intimas re- D
fundũtur: polyphagę & Oenopotæ magis quàm hydropotę, frugiq. Quæ Veneris palæstræ crebrius dant operam largius, quàm quæ rarius in illa exercentur, aut omnino cœlibem traducunt vitam. Sic nuptæ magis, quàm viduæ, hę magis quàm virgines sanguineo irrorantur imbre.

CAPVT V.

Quonam tempore mulieribus menses appa-rere incipiant, quoue tandem desinant.

QVO tempore masculis puberibus incipit emicare genitale semen, eodem apud adolescentulas menstrua apparere solent; idque tempus est, peracto anno bis septimo, si Aristoteli habenda fides est 7. de historia animalium capite 1. vbi addit, puellabus menses tunc fieri, quando iam vbera ad duos digitos prominent, voxque ingrauiorem mutatur. Hic ipse admiror naturæ prouidentiam, seu diuinam sagacitatem; siquidem cùm illa marem, fœminamque ad sobolem propagandam in lucem ediderit, eorumq; vnus opificium, altera materiam primariò præstet, nempe semen ille, sanguinem hæc; vno, eodemque tempore & opificem, & subiectum elaborat; alioquin si vnum altero prius prodiret, otiosum vndique foret, ac generationi parum proficuum. Verùm non est in omnibus absolutè id temporis determinatum, quando etiam in duodecimo anno repurgari interdum, licet rarò puellæ solent; aliæque vel ad octauum decimum, & sæpè vlteriùs distrahunt menses; quod sanè in varium temperamentum reijciendum est: quæ enim calidiores, alacrioresque, & vndique sunt circumfluæ sanguine immaturiùs inficiuntur menstruis: quæ verò habitu frigidiori, melancholico, seu phlegmatico torpescunt, multòserius naturalem promunt effluxum. Sic præcocibus erumpunt ijs, quę calidas regiones incolunt, quæque calidiori vtuntur dieta, magisque exercentur. Ante duodecimum annum vix induci possum, vt credam, posse naturam tantùm alimenti superfluì congerere, vt augmento sit satis, & menstruo profluuio; ideoque loco prodigij recipio illud Sauonarolæ, affirmantis, extitisse puellam, quæ nono ætatis anno menstruadederit, & vtero conceperit. Nec minus portentosæ erunt existimandæ aliæ de mensibus immaturè nimis profluentibus historiæ, quarum illa Alberti Magni in secundum Physicorum rarissima, & monstrosissima est, narrat enim puellam in lucem prodiuisse turgentibus mammis, vt in adultis assolet, cum pubè ad inguina, ac gynecomastige, necnon cum pilis sub axillis, & quod magis est cum mensium periodico fluxu. Ioannes Skenchius ex Iacobi Suteri fide narrat, vxorem Vlrici cuiusdam Negelim Friburgensis in Brisgoia puellam edidisse, cui statim absoluto quinto anno, menstruæ purgationes

nes fluere cœperunt; quod idem de octeni puella narrat Fernelius lib. 6. Pathol. cap. 16. Quin Hercules quoque Saxonia Venetijs puellam, quinque annorum vidisse profitetur, quæ menstrua purgatione, modica tamen, singulis mensibus madescebat. Illud verum est, iuvenculas, quæ nimis immaturè hos flores recipiunt, præcocioris ætatis, ac breuioris vitæ existere, quasi natura ijs anteire tempore sit sollicita.

Cæterùm menstruę purgationes non vltrà quàm ad quinquagesimum annum proferuntur, in multis tamen non attingunt quadragesimum quintum. Hos terminos non transiliunt, quoniam ætate calor flaccidus residuum alimenti non in sanguinem, sed in pituitam conuertit; Adde quod expultrix facultas præ marcescente calore facta imbecillis nequit extrudere superfluitates materias, sed potius intra corpus ad varias demandat particulas: vnde vetulæ valetudinariè semper degunt; nam vel capite dolent, vel russi obstrepunt, vel ptyelo madent, vel tandem vndique fœtent. Illud insuper verum est, obesis mulieribus ocyus deficere menses, quoniam copioso non fœtent sanguine, gracilibus verò diutius protendi; hę namque vel teste Aristotele sanguineo rore affluentiùs madent, viasque obtinent patentiores, vnde facilis fluxui datur aditus.

Simili modo statuas, apud adolescentulas eodem ipso tempore, quo menstrua catharsis apparet, elaboratum quoque. & confectum recipi semen; siquidem vbi natura sagax animaduertit, superesse in muliebri corpore alimenti eam portionem, quę sit satis incremento, & insuper semini; quod est adhuc superuacaneum incipit ad venas vteri delegare a vena caua per ramum iliacum in hypogastricas, quę per collum, & vniuersum eius corpus dispersę tandem apertis osculis eructât in sinum sanguinei; vt ideo mirandum hic quoque sit naturę consilium, quę in mulieribus prius elaborat semen vtiopificem, mox materiæ fatagit, nempe superfluitis sanguinis, quasi hoc apparente in adolescentulis, mutis verbis natura dicat: parata est iuvencula ad conceptionem, turget in uasis prolificũ semen, materia præstò est; accedat vir, fiatque Generatio tantopere expetita, & vniuersò expediens orbi. Et hac eadem ratione, vbi menses desiere, paulò post & semen deficit, vel quia alimentum deest, vel quia præ debilitate calor effœtus coquere nequit humores, illosque in seminis conuertere substantiam; & sic rarò erit inuenire mulierem, sanguinem non vitiosum ad vterum habentem, quæ insuper suo semine non sit prolifica; & e contrario vix inuenias mulierem, quæ sit præ senio destituta mensibus, cui non sit insuper absumpta materia fœcundi seminis, cuius nice si quid in meatibus, ne detur vacuum, contineatur, est quid crudum, impurum, & spiritibus depauperatum, & per consequens Generationi inutile.

CAPVT. VI.

Qualis sit sanguis menstruus, & an per se, an verò per accidens adeo noxius, ac deleterius existat.

VENEFICAM qualitatem, ineſſe menſtruis indicant mille ſymptomata, eaque ſqualiſſima, quorum ſunt ea prolifica. Canes ab eis rabie concitantur: ferrum rubiginem contrahit, ſpecula contaminantur, terra vti ab aceto fortiſſimo abraditur, arbores exiccantur; flores, olera, frutices omnes radicitus arẽſcunt; homines demum dementes fiunt, nec non in rabem deducuntur miſerè; quin cum menſtruata ſimpliciter concumbentes, & ſæuiſſimos morbos, & lepram in primis ex Auerroe contrahunt, vt ideo & ab Heſiodo, & a legislatoribus talis concubitus fuerit omnino vetitus, vt nos alibi longiori ſermone proſequimur. Adde, quòd eundem illum ſanguinem pellaces mulierculæ philtrum exiſtimarunt, ideoque vt Dęmonis vtuntur aucupio, quaſi reſideat in illo vis amoris; ſed mortis atræ illicium exiſtit. Ita Cari Lucretij vxor credula, dum coniugem poetico furore abſtractum, ac pene ecſtaticum extraneo detineri putat amore, illi ſuum ſanguinem propinauit menſtruum, quo ductus in feram rabiem ſibi tandem crudelem conſciuit mortem. Meritò ergo ambigunt alij, num eo componatur, nutriaturque ſanguine fœtus, alijque, vt in primis magnus Auenzoar detrectant omnino, ſuccum hunc vllatenus nutricium eſſe; verùm aiunt veneni potius promereri nomen: quo ſi mulieres vt à veneno non lædunturi, id eſſe, quia familiaris eſt illis, nec vllum a proprio veneno offenditur animal.

Quamobrem vt rei veritas eluceſcat, & quæſtionis præſentis, & antecedentis ſolutio habeatur, ſtatuendum erit, ſanguinem menſtruum penes bonæ valetudinis mulieres eſſe benignum, ac ſuauem æquè ac illum, qui intra alias exundat venas, ideoq; alimento & matris, & prolis aptiſſimum. Verùm quia ſæpè dum prodit, ex aliquo accidente haud excurrit illicò, ſed paullò immoratur, fit ex eo, vt putreſcat facilè, & a putredine æſtum, auramque pravam concipiat; id quod tantò facilius accidere poteſt, quantò iugiter confluunt ad vterum, veluti ad ſentinam vndique corporis muliebris ſordes, & excrementa, quibus immixtus confluens ſanguis corrumpitur perperam, intenditque ex alieno miſmate pro-

propriam putrilaginem.

Hic exposa recedat illorum opinio, qui vt sanguinis menstrui naturam explorarent, dixerunt, illum esse succum quendam eterogeneum, qui contineat partes alias puriores, ideoque naturæ vtiles, alias impuriores, omni ex parte inutiles, aut potius infestas, hasque illas esse, quæ tot sæua apta sunt parere symptomata; recedat inquam, siquidem sanguis omnis eterogeneus est, cõtinetque partes crassiores, tenuiores, mitiores, crudiores, nec tamen atrocia tantum agunt detrimenta. Simili modo Flori apud Plutarchum opinio relinquatur, existimantis menstruum sanguinem ex sui natura prauum sonticum, ac virulentum existere.

Cæterùm vti noua appendix, atque epiphora relatis addatur ex meo censu, menstruum cruorem a cruditate suum virus possidere, aut saltem intendere; quod vt facile intelligatur, supponendum erit, crudum sanguinem dici illum, qui a natura minus est adæquatus; ideoque sub crudi nomine complecti sanguinem saniosum, pituitosumque, & bileum æstuantem; vterque enim adæquatione coctionis alumna caret, quæ coctio consistit in calore blando, miti, & ab omni excessu alieno. Modo sanguis menstruus apud mulieres coctionis expers crudus est, ob caloris non inopiam, sed excessum, cuius gratia libro illo de morbis Polybi mulier viro calidior dicebatur, quod quidem rationi non dissonat; siquidem quoad sanguinem verè mulier caliditate excedit; quoad verò solidas partes vir est longe calidior. At verò temperies non a sanguine, aliisque humoribus refertur; verùm a solidarum partium qualitate; ideoque non licet inferre, mulieris temperamentum virili calidius esse eo quod calidiori sanguine diffluat. Id sane haud præterijt Aristoteles tertio de historia animalium capite decimonono, vbi feminis nigriorem & crassiorem sanguinem tribuit; nigredo verò, & crassities vnde profluit nisi ab æstu serum depascente, & saniem adurente? Quod autem ex coctione res multo minus calidæ euadant, ne videatur paradoxon; siquidem in pluribus constat experientia, quæ non fallit: nam lac in primis quid est aliud, quàm sanguis vlteriori coctione elaboratus? Et nihilominus nemo iturus erit inficias, illud sanguine minus calidum esse; quo circa inflãmationibus refrigerandis appositè facit. Mel si coquatur tẽperatius, ac mitius, quàm crudũ euadit; patet id ex eo, quod nõ adeò est acre nõ adeò mordax, non sic stimulat intestina; quod tñ intelligendũ est de melle quod nimia coctione non fuerit partibus tenuioribus enudatum, hac namque ratione per accidens amarescit. Vinum si coquatur apud quasdam Italiæ regiones minus generosum euadit; quod vel ex eo percerebecit, quod non sic inebriat, vt crudum, teste Athenæo. Cæterùm vuæ, & poma vinosa quælibet antequam debitam nanciscantur maturitatem, vtique calidiora sunt; continent enim igneam quandam qualitatẽ, & humorem æstuantẽ, quod colligitur ex effectu; quicunque enim hos esitant fructus, os, & linguam aphtis iam tum excoriant, guttur inflammant, in diseriam super incidunt, aliasque aluinas fluxiones patiuntur. Quod maximè contingit in vuis apianis, vulgo dictis muscatellis, de quibus Columella libro 3. capite secundo sic habet: *Ideoque frigidis locis aptissima, sed capiti, nervis, venisque non aptæ, nisi maturæ lectæ.* Non ne videmus insuper, recentem vuarum, & pomorum succum ebullire, ac feruescere diu: vbi verò coquatur, statim æstum, atq; ebullitionem exuere? Igitur & ante maturitatem, quæ à naturali coctione habetur, & ante excoctionem, quæ fit ab igne, vuarum, ac pomorum succus feruidior, omnique ex parte mordax existit. Ita prorsus muliebris cruor, qui ad vteri regionem opiparè confluit, cùm nequeat præ copia ad symmetriam qualitatis reduci, ideoque præferuido æstuet calore, & velut mustum ebulliat, inde fit, vt tot sæua pariat symptomata, quæ quidem omnia calidam ab excessu qualitatem, seu feruescẽtiam denotant; nam neque ab eo frigidus vllus manat effectus, quin potius impensè calidus, vt rabies, delirium, lepra, ariditas, extinctio, febris, & consimilia: atque de hoc verba faciebat Hippoc. 1. de morbis mulieb. r. quando dixit, saniosum sanguinem terram abrodere. & si forte frigidi aliquando exurgant morbi, vt hydropes & similes id per accidens contingit, strangulante videlicet extremo calore primigeniam caliditatem; eo prorsus modo, quo vinum meracum largè sumptum apoplexiam, paralysin, & id genus frigidas parit ægritudines. Huic ergo naturali menstrui dispositioni si accedat insuper putredo, & aliorum prauorum succorum miasma, quale vitium, seu quale virus erit iniquius, vitæque humanæ magis infensum?

Sed statim Obijcies, si talis est ex sui natura sanguis menstruus, quo pacto fœtus nutritioni non incommodat? Respondeo, id in primis naturæ prouidentiæ tribuendum esse, quæ vt fœtum ipsum aptè enutriat, studet pro viribus eundem sanguinem depurare, atque ad æqualitatem reducere, mox etiam à calore ipsius fœtus idem temperatur, ac mitificatur, antequam nutriendis particulis apponatur; præterquamquod Arabum fuit sententia, fœtus ab hoc sanguine enutritos in vtero multiplicem concipere morborum diathesin, qualis est in primis variolarum, morbillorum, & similium ægritudinum, quas ab inquinamento menstrui sanguinis originadas dicunt. En ergo qua ratione, & per se, & per accidẽs sanguis menstruus sit culpabilis, quoue modo nutricatui inseruiat, & primæ conceptioni; in qua illud prorsus accidit, quod in casei coagulatio-

rione euenire experientia est; nimirum coagulum non lactis totam substantiam cogit, densatque, verùm duntaxat partes illas caseosas homogeneas, & præstantiores, ceteras vti excrementa relinquit, puta serum, & quæ recosta vulgo nuncupatur; Ita prorsus virile semen, quod coaguli ad instar est, dum menstruum sanguinem init ad Generationem, partes benigniores, ac vndique præstantiores in vnum & cogit, & vnit; quæ verò sontica, ac penè vitiosa commiscetur sanguinis portio dimittitur, atqi reijcitur. Didici hoc ab Aristotele, qui 2. de Generatione animalium capite 4. Satis congruè similitudinem hanc affert; ait enim: *Cùm autem excrementum fœminæ in vtero constiterit & maris genitura, quæ simile facit vt lactis coagulum. Coagulum enim lac est continens calorem vitalem, qui partes similes ducit eodem, & vnit, atque constituit; & genitura ita se habet ad menstruorum naturam, eadem enim natura lactis, & menstruorum est, itaque coactis iam partibus &c.* A signo id confirmari posset, nam non aliunde putandum est, grauidarum mulierum symptomata illa statim prouenire malaciæ, vomitus, inappetentiæ, & similium, nisi ex recrementis illis sanguinis deterioribus superstitibus in vtero, quę vnà cum fœtu retinentur, ob vteri ipsius oris occlusionem. Et hęc demenstruorum qualitate satis.

CAPVT. VII.

Cur Luna decrescente potius menstruæ purgationes recurrant, vbi de periodica earundem excretionis causa referunturaliqua.

LVNA decrescente prodire menstrua Gynæcium ostendit; & præter muliebre periculum edixere autores centum, atque in primis Aristoteles 7. de historia Animal. capite secundo vbi sic legitur. *Profluuium autem mentium decrescente Luna contingit; quamobrem nonnulli cauillo sexum fœmineum Lunæ tribuunt, quoniam simul vt illa decrescat, & mulier purgetur, moxque repleantur ambæ eueniat.* An ex hoc Careni populi, vt est apud Spartianum, Lunum non Lunam dicebant, atque insuper dignum qui vxori subijceretur nirum existimabant, quicunque Lunam fœmineo genere uocitabat? ideo fortè Aristophanes Venerem non ἀρρενόπρωτον fœminino genere, sed masculino ἀρρενόπρωτον, appellanit, quasi numina efficere fœminas absurdum foret. Huius autem eucutus reddit ipse Aristoteles rationem dicens, Luna decrescente animalium corpora frigidior a, atque humidiora esse, ideoqne fieri huiusmodi fluxum. Atqui parum ualida uideri potest hæc ratio ut sonat, siquidem in primis in uiris quoque fluxum aliquem fieri necesse esset, quorum corpora iendidem frigidiora, & humidiora existunt aspectu Lunæ, quæ non magis mulieres, quàm uiros respicit; atqui hoc absurdum est.

Quamobrem dicendum ex meo marte cęseo. Corpora animalium decrescente Luna esse frigidiora, & humidiora ad cutem; & partes extimas, intus verò, & ad viscera calidiora; nam plenilunium suo calore excitat ad superficiem humiditatem, ac caliditatem; dum verò Lunæ decrescit contrarium accidit, nimirum sanguinem, & calorem affinem penitiores repetere partes; Modò in mulieribus, in quibus naturaliter sanguinis copia reperitur, atque magis in profundo, quàm in superficie excurrit, retruso insuper a Luna, fit vt menstrua proficiscantur: nec dicat aliquis, vt supra ipse dicebam, cur similiter viris idem non contingit? Quandoquidem viri non superfluo scatent sanguine, belle enim coquunt, solidarumque partium calore dissipant; nec apud eosdem perreptat idem ad intima magis; Quòd in plenilunio calor, & humor ad superficiem prolectetur, patet in primis experientia, siquidem viuentia quęlibet, & maxime vegetabilia extuberant eo tempore, ideoque etiam Galenus corpora in plenilunio dicebat augeri, & pinguescere; quin in Problematibus addebat Aristoteles, carnes plenilunio expositas ocyus putrescere, superflua nimirum extuberante humiditate. Id etiam patet in ostreaceis, qua Luna decrescente emaciantur, ad auxin verò tendente implentur. Roborat meam hanc opinionem Auerroes 2. de Generati animal. capite quarto, vbi asserit, magna luminaria coniunctionis tempore, & oppositionis diuersa inter se esse, quia quo tempore coeunt, tempus frigidius redditur, ideoque hyemi assimilari; quo verò tempore opponuntur, calidum præstari tempus, æstatique proinde assimilari. Iam, quæso, hyeme non ne calor intus per antiparistasin magis viget, licet extrema frigeant, & rigeant sæpe? vtique; inde noster Hippocrates in aphorismis, ventres, dicebat, hyeme calidissimos esse, ideoque plurimo cibo indigere. Sic ergo in coniunctione Lunæ frigidiora, & humidiora sunt animalium extrema, sed intima calore feruitant; & hæc est illius loci Aristotelis germana expositio.

At quo modo inquit Aristoteles, corpora luna decrescente humidiora esse, si in plenilunio manifestè deprehenditur humiditas vniuersum corpus diffundere? Porrò duplex humiditas radicalis vna, & primigenia; excrementitia altera; hæc in plenilunio supereat, illa in coniunctione, ac declinatione; & ideo humidiora corpora deficiente luminare dici possunt, quatenus depurata ab humiditatum colluuie suo fruuntur humoreinsito. Quid si dicamus proprietate que-

dam deficiente Luna sanguinem illum irritare naturam ad expulsionem, eo prorsus modo, quo bilis in febribus alternis diebus, pituita quotidie, melancholia quarto quoque die mouentur. Id videtur subobscurè insinuasse Hippocrates libro de septimestri partu iis verbis: *In mensibus eadem etiam, quæ in diebus fiuta rectaque ratione fiunt: singulis enim mensibus mulieribus suus menstruus prodeunt, quasi peculiarem sibi corporibus mensis habeat.* Verum quidem est, aliquas mulieres, vti iuuenes & teruidiores catharsim sustinere crescentis Lunæ quadra, vnde versus.

Luna vetus veteres, iuuenes nouus Luna repurgat.

Cuius euentus ratio est, quòd iuuenes quæ cumulatissimo, & feruidiore secernt sanguine, ad istum fluxum facilè oriente, vel ad auxin tendente Luna concitari possunt. At vetulæ, quibus venæ denfiores, & sanguinis frigidior, opus habent lunaribus radijs vsque ad plenum orbem effusis ad hoc, vt valeat is circa finem mensis ad vteri venas irrumpere.

Sed ex verbis Aristotelis non leuis exoritur difficultas; nam 7. de histor. Animalium capite 2. scribit, haud quaquam mulieribus singulo mense menstrua fieri, sed vt plurimum alternis mensibus, quod a quotidiana experientia remotissimum est: verba Aristotelis hæc sunt: *Paucis menstrua singulis mensibus mouentur sed vllo intermisso plurimis.* Porrò textus hic tulit multis occasionem dicendi, illum deprauatum esse; alij vt aliquo modo explicarent, somnia sibi finxerunt. Quid ergo dicendum? Illud prorsus, quod Mercurialis longè latèque doctus de morbis mulierum libro 4. scribit; ni mirum Gazæ negligentia deprauatum esse, ac mancum contextum illum; omisit enim bonus ille vir dictionem vnam, quæ est συνεχῶς, quæ vox sonat aceruatim; vt ideo sensus Aristotelis fuerit, paucis mulieribus singulo mense affatim, & aceruatim menstrua fieri, sed bene alternis mensibus, cuius spatio temporis maiorem sanguinis copiam congerere potest natura, quæ exuberantem singulo mense humorem nequit submini strare. Textus deprauationem eruditissimus ipse Mercurialis deprehendit fortasse ex verbis Plinij libro 4. capite 15. vbi in suum vsum Aristotelis verba transferens dicebat, cunctas mulieres tricenis diebus purgari, sed largius tertio quoque mense.

At cur insuper Philosophus citato 7. de historia Animal. scribit, menstrua nullo certo tempore currere? quoniam vt annotarunt Aetius, & Auicenna, licet Luna decrescente is fluxus efficiatur, nihilominus inter vnam, & aliam purgationē alijs intercedūt dies viginti duo, alijs viginti, alijs viginti septē, alijsque viginti quatuor, vt stata temporis periodo raris recurrat menstrualis repurgatio. Huius autem varietatis causa est act, temperamentum, motus, quies, cibus, aliaque vitæ accidentia, omnis namque inordinationis, teste Auerroe, causa reduci debet ad variam humorum aggregationem, quæ vario victu, & Cœlo contingit. Quare calidiores mulieres vlcitantes cibis calidis, ac tenuibus, corpora mouentes quotidie, cœlo fruentes puro, sæpius coeuntes, oppidò citius repurgantur; contrarium accidit iis, quæ crasso vruntur victu, ac cœlo, vitamque sedentariam traducunt; ac potissimum à Veneris tripudio alienam; nam secessus fluxionem repetunt. Cæterum Andreas Laurentius 8. de historia anatomica menstruorum periodicæ excretionis causam non ad Lunæ motum, sed ad certas naturæ leges, motionesque nobis incognitas referendam putauit. Quapropter rationem quærens, cur singulis diebus hoc sanguinis excrementum in mulieribus non secernatur, veluti cætera excrementa, quæ singulis diebus expurgantur, id naturæ prouidentiæ, de generatione admodum sollicitæ duntaxat ascribit; quandoquidem si quotidie mulier hoc difflueret sanguine, minus a viro eius expetiretur amplexus, & seminis nis à sanguine illo acciderentur, unde pessimum iret conceptio. Perlege virum elegantem.

CAPVT VIII.

Quænam esse debeat menstruorum mensura.

EX temperamento, victu, aere, & motu vario, quibus mulieres detinentur, accidit, ut superiori capite dicebamus, menstrualis cursus varietas. Item ex isdem rationibus contingit, vt aliæ uno tantum die, aliæ duobus ac tribus diebus, aliæ quinque, & septem etiam repurgentur; ut proinde illæ sanguinis plurimum effundere dicendæ sint, quæ pluribus diebus fluxionem sustinent; licet contingere possit, ut vicissim beneficio mulier aliqua uno, aut altero die sic ἀπαξ repurgetur, ut sanguinis maiorem euomat copiam, quam quæ subsistillum septem diebus præ nenarum angustia demisit; ideoque Aristoteles citato 7. de histor. Animalium aiebat: *Alijs namque vniuersim hæc purgatio fit, alijs paulatim.* Verum quidem illud est, sanam mulierem spatio trium dierum fluxum suum absoluere; quod Hippocrates primo de morbis mulieribus, vel alius auctor significauit iis verbis: *Moderati verò sunt menses prodeuntes in omni muliere, si sana sit, vt duarum Heminarum Atticarum mensuram feerdant, aut paulò plures, aut pauciores; atque hoc ad dubi, aut tres dies.* Id nec præterijt Aristoteles nuncupato.

apto loco ubi ait : *Facilius agitur cum ijs, quibus breui tempore hoc est biduo, aut triduo profluunt, sed quibus longum protrahitur, difficilius.* Hemina vero continet mensuram circiter nouem vnciarum, vt probat Andreas Alciatus libel. de Ponderibus, & mensuris ex Paulo Ægineta, Suida, & Nicandri interprete; Attica videlicet, siquidem Romana capit sex vncias tantum ; ita vt sanguis libram vnam cum dimidio ad summum æquare debeat: & hoc fortè consilio Paulus in suppressis mensibus præscribebat mensuram duarum librarum cum dimidio ; cùm enim stagnantibus menstruis non statim sanguis educatur, sed secundi etiam mensis periodus expectari soleat, iccirco quantitas illa emitti debet, quæ duorum mensium fluxioni æquiualeat. Poterit autem huiusmodi pondus vel superari, vel minui iuxta temperamenti, & victus diuersitatem, vt supra dicebamus.

Atqui morbosè apud ægram mulierem interdum ad eam quantitatem menses erumpunt, vt aliquando viginti quinque librarum excedant pondus, quod omnem fidem superare videtur. Adde ex Aristotele, etiam in sana muliere bis, aut ter in mense fluxum hunc excitari posse ob coitus desiderium, cuius causa & vteri descendant, & quæ intus turgent venæ, ore hinc sanguinem sæpius euomant. Iuuat Philosophi registrare verba: *Multis etiam desiderio coitus, quo vel iuuenilis ætatis ratione, vel quia longo tempore abstinuerint, tenentur, descendunt vteri & menstrua sæpe ter in mense citantur, donec concipiant. &c.*

A

B

C

CAPVT IX.

Qualis esse debeat sanguis menstruus, & quomodo eiusdem vitia deprehendantur.

NON omnis ad conceptionem sanguis menstruus idoneus est, sed qui solum à natura benignitate non descíuerit, quique extraneæ omnis expers sit qualitatis. Ideo Polybus primo illo de morbis muliebribus aiebat. *Procedit autem sanguis velut à victima, & cito congelatur.* Iam sanguis victimæ rubens, & floridus est, consistens, & minus dilutus, ideoque statim, & ille congelascit, congelatio autem indicat, sanguinem fibris multis esse redimitum, atque adeo concoctum; sanioſus enim humidior est, crudus, & nihil fibrosus, quod libro de semine pluribus disputatum est à nobis. Cæterùm sanguinis eiusdem vitia deprehenduntur ex coloribus, vbi sanguine ipso infecti panniculi resiccati fuerint; nam bilioſi flauum, pituitoſi subalbidum, melancholici subnigrum præferunt colorem quod in arena etiam explorari solet. Insuper ex Hippocrate 2. Prorreticorum sanguis menstruus ille secundum naturam est, qui singulis fluit mensibus in modesta copia, quique colorem obtinet naturalem, sine dolore, sine symptomate, & tertia die resistit. Id autem non ita intelligas velim, vt fluxus ille citari debeat absque vlla omnino corporis molestia; id enim est ferè impossibile, sed quod fiat cum tolerantia, & sine magnis illis symptomatibus, quæ interdum adiungi solent, vti strangulatio, dolores acerbissimi capitis, dorsi, ac ventris, febres, & similia, alioquin dicebat Aristoteles 7 de historia Animal. capite 2. *Attamen omnibus corpus grauatur, quandiu effluat humor.* Si quæras vnde nam proueniant interdum dolores, & sæua symptomata, dicam euenire ab obstructis meatibus, qui sanguini denegantes liberum exitum, illum regurgitare aliò faciunt, vel dum is exilire conatur, impetum facit, vim infert, ac facultatem irritat: mala etiam eiusdem qualitas atrocia solet inuere pathemata, & vel solo halitu caput, aliaque viscera impetere.

D

CAPVT X.

De stagnantibus mensibus, siue alia menstrui sanguinis eclipsi, vti Generationi incommoda.

CVM sit sanguis menstruus Generationis humanæ intrinsecum elementum, non mirum ideo si eo deficiente mulier statim sterilis euadat, atque spes Generationis frustretur. Proinde hic huiusmodi defectus venit obuiam, non vt mulieris passio solum valetudinem eius prosternens; sed primariò vti conceptionis impedimentum; etenim frustra laborat opifex, si illi materia, vbi suam exerat actionem, deficiat, incassum iaculatur semen in vterum, si circumfluo sanguine vndique is non madeat, sed exuccus rigeat, & squallidus areat. At vnde sanguinei humoris eclipsis proueniat, inquiramus. Auenzoar huius defectus internas causas reicit in sanguinis ipsius nisciditatem, nec non in facultatis imbecillitatem. Crassities, & sanguinis uisciditas inepta est fluxioni, nam tenuis, & fusus humor esse debet, quò facile queat excurrere; Rursus dum facultas præ imbecillitate nequit extrudere humores, hi restibiles fiant in corpore, necesse est. Siquidem ad omnem spontaneam excrementi vtilis uel inutilis emissionem destinauit natura facultatem expultricem, quæ si præ uitio aliquo segnis euadat, retineri in corpore uel in totum, uel in parte excremen-

ta necessarium est. Interdum exuperantia sanguinis sibi ipsi exitum præpedit, sed adhuc ille sanguis, qui non mouetur cathartopos, idest per venas vterinas à natura destinatas, defectit aliquando in supernam hæmorrhagiam, vomitum, pryelum sanguinolentum; vel infernè deriuat in mariscas, vesicam, & similes ductus.

Verùm plures adhuc existunt causæ suppressi menstrui auctore Galeno præsertim 5. Aphorismorum 28. & 6. de locis affectis 5. Et in primis est instrumenti nempe vteri intemperies frigida, calida, ficca. Quomodo calida intemperies menses supprimat, superuacaneum foret multis prosequi; Docet docte satis Auicennas, & hinc inde rationes examinat facundissimus Mercurialis 4. de morbis mulieb ribus. Dixisse sufficiat, vteri præcalidam intemperiem tenuiorem sanguinis portionem exugere, atque exiccare; remanente autem solummodo terrestriorem, quæ suo ichore, & acri humiditate spoliata nequit exturrere. Quare licet vterus qua pollet caliditate alliciat, trahatque sanguinem, hunc tamen absorbet, consumit, ac dissipat facilè; frigida verò intemperies catharsin inhibet, quia frigiditatis est condensare, atqi constringere, ideoque tali intemperie conniuent venæ, nec tlato tempore superfluum vomunt sanguinem. Tandem ficca discrasia ideo intercipit fluxum, quia sanguinem exhaurit, & arefacit. Si addamus postremo vasorum stegnosin, siue angustiam, nihil ad plenam causarum enumerationem deerit. Namque accidit interdum, vt sanguis nec viscidus, neç crassus existat, vt facultas vigeat, & vt nulla apud vterum intemperies polleat, & nihilominus sanguis menstruus retinetur ob venarum stenochoriam vel emphraxin, quæ non finit sanguinem decurrere eo modo, quo fontis infarcti meatus prohibent ascensum aquæ. Ad hanc insuper malam conformationem, & angustiam pertinent pinguedo vteri, & vasorum, quæ valide coarctat, & compingit: Tumor, & apostema, quæ vasa & comprimunt, & coangustant: clausura meatuum à membrana, vel carne facta: cicatrix aliqua post matricis vlcera: colli vteri inuersio: totius vteri substantiæ condensatio: abortus tandem post quem adeo venæ coalescunt interdum, vt nequeant reserari postea.

Externæ causæ menstruorum suppressionem efficere possunt, vt in primis casus, quo sæpe mulieris vterus vel distorquetur penes collum vel inuertitur, vt vix deinde remeet cursus. Aqua largius epota reste Auicenna menses continet; sic pariter cibi crassi, uiscidi, atque exiccantes; Aer lacunosus aliquo modo à benignitate excedens, vnde Hippoc. de Aere, aquis, & locis Scyticis mulieribus menstrua aut nihil aut malè profluere scribit; immodica exercitatio, timor, mœrores, & similia.

Age modo auxilia proponamus, quæ huiusce sanguinis auferunt stegnosim. Vnum præcipuè omnium magis præsentaneum credas esse sanguinis missionem, vel sæpius repetitam per saphenam; nam nisi malleoli incisione reuocetur, aut concitetur huiusmodi effluxio, difficile erit, ac fermè impossibile, vt alijs pharmacis promoueatur. Est apud auctores controuersia, an in menstruorum silentio liceat hauriri sanguis e basilica; contendunt multi, vt sectatores Aetij, qui ex Rufo commendat phlebotomiam à cubito. Galenus e contrario detrectat, vultque in omni mensium suppressione de talo vel poplite mittendum esse sanguinem, quin libro de curatione per sanguinis missionem apertis fidibus astruit, sectam venam in cubito hoc habere mali, vt supprimat menses. Quid in hoc dissidio statuendum? vtique Galeno astipulari debemus, & in omni suppressione non aliunde, quàm de venis inferioribus haurire sanguinem fas erit.

Cæterùm deueniendù ad corporis catholicam purgationem, quæ in primis ex bolo cum hiera celebrari poterit, nam sicuti aloes proprietate sua venas aperit hæmorrhoidales, ita hiera, cuius aloes ipsa est basis, vterinas reserat. Apparandi postmodum humores iuxta peccatum illorum, ac tandem electiuè purgans medicamentum vna cum hiera ipsa propinandum erit. Apozemata menses proficientia penè sunt infinita, suntque iudiciosè petenda e sylua amplissima simplicium medicamentorum, de quibus Galenus, Dioscorides, & alij scripsere plenissimè, nec est vt laborem in registrando. Post sæpius repetitas purgationes chalybis vsus mirificus est; nec extimendum generosem pharmacum, siquidem apud delicatiores, & molliores vti poterimus eiusdem vel extinctione, vel extracto, quod sæpissimè cum fœlici progressu sum expertus. Semper tamen admiscenda quæ exproprietate respiciunt vterum, vt trochischi de mirrha, castoreum, dictamum, cinnamomum; si cui magis placeat vinum chalybeatum ex descriptione Fallopij poterit ad votum adhibere. Neque interim chalybis vsus in suppressione qui etiam in immoderato menstruorum effluuio commendatur, ambiguus aut irrationabilis videridebet; quandoquidem contrarijs e diametro morbis idem specie pharmacum nequaquam opitulari valeat. Nam scire operæpretium erit ex Hermetica pragmatia, chalybem seu ferrum, cuius stomoma pars purior existit duplici constare elemento, siue principio, patre videlicet sulphure, & matre Mercurio: ratione autem sulphuris exiccare, liquare, calefacere, absumere, deobstruere; Mercurij contra beneficio frigiditatis cuiusdam esse consortem, & hac vnà cum terrestri substantia infrigidare

dare, densare, & quosuis per compescere fluxus. Dicunt præterea nonnulli hæc eadem duo principia sulphur, & Mercurium duplici modo inesse chalybi, vno quidem intime, & adæquate mixta, qua ratione medullitus inhærent; alio verò interminate, & crude, & sic superficie tenus misceri. Inde modo fieri aiunt, vt chalybis primæ extinctiones debeant vtinutiles reiici, eo quia excrementitium sulphur, mercuriumque imprimant. Adduntque insuper stomoma nimis tritutarum, eo quod vis eius intima sulphurea, & mercurialis excitetur, fluxionibus nihilesse presentaneum, crasso verò modo, & ruditer læuigatum apprimè confertæ: Contra in suppressis mensibus subtilissimè lauatum plurimum opitulari, crassiusculum non parum obesse. Sunt qui veluti pro arcano habent pilulas e succo mercuriali, & mesle despumato ad partes æquales cum triplo nigellæ romanæ pulueriza tæ, & lento igne incrassatas. Huius compositionis drachmam vnam vel dimidiam assumendam præcipiunt vespere, hora somni per tres vices instante menstruorum periodo. Nec minoris energiæ sunt quæ describuntur a Montagnana hac formula. ℞. trochis. de mirrha drach. 1. ſ. seminum petroselini, castorei, & corticis cassiæ an. scrup. 1. mo schi gran. 10. cum succo apij formentur pillulæ duodecim, quarum cum aqua graminis singula vicè quæ erunt vorandæ. Rursus fermentum vetus ad pondus auellanæ cum saccharo in forma boli practici plerique commendant. Paracelsus, vt aliquid in Hermeticorum gratiam addatur, commendat in libro misteriorum extractum splenis bouis, quod ita paratur. ℞. splenem vaccæ castratæ, scindatur in tenues laminas, macceretur per aliquot dies in spiritu vini cum mirrha essentificata postea exiccetur in aere, & mox cum spiritu vini inde essentiam extrahat, de qua in conuenienti aliqua aqua scripturus vnus exhibetur dum tempus fluoris instat, & ad iucunditatem addantur olei Angelicæ aliquę guttulæ. Vi pollent eadem sal arthemisiæ, sal meliſſæ, sal chelidonij, qui qua ratione parentur disce ab Euonymo.

Aquæ thermales non parum proficuæ comprobantur purgato corpore, & iuxta mulieris temperamentum, aut morbi causam vel Tettuccianæ, vel S. Casciani sunt eligendæ. Nec interim spernendi erunt suffitus aromatum, prosthemata, seu pessorij varij, quorum descriptiones plurimas petat, qui vult a Ludouico Mercato, Hieronymo Mercuriali, & Ioanne Varandeo, aliisque ex recentioribus. Omnium efficacissimi sunt, qui ex hierapicra, trochiscis de mirra, puluere colocinthidos, agarico, castoreo bombace excepto vsurpantur. Tandem instrumenti vitia, si hæc sint præpeditæ catharseos causa, auferenda, & in proprium, & congenitum statum, & situm vterus reducendus, quibus omnibus executioni mandatis facilè sanguinis menstrui excursus reuocabitur, & per consequens filiorum conceptio.

CAPVT XI.

An, & qua ratione mulier menstruis carens vtero concipere aliquando valeat ex Aristotele, & propria opinione.

SI sanguis menstruus Generationis est proximum elementum, fieri nulla ratione potest, vt mulier, cuius non madefecit menstruali sanguine vterus, concipiat, quod experimento probari palam videmus, quandoquidem steriles existunt, quotquot menstruis carent mulieres. Verum 7. de histor. animal. capite 2. contrarium sentit Aristoteles arbitratus conceptionem vel citra menses effici posse: hæc sunt auctoris verba: *Verum fieri potest, vt aliquæ etiam sine earum profluuio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum ipsi, qua purgantur, restare solet: quamquam non tanta copia, vt & foras possint profluere.* Id nimirum luculenter in puerperis comprobamus, quæ sæpe antequam repurgentur iterum concipiunt; argumento, quod sanguinis tantum ad earum vteros delapsum fuerit, quantum post purgationem remanere cœteris consueuit. Et id suadere potest, quod de Amazonis, atque Americanis mulieribus scripto tradunt, illas nimirum ob negocia, equitationem, atque militares assiduos labores, has verò ob regionis caliditatem exurentem menstruis purgamentis destitui, quippe in vtrisque tum a violento motu, tum a Cœlo æstuante absumuntur, ita tamen vt æqua portio intus maneat, cuius gratia vti cæteræ mulieres vtero in dies concipiunt. Ita pari modo rusticanas nonnullas videre est mulieres, quę campestriæ diuturnis laboribus adeo copiam accipiunt sanguinis, vt valde modicis diffluant mensibus, ac nihilominus bellè concipiunt; sed illud quidem verum est, has potius apparentibus, quàm deficientibus mensibus fœtas reddi, in fine enim purgationis vsque adeo sanguinis modicum superest, vt nutriendo semini satis non sit.

Iam ex his colligat quisque, haud ita admiratione dignas censendas esse historias Petri Toleti in libro de morbis puerorum capite primo Brasauolæ 5. Aphorism. comm. 36. Rhondoletij in methodo curandi morbos, ac Victorij Trincauellij in Praxi, qui omnes quarundam mulierum conceptionem referunt, quibus nullæ menstruæ purgationes ibant: quo enim pacto id cõtin-

de primigenia verba facere; quod quidem suaderi posset ex eo, quod auctor de illo calore ibi loqui debeat, qui mulierbrium affectionum, de quibus agit, parens, & auctor esse soleat; at is non insitus, sed aduentitius est. Vel si mauis cum Rondeletio senties, mulierem κατὰ in partibus nimirum infernis, atque vtero maximè calidiorem viro re ipsa existere, ex eo profectò, quod cùm inibi Generatio iugiter celebrari deberet, operæpretium erat, vt eò calor, & spiritus generationis opifices opulenter conuenirent. Verùm hæc plenius in mea Isagoge medica exarantur. Ad aram redeamus.

Aristoteles, & ante eum Hippocrates menstrui sanguinis generationem in mulierum reiciunt frigidiorem temperaturam, ob quam cùm nequeant vniuersum conficere, & assimilare alimentum; quod superest, natura ad vteri venas iugiter demandat, quò postrema ipsarum venarum orificia eo consilio desinunt, vt Aphrodisæus 2. Problem. testatur; qui pariter problemate centesimo septimo quærens, cur mulieribus menstrua colligantur, sic respondet. *Quoniam per vitam, quam otiosiorem degunt, amplius materia superuacua redundat.* Sed Philosophorum principem audiamus in 2. de Gener. animal. cap. 4. vbi sic: *Fœmina venis duabus maiori, atque aorta fixis, superne venarum multitudo tenuium in vterum desinit, quibus alimento expletis, naturaque præ sui frigiditate facultatis concoquendi indiga tran-sfunditur in vterum propter venarum tenuitatem; cum-præ sua angustia nequeant exuperantiam continere.* Dum ergo huius redundantiæ magna ad vteri facta est affluxio, natura polyœmia in primis irritata ad expulsionem insurgit. Sic Aristoteles 4. etiam de generatione animalium mulieris impotentiæ, ac frigiditati acceptum refert menstruum fluxum, dum inquit: *ob frigiditatem enim, & impotentiam fœmina sanguine abundat quibusdam sui corporis locis.* Id quod Galenus 14. de vsu partium luculentiori sermone exponit, inquiens: *frigidiorem eam-eousque fieri satius fuit, quoad alimentum-quod concesset, ac confecisset, totum discutere-non posset; quod enim est frigidius, nec concoquere quidem potest; quod verò plenè est calidum-vt concoquere, ita discutere valide potest.*

Verùm aduersus hanc Aristotelis, & Galeni, thesim fortè argues, mulieres nisi totum alimentum concoquerent, conficerentque, nec nutrirent particularum nutriendarum substantiam conuerterent; haud ita succulentæ forent, ac magis quàm pinues ipsi pingues, & obesæ, sed his graciliores apparerent; argumento quod vniuersum alimentum bellè confecissent, & titè commutant, absque quo copiosum adeò superfit excrementum. Obiectioni satisfiet, si dicatur, mulieres præ debili qua sunt natiua caliditate prædictæ, vitaque sedentaria vltimi carnosarum partium alimenti tantum perficere, quanto opus habent, illudque in pinguedinem facilè conuertere ob eam, qua circumfluunt adiposa humiditate, cui fauet calor earundem segnis. Vtrinamque, vt plurimum audaci calore fetuidi alimentum abundè dissipant; & è corpore magis perspirabili-fusius effiant. His adde, quòd hi perpetuò agitantur motu, negocijs exercentur, perennique corporis, atque animi concitantur errore. Ignis quò maior, eò maiori indiget pabulo; non ergo in viris potest & carni, & pinguedini sufficere alimentum. Quod si aliquibus ob ingluuiem, atque crapulam diuturnam incocti sanguinis copia æque, ac mulieribus congeratur, natura prouida, si robore valeat, illorum incolumitati prospiciens, hæmorrhagiam aliquam periodicè promouet, quare vel per hæmorrhoidales venas, vel per duplus vreteres, vel per nasi meatus, aut etiam per os ipsius sanguinis vbertatem auferre, vel minuere conatur; vt ideo ætate hac nostra, qua vbique gulæ indulgetur, non paucos sit inuenire, qui hæmorrhoidali, aut alio cruento fluxu fœdantur.

Sed iam in quem finem natura in fœmineo sexu menstruum fluxum ordinarit, inuestigemus, cùm, vt inquit primo de partibus animalium, Aristoteles: *Naturæ iuncium illud præcipui est, vt nihil temerè, vtcoque fortuita committatur, sed aliquo sui gratia omnia agantur.* Profectò 2. de generatione animalium cap. 4. idem Philosophorum dynasta ferserat, menstrua generationis causa instituta fuisse. *Sed*, inquit ille, *melioris cuiusque finisque gratia natura eo abutitur inuenit docuitque scilicet generationis causa, vt quale erat futurum, tale alterum oriatur.* Atqui verbum illud *abutitur* non æquè fero, nisi fortè Paraphrastis errore ita traducatur è Græco, siquidem dum illo in generatione vtitur natura, meliorem, quàm possit habere, vsum obtinet, neque rei cuiuspiam abusio dici potest, dum in præstantiorem conuertitur vsum; nihil verò in toto naturæ Theatro quicquam generatione præclarius inueniturs. Cæterum Galenus tum in libro de semine, cùm 14. de vsu partium decernit, menstruum purgationem fieri non propter necessitatem duntaxat, quòd videlicet mulier præ frigidiori temperie superfluum alimenti congerat, sed etiã propter duos præstantissimos fines, quorum alter est, vt fiat concepti, alter vt concepta proles & in vtero, & extra vterum alatur. Neque est, cur nonnullos hos fines improbet, ac detrectet, ex eo quod nequeat fœtus impuro, noxio, ac sordico ali, & constitui sanguine, qualis menstrualis, siquidem nõ multo infrà euidentissimis rationibus ostendam, eiusmodi sanguinem nullam potè virtutem redolere, sed eiusdem naturæ esse cum illo, quo mulierbre corpus

Digitized by Google

pus alitur. Ambo autem hi fines vel ex eo percrebescunt, quòd facta conceptione mulier non amplius menstruo rore madescit, vtero conniuente; quodque edita prole per longum temporis spatium sanguis ad vterum nequaquam resluit.

A

CAPVT III.

Per diapedesim, an per anastomosin sanguis menstruus effluat.

PER διαπήδησιν, siue resudationem menstruum florem erumpere, asseuerat Philosophus libro 2. de Generat. animal. cap. 4. Verùm isthæc opinio haud consistere posse videtur; quandoquidem tanta sanguinis moles per resudationem nequiquam exilire tam breui spatio valeret, atque adeo longius vtique spatium, quàm trium aut quinque dierum ad excundum poscereț; eò magis quod sanguis ille crassus, ac fæculentus existit; nam fœminis, Philosopho dictante libro de historia animal. sanguis nigrior, & crassior inest, qua igitur ratione per διαφόρησιν emanabit, per quam non nisi tenuior, serosior, & vndique ichorosus exudare consueuit? Quamobrem rationi magis consonum dixeris, si per ἀναστόμωσιν, hoc est venarum reserationem in vteri cauitatem sanguinem menstruum effundi asseras, & inde prolabi foras. Nempè id facilè vnicuique persuadet sanguinis ipsius allunies, & quasi inundatio, quæ in aliquibus mulieribus, ac præcipuè polycmis affatim contingit.

B

C

Verum instabit aliquis: si per anastomosin excurreret sanguis, haudquaquam tandiu produceretur fluxus, sed breui horarum spatio absolueretur. At per diaphoresin excurrere argumentum est sanguinis eius subtilium, quod ad quatuor, aut quinque dies, atque etiam non rarò ad septem perseuerat. Respondeas tamen, iccirco eorum illicò non explodi, etiam si venarum aperta sint oscula, quod non valde patula ex sui natura sint vterina vasa, ideoque paulatim exinanitis paulatim etiam nouus desuper affluat sanguis, donec eius congrua mensura fuerit reiecta. Neque rursus omnes insimul venæ hiant, sed modò vna, modò altera suam deponit onerosam sarcinam. His adde, quod cùm in vteri ipsius cauitatem prius eructari sanies debeat, inibi paulò immoratur, atque mox stillatim erumpit; ideoque non ἀθρόως, sed subsultim emicat. Id conspicuò in quibusdam sanguinis mulieribus innotescit, quę sanguinis rhombos emittunt, eo in vtero grumescente, ob aliquam moram; quod tantò facilius accidere potest, quantò vteri substantia frigidiuscula ex innata, vel ascititia temperie inuenitur. Illud quidem nequicquam iturus ero inficias, nimirum in virginibus, quę per ceruicis vteri venas repurgantur, id minus contingere; ideoque in his tenuior, fluidior, ac nihil concretus destillat sanguis.

D

CAPVT IV.

An cuiusque generis animalium fœminæ menstruum sanguinem obtineant, & quanam largius inter mulieres.

OMNISCIVS ille Aristoteles, qui nihil ad animalium naturam spectans reliquit intactum (habebat enim bis mille indagatores ab Alexandro præstitos, qui orbem vniuersum peragrantes animalium proprietatibus adamussim obseruandis operam sedulò nauarent) menstruas purgationes non in omnibus fœminini generis animalibus fieri scribit, sed duntaxat in ijs, quæ sunt sanguine prædita, quęque viuum pariunt animal. *In hoc enim vno*, inquit ille, primo de Generatione Animalium cap. 19. *menstrua profluunt, & omnium apertissime in muliere, plurimum namque menstrui excrementi mulier emittit, ex quo fit, vt euidentissimè pallea, & obscuriores habeat venas.* Inter viuipara verò primum locum obtinet mulier, quæ omnium maximè sanguine circumfluit menstruo; inde Philosophus sexto de historia animalium capite decimooctauo ait. *Purgatio menstruorum fit quidem & cæteris, sed nulli æquè, ac mulieri.* In secundo ordine est vacca, mox equa, & canis, tertio ouis, & capra. Si cui placeat Aristotelis frui contextu, hic est 6. de hist. animal. c. 6. *Oues, & capræ tempore coeundi indicantur, quod idem post coitum etiam sit ad tempus, mox desistit, donec parturiant: tum denuo indicatur: quare pastores proximum esse partum intelligunt. A partu autem purgatio sequitur abundè, primum leuiter cruenta, post modum valde. Vaccæ, asinæ, æquæ modo quidem ampliore quam supradictis emittitur, &c.*

Sed amabo cur mulieres omnium fœminarum magis menstrua colluuie diffunduntur? Potissima causa est, quod brutis id genus excrementi degenerat, abitque in pilos, cornua, crassiores vrinas, & similia; sic 7. de historia animalium capite 2. habet idem Philosophus, *atque etiam*, inquit, *alijs in corticem, alijs in squammam, alijs in frequentiam pennarum absumitur. Terrestribus quoque animal parientibus in pi-*

bos, & corpulentiam transit, homo enim leuior
cæteris est, atque etiam in vrinam diuertitur,
quod postremum in mulabus fit palàm, quando
præ crassissima, & fæculenta vrina ijs menstrua
silent omnino. Huic rationi addas, mulierem
vitam viuere sedentariam, multo, ac vario vti
nutricatu, ac delitiosè degere; Bruta econtra
simplici victu, ac pauco sese inuitare, necnon
humi iacere, cuique cœli exposita iniuriæ, ac
nunquam quiescere; non ergo in eis congeri po-
test vtilis excrementi copia: præterquam quod
ex naturali tẽperamento mulieres etiam polyę-
mæ sunt longè omnium fœminarum maximè, si-
cuti & viri multi sunt seminis proportione cor-
poris, & polygoni habito respectu ad bruta.
Adde adhuc, bruta esse hydropota toto genere,
mulieres verò iugiter vino delectari, quod quan-
tum huiusce purgationi faueat, nihil est quod
probare contendam.

Ex his ergo colligas primò, neque pi-
sces, neque ouipara, nec omnino volucrum
genus menstruo fluore madescere, sed vnipa-
ra tantummodo, & inter hæc mulierem v-
beriùs: secundò, hunc ipsum effluxum apud
brutas pleràsque fœminas in vrinam crassam,
cornua, setas, & consimilia diuertere, ideoque,
non æquè, ac mulierem cruentari; cui tamen
etiam si fortè ante naturæ tempus deficiat pur-
gatio menstrua, abire etiam in pilos, & huius-
modi alia excrementa, vnde barbescere visę
sunt mulieres restagnantibus mensibus, vt inter
alias Phætusa apud Hippocratem celebris est.

Cæterùm inter mulieres illas vberiùs purgari
statuendum est, quæ graciliores, & magis san-
gineas complexiones sunt adeptæ; Post has
bilioſæ huiusmodi fluxum largiorem patiuntur;
siquidem præ sanguinis feruore, ac tenuitate &
venæ reserantur, & sanguis æstu concitatur, ac
turget, iuuante facultate quæ à sanguine ferui-
diori facto erethismo stimulatur ad expulsionẽ.
Postremæ omnium phlegmaticæ, ac melancholi-
cæ. Rursus quæ impensè laborant, parciùs re-
purgantur, quàm quæ parum exercentur:
excrementi enim plurimum illæ dissipant exer-
citio: quæ victitant crassioribus cibis minus.
Quæ sub Cœli regione frigidissima degunt, ma-
gis, quàm quæ sub clementiori; & ratio est,
quod stipatis corporis vniuersi meatibus, præ
frigore exhalationes in primis, & fuligines non
effluant; quare ex intercepta diapneustia, & fa-
cta metallasi, humores, & sanguis ad intima re
fundũtur: polyphagę & Oenopotæ magis quàm
hydropotę, frugiq. Quæ Veneris palæstræ cre-
briùs dant operam largiùs, quàm quæ rarius in-
illa exercentur, aut omnino cœlibem traducunt
vitam. Sic nuptæ magis, quàm viduæ, hę ma-
gis quàm virgines sanguineo irrorantur imbre.

CAPVT V.

Quonam tempore mulieribus menses appa-rere incipiant, quoue tandem desinant.

QVO tempore masculis puberi-
bus incipit emicare genitale se-
men, eodem apud adolescentu-
las menstrua apparere solent;
idque tempus est, peracto anno
bis septimo, si Aristoteli habenda fides est 7. de historia animalium capite 1. vbi
addit, puellabus menses tunc fieri, quando iam
vbera ad duos digitos prominent, voxque in-
grauiorem mutatur. Hic ipse admiror naturæ
prouidentiam, seu diuinam sagacitatem; siquidem cùm illa marem, fœminamque ad sobolem
propagandam in lucem ediderit, eorumq; vnus
opificium, altera materiam primariò præstet,
nempe semen ille, sanguinem hæc; vno, eodem-
que tempore & opificem, & subiectum elabo-
rat; alioquin si vnum altero prius prodiret, otio-
sum vndique foret, ac generationi parum profi-
cuum. Verùm non est in omnibus absolutè id
temporis determinatum, quando etiam in duo-
decimo anno repurgari interdum, licet raro puel
læ solent; aliæque vel ad octauum decimum, &
sæpè vlterius distrahunt menses; quod sanè in-
varium temperamentum reijciendum est: quæ
enim calidiores, alacrioresque, & vndique
sunt circumfluæ sanguine immaturiùs inficiun-
tur menstruis: quæ verò habitu frigidiori, melan-
cholico, seu phlegmatico torpescunt, multò se-
rius naturalem promunt effluxum. Sic præco-
ciùs erumpunt ijs, quę calidas regiones incolunt,
quæque calidiori vtuntur dieta, magisque exer-
centur. Ante duodecimum annum vix induci
possium, vt credam, posse naturam tantùm ali-
menti superfluì congerere, vt augmento sit sa-
tis, & menstruo profluuio; ideoque loco prodi-
gij recipio illud Sanonarolæ, affirmantis, exti-
tisse puellam, quæ nono ætatis anno menstrua
dederit, & vtero conceperit. Nec minus por-
tentosæ erunt existimandæ aliæ de mensibus im-
maturè nimis profluentibus historiæ, quarum
illa Alberti Magni in secundum Phyticorum ra-
rissima, & monstrosissima est, narrat enim puel-
lam in lucem prodiisse turgentibus mammis,
vt in adultis assolet, cum pubè ad inguina; ac
gynecomastige, necnon cum pilis sub axillis,
& quod magis est cum mensium periodico flu-
xu. Ioannes Skenchius ex Iacobi Suteri fide,
narrat, vxorem Vlrici cuiusdam Negelim Fri-
burgensis in Brisgoia puellam edidisse, cui sta-
tim absoluto quinto anno menstruæ purgatio-
nes

ues fluere cœperunt; quod idem de octeni puella narrat Fernelius lib. 6. Pathol. cap. 16. Quin Hercules quoque Saxonia Venetijs puellam, quinque annorum vidisse profitetur, quæ menstrua purgatione, modica tamen, singulis mensibus madescebat. Illud verum est, iuuenculas, quæ nimis immaturè hos flores recipiunt, præcocioris ætatis, ac breuioris vitæ existere, quasi natura ijs anteire tempore sit sollicita.

Cæterùm menstruę purgationes non vltrà quàm ad quinquagesimum annum proferuntur, in multis tamen non attingunt quadragesimum quintum. Hos terminos non transiliunt, quoniam ætate calor flaccidus residuum alimenti non in sanguinem, sed in pituitam conuertit; Adde quod expultrix facultas præ marcescente calore facta imbecillis nequit extrudere superfluites materias, sed potius intra corpus ad varias demandat particulas: vnde vetulæ valetudinariè semper degunt; nam vel capite dolent, vel tussi obstrepunt, vel ptyelo madent, vel tandem vndique fœtent. Illud insuper verum est, obęsis mulieribus ocyus deficere menses, quoniam copioso non scatent sanguine; gracilibus verò diutius protendi; hę namque vel teste Aristotele sanguineo rore affluentius madent, viasque obtinent patentiores, vnde facilis fluxui datur aditus.

Simili modo statuas, apud adolescentulas eodem ipso tempore, quo menstrua catharsis apparet, elaboratum quoque, & confectum recipi semen; Siquidem vbi natura sagax animadvertit, superesse in muliebri corpore alimenti eam portionem, quę sit satis incremento, & insuper semini; quod est adhuc superuacaneum incipit ad venas vteri delegare a vena caua per ramum iliacum in hypogastricas, quę per collum, & vniuersum eius corpus dispersę tandem apertis oscvlis eructat in sinum sanguinis; vt ideo mirandum hic quoque sit naturę consilium, quę in mulieribus prius elaborat semen vti opificem, mox materiæ satagit, nempe superfluitis sanguinis, quasi hoc apparente in adolescentulis, mutis verbis natura dicat: parata est iuuencula ad conceptionem, turget in uasis prolificũ semen, materia præstò est; accedat vir, fiatque Generatio tantopere expetita, & vniuersò expediens orbi. Et hac eadem ratione, vbi menses desiere, paulò post & semen deficit; vel quia alimentum deest, vel quia præ debilitate calor effœtus coquere nequit humores, illosque in seminis conuertere substantiam; & sic rarò erit inuenire mulierem, sanguinem non vitiosum ad vterum habentem, quæ insuper suo semine non sit prolifica; & e contrario vix inuenias mulierem, quæ sit præ senio destituta mensibus, cui non sit insuper absumpta materia fœcundi seminis, cuius uice si quid in meatibus, ne detur vacuum, contineatur, est quid crudum, impurum, & spiritibus depauperatum, & per consequens Generationi inutile.

CAPVT. VI.

Qualis sit sanguis menstruus, & an per se, an verò per accidens adeo noxius, ac deleterius existat.

VENEFICAM qualitatem, inesse menstruis indicant mille symptomata, eaque sęuissima, quorum sunt ea prolifica. Canes ab eis rabie concitantur: ferrum rubiginem contrahit, specula contaminantur, terra vti ab aceto fortissimo abraditur, arbores exiccantur; flores, olera, frutices omnes radicitus arescunt; homines demum dementes fiunt, nec non in rabem deducuntur miserè; quin cum menstruata simpliciter concumbentes, & sœuissimos morbos, & lepram in primis ex Auerroe contrahunt, vt ideo & ab Hesiodo, & a legislatoribus talis concubitus fuerit omnino veritus, vt nos alibi longiori sermone prosequimur. Adde, quòd eundem illum sanguinem pellaces mulierculæ philtrum existimarunt, ideoque vt Dęmonis vtuntur aucupio, quasi resideat in illo vis amoris; sed mortis atræ illicium existit. Ita Cari Lucretij vxor credula, dum coniugem poetico furore abstractum, ac pene ecstaticum extraneo detineri putat amore, illi suum sanguinem propinauit menstruum, quo ductus in feram rabiem sibi tandem crudelem conscivit mortem. Meritò ergo amhigunt alij, num eo componatur, nutriaturque sanguine fœtus, alijque, vt in primis magnus Auenzoar detrectant omnino, succum hunc vllatenus nutricium esse; verùm aiunt veneni potius promereri nomen: quo si mulieres vt à veneno non læduntur, id esse, quia familiaris est illis, nec vllum a proprio veneno offenditur animal.

Quamobrem vt rei veritas eluceścat, & quæstionis præsentis, & antecedentis solutio habeatur, statuendum erit, sanguinem menstruum penes bonæ valetudinis mulieres esse benignum, ac suauem æquè ac illum, qui intra alias exundat venas, ideoq; alimento & matris, & prolis aptissimum. Verùm quia sæpè dum prodit, ex aliquo accidente haud excurrit illicò, sed paulò immoratur, fit ex eo, vt putrescat facilè, & a putredine æstum, auramque prauam concipiat; id quod tantò facilius accidere potest, quantò ingitter confluunt ad vterum, veluti ad sentinam vndique corporis muliebris sordes, & excrementa, quibus immixtus consuens sanguis corrumpitur perperam, intenditque ex alieno mirasmate pro-

Digitized by Google

propriam putrilaginem.

Hic explosa recedat illorum opinio, qui vt sanguinis menstrui naturam explorarent, dixerunt, illum esse succum quendam eterogeneum, qui contineat partes alias puriores, ideoque naturæ vtiles, alias impuriores, omni ex parte inutiles, aut potius infestas, hasque illas esse, quæ tot sæua apta sunt parere symptomata, recedat inquam, siquidem sanguis omnis eterogeneus est, cõtinetque partes crassiores, tenuiores, mitiores, crudiores, nec tamen atrocia tantum agunt detrimenta. Simili modo Flori apud Plutarchum opinio relinquatur, existimantis menstruum sanguinem ex sui natura prauum sonticum, ac virulentum existere.

Cæterùm vti noua appendix, atque epiphora relatis addatur ex meo censu, menstruum cruorem a cruditate suum virus possidere, aut saltem intendere; quod vt facile intelligatur, supponendum erit, crudum sanguinem dici illum, qui a natura minus est adæquatus; ideoque sub crudi nomine complecti sanguinem sanioſum, pituitosumque, & bileum æstuantem; vterque enim adæquatione coctionis alumna caret, quę coctio consistit in calore blando, miti, & ab omni excessu alieno. Modo sanguis menstruus apud mulieres coctionis expers crudus est, ob caloris non inopiam, sed excessum, cuius gratia libro illo de morbis Polybi mulier viro calidior dicebatur, quod quidem rationi non dissonat, siquidem quoad sanguinem verè mulier caliditate excedit, quoad verò solidas partes vir est longe calidior. At verò temperies non a sanguine, aliisque humoribus refertur, verùm a solidarum partium qualitate; ideoque non licet inferre, mulieris temperamentum virili calidius esse eo quod calidiori sanguine diffluat. Id sanè haud præterijt Aristoteles tertio de historia animalium capite decimonono, vbi feminis nigriorem & crassiorem sanguinem tribuit; nigredo verò, & crassities vnde profluit nisi ab æstu ferum depascente, & faniem adurente? Quod autem ex coctione res multo minus calidæ euadant, ne videatur paradoxon; siquidem in pluribus constat experientia, quæ non fallit: nam lac in primis quid est aliud, quàm sanguis vteriori coctione elaboratus? Et nihilominus nemo iturus erit inficias, illud sanguine minus calidum esse; quo circa inflãmationibus refrigerandis appositè facit. Mel si coquatur tẽperatius, ac mitius, quàm crudũ euadit; patet id ex eo, quod nõ adeòest acre nõ adeò mordax, non sic stimulat intestina; quod tñ intelligendũ est de melle quod nimia coctione non fuerit partibus tenuioribus enudatum, hac namque ratione per accidens amarescit. Vinum si coquatur apud quasdam Italiæ regiones minus generosum euadit; quod vel ex eo percrebecit, quod non sic inebriat, vt crudum, teste Athenæo. Cæterùm vuæ, & poma vinosa quælibet

A antequam debitam nanciscantur maturitatem, vtique calidiora sunt; continent enim igneam quandam qualitatẽ, & humorem æstuantẽ, quod colligitur ex effectu; quicunque enim hos esitant fructus, os, & linguam aphtis iam tum excoriant, guttur inflammant, in disenteriam super incidunt, aliasque aluinas fluxiones patiuntur. Quod maximè contingit in vuis apianis, vulgo dictis muscatellis, de quibus Columella libro 3. capite secundo sic habet: *Ideoque frigidis locis aptissima, sed capiti, neruis, venisque non apta, nisi matura lecta.* Non ne videmus insuper, recentem vuarum, & pomorum succum ebullire, ac feruescere diu: vbi verò coquatur, statim æstum, atq; ebullitionem exuere? Igitur &

B ante maturitatem, quæ à naturali coctione habetur, & ante excoctionem, quæ fit ab igne, vuarum, ac pomorum succus feruidior, omnique ex parte mordax existit. Ita prorsus muliebris cruor, qui ad vteri regionem opiparè confluit, cùm nequeat præ copia ad symmetriam qualitatis reduci, ideoque præferuido æstuet calore, & velut mustum ebulliat, inde fit, vt tot sæua pariat symptomata, quæ quidem omnia calidam ab excessu qualitatem, seu feruescẽtiam denotant; nam neque ab eo frigidus vllus manat effectus, quin potius impensè calidus, vt rabies, delirium, lepra, ariditas, extinctio, febris, & consimilia: atque de hoc verba faciebat

C Hippoc. 1. de morbis muliebr. quando dixit, sanioſum sanguinem terram abrodere. & si forte frigidi aliquando exurgant morbi, vt hydropes & similes id per accidens contingit, strangulante videlicet extremo calore primigeniam caliditatem; eo prorsus modo, quo vinum meracum largè sumptum apoplexiam, paralysin, & id genus frigidas parit ægritudines. Huic ergo naturali menstrui dispositioni si accedat insuper putredo, & aliorum prauorum succorum miasma, quale vitium, seu quale virus erit iniquius, vitæque humanę magis infensum?

D Sed statim Objicies, si talis est ex sui natura sanguis menstruus, quo pacto fœtus nutritioni non incommodat? Respondeo, id in primis naturæ prouidentiæ tribuendum esse, quæ vt fœtum ipsum aptè enutriat, studet pro viribus eundem sanguinem depurare, atque ad æqualitatem reducere, mox etiam à calore ipsius fœtus idem temperatur, ac mitificatur, antequam nutrendis particulis apponatur; præterquam quod Arabum fuit sententia, fœtus ab hoc sanguine enutritos in vtero multiplicem concipere morborum diathesin, qualis est in primis variolarum, morbillorum, & similium ægritudinum, quas ab inquinamento menstrui sanguinis oriundas dicunt. Ergo qua ratione, & per se, & per accidẽs sanguis menstruus sit culpabilis, quoue modo nutricatui inseruiat, & primæ conceptioni; in qua illud prorsus accidit, quod in casei coagula-

tio-

rione euenire experientia est; nimirum coagulum non lactis totam substantiam cogit, densatque; verùm duntaxat partes illas caseosas homogeneas, & præstantiores, ceteras vti excrementa relinquit, puta serum, & quæ recocta, vulgo nuncupatur; Ita prorsus virile semen, quod coaguli ad instar est, dum menstruum sanguinem init ad Generationem, partes benigniores, ac vndique præstantiores in vnum & cogit, & vnit; quæ verò sontica, ac penè vitiosa commisceatur sanguinis portio dimittitur, atq; reijcitur. Didici hoc ab Aristotele, qui 2. de Generatione animalium capite 4. Satis congruè similitudinem hanc affert; ait enim: *Cùm autem excrementum fœminæ in vtero constiterit à maris genitura, quæ simile facit vt lactis coagulum. Coagulum enim lac est continens calorem vitalem, qui partes similes ducit eodem, & vnit, atque constituit; & genitura ita se habet ad menstruorum naturam, eadem enim natura lactis, & menstruorum est, itaque coactis iam partibus &c.* A signo id confirmari posset, nam non aliunde putandum est, grauidarum mulierum symptomata illa statim prouenire malaciæ, vomitus, inappetentiæ, & similium, nisi ex recrementis illis sanguinis deterioribus superstitibus in vtero, quę vnà cum fœtu retinentur, ob vteri ipsius oris occlusionem. Et hęc demenstruorum qualitate satis.

CAPVT. VII.

Cur Luna decrescente potius menstruæ purgationes recurrant, vbi de periodicæ earundem excretionis causa referuntur aliqua.

LVNA decrescente prodire menstrua Gynæcium ostendit; & præter muliebre periculum edixere autores centum, atque in primis Aristoteles 7. de historia Animal. capite secundo vbi sic legitur. *Profluuium autem mentium decrescente Luna contingit; quamobrem nonnulli cauillo sexum fœmineum Lunæ tribuunt, quoniam simul vt illa decrescat, & mulier purgetur, moxque repleantur ambæ euenit.* An ex hoc Careni populi, vt est apud Spartianum, Lunum non Lunam dicebant, atque insuper dignum qui vxori subijceretur virum existimabant, quicunque Lunam fœmineo genere uocitabat? ideo fortè Aristophanes Venerem non, ἀφροδίτην fœminino genere, sed masculino ἀφρόδιτον appellanit, quasi numina efficere fœminas absurdum foret. Huius autem euentus reddit ipse Aristoteles rationem dicens, Luna decrescente animalium corpora frigidiora, atque humidiora esse, ideoque fieri huiusmodi fluxum. Atqui parum ualida uideri potest hæc ratio ut sonat, siquidem in primis in uiris quoque fluxum aliquem fieri necesse esset, quorum corpora idendidem frigidiora, & humidiora existunt aspectu Lunæ, quæ non magis mulieres, quàm uiros respicit; atqui hoc absurdum est.

Quamobrem dicendum ex meo marte ceseo. Corpora animalium decrescente Luna esse frigidiora, & humidiora ad cutem; & partes extimas, intus verò, & ad uiscera calidiora; nam plenilunium suo calore excitat ad superficiem humiditatem, ac caliditatem; dum verò Luna decrescit contrarium accidit, nimirum sanguinem, & calorem affinem penitiores repetere partes; Modò in mulieribus, in quibus naturaliter sanguinis copia reperitur, atque magis in profundo, quàm in superficie excurrit, retruso insuper a Luna, sit vt menstrua proficiscantur: nec dicat aliquis, vt supra ipse dicebam, cur similiter viris idem non contingit? Quandoquidem viri non superfluo scatent sanguine, belle enim coquunt, solidarumque partium calore dissipant; nec apud eosdem perreptat idem ad intima magis; Quòd in plenilunio calor, & humor ad superficiem prolectetur, patet in primis experientia, siquidem viuentia quælibet, & maxime vegetabilia extuberant eo tempore, ideoque etiam Galenus corpora in plenilunio dicebat augeri, & pinguescere; quin in Problematibus addebat Aristoteles, carnes plenilunio expositas ocyus putrescere, superflua nimirum extuberante humiditate. Id etiam patet in ostreaceis, que Luna decrescente emaciantur, ad auxin verò tendente implentur. Roborat meam hanc opinionem Auerroes 2. de Generati animal. capite quarto, vbi asserit, magna luminaria coniunctionis tempore, & oppositionis diuersa inter se esse, quia quo tempore coeunt, tempus frigidius redditur, ideoque hyemi assimilari; quo verò tempore opponuntur, calidum præstari tempus, æstatique proinde assimilari. Iam, quæso, hyeme non ne calor intus per antiperistasin magis viget, licet extrema frigeant, & rigeant sæpe? vtique; inde noster Hippocrates in aphorismis, ventres, dicebat, hyeme calidissimos esse, ideoque plurimo cibo indigere. Sic ergo in coniunctione Lunæ frigidiora, & humidiora sunt animalium extrema, sed intima calore feruitant; & hæc est illius loci Aristotelis germana expositio.

At quo modo inquit Aristoteles, corpora luna decrescente humidiora esse, si in plenilunio manifestè deprehenditur humiditas vniuersum corpus diffundere? Porrò duplex humiditas radicalis vna, & primigenia; excrementitia altera; hæc in plenilunio supereat, illa in coniunctione, ac declinatione; & ideo humidiora corpora deficiente luminare dici possunt, quatenus depurata ab humiditatum colluuie suo fruuntur humore insito. Quid si dicamus proprietate que-

dam deficiente. Luna sanguinem illum irritare naturam ad expulsionem, eo prorsus modo, quo bilis in febribus alternis diebus, pituita quotidie, melancholia quarto quoque die mouentur. Id videtur subobscurè insinuasse Hippocrates libro de septimestri partu his verbis: *In mensibus eadem etiam, quæ in diebus fiunt rectaque ratione fiunt: singulis enim mensibus mulieribus suus menstruus prodeunt, quasi peculiarem eius corporibus mensis habeat.* Verum quidem est, aliquas mulieres, vti iuuenes & feruidiores catharsim sustinere crescentis lunæ quadra; vnde versus.

Luna vetas veteres, iuuenes nouus luna repurgat.

Cuius euentus ratio est, quòd iuuenes quæ cumulatissimo, & feruidiore scatent sanguine, ad istum fluxum facilè oriente, vel ad auxin tendente Luna concitari possunt. At vetulæ, quibus venæ denfiores, & sanguinis frigidior, opus habent lunaribus radijs vsque ad plenum orbem effusis ad hoc, vt valeat is circa finem mensis ad vteri venas irrumpere.

Sed ex verbis Aristotelis non leuis exoritur difficultas; nam 7. de histor. Animalium capite 2. scribit, haud quaquam mulieribus singulo mense menstrua fieri, sed vt plurimum alternis mensibus, quod a quotidiana experientia remotissimum est: verba Aristotelis hæc sunt: *Paucis menstrua singulis mensibus mouentur; sed ollo intermisso plurimis.* Porrò textus hic tulit multis occasionem dicendi, illum deprauatum esse: alij vt aliquo modo explicarent, somnia sibi finxerunt. Quid ergo dicendum? Illud prorsus, quod Mercurialis longè latèque doctus de morbis mulierum libro 4. scribit; nimirum Gazæ negligentia deprauatum esse, ac mancum contextum illum; omisit enim bonus ille vir dictionem vnam, quæ est συνεχῶς, quæ vox sonat aceruatim; vt ideo sensus Aristotelis fuerit, paucis mulieribus singulo mense affatim, & aceruatim menstrua fieri, sed bene alternis mensibus, cuius spatio temporis maiorem sanguinis copiam congerere poterit natura, quæ exuberantem singulo mense humorem nequit subministrare. Textus deprauationem eruditissimus ipse Mercurialis deprehendit fortasse ex verbis Plinij libro 4. capite 15. vbi in suum vsum Aristotelis verba transferens dicebat, cunctas mulieres tricenis diebus purgari, sed largiùs tertio quoque mense.

At cur insuper Philosophus citato 7. de historia Animal. scribit, menstruæ nullo certo tempore currere? quoniam vt annotarunt Aetius, & Auicenna, licet Luna decrescente is fluxus efficiatur, nihilominus inter vnam, & aliam purgationem alijs intercedūt dies viginti duo, alijs viginti, alijs viginti septē, alijsque viginti quatuor, vt stata temporis periodo raris recurrat menstrualis repurgatio. Huius autem varietatis causa est aer, temperamentum, motus, quies, cibus, aliaque vitæ accidentia, omnis namque inordinationis, teste Auerroe, causa reduci debet ad variam humorum aggregationem, quæ vario victu, & Cœlo contingit. Quare calidiores mulieres vicitantes cibis calidis, ac tenuibus, corpora mouentes quotidie, cœlo fruentes puro, sæpius cornmes, oppidò citius repurgantur; contratium accidit ijs, quæ crasso vtuntur victu, ac cœlo, vitamque sedentariam traducunt, ac potissimum à Veneris tripudio alienam; nam sexus fluxionem repetunt. Cæterum Andreas Laurentius 8. de historia anatomica menstruorum periodicæ excretionis causam non ad Lunæ motum, sed ad certas naturæ leges, motionesque nobis incognitas referendam putauit. Quapropter rationem quærens, cur singulis diebus hoc sanguinis excrementum in mulieribus non secernatur, veluti cætera excrementa, quæ singulis diebus exparguntur, id naturæ prouidentiæ, de generatione admodum sollicitæ duntaxat ascribit; quandoquidem si quotidie mulier hoc difflueret sanguine, minus a viro eius expetiretur amplexus, & seminis nis à sanguine illo accideretur, unde pessum iret conceptio. Perlege virum elegantem.

CAPVT VIII.

Quænam esse debeat menstruarum mensura.

EX temperamento, victu, aere, & motu vario, quibus mulieres detinentur, accidit, ut superiori capite dicebamus, menstrualis cursus varietas. Item ex iisdem rationibus contingit, vt aliæ uno tantum die, aliæ duobus ac tribus diebus, aliæ quinque, & septem etiam repurgentur; ut proinde illæ sanguinis plurimum effundere dicendæ sint, quæ pluribus diebus fluxionem sustinent; licet contingere possit, ut aliarum beneficio mulier aliqua uno, aut altero die sic ἀργῶς repurgetur, ut sanguinis maiorem euomat copiam, quam quæ subtillum septem diebus præ nenarum angustia demisit; ideoque Aristoteles citato 7. de histor. Animalium ait: *Alijs namque vniuersim hæc purgatio fit, alijs paulatim.* Verum quidem illud est, sanam mulierem spatio trium dierum fluxui suum absoluere; quod Hippocrates primo de morbis mulieb. bus, vel alius auctor significauit iis verbis: *Moderati verò sunt menses prodeuntes in omni muliere, si sana sit, vt duarum Heminarum Atticarum mensuram ferendant, aut paulò plures, aut pauciores; atque hoc ad dubi, aut tres dies.* Id nec præterijt Aristoteles nuncupato

Digitized by Google

apto loco ubi ait: *Facilius agitur eum ijs, quibus breui tempore hoc eſt biduo, aut triduo proſtituunt, ſed quibus longum protrahitur, difficiliùs.* Hemina vero continet menſuram circiter nouem vnciarum, vt probat Andreas Alciatus libel. de Ponderibus, & menſuris ex Paulo Ægineta, Suida, & Nicandri interprete; Attica videlicet, ſiquidem Romana capit ſex vncias tantum; ita vt ſanguis libram vnam cum dimidio ad ſummum æquare debeat: & hoc fortè conſilio Paulus in ſuppreſſis menſibus præſcribebat menſuram duarum librarum cum dimidio; cùm enim ſtagnantibus menſtruis non ſtatim ſanguis educatur, ſed ſecundi etiam menſis periodus expectari ſoleat, iccirco quantitas illa emitti debet, quæ duorum menſium fluxioni æquiualeat. Poterit autem huiuſmodi pondus vel ſuperari, vel minui iuxta temperamenti, & victus diuerſitatem, vt ſupra dicebamus.

Atqui morboſè apud ægram mulierem interdum ad eam quantitatem menſes erumpunt, vt aliquando viginti quinque librarum excedant pondus; quod omnem fidem ſuperare videtur. Adde ex Ariſtotele, etiam in ſana muliere bis, aut ter in menſe fluxum hunc excitari poſſe ob coitus deſiderium, cuius cauſa & vteri deſcendant, & quæ intus turgent venæ, ore hinc ſanguinem ſæpius euomant. Iuuat Philoſophi regiſtrare verba: *Multis etiam deſiderio coitus, quo vel iuuenilis ætatis ratione, vel quia longo tempore abſtinuerint, tenentur, deſcendunt vteri & menſtrua ſæpe ter in menſe citantur, donec concipiant. &c.*

CAPVT IX.

Qualis eſſe debeat ſanguis menſtruus, & quomodo eiuſdem vitia deprehendantur.

NON omnis ad conceptionem ſanguis menſtruus idoneus eſt, ſed qui ſolum à naturæ benignitate non deſciuerit, quique extraneæ omnis expers ſit qualitatis. Ideo Polybus primo illo de morbis muliebribus ait: *Procedit autem ſanguis velut à victima, & cito congelatur.* Iam ſanguis victimæ rubens, & floridus eſt, conſiſtens, & minus dilutus, ideoque ſtatim, & ille congelaſcit, congelatio autem indicat, ſanguinem fibris multis eſſe redimitum, atque adeo concoctum; ſanioſus enim humidior eſt, crudus, & nihil fibroſus, quod libro de ſemine pluribus diſputatum eſt à nobis. Cæterùm ſanguinis eiuſdem vitia deprehenduntur ex coloribus, vbi ſanguine ipſo infecti panniculi reſiccati fuerint; nam bilioſi flauum, pituitoſi ſubalbidum, melancholici ſubnigrum præferunt colorem quod in arena etiam explorari ſolet. Inſuper ex Hippocrate 2. Prorreticorum ſanguis menſtruus ille ſecundum naturam eſt, qui ſingulis fluit menſibus in modeſta copia, quique colorem obtinet naturalem, ſine dolore, ſine ſymptomate, & tertia die reſiſtit. Id autem non ita intelligas velim, vt fluxus ille citari debeat abſque vlla omnino corporis moleſtia; id enim eſt ferè impoſſibile, ſed quod fiat cum tolerantia, & ſine magnis illis ſyptomatibus, quæ interdum adiungi ſolent, vti ſtrangulatio, dolores acerbiſsimi capitis, dorſi, ac ventris, febres, & ſimilia, alioquin dicebat Ariſtoteles 7 de hiſtoria Animal. capite 2. *Attamen omnibus corpus grauatur, quandiu effluat humor.* Si quæras vnde nam proueniant interdum dolores, & ſæua ſymptomata, dicam euenire ab obſtructis meatibus, qui ſanguini denegantes liberum exitum, illum regurgitare alió faciunt, vel dum is exilire conatur, impetum facit, vim infert, ac facultatem irritat: mala etiam eiuſdem qualitas atrocia ſolet inuitere pathemata, & vel ſolo halitu caput, aliaque viſcera impetere.

CAPVT X.

De ſtagnantibus menſibus, ſiue alia menſtrui ſanguinis eclipſi, vti Generationi incommoda.

CVM ſit ſanguis menſtruus Generationis humanæ intrinſecum elementum, non mirum ideo ſi eo deficiente mulier ſtatim ſterilis euadat, atque ſpes Generationis fruſtretur. Proinde hic huiuſmodi defectus venit obuiam, non vt mulieris paſſio ſolum valetudinem eius proſternens; ſed primario vti conceptionis impedimentum; etenim fruſtra laborat opifex, ſi illi materia, vbi ſuam exerat actionem, deficiat; incaſſum iaculatur ſemen in vterum, ſi circumfluo ſanguine vndique is non madeat, ſed exuccus rigeat, & ſquallidus areat. At vnde ſanguinei humoris eclipſis proueniat, inquiramus. Auenzoar huius defectus internas cauſas reicit in ſanguinis ipſius viſciditatem, nec non in facultatis imbecillitatem. Craſſities, & ſanguinis viſciditas inepta eſt fluxioni, nam tenuis, & fuſus humor eſſe debet, quò facile queat excurrere; Rurſus dum facultas præ imbecillitate nequit extrudere humores, hi reſtibiles fiant in corpore, neceſſe eſt. Siquidem ad omnem ſponteneam excrementi vtilis uel inutilis emiſſionem deſtinauit natura facultatem expultricem, quæ ſi præ nitio aliquo ſegnis euadat, retineri in corpore uel in totum, uel in parte excremen-

ta necessarium est. Interdum exuperantia sanguinis sibi ipsi exitum præpedit, sed adhuc ille sanguis, qui non mouetur cathartopos, ideſt per venas uterinas à natura destinatas, defectit aliquando in supernam hæmorrhagiam, vomitum, ptyelum sanguinolentum; vel infernè deriuat in mariscas, vesicam, & similes ductus.

Verum plures adhuc existunt causæ suppressi menstrui auctore Galeno præsertim 5. Aphorismorum 28. & 6. de locis affectis 5. Et in primis est instrumenti nempe uteri intemperies frigida, calida, ficca. Quomodo calida intemperies menses supprimat, superuacaneum foret multis prosequi; Docet docte Artis Auicennas, & hinc inde rationes examinat facundissimus Mercurialis 4. de morbis muliebribus. Dixisse sufficiat, uteri præcalidam intemperiem tenuiorem sanguinis portionem exugere, atque exiccare; remanere autem solummodo terrestriorem, quæ suo ichore, & acri humiditate spoliata nequit exturrere. Quare licet uterus qua pollet caliditate alliciat, trahatque sanguinem, hunc tamen absorbet, consumit, ac dissipat facilè; frigida verò intemperies catharsin inhibet, quia frigiditatis est condensare, atq; constringere, ideoque tali intemperie conniuent venæ, nec stato tempore superfluum vomunt sanguinem. Tandem ficca discrasia ideo intercipit fluxum, quia sanguinem exhaurit, & arefacit. Si addamus postremo vasorum stegnosin, siue angustiam, nihil ad plenam causarum enumerationem deerit. Namque accidit interdum, vt sanguis nec viscidus, nec crassus existat, vt facultas vigeat, & vt nulla apud vterum intemperies polleat, & nihilominus sanguis menstruus retinetur ob venarum stenochoriam vel emphraxin, quæ non sinit sanguinem decurrere eo modo, quo fontis infarcti meatus prohibent ascensum aquæ. Ad hanc insuper malam conformationem, & angustiam pertinent pinguedo uteri, & vasorum, quæ validè coarctat, & compingit: Tumor, & apostema, quæ vasa & comprimunt, & coangustant: clausura meatuum à membrana, vel carne facta: cicatrix aliqua post matricis vlcera: colli uteri inuersio: totius uteri substantiæ condensatio: abortus tandem post quem adeo venæ coalescunt interdum, vt nequeant reserari postea.

Externæ causæ menstruorum suppressionem efficere possunt, vt in primis casus, quo sæpe mulieris vterus vel distorquetur penes collum vel inuertitur, vt vix deinde remeat cursus. Aqua largius epota teste Auicenna menses continet; sic pariter cibi crassi, uiscidi, atque exiccantes; Aer lacunosus alioue modo à benignitate excedens, vnde Hippoc. de Aere, aquis, & locis Scyticis mulieribus menstrua aut nihil aut malè profluere scribit; immodica exercitatio, timor, mœrores, & similia.

Age modo auxilia proponamus, quæ huiusce sanguinis auferunt stegnosim. Vnum præcipuè omnium magis præstantem credas esse sanguinis missionem, vel sæpius repetitam per saphenam; nam nisi malleoli incisione reuocetur, aut concitetur huiusmodi effluxio, difficile erit, ac fermè impossibile, vt alijs pharmacis promoueatur. Est apud auctores controuersia, an in menstruorum silentio liceat hauriri sanguis e basilica; contendunt multi, vt sectatores Aetij, qui ex Rufo commendat phlebotomiam à cubito. Galenus e contrario detrectat, vultque in omni mensium suppressione de talo vel poplite mittendum esse sanguinem, quin libro de curatione per sanguinis missionem apertis fidibus astruit, sectam venam in cubito hoc habere mali, vt supprimat menses. Quid in hoc dissidio statuendum? vtique Galeno astipulari debemus, & in omni suppressione non aliunde, quàm de venis inferioribus haurire sanguinem fas erit.

Cæterum deueniendū ad corporis catholicam purgationem, quæ in primis ex bolo cum hiera celebrari poterit, nam sicuti aloes proprietate sua venas aperit hæmorrhoidales, ita hiera, cuius aloes ipsa est basis, vterinas reserat. Apparandi postmodum humores iuxta peccatum illorum, ac tandem electiuè purgans medicamentum vna cum hiera ipsa propinandum erit. Apozemata menses proficientia pene sunt infinita, suntque iudiciosè petenda e sylua amplissima simplicium medicamentorum, de quibus Galenus, Dioscorides, & alij scripsere plenissimè, nec est vt laborem in regiſtrando. Post sæpius repetitas purgationes chalybis vsus mirificus est; nec extimendum generosum pharmacum, siquidem apud delicatiores. & molliores vti poterimus eiusdem vel extinctione, vel extracto, quod sæpissimè cum fœlici progressu sum expertus. Semper tamen admiscenda quæ exproprietate respiciunt vterum, vt trochischi de mirrha, castoreum, dictamum, cinnamomum: si cui magis placeat vinum chalybeatum ex descriptione Fallopij poterit ad votum adhibere. Neque interim chalybis vsus in suppressione qui etiam in immoderato menstruorum effluuio commendatur, ambiguus aut irrationabilis videri debet; quandoquidem contrarijs e diametro morbis idem specie pharmacum nequaquam opitulari valeat. Nam scire operæpretium erit ex Hermetica pragmatia, chalybem seu ferrum, cuius stomoma pars purior existit duplici constare elemento, siue principio, patre videlicet sulphure, & matre Mercurio: ratione autem sulphuris exiccare, liquare, calefacere, absumere, deobstruere; Mercurij contra beneficio frigiditatis cuiusdam esse consortem, & hac vna cum terrestri substantia infrigidare

dare, densare, & quos libet compescere fluxus. Dicunt præterea nonnulli hæc eadem duo principia sulphur, & Mercurium duplici modo inesse chalybi, vno quidem intime, & adæquate mixta, qua ratione medullitus inhærent; alio verò interminatè, & crudè, & sic superficie tenus misceri. Inde modo fieri aiunt, vt chalybis primæ extinctiones debeant vtinutiles relinqui, eo quia excrementitium sulphur, mercuriumque imprimant. Addunt quoque insuper stomoma nimis tritturatum, eo quod vis eius intima sulphurea, & mercurialis excitetur, fluxionibus nihil esse presentaneum, crassa verò modo, & ruditer læuigatum apprimè confertæ. Contra in suppressis mensibus subtilissimè limatum plurimum opitulari, crassiusculum non parum obesse. Sunt qui velut pro arcano habent pillulas e succo mercuriali, & melle despumato ad partes æquales cum triplo nigellæ romanæ pulverizatæ, & lento igne incrassatas. Huius compositionis drachmam vnam vel dimidiam assumendam præcipiunt vespere, hora somni per tres vices instante menstruorum periodo. Nec minoris energiæ sunt quæ describuntur a Montagnana hac formula, ℞. trochiſc. de mirrha, drach. 1. ſ. seminum petrosellini, castorei, & corticis cassiæ an. scrup. 1, mo schi gran. 10, cum succo apij formentur pillulæ duodecim, quarum cum aqua graminis singula vicè duæ erunt vorandæ. Kursus fermentum vetus ad pondus auellanæ cum saccharo in forma boli practici plerique commendant. Paracelsus, vt aliquid in Hermeticorum gratiam addatur, commendat in libro misteriorum extractum splenis bouis, quod ita paratur. ℞. splenem vaccæ castratæ, scindatur in tenues laminas, macereturque per aliquot dies in spiritu vini cum mirrha essentificata postea exiccetur in aere, & mox cum spiritu vini inde essentiam extrahat, de qua in conuenienti aliqua aqua scripulus vnus exhibetur dum tempus fluoris instat, & ad iucunditatem addantur olei Angelicæ aliquæ guttulæ. Vi pollent eadem sal arthemisiæ, sal melissæ, sal chelidonij, qui qua ratione parentur discе ab Euonymo.

Aquæ thermales non parum proficuæ comprobantur purgato corpore, & iuxta mulieris temperamentum, aut morbi causam vel Tettucciana, vel S. Casciani sunt eligendæ. Nec interim spernendi erunt suffitus aromatum, prosthemata, seu pessorij varij, quorum descriptiones plurimas petat, qui vult a Ludouico Mercato, Hieronymo Mercuriali, & Ioanne Varandeo, aliisque ex recentioribus. Omnium efficacissimi sunt, qui ex hierapicra, trochiscis de mirra, pulueré colocinthidos, agarico, castoreo bombace excepto vsurpantur. Tandem instrumenti vitia, si hæc sint præpedita catharseos causa, auferenda, & in proprium, & congenitum statum, & situm vterus reducendus, quibus omnibus exceptionibus mandatis sanè sanguinis menstrui excursus reuocabitur, & per consequens illorum conceptio.

CAPVT XI.

An, & qua ratione mulier menstruis carens, vtero concipere aliquando valeat ex Aristotele, & propria opinione.

SI sanguis menstruus Generationis est proximum elementum, fieri nulla ratione potest (vt vnusquisque proferet) vt mulier, cuius non madefecit menstrualis sanguine vterus, concipiat, quod experimento probari palam videmus, quandoquidem steriles existunt, quotquot menstruis carent mulieres. Verum 7. de histor. animal. capite 2. contrarium sentit Aristoteles arbitratus conceptionem vel citra menses effici posse: hæc sunt auctoris verba: *Verum fieri potest, vt aliquæ etiam sine eorum profluuio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum ijs, quæ purgantur, restare solet: quamquam non tanta copia, vt & foras possint profluere.* Id nimirum luculenter in puerperis comprobamus, quæ sæpe antequam repurgentur iterum concipiunt; argumento, quòd sanguinis tantum ad earum vteros delapsum fuerit, quantum post purgationem remanere cæteris consueuit. Et id suadere potest, quod de Amazonis, atque Americanis mulieribus scripto tradunt, illas nimirum ob negocia, equitationem, atque militares assiduos labores, has verò ob regionis calliditatem exurentem menstruis purgamentis destitui, quippe in vtrisque tum à violento motu, tum à Cœlo æstuante absumuntur, ità tamen vt æqua portio intus maneat, cuius gratia vti cæteræ mulieres vtero in dies concipiunt. Ita pari modo rusticanas nonnullas videre est mulieres, quæ campestribus diuturnis laboribus adeo copiam accipiunt sanguinis, vt valde modicis diffluant mensibus, ac nihilominus bellè concipiunt; sed illud quidem verum est, has potius apparentibus, quàm desinentibus mensibus fœtas reddi, in fine enim purgationis vsque adeo sanguinis modicum supersit, vt nutriendo semini satis non sit.

Iam ex his colligat quisque, haud ità admiratione dignas censendas esse historias Petri Toleti in libro de morbis puerorum capite primo Brasauolæ 5. Aphorism. comm. 36. Rhondoletij in methodo curandi morbos, ac Victorij Trincauellij in Praxi, qui omnes quarundam mulierum conceptionem referunt, quibus nullæ menstruæ purgationes ibant: quo enim pacto id cõtin-

tingere potuerit, Aristoteles insinuauit, & ratio suadet, & pro Hippocrate confirmat Duretus ille, cui senis coi mysteria præ cæteris reuelantur, is enim in scholijs Hollerij 57. sic habet: *Conflat autem, multas mulieres concepisse antequam menstrua passæ essent.* Illud insuper ex ipso nostro Apolline Coo non prætereundum, mulierem, quę ob intercepti copiam sanguinis non concipit, eruento superueniente vomitu fœcundari, quo casu duntaxat arbitrio Dureti veritatem habet illud Hippocratis dogma. *Sterilibus vomitio sanguinis ad concipiendum prodest*; Muliebres siquidem loci ex illa menstrui sanguinis anadrome exonerantur, & vterus exinanitur, vt non sit postmodum verendum, vt iniectum semen a copia obruatur, & accidatur.

Sed alio etiam modo fit possibile, vt mulier absq; menstruali sanguine vtero cocipiat, etiam nihil menstruorum in eo prorsus reperiatur, si nimirum tanta sit seminum vtriusque coniugis affluentia, vt sanguinem supplere valeat, ac totius materiæ partes obire. Si enim admittimus, ex materiali seminis portione partes aliquas intra vterum coagulari (id quod alibi prolixius à nobis probatum fuit) cur non possumus etiam asserere, ex eadem, si vberrimè affluat, omnes simul partes produci? Scio statim obiectum iri, quòd partes carnosę siue sanguineę non a semine, sed à sanguine formari debent, atque adeo sanguinem necessariò prærequiri. At respondeam, id verum esse vt plurimum, & ordinaria naturæ industria, sed nos de eo quod posset fieri, non de eo quod fit quotidie, sermonē agimus. Nempe quemadmodum si materia seminalis ad omniū seminalium partium elaborationem non sat esset, natura easdem ex sanguine vlteriori coctione dealbato, atq; perfecto efficeret, vt Galenus testatur libro de semine; ita si sanguis ad carnearum partium productionem deficiat, ex semine, si abundet, naturę ingenium deducet. Neque est cur dicas, posse quidem spermaticas partes deficiente semine e sanguine fieri, quoniam, e sanguine vlteriori coctione fieri potest, & solet semen; at non poterunt sanguinea membra e semine coagulari, quoniam nequit e semine fieri iterum sanguis, qui solius hepatis est soboles, ac dum seminis facultas circa ipsum semen occuparetur, illud magis, ac magis dealbaret, inque perfectiorem seminis naturam conuerteret. Nimirum huic difficultati ibo obuiam dicens, seminis facultatem vim etiam sanguinis productiuam obtinere; quemadmodum enim semen ex eo quod ab omni corporis parte defluat, Hippocrate magistro, omnem partem producendi virtutem possidet, ita etiam sanguinem, cęteroſque humores gignendi facultatem idem habebit, eo quod a sanguine, & omni quoque humido secernatur; quod expressis verbis Hippocrates libro de Genitura ita annotauit. *Porrò genituram dico à toto corpore secerni, & à solidis, & à mollibus partibus, & ab humido omni in toto corpore: sunt autem humidi species quatuor sanguis, bilis, aqua, & pituita.* Non me latet, censere posse quempiam, non ita legendum esse hunc Hippocratis textum, vt vulgata paraphrasis habet, nempe semen prouenire ab omni humido; sed vt in vetustissimo Vaticani codice habetur, in quo non ab omni humido exaratum est, sed ab omni sano: in hoc enim quod in alijs legitur ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ, habetur ἀπὸ παντὸς ὑγιεινοῦ; quod inter alios obseruat Marsilius Cagnatus primo Variarum obseruat. cap. 2. Verùm enimuerò quicquid legatur in Vaticano codice, illud verissimum est, Hippocratem re ipsa dixisse *ab omni humido*, id quod apertè colligitur ex eadem sententia in eodem libro de genitura, & alibi etiam sępius inculcata, & Cagnatus ipse libentissimè suffragatur: præterquam quod semen à sana non magis quàm à morbosa parte secerni, affectiones hereditarię suadent, quę semine similibus partibus exciso per traducem inferuntur: vnde Hippocratis illud, omne animal secundum parentes nascitur a sanis sanum, a morbosis morbosum. Cęterum Marsilius idem sententiam explicaturus arbitratur, humidi nomine intelligere Hippocratem mollem, quamcumque partem, tmuluque solidam, ita vt humidum quid commune omnibus partibus contineat, eo quod tam in solida, quàm in molli parte reperiatur humidum. Atqui (desinant succensere mihi eruditissimi viri manes) indigna est Hippoc. simul, & expositore isthoc hypomnema. Hippoc. quidē quoniam is a verborum superfluitate, ac battologia semper abstinuit; quamobrem cùm dixisset ille, procedere semen ab omni parte solida simul, ac molli, superuacaneum fuisset illud, *ab omni humido*; sciunt enim vel incute tantum Philosophię initiati, viuentis quascunque partes perenni humore diffundi, & semen humorem quendam esse. Expositore quoque indigna est expositio; quoniam Hippocrates de quo humido loquerctur declaraturus, statim subiungit: *Sunt autem humidi species quatuor, sanguis, bilis, aqua, & pituita.* Quamobrem censuit ille non modo ab omnibus partibus decedere semen, verùm a singulis quatuor humoribus, qui intra venas in toto ambitu corporis continentur. His itaque sic positis dubium non est, quin in semine reperiatur etiam sanguinis effectiua virtus, qua ad libitum poterit in vtero sanguinem e semine, velex alio vtili succo elicere, atque adeo si desit maternus sanguis, & genitura vtriusque abundet, poterit natura embryonem cum omnibus vtriusque generis partibus delineare, quibus addam,

quod

quod si semini vis ineſt producendi hepar ſanguinis auctorem, inerit etiam producendi ipſummet ſanguinem; vt hic aptari valeat axioma illud, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Cæterum id rariſſimè contingere poſſe, palam profiteor, quoniam ſemijnis ea vbertas nequit affluere, & ſi forte inde fœtus coaleſceret, alimento, ſanguine ſcilicet deficiente, oscyus peſſumiret.

CAPVT XII.

De menſtrua hypercatharſi, fluxu immoderato menſium fluxu.

NON minus defectus, quàm exceſſus menſtrui ſanguinis concepturi aduerſatur, igitur Geneantropologo is quoque conſiderandus eſt affectus. Etenim ſanguinis exuberantia ad vteri regionem prolabens infuſum ſuffocat ſemen, quod à mole oppreſſum vim ſuam amittit plaſticam, & vna cum ſanguine irrumpente paulo poſt extruditur. Quinimo ex diutina fluxione vterus debilitatus idem nequit retinere, ſed ſolutis habenis illud dimittit. Adde, quod in huiuſmodi hypercatharſi miſera mulier proprio ſemine deſtituitur; vaſa enim vndique exinanita concidunt. Inquiramus ergo huius affectionis cauſas. Porrò immodica menſtruorum effluxio triplici ductu contingere poteſt, apertis nimirum vteri venis (διαφοραῖς Græci dicerent) iiſdem ruptis, *Rhexi* græco nomine, vel denique eroſis, *Diabrosi* græcè ex his omnibus capitibus vaſa naturales ſuas amittunt diſpoſitiones, quarum primaria eſt ſanguinem continere. Qui ergo dolij aperta fiſtula vinum contineri valeat? vel quomodo idem non effluat cæſis, ruptiſque lignis? Aut quomodo his terebratis vinum haud profiliat, ſed apertis ſpiraculis intus remaneat?

Sed varia hęc vaſorum diſpoſitio proprium ſanguinẽ ſui nouit auctorem; ſiquidem ſeu quantitate, ſeu qualitate is peccet, aptus eſt vario modo continentes venas efficere; nam ſi ſola peccet copia, vaſa ipſa vel diſrumpit, vel reſecat; quod in Athleticis quotidie comprobatur periculo, & Hippocratis aphoriſmus primę ſectionis apertis edocet fidibus. Si peccatum ſit in qualitate, vt puta in feruore, ichore, acredine, ſalſedine, hinc venulę eroduntur, vlcerantur, diſſoluuntur. Quare ſicuti è dolio vinum neutiquam erumperet, niſi vel fiſtula inſereretur, vel terebro vulneraretur, vel alio modo foramine ligna aperirentur; ſic ſanguis nulla ratione emanaret, ſi vaſa, & horum facultates integræ manerent.

Sed fortè externas cauſas quis optarit huiſtetice huius hęmorrhagiæ intelligere? Illę ſunt, ira, vociferatio, caſus, ictus, onera imparia, & ſimilia: rurſus frigus, de quo Hippocrates 5. Aphor. 24. *Frigida cuiuſmodi ſunt nix, & glacies pectori ſunt inimica, tuſſim mouent, ſanguinis profluuia cient*; balneum calidius præſertim; quare Hippocrates enumerans conditiones balneo aduerſantes, vnam eſſe ait hæmorrhagiam: ſic libro de victus ratione in morbis acutis. *Neque*, inquit, *eos, quibus ſanguis ex naribus vnquam niſi minus quàm pro occaſione conuenit, fluxit*, vide textum; nomine verò hęmorrhagiæ intelligas fluxionem ſanguinis vndecunque manantis: eſus leguminum, & olerum, & omnino rerum, quæ ſeroſum progignunt ſanguinem; ſeroſitas enim eſt in cauſa, cur ſanguis nullo retinaculo fluat. Frequens coitus, præſertim cum vire mutonato. Item rhedę agitatio iugis, partus laborioſi, frequens abortus, & interdum ex media multa ad fluxum hunc irritandum adhibita; ſit enim ſæpe, vt ęgrè in contrarium abeat vitium ſi, vt ille ait, corde medicus careat, hoc eſt prudentia non vtatur. Sic exſorti peſſario obſtetricum audacia mulieribus indito videre non rarò eſt calamitoſam hypercatharſin. Hęc omnia prudens medicus addiſcere poterit ex mulieris malę affectę, aut alterius, contubernalis relatione.

An verò ſanguis tranſcolando, an aperta, ero, ſiue fluat vaſis, ſimili modo erit Medico addiſcendum, vt congrua præſtare, aptare auxilia. Ne verò longius chirographum protendam, & remedia propero; Signa namque diſtinctiua poterit vnuſquiſque à claſſicis illis auctoribus petere, qui Gynæcium fabricauerunt; non enim id mihi eſt conſilij, vt morboſas diatheſes ad amuſſim proſequar. Inprimis ergo cauſæ omnes illæ prochatarcticę ablegentur, & omnia contraria inſtituatur: victus ratio. Procul ſinum, aromata, ichoroſa, acida, ſalſa: Procul & motus, tam animi quàm corporis. Venęſectio omnino male nunciatur: Aer craſſior eligatur, eibus viſcidus, panis azimus, chondrus, oriza, ſomnus eſto brevis, cruribus tamen ſæpius tis. Potus ex aqua chalybeata, ſuccо cydoniorum, granatorum, tamarindorum.

Cæterum tribus intentionibus incumbendum, primæ vt auertatur ſanguis ab inferioribus partibus, ſecundæ, vt ſanguinis nimia liceatia, & fluxibilitas compeſcatur. Tertiæ, vt naſa vſu aperta, vel eroſa, vel rupta adſtringatur, conſolidentur. Primus ſcopus impletur ligaturis ad ſuperna celebratis, frictionibus, ſanguinis miſſione, modica quidem, ſed ſæpius, & ſæpiuſcule repetita ex vtroque brachio, ex ſtraquo ſabi uatella de Arabum ſententia, aut vbi vtilis ſit mammas cum, & ſine ſcarificatione. Secundo, ſco-

scopo sit satis, sanguinem ipsum incrassando; quà in re erit oculatim animaduertendum, an sanguis fluat largiùs propter bilem, & acrimoniam, an verò propter sanies, & ichorem: si bileus ille sit, & impensè acrior temperandus, mundificandus, mitificandus, tum hepar refrigerando, cùm alta, si quæ sint, & conspirent præseruida viscera. Atque insuper bilis ipsa præparanda, & expugnanda simul erit, vti eodem modo ichor, & salsa pituita. Perficitur tertius scopus auertendo sanguinem ipsum abrumpentem, erodentem, & aperientem venas, quę glutinantibus, & adstringentibus erunt consolidandæ. Quę sint frigida remedia sanguinem biliosum, ac mordacem benignum reddentia non est opus edisserere, siquidem his plena sunt volumina; nec nisi Tyrones illa ignorare possunt, vti sunt syrupi de violis, de rosis siccis, de cichorea, endiuia, portulaca, lupulis, aeredine cytri, & similibus; de cydonijs, de Granatis, de ribe, de myrthillis, qui præter seruorem quem possunt extinguere, vim etiam obtinent adstringendi, & roborandi. Decoctiones pari modo extant mille ad rem facientes, vt e symphito, plantagine, portulaca, consolida bursa pastoris, centinodio, coronopo, lactuca, endinia, boragine, & alijs. Nec minus nota sunt purgantia bilem ipsam, puta rhabarbarum in primis, scamonium, manna, cassia, tamarindi, myrobalani citrini, & alia ad vsum quotidie vsurpata. Et hinc non possum non valde mirari Ludouicum Septalium 7. animaduersionum, & curationum Medicinalium virum alioquin catum, & prudentissimum, qui rhabarbarum in menstruorum immodico fluxu improbat; inquit enim, quòd cùm vis eius soluendi in igneis, ac tenuissimis partibus posita sit, quæ facillimè venas peruadunt, sanguinem colore tingit, & hac ratione acutiem illi addit & calorem; non possum in quam non mirari, quando id contra catholicam Medicorum opinionem asseritur, siquidem vix aliud vllum probabilius reperire erit medicamentum purgans quod biliosò sanguini competat; hoc ipso enim quod colore suo inficit sanguinem, & venas peruadit, bilem inde electiuè ducit; sanè opinio consona est illi alteri iam diu exauctoratæ, qua dicebatur, rhabarbarum febri tertianæ non conuenire, quia calidius est. Etenim quotquot de muliebribus morbis scripsere, & melioris nominis in primis vt Mercatus, Capiuaccęus, Hucherius, Rhodericus à Castro, Mercurialis, & alij omnes rhabarbarum & commendant, & vsurpant. Quòd si sanie, & ichore peccet sanguis, vbi peccantes in eo succi fuerint primò educti Agarico, Turbith, electuario Indo, & consimili, prohibendum erit, ne in posterum generentur, idque assequi potest rebus coctiones adiuuantibus, & optimum sanguinem gignentibus. Cacochimia deturbata ad astringentes medelas iugiter descendendum: hæ quoque sunt innumeræ, nos pauca, sed magis electa in Philiatrorum gratiam apponemus; secus enim remediorum describere formulas existimaui semper inutile, aut superuacaneum; siquidem vix poterit accidere, vt Aeger aliquis in ea reperiatur dispositione, vt præscriptum generice remedium adhiberi valeat, aut enim virtus, aut ętas, aut regio, aut temperamentum, aut aliquod symptoma iniunctum illud variare coget cordatum Medicum. Id libro de sterilibus aurea illa sententia inculcauit vnicus præceptor Hippocrates: *Cæterùm conare, vt Physicus fis ad hominis habitum, ac robur respiciens; ex his enim nullus est, qui non omnia adamussim faciat.* Nimirum cùm auctor eo loci multas medicinarum formulas præscripsisset, vt moneret, vix posse medicum aliquem illas vsurpare, nisi variarum temperaturarum virium, aliarumque conditionum habito respectu, iccirco statim hæc apposuerat: *Hæc autem elementa tibi sint, verùm medela harum vnicuique particularis est.* Præterquamquod effusam medicamentorum seriem licet vnicuique exaratam intueri apud Albertinum Bottonum, Mercatum, Rhodericum à Castro, Mercurialem, Varandeum, aliosque innumeros muliebrium affectionum scriptores, qui ad satietatem vsque remedia præscribunt; quę quidem huc traducere esset furtu horreum implere, vel in eisdem cantilenis recinendis atramentum perdere. Nos laconismo fruamur.

Immediate ante cibum, & vespere, & mane vti poterit huiusmodi electuario uidelicet capiantur saccari ros. antiqui vnc. 1. s. coralliorum rubrorum præparatorum drach. 1. pulueris vtriusque consolidæ, masticis ana drach. 1. s. miæ cythoniorum, syrup. myrthini ana vnc. 1. m. cap. cochlearia duo pro vice. Si adhuc valentiori opus sit. ℞. Lapidis hæmatit. boli armenæ, trochis de charabe, coralliorum rubrorum drach. 5. Acacię, spodij ana scrup. 1. Diacydonidos vnc. 1. syrup. de ribe unc. 1. s. misce vtantur eodem modo, vel per horam ante cibum. Extant adhuc pillulæ quædam summæ efficaciæ, sed erunt sollummodo vsurpandæ cùm vires corruunt, & fluxus immoderatus cęteris non cedit auxilijs; illæ sunt. ℞. chalcanthi, thuris opij seminis hyosciami, masticis, coriandri tosti ligni aloes ana gr. 2. terantur, & pulueres exi cipiantur syrupo granatorum, fiantque pillulæ duæ, vnaque pro vice voret mulier sex horis post cœnam.

In ferculis conferunt mirabiliter huiusmodi tragemata. ℞. seminis hyosciami, semi nis papaueris ana drach. 1. hematidis, coralli rubri cuiusque semidrachmam, caphuræ scriptu-

lum

lum semis sacchari albissimi vnc. ſ. commendatur huiusmodi puluis ab Heurnio 5. Aphorismorum 50. Hermetici suum laudibus extollunt crocum martis, medicamentum scilicet e scoria ferri, cuius efficaciorem descriptionem habere poteris apud Paracelsum ipsum, licet Vuecherus ex Andenarco suam proferat. Nec interim prætermittendi erunt insessus in decoctionibus corticum quercus, glandium, foliorum myrthi, rori, plantaginis, balaustij, acaciæ, & consimilium. Item inunctiones ex adstringentibus oleis vmbilico, & pectini celebrandæ. Quòd si fluxus fiat per ipsius vteri colli venulas, has diligens obstectrix tangat colchothare, quod est sex illa, & crassamentum, quod ab olei vitrioli destillatione supereſt, & miraberis effectum. Hoc insuper loco non reticeam, vsum lactis caprilli chalybeati mane propinandi cum portione sacchari vel iulapij rosacei miram virtutem retinere; nam temperat acrimoniam sanguinis, nimiam fluxilitatem compescit, vasa restaurat, vires renutrit & scopis omnibus præsto est. Verùm in hoc animaduersione est opus, siquidem si capitis intensus dolor, si febris putrida, & acuta, si sitis valida comitentur, ex consilio Hippocratis à lacte abstinendum. Verùm posset quis reclamare lacti, eo quod ipse Hippocrates 5. aphorismorum 44. vbi ipsius lactis vsus præcepta tradit, negat illud propinari his, qui sanguinis copiam profuderunt; igitur cùm in hysterica hypercatharsi & fluxerit, & fluat adhuc assatim sanguis, illud non videtur vllo modo conuenire. Extirpatur difficultas facilè, si dicamus, ideo ab Hippocrate in larga sanguinis fluxione lac interdici, quod nec bellè coqui, nec vt par est distribui valeat. Non coquitur, quoniam calore, & spiritibus dissipatis ab emisso sanguine pepsis labefit, ventercque refrigeratur; Non distribuitur autem ex venarum collapso habitu. At non erit lac administrandum, vbi iam vires penitus defecere, vbi calor fere extinctus est, ipsarumque venarum collapsus habitus; verùm statim celebrata purgatione, quo tempore tenor virium cõstet adhuc, neque omnino exinanitę sint venæ, aut in vitæ atoniam deuenerit ægra.

Tandem ex Rhase, & Aelio Promotho sulphur viuum ad drachmam vnam cum musto cocto efficax est remedium; verùm hoc, eò quod valde exiccat, non adhibendum putarem nisi in fluxione, quæ ab aquoso, pituitoso, & fluxili nimis sanguine originem trahit. Suffitus ex vngulis mulæ, si Villanouano credendum est, quamuis menſium hypercatarsin reprimit; aufert tamen totum menſem concipiendi spem. Sed quid de Iaspide, & Cornepla ex Plinio, & Alberto? sanè miros effectus has gemmulas aliquando produxisse, testantur multi; verùm sæpius irritas extitisse, proprio periculo ipse didici, sicuti etiam alia multa arcana proprietate celebrata, velut puluerem suberis ex Sereno, & caprę colostron ex Moscho, & Cleopatra, nec non porcinum stercus coxæ alligatum. Vltimo loco arcanum mirabile si ita est, atque euporiston ex Ludouico Septalio asscribam lubenter, quo ipse infinitas mulieres liberasse profitetur. ℞. Aquę libras septem, cortices trium aurantiorum acidorum adhuc subuiridium numero tres, incisę excoquuntur ad duarum partium consumptionem, & facta colatura singulo mane septem assumuntur vnciæ. In finem ebullitionis ad maiorem efficaciam idem aliquando manipulum piloselłę addit. Simili ratione fere curandus erit inordinatus eiusdem sanguinis fluxus; nam quòd periodum non seruet, vel a vitio sanguinis, vel ab ipsorum vasorum imbecillitate, rara textura, aut frequenti reseratione continget: quare vbi diligenter causas eris assecutus; congrua apponesremedia, Hippocratis nostri memor consilij primo de morbis mulierbribus, vbi de horum curationis difficultate verba faciens hæc addit: *Sed & medici simul peccant non exactè causam morbi perscrutantes, sed velut viriles morbos sanantes; & multas noui iam ab huiusmodi affectionibus corruptas. Quare statim causam exactè interrogare oportet.*

CAPVT XIII.

An sanguis menstruus aliunde quàm à venis vteri per pudendum destillare valeat.

MENSTRVA colluuies naturaliter non nisi per vterum repurgari solet, ac debet; eò enim sanguinis putamen, siue dicas recrementum à natura delegari solet, tum vt superna viscera exonerentur à sarcina, à qua non sine magno vitæ discrimine opprimerentur; tum etiam vt congrua Generationi, quæ in vtero duntaxat efficitur, materia suppeditetur. Atqui non rarò contingit, vt præpeditis vijs, quæ ad matricem deferuntur, sanguinis huiusmodi affluxus intercipiatur, atque adeo vel restagnet, vel aliò commeatum facjat. Si stagnat, sexcentum eaque calamitosa parere consueuit accidentia; si verò aliò cõmigret, & sibi viam vndè vndè paret, nullam infert calamitatem, vitæque nullum comminatur detrimentum, sed solum sterilescit vterus, ac Generationis arescit prædium, quod rore sanguineo, ac nectare suaui nihil madescit.

Cæterùm sanguis iste, qui matricem non confluit, non vnam sibi vnde erumpat viam consueuit aperire; nam ex naribus, ex ore, ex labijs, ex oculis, ex papillis, ex digitis, ex intestinis, & vesica, ex vmbilico, alijsque insuetis locis manare visus est aliquando. Quod vt lector aliquis parum in historia medica versatus non difficeatur, asscribam compendio intemeratæ fidei auctorum exempla aliquot. Nicolaus Florentinus sermone secundo capite octauo Tridentinam mulierem describit, cui per vmbilicum singulis mensibus profluebat sanguis. Ex vesica cum vrina remixtum sanguinem menstrualem effluxisse, testatur Brasauolas 7. aphorism. in commentarijs. Ex aluo pariter reijectari, auctor est Hippocr. primo de morb. mulierum confirmante Galeno 5. Aphor. 33. quod non difficilè contingere posse, ille sibi persuadebit, qui venarum anastomoses illas non ignorat, quas vteri venæ cum meseraicis venis obtinent; per has enim facile sanguis ille in ventriculum, & hinc in intestina refundi potest. Insuper ex anulari digito, nec non minimo sinistræ manus effluentem singulis mensibus sanguinem ter obseruauit Ludouicus Mercatus, vt capite 7. primi libri de mulierũ affectionibus exarauit. Ex mammarum verò papillis eum qui per vterum repurgari debebat sanguinem effluxisse, vidit Amatus Lusitanus in Italia, & Lusitana muliere, vt 2. Centur. 11. videre vnicuique datur; quod similiter à Paræo confirmatur libro 23. cap. 32. & à Cordæo comm. 6. in primo de morbis mulierum Hippocratis, cuius hunc spectat aphorismus ille secundæ sectionis: *Quibuscunque mulieribus sanguis ad mammas colligitur, furorem significat*. Rursus ex auribus, & oculis aliquando eundem destillasse in moniali quadam, narrat Brasauolas 4. Aphorism. ad 25. aphorism. Dodonæus etiam medicinal. obseruat. cap. 15. memorię mandauit, virginem quandam, cui cum flores maturę iam viro apparere deberent, ex oculis sanguineas guttas lacrymarum instar frequenter emittere consueuisse. Præterea virginẽ ipse absentem curaui Deo sacram, quę cum menses per conuenientia loca non redderet, singulis mensibus aperta venula in inferiori labro sanguinem proportione respondentem affatim emittebat. Enaribus verò, & ore tam frequens est sanguinis intercisis mensibus eruptio, vt non sit opus auctorum probare monumentis; quod & Hippocrates primo de morbis mulierum monumento tradidit; & 5. aphorismorum trigesimo secundo ijs verbis insinuauit: *Mulieri sanguinem euomenti menstruis erumpentibus solutio fit*; Nec modo per vomitum e naturalibus partibus; verùm e spiritalibus quoque per excreatum solet menstrualis sanguis

A

B

C

D

refluere; quòd historia Amati Lusitani centuria ea confirmatur, vbi puellam recenser quindecim annos natam, quæ quotidie duodecies, qualibet scilicet hora semel, sanguinem excreabat, noctu verò nunquam. Nec prætereundum ex Zaguto recentissimo, & ingeniosissimo auctore, ex gingiuis etiam aliquando sanguinem illum periodicè eductum, qui ab vtero manare in mulieribus solet; audiamus illum 2. libro de Praxi medica, admiranda obseruat. 91. ita scribentem: *Nam Inuencula etate 18. annorum, tempore instantis menstrui lumborum dolore cum ventris torminibus corripiebatur. Huic apparebant in ore vlcuscula, caligabant oculi, & quatuor diebus in gingiuis intolerabilem pruritum sentiebat. Cessantibus hinc gingiuis dentium inferiorum riuuli sanguinei sudoris instar biduò emanabant, & sic seruato ordine per menstruos circuitus sanguis per hanc partem lochiorum modo quantitate librarum duarum fundebat*. Hic idem auctor & per vmbilicũ profluentem singulis mensibus sanguinem vidisse, nec non per inguina paruis foraminibus peruia, eodem loco testatur; ipsum si libet adeunto. Tandem addatur illud, interceptam menstrualem colluuiem per venas hæmorrhoidales frequentiùs excurrere in ijs præsertim mulieribus, quæ melancholico habitu sunt præditæ.

Arquì si tantæ sanguinis menstrui deriuationis, & anadromes causas nouisse exoptas, id necessariò contingere tibi persuadeas, quotiescunque vteri uaforum conformatio, aut insertio à principio generationis uitiosa extitit; ita ut ad uterum nequaquam dirigantur; eo prorsus modo, quo non rarò contingit, ut meatus ille cholidocus dictus, qui iciuno intestino inseri debet, ac plurimùm solet ad fœcum expulsionem, sursum ad ventriculum perreptat, homineſque picrocholos, semperque amarulentos efficit. Paripacto venarum vteri summa angustia, & continentia, vbi præsertim crassior est sanguis, has potest sanguinis anadromes efficere. Existimauit insuper doctissimus Sennertus, oriri posse huiusmodi sanguinis regurgitationes ab vteri robore, cuius causa sanguis ipse non recipiatur. At parcant eius manes, id nulla ratione fit probabile; quandoquidem sequeretur, quod in statu naturali, & in bene constitutis mulieribus vterus propter imbecillitatem sanguinem exciperet; quod est non minus absurdum, quàm ab omni veritate alienum; is enim ob proprium, atque insitum naturæ officium sanguinem & prolectat, & admittit, atque adeo quantò erit maiori præditus robore, tantò affluentius sanguineo madebit rore.

Cæterùm sanguinis huiusce per indecentia loca

loca effluuium, dum opportunè, ac sufficienter fit, nullum vitæ periculum portendit, solum spem Generationis adimit, cuius gratia pro virili niti Medicus debet, vt ad consueta loca reuocetur. Id tamen an tentare liceat, nonnulli cespitant, sæpe enim dum à parte inqua viam sibi aperuit, sanguinem repellere studemus, aut votum non assequimur, aut aliò, nempe in partem principem non sine magno vitæ discrimine facta metastasi refundimus, quod in historijs à Zaguto relatis palam fit; nam in iuuencula, cui per gingiuas menstrualis cruor emanabat, nullis auxilijs ad vterum purgatio reuocari potuit. In illa verò, cui per inguina foraminata effluebat, cùm frustra reliqua adhibita forent remedia, inguen ipsum cauterio actuali pertingi aliqui iusserunt, vnde intercepta est quidem sanguini via illa, tamen is ad supernas partes androme refluens, acutam excitauit febrem, pro cuius curatione saphena vtraque incisa fuit, iterumque natura sponte sua foramina illa ad inguina reserauit, indeque periodicè multorum annorum spatio sanguis tutò excurrit.

Verùmenimuerò his non obstantibus fas erit, si præsertim conceptionis satagant mulieres, equis velisque curare, vt ad conuenientia, & à natura præscripta loca menstrua reuocētur; quod nimirum reuellentibus, non autem repellentibus faciendum arbitror; nefortè præpeditis vijs. è quibus natura sarcinam deponit, aliò colluies calamitosè conuertatur. Quamobrem licebit venas in talo bis terue incidere, quin etiam singulis mensibus secare haud vererer, vt iugi conamine ad propriam regionem naturæ inclinatio prolectaretur, & sanguis qui est anarrhopos, redderetur catarrhopos. In quem pariter finem cucurbitulæ quotidianę ex vsu erunt cruribus, ac suris, inguinibusque iniunctæ, itemque frictiones, ligaturæ, atque etiam ipsa vesicantia, & cauteria ijsdem in partibus adhibenda quàm sæpissimè erunt. Ad rem pariter facient & balnea, & insessus, & pessaria, aliaque omnia quę menses ab vtero proritare solent. Quibus cunctis comes iniungi debet victus ratio opportuna, atque in primis corpus quotidie erit exercendum; & si virgo fuerit, ocyus tradenda viro; quandoquidem nihil efficacius ad vterum cum sanguine spiritus, & cum spiritibus naturam prolectat, & aduocat, quam Veneris palæstra, vt Hippocrates, & experimentum suadent.

CAPVT XIV.

De fluore muliebri, siue mensibus albis.

INTER multos, quibus misera mulier defœdatur ny steticis effluxibus, vnus frequentior est & omnium deterrimus, qui nomine fluoris à scriptoribus nuncupatur, estque ille prorsus, qui mulierem tristem, onerosam, pusillanimem, segnem, imbecillem, atque consumptam reddit, nec non sæpe sterilem. Dico sæpe, quoniam cùm talis effluxio promoueri possit & per venas vteri internas, & per venas cruricis; si materię deducantur per vteri capacitatem, dubio procul sterilitatem inferunt, quoniam vel vterum debilitant ita, vt semen continere nequeat, vel semen ipsum corrumpunt, vel alia quapiam ratione conceptui officiunt. Si verò per colli tantum ductus ijdem excurrant humores, vterus ipse & retinere, & excipere, & nutrire semen ritè poterit, ita vt conceptio nequaquam impediatur.

Huius autem affectus hyparxis hæc est. Nimirum natura sagax vterum non modo ad conceptionem mulieribus indidit, vt sæpius dictum, verùm etiam ad earundem repurgationem, ita vt velut sentinā quandā eundē infra collocarit, quò totius corporis impuritates facilius confluere valerent. Sic sæpe capitis excrementa, ventriculi cruditates, iecoris, & lienis infensi succi delabuntur ad vterum, & ex his irritata natura in expulsionem insurgit; idque eò contingit facilius, quo vterus est imbecillior, nam semper humorū delegatio fit ad partes debiles. Quamobrem ex ipsius fluoris qualitate, atque excrementorum inspectione diligens Medicus dignoscere poterit, vnde nam sit oriundus fluor; Nempe si humores albidiores, cruditate, & lentore insigniti excurrant, argumentum erit illos à ventriculo potius emanare; si magis aquosi, ac pituitosi ab iecinore, velut si nigriores à splene; quod Hippocrates obseruari præcipit infectis panniculis, vel insperfis arenis, ac deinde arefactis.

Non ibo tamen inficias, quin valeat interdum affecto duntaxat vtero, reliquo corpore inculpato huiusmodi fœdatio contingere; dum videlicet vel debilitata facultate eiusdē coctrice, sanguis, qui ad eius nutrimentum confluit, nō coquitur, vel retentrice læsa quicquid eò confluit solutis habenis extruditur. Quocirca id genus colluuiei sedula opera Medico Geneatropologo erit prohibendum, adhibita prius oculata animaduersio-

ne, decipiatur, num delabens humor sit seminalis, an verò alterius generis; cõfunduntur namque non rarò hi duo affectus, nempe fluor, & gonorrhœa, vt nisi mentem adhibeat Medicus, præ similitudine facile in errorem abeat. Potest autem dignosci vel à qualitate, vel à quantitate, vel à motu ipsius humoris, quandoquidem in seminali effluxu, nec mordacitas tanta, nec tanta copia, nec tot symptomata conueniunt; mitior enim extat spermatica materia, & sæcius ægreque putrescit.

Vbi ergo plenè assecutus eris affectionis ideã, causas, ac ductus, nil arduum erit scopos eligere curatiuos; Si enim totius corporis cacochimia fluorem excitabit, corpus vniuersum expurgandum venit iuxta peccantium succorum naturam; nam si bilis æstuabit, cholagoga in vsum veniunt auxilia; si pituita phlegmagoga; si melancholia melanogoga. Si partes principes in discrasiam abierint, obseruandum qualis naturæ sit recessus, & an caput, an iecur, an ventriculus à proprio tono desciuerit. Rursus cõsiderandum per quos ductus materia defluat, vt congrua celebrari valeat derivatio. Quòd si vterus ipse dũtaxat præ debilitate, ac vitio contracto fluoris origo extiterit, is roborandus, depurandus, atq. recreandus.

Queret hic aliquis, an sanguinis missio huic morbo competat, cui breuiter respondeo, si tantummodo cacochimia peccet, haudquaquã conuehire; sicuti etiam si albus omnino extet fluor, aut corpus manifestè refrigeratum, siue consumptum; at si plethoria insuper premat, & pallor, virorue succorum hepar impensè retorridum ostendant, phlebotomia tutò, ac fructuosè celebrabitur. Neque de loco ambigas, siquidem vena basilica vnius, vel alterius brachij incidenda erit, vt reuulsioni simul, & euacuationi consulatur.

Quo ad res non naturales, Aer siccus eligatur & crassiusculus, ne tam effrenè delabantur humores. Cibi sint euchymi, & in modica quantitate, nam vix mulier aliqua in fluorem deueniet, quæ temperata victus ratione vtatur; Cùm autem naturaliter mulier appetat, admittatq; prauì nutrimenti edulia, tunc præsertim cum vtero gerit, & dũ etiam vbera præstat proli, absque ordine varia ingurgitet, inde est vt ampla cacochimiæ

A

ſeges in corpore congeratur, ex qua postmodum vterinæ effusiones centum emergunt. Potus ex vino subrubro, vel oligophoro parari debet. Corpus exerceatur, nam si quid cumulare faciat excrementorum copiam, vtique est nimia quies, & vita sedentaria. Somnus ad eã temporis mensuram prolectetur, quo coctiones in ventriculo celebratas esse, comprehendatur. Venus vndique exulat, nam prolicit ad affectam partem humores. Demum cunctæ animi passiones molestæ arceantur; protinus. Postremò, quoniam vsu veniunt adstringentia, esto cautio, nullatenus illa fore administranda, nisi corpore cacochimia optimè, & vndique exonerato; alioquin enim humorum stipata illuuie in deterſora laberetur

B

symptomata affecta mulier. Superfluum foret roborãtium formulas apponere: expiscetur iuxta opportunitatem diligens medicus. Tantum ad calcem adscribam, vsum thermalium aquarum in hac fœdatione vt plurimum efficacissimũ esse; quare si fluxio alba magis fuerit, aquas adhibeto Tettuccianas, Porritanas, aut sulphureas apud S. Cassianum. Si fluor fuerit vel flauus, vel alia ex parte biliosus, Nucerinas magis commendo, vt quæ vno eodemque tempore causam euincunt morbi, hepar attemperant, atque vterum ipsum roborant; adeo vt si vlla in alia afflictione illius fontis haustus sit perutilis, in hac mirificè prodesse sæpius experientia fuerit comprobatus. Nec reticendum videtur ex Hippocrate 2. de morbis muliebribus, serum lactis &

C

ipsum in calido fluore summè esse efficaciæ, dũmodo mulier non sit lienosa; Verùm sententia Hippocratis non sic recipiatur, vt credatur seri vsus in lienosis nullatenus conuenire; quandoquidem serũ fortiter chalybeatum tantũ abest vt lieni officiat, vt potius maximopere faueat; de obstruit enim, & infarctus non multo post reserat, atque aduſtos nigrosque succos pellit. Et hæc sufficiãt. Sunt quidem alie quædã fluxiones vterinæ, quæ etiam ipsæ conceptioni incommodant, vt hæmorrhoides vteri, & gonorrhoea; verũ cum easdem fere causas hi affectus norint, quas descripta symptomata, atque etiam eadem plane via compescantur, inde est vt circa flores

D

menstruos, eorumque accidentia plura non sint mihi exponenda. Gynecium adeunto. Rhodericum consulito.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS

De Muliebri Sterilitate.

PRAELOQVIVM.

A

Ametsi de viri, mulierisque sterilitate, atque euphoria plura sparsim in 2. 3. 4. & 5. operis libro dictauerim, dum nimirum vtriusque sexus naturas prolificas, concinna generationis organa, atque optimi seminis natura m referaui: hic tamen menstrui sanguinis occasione plura quædam apponere visum est. Porrò ex parte mulieris longè plures sterilitatis accedunt occasiones; ideoque de his breuem, ac præcipuam tractationem inimus. Nec sanè sanctius vllum extat medicorum studium, vt prudenter aiebat Theodorus Priscianus, quam quod circa prolem gignendam iugiter impenditur; quippe summæ iniuriæ, maximoque dispendio est fœminarum sterosis, a qua vniuersi bonũ atque rerum perennitas euertitur, eliminatur. Quare apud Priscos in tanto erat horrore sterilitas, vt cœlitus in supplicium crederetur immitti; quod vel sacræ Pentateuchi testantur paginæ, in quibus steriles mulieres tamquã à Deo maledictæ describuntur, vtque turpi, & ignominiosa nota obsignantur. Quò sanè spectat illud in sacra Genesi cap. 30. vbi Rachel post longam sterilitatem filium enixa dixit. *Abstulit Deus opprobrium meum.* Ne ergo in cassum muliebre prædium seratur, vtque læta proles a Parentibus excipi queat, sterilitatis muliebris aliæ quædam erunt causæ retexendæ; vt enim basilicè Boetius mœtro 1. libri 3. canebat.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat prius arua fruticibus
Falce rubos, filicemque resecat,
Vt noua fruge grauis Ceres eat.

B

C

CAPVT I.

De plurimis detrimentis ab sterilitate oriundis

D

VTpateat vnicuique, quales iniurias almæ naturæ, ac rerum omnium vniuersitati sterosis infligat, quæue afferat detrimenta, ne forte id genus affectionis, aut potius afflictionis contemnant coniuges, eas consultò hoc primo capite propalare decreui. Et quidem inprimis sterilitatis vitio natura parens suo fine defraudatur. Quid enim ardentius illa desiderat, quàm generationem? quò feruentius, quàm in rerum productionem intendit? Quid magis perenni studio molitur, quàm semina sua vbique iacta proferre germina? Inde est quod statis quibusdam temporibus animalia cuncta ad libidinem excitat, & ad coniugium impingit; quinimo cuncta sua ministeria ad fœcunditatem, & prolem dirigit. Sic mehercle Cœli motus, Stellarum influxus, Temporũ varietas, Aeris mutatio, Elementorum pugna, qualitatum temperies, lis, & amicitia ad rerum propagationem ordinata sunt; neque prouida natura vllo vnquam tempore, imo vel minimo momento vacat à conceptione. O si posset illa suis prospici in latibulis, suis occlusa secretis sinibus, dum iacit semina, dum alterat, dum informat, dum conformat, dum perficit tot rerum species; Absque dubio circa conceptus perpetuò occupata conspiceretur. Non enim imaginari possumus breuissimum instans, quo natura ab operibus otietur generationis. Semper, atque indefic ienter granida est, semper, & vbiq. puerpera: Dum parturit, noua concepit; dum concipit, parit alteram sobolem. Semper parat semina in terra, in mare, in aere; post alterat, aperit, erigit; Inde radices primò, mox fruticem, post florem, frondem, fructum exerit. Ad huc repositis terræ meatibus aurum, argentum, es, ferrum, stamnum, metalla cuncta, & gemmas etiam profert, auget, expolit, perficit. Quis eandem vnquam vidit, dũ profundis pelagi partibus tot pisces, tot monstra, tot conchas concipit? In terra, & aere tot aues, tot bruta? Verè natura nihil agit aliud, quàm generare. Igitur ob sterilitatem suo fine destituitur, meritòque ob eandem tristatur, condolet, conqueritur, quasi ad interitum inde deducatur.

Cæterùm sterilitatis maleficio coniuges dulci priuantur amore filiorum, in quibus insuper sese perennant; vt propterea Trismegistus Hermes inter summas calamitates collocaret, è vita absque liberis excedere. Viuunt præterea valetudinariæ agonæ mulieres, ac semper morbis obnoxiæ ex Auicenna; quæ enim concipiunt, partus ocasione multis ægritudinibus liberantur. Rursus non sic amore coniuges inter se vinciũtur, quandoquidem sunt filij veluti ligamina, quę coniugum coarctant voluntates. Quid plura?

Digitized by Google

ra? Sterilitas imperfectionem arguit, igitur imperfectum, ac pene dimidiatũ est animal, quod sterile est. Antecedens est Arnaldi de Villanoua libro de sterilitate, vbi habet, qu òd etiam animalia licet sint perfecta in se, quando generationis actum exercere nequeunt, imperfecta esse dicuntur; nunquam enim, subiungit ille, perfectum animal dicitur esse, quando non potest suum simile generare in natura; & ideo est, quod animalia cuncta, quæ fiunt ex putri materia, imperfecta appellantur. Postremò steriles miseri sũt, impij sunt, quod Mercurius Trismegistus in Pimandro edisserit his verbis: *Liberorum procreationem apud Sapientes præstans studium in vita esse, in extrema omnium calamitate, & impietate eos versari, qui absque liberis è vita decedunt* Refert Plutarchus, & sit corollis, apud Corynthios innuptos, & qui filios nõ habebant caruisse sepulchro. Tanta est fœcunditatis præmi nentia, stirosisque infœlicitas.

CAPVT II.

De *Sterilitatis extrinsecis*, seu procatharticis causis.

Articulus I. de Aere.

IN omnibus morbis res non naturales magnam, immo maximã partem habent, atque adeo omnium primæ considerandæ sũt, ac diligenter examinandæ. Et vt à communissimo principio exordiar, quis dubitet, aerem in qualitatibus nimium excedentẽ vti alios morbos, ita quòque sterilitatem infligere? Hinc sanè meridionalis plagæ mulieres vt plurimum infœcundæ viuunt; extrema namque siccitas, caliditasque, & corporis totius, & vteri potissimum stirosin parit; absorbent enim, dissipantque seminalis materiæ humorem, ipsumque virile semen in vterum proiectum inde nutrimento destitutum in squallorem abit. Ex aduerso est Aegiptium Cœlum apprimè geniale, quod ex humidi, calidique lautissima temperie sit præditum; ideoque eius climatis mulieres fœcundissimæ extant, adeo vt & concipiant sæpissimè, & vno partu non binos, sed ternos, & quaternos etiam (teste Herodoto) ad lucẽ edant; quinimmo cùm in alijs regionibus, octimestres partus non sint vitales, inibi integrè viuunt, vt libris de historia animalium testis est Aristoteles, qui suam in hoc opinionem fortè mutuatus est à magno Hippocrate, qui libro de aere, aquis, & locis, vbi quantum differat ab Europa Asia demostrat, huius Cœli describit clementiam, cuius beneficio, & animalia, & vegetabilia fœcundissima existere testatur, idque peculiari ratione in Aegipto, & Libia accidere subiungit; contrarium verò de Scythis enunciat, quos omnes & mares & fœminas infœcundas, frigidasque degere vt plurimum ait.

ARTICVLVS II.

De Cibo, & Potu.

NON desunt varij cum cibi, tum potiones, quæ vel arcana proprietate, vel qualitate manifesta apti sint sterilitatem insinuare. Ideo Cleopatra prohibebat in primis falsa omnia, & acida; acida quidẽ, vt frigida, & vtero inimica; falsa verò vt rerum productioni infensa, iuxta illud Maronis in Georgicis.

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infœlix, ea nec mansuescit arando.

Nec Bacchogenus, aut pomis suanomina seruat.

Id quod ijs verbis confirmabat Plinius. *Omnis locus in quo sal reperitur, sterilis est, ipse in totũ sponte nascens.* Sed hęc plenius libro 2. à nobis exarata videas. Mẽtha vna est in primis, quæ Hippocrate, & Aristotele testibus, quòd semen extinguat, aut omnino exiccet, steriles præstat. Climenon herba, & peryclimenon ex Dioscoride. De peryclimeno, quæ est caprifolium, siue matrisylua penes multos hæc habet ille: *Folia sunt eisdem viribus prædita, quæ tricenis septenis diebus epota sterilitatem facere producunt.* Idem de Aspleno sic loquitur. *Conceptum adimere creditur per sese aut cum muli liene appensa. Tradunt nocte silente luna huius rei gratia effodiendam.* Præterea Heliotropium maius, Delypteris, Xyphium, eodem auctore, eundem parit effectum. Verùm hęc in primis superstitionem redolent, vanumque mendacium, neque ad comestibilia pertinere videntur. Potus & ipse non minorem facultatem habet stirosin inducendi. Sic valde gelidę aquæ auctore Aristotele 4. de generatione animal. cap. 2. Steriles faciunt. At non est huius opinionis magister Aristoteles, verùm meus Hippocrates libro de aere, aquis, & locis, vbi asserit, septentrionales mulieres ob aquarum nimium frigus steriles esse. Plinius naturalium historiarum 14. capite 18. meminit cuiusdam vini Trecenij dicti, quod sterilitatem inducit. Nec sane dubitandum est quin cibi, & potus in singulis qualitatibus excedentes faciat ad sterilitatem inde Lucretius libro 4.

Atque adeo refert, quo victu vita colatur
Namque alijs rebus concrescit semina mẽbris
Atque alijs extenuãtur, tabentque vicissim.

Quo

Quo sane consilio Pythagoras fabam vetitabat, A
si Clementi Alexandrino 3. Stromatum est fides habenda, quod scilicet sterilitatis producatur. Quam insuper opinionem fulcire videtur Theophrastus libro de causis plantarum, vbiait, si fabarum putamina prope arborum radices serantur, has euadere steriles. Nec desunt fluminum aquæ nonnullæ, quę peculari quadam virtute fœcunditati aduersantur.

ARTICVLVS III.

De Motu, & Quiete.

CORporis vel nulla, vel nimia agitatio simili modo sterosin infligere valet; absumit enim sanguinē labor nimius, humoresque ad superficiem de centro educit; quare conceptionis materiam, vel exhaurit, vel seducit aliò. Ex oppositò sedentaria, ac torpida nimis vita, ceu quæ teste Aristotele 1. de generatione animalium uteros pituitita, & muco replet, & infarcit; vnde postmodum partis illius refrigeratio contingit, sterilitatem inurit. Nimirum Hippocrates libro de aere, aquis, & locis de Scythicis mulieribus verba faciens, earum sterilitatis causam adducens, expressit luculenter his verbis: *Sunt enim otiosa, & pingues, ventresque earum frigidi & molles; vnde necessariò sequitur, non multum fœcundum Scytharum genus esse.* Contra de famulis earundem ibidem loquens, & cur fœcundiores quàm heræ existant, rationem afferens subiungit: *Cuius rei famulæ earum iudicium exhibent; nam hæ viris misceri plurimum gaudent, in uteroque conceptum continent propter corporis exercitium frequens, carnisque gracilitatem.*

ARTICVLVS IV.

De Somno, & Vigilia.

EXtrema omnia morbosa extant, quare somnus etiam, & vigilia modum excedentes, ex ijsdem rationibus, quas de motu, & quiete nimia supra diximus, mulieribus infœcunditatis originem præbere possunt.

ARTICVLVS V.

De Animi Perturbationibus.

ANimi pathemata, quæ vel turbāc humores, vel sanguinem inficiunt, vel spiritus resoluunt, vt mille solent parere symptomata, sic non rarò conceptum adimūt. Vnde est in primis, quòd mulieres, quæ præter voluntatem innguntur viro, vel penitus invitę nubunt, concipiunt secius, & sæpe nunquam. Sic etiam mulier si ploret in Veneris actu, nequaquam concipit. Amat namq. Venus læta, vult hilarem animum, iucundos poscit amplexus:

B *Nec solet in mœstos illa venire thoros.*

Age, quo pacto genialis spiritus in voluptatis palęstra, si tristis est animus, si cor mœret, si spiritus alget, valeant suaui pruritu perficere fœcundam Venerem? At quoniam lachrimę non minus à molesta, ac dolorifica, quàm à læta nimis exoriri valent causa; an si ploret mulier ex lætitia, profusaque iucunditate aliqua in cōplexu aphrodiseo, idētidē, irritus ac sterilis cōsequatur actus? Porrò tam lacrymæ tristitiæ soboles, quàm quæ effectus lætitiæ sunt, spiritus anocāt, agitant, alterant; vt ideo ploratus in Venere quacumque C
ab origine fiat, conceptioni infensus extet. Pari fermè gradu timor, iracundia, Zelotypia, & similes passiones sterilem præstant Venerem. Insuper ex inexpectato aliquo euētu pauor territæ mulieres, & repentino casu percussæ, qui congelato sanguine menses, & fœcunditatem amisere; nec diu est, quod ex his vnam præ manibus curandam habui. Iure ergo Aetius iuuitos mulierum coitus steriles dicit. Addex Rhasę nono cōtinentię, & est magis mirum, quod nèque concipit mulier, si nimio in Venere exardeat amore: cuius rei illa est ratio, quod semen apud illā intempestiuè nimis effunditur. Quò ni fallor illud Lucretij 4. de rerum natura alludit.

D *Nec mulier semper ficto suspirat amore*
Quæ complexa viri corpus cum corpore iungit,
Et tenet ad suctis humectans oscula labris.
Nam facit ex animo sæpe, & commuuia quærens
Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris.

An fortè etiam ob eundem ipsum amoris ardorē in ipso voluptatis complexu contingit, amasiam tamquam furore percitam nimium agitari, atq; adeo semen à conceptaculo excuti? Id nec præterijt Lucretius ibidem, inquit enim.

Nec molles opus sunt motus oxoribus hilū;
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,

Clu

Clunibus ipsa viri Venerem si lata retractet.
Ejicit enim sulci recta regione viaque
Vomerem, atque locis auertit seminis ictum.
Idque sua causa consuerunt sorta moueri
Ne complerentur trebrò, grauidæque iacerent.

Nec prætereundum, quod in effusa lætitia, amorisque gaudio intẽso spiritus facilè resoluuntur; relictis enim visceribus iucunditati fiunt obuiâ, quò circa exhalant vndique, & euanescunt. inde fit, vt semen etiam spiritali, & prolifica destituatur virtute.

ARTICVLVS VI.

De retentis, & excretis.

COMissis omnibus, quæ ad excrementa siue vtilia, siue inutilia pertinent, agere hic solum consilium est de Venere, vt quæ in sterilitate ferenda non leuem vim obtinet; ex illa nãque vel immodica, vel inopportuna, vel inordinata, vel alio quouis modo præter rationem, ac modum celebrata, dubio procul sterofis causæ possunt exoriri. Ita in primis frequentissimum aphrodision agoniam efficit, quod patet manifestè in prostitutis mulieribus, quę rarissimè concipiũt Cuius euentus illa censenda est ratio, quòd videlicet dum sępissimè illæ coeunt, aut non emittũt aut seminis parum, illudque spiritibus enudatum, atque adeo improle profundunt. Adde quòd frequentata Venere vterus asperitates amittit; fitque dilutus, quare semen bellè retinere nequit, sed illico expuit, infirma retentrice, quæ actu illo perenni quassatur. At si hæc vera sunt, qua ratione inquit Rhasis, quòd raritas coitus sterilitatem inducit? Dico primò, quòd est modus in rebus, ac certi denique fines, & superfluum in quolibet genere est naturæ inimicum, quæ in cunctis operationibus exposcit mensuram, opportunitatem, ac rectitudinem; ideòque mirum non esse, si à rariori concubitu attractrix vteri facultas quasi ipsum semen attrahere interdũ exoleiscat. Secundò dico, quòd Rhasis opinio verè parum est valida; siquidem quòd rariori congressu os vteri strictũ adeo euadat, vt admittere nequeat semen, id gratis dictum existimo; quando sunt viragines, quæ primo cõcubitu concipiunt, sunt viduæ mulieresq. prę falaces, quæ vbi abstinuerint diu, vnico tactu fiunt prægnantes. Et in brutorum genere non ne videmus primo vel secundo initu fœminas conceptum referre: & nihilominus Veneré non frequenter, sed statis quibusdam temporibus experiri, nempe semel in anno? non ergo raritas Venerei contactus insecunditatem efficere potest. Præterea philosophiæ modulator Lucretius lib. 4. Veneræ missionis formam ad fœcunditatem non parum conferre edisserit.

(Iuptas
Et quibus ipsa modis tractetur blanda vo)
Id quoque permagni refert &c.

Paulò infra coitum à tergo more ferarum fœcundiorem esse, decernit, quod nos alibi examinabimus plenius. Sed ex Magno Alberto libro 10. de Animal. tract. 1. hæc referenda sunt insuper. *Sterilitatis causa ex errore situs sunt, si mulier in vtero disponitur, aut mulier virum supergreditur. aut sitat, & si posterius cognoscatur, quia natium spissitudo impedit, ne ad matricis os accedat sperma.* Verum hoc vltimum repugnat è diametro Paulo Aeginætæ, qui cum Lucretio nuncupato loco statuit, à tergo belluarũ ritu celebratã Venerẽ cõceptioni mirẽ conducere. Cui ergo subscribendũ potius? aut quid pro conciliatione magnorum virorum afferendum? Profectò nihil discrepant hi auctores, quandoquidem verum est, quod Lucretius, & Paulus edixere: verum etiam quod Albertus ait; sed hic animaduertens, quòd more ferarum à tergo celebratus actus fortè ad os matricis præ distantiano deferret viri semẽ, sed facili negotio excideret, ideirco sterilitatis quandoque modum illum originem esse promulgauit. Et hoc insuper moti consilio Nomothetę sanxere, illicitum fore ob dispersionis periculum huiusmodi concubitũ. At si quis bene mentulatus foret, vt vsque ad os matricis intimum pertingeret mutone, reuera ex rationibus Lucretij, & Pauli, quas recensemus alibi, posset à tergo inire Venerem spe maiori conceptionis.

CAPVT III.

De sterilitate à menstrui sanguinis defectu, exuberantia, vitio, atque arcana dispathia oriunda.

DE muliebris genituræ sterilitate nihil est opus, vt hic verba faciã; nam quæcunque superiori libro de semine dictauimus, ea omnia vtrique semini, maris videlicet, ac mulieris ęquè conueniunt. In medium potius adferantur, quæ sanguini mẽstruo multifariam accedere possunt sterilitatis notæ. Nempe menstruę purgationes in primis atecniam efficient, si a congrua mensura plurimum discedant; quod libro de sterilitate his verbis edixerat Hippocrates: *Si verò mulieri menses non prodeant omnino, aut ab omnibus relatis etiam sic non concipit; vena enim sanguine plena genituram non suscipiunt, & in vteris aliquid inueterati ineſſe necesse est, quod genituræ nutri-*

nutriri prohibet. Confirmauit 7. de histor. animal. cap. 2. Arist. inquiens: *Conceptus mulieribus à proflunio menstruorum sua natura contingit, & quæ his carent, steriles magna ex parte consistit*, & hac ratione Scytharū mulieres infecundæ erāt, vt lib. de aere, aquis, & locis testatur Hip. ad quē redeamus. *Si verò pauciores quam debeant menses prodeant, neq; sic pregnans fit*; mox subiungit: *Et si quidem à natura pauci menses prodeunt, incurabilis est: si verò ab affectione aliqua ex relatis breui curata, fœcunda erit. Et si plures quam debent menses mulieri prodeant, neque sic in ventre concipit: vteri enim sanguine euacuato, genituram non concipiunt præ debilitate. Si verò etiam conceperint, sanguis multus derepente in vteros mulieris descendens, genituram suffocat. Manifestum autem & hoc est ex mensibus, qui multi prodibunt. Et si quidem natura mulier multos menses demittit, sterilis fit. Si verò non natura, sed ab aliqua ex relatis affectione, breui curata fœcunda erit*. Secundò si non debito tempore, atque ordine fluant, fœcunditati non parum aduersantur; id enim vel sanguinis alienam qualitatem, vel uasorum angustiam, & infarctum, aut etiam vteri imbecillitatē præsagiunt, quæ omnia sterilitati apprimè fauent. Tertiò ipsius menstrui sanguinis discrasia aliqua insignis aut malus caracter frequentius mulieri optatæ prolis defraudat; nequit enim par esse semini, eique congruū, & amicum præbere pabulū potest. Huius census existimandus erit quicunque niger, fœtidus, atque etiam aqueus apparuerit. Item qui albus, croceus, viridis, ac cæruleus fuerit, & omnino à pnrpurea natura sanguinis recesserit; is enim omnis vim seminis aduersa qualitate accidit, spiritus liturgos corrumpit, omnemque energiam eliminat. Nimirum tam delicata est seminis substantia, vt nisi pro hospite sanguinem intra vterum inueniat limpidum, cum puritate purpurascentem, cum suauitate feruescentem, & cum familiaritate iucundè consentientem, statim degeneret, ac plastica destituatur virtute, cuius fuga inania parentum eunt vota. Id nimirum significare præceptor voluit libro de sterilibus, vbi hæc leguntur: *Si mulierem parere nequeuntem, puerperā facere velis, in mensibus considerare oportet, an biliosa sit, siue pituitosa. Cognosces autem vtrum horum magis sit, si vbi menses prodierint, arenam tenuem & siccam in sole substraueris, & de sanguine infuderis, & si quidem biliosa fuerit, sanguis in arenā siccatus, luteus fit; si verò pituitosa velut mucus: Vtrum igitur horum fuerit; ventrem purgabis siue sursū, siue deorsum opus habere videtur; deinde intermissis tribus diebus vteros purgato.* Deniq. occulta etiā dispathia citra qualitatū excessū seminis conceptionem interdum præpedit, dum non rarò videmus, mulieres aliquas florido sanguine singulis mensibus madescentes, nec tamen intra vterū prolem suscitare. Hoc vitium si contingat, frustra curationem instituet Medicus: ad numina potius supplici voto confugiendum; quæ sola aphoriam istam abigere valebūt.

CAPVT IV.

Qua ratione explorare valeamus, vtri coniugum insit sterilitas.

AVICENNAS fen 21. tract. 1. cap. 9. ex Rhasi, vt conijcere valeamus, cuinam ex coniugibus accepta referri debeat aphoria, monet, vt in aquam vtriusque semina projiciātur, & quod quod supernatauerit, infœcundum censeatur. Verūm sententiam hanc multò ante ab Aristotele promulgatam nos alibi vegetis rationibus conuellimus. Illud hic addere lubet, quòd nimirum nescirem, qua ratione muliebre semen excipi posset, vt aquæ affunderetur; siquidem mulier non extra, sed intra proprium vterum, ac sinum genituram effundit; & licet in commixtione ipsum quoque madefeat externum pudendum, humor tamen ille non verum est semen, sed saliuales quedam, vt vocant, humiditas. Quin etiam posito, quòd muliebre semen colligi posset, atque extra pudendum effueret, irritum foret periculum ex aqua; nam si virile semen longè muliebri perfectius, atque spiritibus opulentius per longiorem penem deciduum infœcundum redditur Philosophi arbitrio, qua ratione muliebre, quod sui natura humidius, atque calore magis depauperatum est, absque læsione ac citra spirituum dispendium ex vasis ad vteri cornua, & ex his ad ceruicem, & ex ceruice ad pudendum, exiire posset? Vana ergo ista censeatur exploratio, quam Ludouico Mercato 3. de mulierum affectionibus arrisisse, miror valde. Aliud signū ab eodem auctore proponitur ijs verbis: *Pundatur dua vrinæ super lacticam, & ex illo est defectus, cuius vrina faciens aurit eam.* Quod experimētum in alijs quoq; fructicibus fieri posse, tradunt; quæ cunque enim vtrius coniugis respersæ lotio prius aruerint, illius insimulant sterilitatis. Aiunt alij apud Galenū: *Sumantur fabæ, & grana tritici, ac totidē hordei, & ponātur in vase, & totidē grana in altero, & super illa migat alter coniugū, & si post septē dies nascuntur, is cuius erat vrina, fœcundus existimabitur.* Verūm vt aliàs dicebam, inanes, ac ridiculas probationes hasce existimo; quippe vrina nihil indicare, ne dū cōtinere potest, quod ad fœcunditatem attineat. Traduut nonnulli, quod insperso vino sulphure in vrina, si ex hac deinde vermiculi enascantur, fœcunditas; sin minus sterilitas indigitatur. Id ipsū de furfuribus

in vrina vtriusque coniugis seiunctim madefactis ab aliquibus asseritur; quicunque enim prius vermes producunt, fœcunditatem illius, in cuius lotio maduerint, indicabunt; in hoc autem diuersitatem in auctoribus inuenio; Mercatus enim libro 3. de mulierum affectionibus scriptum reliquit, furfures, qui lotio respersi citius vermes proferunt, sterilitatem obsignare. Iouannes verò Hucherus 1. de sterilitate fœcunditatem obtestari ait; & hanc, si verum est experimentū puto verisimiliorem sententiam; siquidem illud fœcundius, quod aliquid quàm quod nihil producit, censeri potius debet.

Cæterùm fœcunditas exparte viri deprehenditur ex eius semine, quod album, splendidum, tenaxque sit, quod odoratum, palmq; atque iasmini fragrantiam redolens, & quod auidè a muscis delibetur. Ex parte mulieris euphoria iudicatur ex Veneris appetentia, feminis vbertate voluptatis mulcedine summa, & integra vteri, atque genitalium incolumitate. Rursus viri omnes aphori audire possunt, qui fœminæ vocem edunt, qui natura timidi existunt, qui mulicbres exercent operationes, qui pilis nudata pudenda obtinent; qui barba carent, aut illam paucipilè referunt, quique in Venereo certamine nihil strenuè pugnant, ac tandem qui pluribus mulieribus admixti nullā impleuerint: mulieres insuper illæ omnes infœcunditatis argui poterunt, quibus mistaces, & barba in mento apparent; pubes duris, ac densis obsepitur pilis, vox inest crassa, & virilis, nec non pluribus sociata viris nunquam conceperunt.

CAPVT V.

Quibus experimentis præcipuè indagari valeat mulierum fœcunditas.

PRobro licet mulieri detur aphoria, seu sterilitas, hæc tamē haud sē per illi accepta referri debet, interdū virum causatur. Vti ergo inter coniuges litigia, & controuersiæ, quę non leues exoriri solent, dirimantur, non abre erit aliqua ex Hippocrate in primis in medium afferre experimenta; quibus mulierum fœcunditas exploretur. Erat priscis temporibus ars ista, Platone teste in Theæteto, doctissimarū pronubarum, quæ nimirum vbi sterilitatis mulier quæpiam insimulabatur, accersitæ vitium explorabant, & pluribus medicamentis adhibitis de illa iudicium ferebant. Vt autem ex aphorismis primo documenta feramus; ita libro 5. aphor. 59. Hippocrates habet ex Heurnij translatione. *Si mulier non concipit scire aute velis, num conceptura sit, circumtecta vestibus inferne suffito: si odor per corpus ad nares, & os viam affectat, scias velim, & persuasum certò habeas, ipsam suo vitio infœcundā non esse.*

Sed ad specifica 1. de morbis mulieb. bus auctor descendens hæc monumentis tradidit. *Caput alij integrum deraſum appone, & vide, an per os oleat aliud experimentum. Notopon modicū lana inuolutū apponito, ac videto an per os oleat* Mox subdititia describens ait eodē prorsus loco *Scorpij marini fel lana exceptum, & in vmbra siccatum appone Aut pulegium siccatum, & tritum, ac melle subactum in lana apponito. Aut florem æris cum melle linteolo illigatum subdito Aut cucumeris syluestris semen, & testam combustam cum vino subigito, & leporinis pilis ac lana excepta subdito. Aliud subditittium. Alumen Aegipticum lanæ inuolutum apponito. Aut cantharidas tritas, vinoque subactas subdito. Aut artemisiam herbam vino subactam apponito. Aut melanthium cum vino tritū in lana subdito. Aut bulbion ex tritico tritum, & vino subactum apponito. Aut vini veteris albi faeces vrito, & vino albo extinguito, teritoque ac in linteo apponito. Aut galbanum, & netopon, & misy cum rosaceo vnguento in linteo subdito. Aliud. elaterij potiones duas, & fauum cum vino in linteo apponito Aut butyrum, & alumen melle subacta, similiter. Aut scammoniæ succum, & adipem cum mazā misceto, & vino imbuta in linteo apponito.* Hactenus Hippocrates. Sed inter has probationes primas obtinere creditur galbanum, quod igne emollitum, fericoque inclusum si per noctem muliebris vteri stomacho indatur, atque inde ipsius mulieris caput benè lotum inodorato linteo obligetur; mane verò si eiusdem mulieris vertex galbani redoleat odorem, eam fœcunditatis laurea haud esse defraudatam, certum erit argumentum. Pari pacto si ex aristolochia, & melle concinnatus pessus vteri cerulei indatur, & ex eo mulieris dulcescat saliua, euphoria eiusdem deprehenditur. Addunt alij, quòd si balsami aqua remixti modicum bombace excipiatur, vteroque immittatur semori prius alligatum, si fœcunda erit mulier, illud validè attrahet vterus. Si quis autē horū euentuū ratione poscat, hanc eam esse pro comperto habeat, quòd vbi nimirum suffitus sursum per vterum ascendunt, euidens est indicium, ipsum benè constitutum esse, atque nulla obstructione vexari, nulla figuræ peruersione detineri, nullaque insigni frigiditate, seu densitate constipari.

At non prætereundum etiam, consueuisse olim mulieres propriè fœcunditatis experimētum facere inunctis linimento quodam, ac potissimū croco oculorum angulis. Id quod nec omisit Plinius *fœcunditatis*, inquiens, *in fœminis prærogatiuam accepimus inunctis medicamine oculis saliuā inſici*. Hoc ipsum luculentius expressierat 2. de gener. animal. cap. 5. Aristoteles, apud quem

Digitized by Google

quem illa exarantur. *Mulierum probatio suffitu vt odores subeuntes vtrum efferantur ad locum spirandi, & afficiant halitum: atque etiam illitus vt colores oculis impositi saliuam perficiant oris; nam nisi hæc ita fiant, meatus corporis, per quos exercrementum decedit confusos, ob sectos, & obcæcatos esse significatur; sedet enim oculorum maximè omnium locorum capitis seminalis est; quod patet cum sola ipsa per coitum Venereum manifestè immutetur, & vsu immodico rei Veneræ oculi inprimis languescant, & subsideant, causa est, quòd natura genituræ similis cerebro est; aquosa enim materia eius est, calorque aduentitius; purgationes autem seminales à septo veniunt; principium enim naturæ hinc est. Itaque sit, vt motus à genitali ad pectus deueniant; hinc odores per spirationem sensum, &c.* Confirmat idem Philosophus oculorum collyria ad fœcunditatem inuestigandam 4. sect. Problem. 2. vbi quærens, curijs, quirem Venereum immodicè agant, oculi, & clunes manifestè subsident, hæc post multa habet: *oculos verò, & locu his proximis vim ad protreationem maximã obtinere, dorn illinimeta, quæ mulieres tã sterilesquam fœcundæ experiãtur, vtpote cũ vis ad semẽ trãsmitti hinc debeat.* Illud quidè silentio preterire nõ licet, quòd suffitus, & pessi illam duntaxat probare sterilitatem poterunt, quę ab vteri obstructione, ac densitate originem ducat; alioquin si aliunde ortum habeat, irrita fient thymiamata.

CAPVT VI.

De communi sterilitatis curatione; ac primò de ijs auxilijs, quæ ab animalibus suppeditantur.

VT varię, ac multiplices causæ sterilitatis existunt, ita & multiformis est curatio. Reuoluantur ergo plurimę, quæ sparsim in opere interseruntur vtriusque sexus affectiones; & inde remedia hauriantur singulis congrua. Hic vniuersalia quędam, & cuicunque aphorię suffragantia auxilia & quę maximè arcana quadam proprietate cõducunt, exarare lubet: nec diffido ex his auido lectori, ac sterilitati propugnatori plurimum vtilitatis, atque oblectamenti aduenturum iri. Illud præmonere tamen par erit, vt semper ante quã euphorica adhibeantur præfidia, totius corporis primò, mox vteri purgatio celebretur; quod libro de natura mulebri his verbis præceperat Hippocrates: *Si velis mulierem prægnantẽ fieri, ipsam, & vteras purgato.* Quam eandem sententiam ibidem paulò mira repetit. Quod sanè tunc A studiosiùs agendum erit, cùm in mensibus impuritas apparebit; ideoque ex Hippocrate Duretus in Coacis præclaram illam transtulit sententiam: *Si velis mulierem diu sterilem materno fructu beare, ac renouare orbos parentes prole gratissima; Primùm attentio esse debet ad menstrua, num pituitosa sint, an verò biliosa; nam talis impuritas conceptionem impediet, donec purgata fuerit expurgata.* Quò pariter collimare crediderim illud aphorismorum: *Mulieres mẽses decolores, nec eadem fluentes periodo purgatione opus esse indicant.* Erit itaque mulierbre corpus, & vterus in primis repurgandus, atque fouendus, deinde verò, quę ponè describuntur vsurpanda sterosis propugnacula; dicente 2. epidem. Apolline Coo: *Steriles partim fouere, partim purgare oportet*; quippe curatio quælibet suscipitur, ac perficitur simul vacuatione alieni humoris, & corporis à propria temperie egressi neoterismo. B

Vt autem recensendis euphoriæ præsidijs aliquo ordine incedamus, exordiemur ab ijs, quæ ab animalibus desumuntur, deinde quæ a plantis subministrantur, prosequemur.

Cerui, gallorum, vulpis, apri, & fœbri testes.

SI mulier gallorum testibus frequenter vescatur, optatam citò concipiet prolem, dùmodò eiusdem prædium vomere opportunè reuoluatur. Ceruorum quoque testes si in puluerẽ redacti aqua artemisiæ, vel decocto nepetæ assumantur, miram ad conceptionem præstabunt energiam. Idem de vulpis testibus affirmat Auicẽnas, si vulue supponantur, pessarijsque remisceatur: in quem vsum etiam simus ab aliquibus probatur. Apri quoque testiculos ad vmbram exiccatos, atque in puluerẽ redactos si iure galli veteris mulier capiat, breui tempore, teste Democrito, optatam adipiscetur sobolem. De Castoreo nil plus dicam; eius enim suffitus efficacia omnibus nota. C

Tauri, & Arietis genitale.

PLuribus contra sterilitatem probatur tauri, & arietis genitale torrefactum, & comestũ. An quia salacissima hæc duo animalia audiunt? D

Elephantis vrina, ac dentes.

AVicenna libro 3. fen 21 tract. 1. cãp. 10. auctor est, elephantis vrinam inter ea, quę arcana proprietate sterilitatem destruunt, primas obtinere, hæc sunt verba: *Et de ijs, quæ hibuntur habentes propietates est, vt in potu detur mulieri vrina elephantis, est enim mirabilis in impregnatione; & fiat illud cùm proximus est*

coitus, & cum coit. Eadem virtus ebori, quod eiusdem dens est, ab omnibus tribuitur; quare eius limatura tribus diebus in aqua mulsa, vel vino, vel conserua aliqua remixta passim ad profligandam sterosim exhibetur.

Leporis coagulum, uterus, sanguis, & fimus.

LEporis coagulum si in pessarium confectũ à mestrua purgatione supponatur, plurimũ conceptioni opitulari tradunt; inde præcitato loco Auicenna: *& suppositio coagulorum, & propriè coagulum leporis cum oleo post mundificationem adiuuat ad impregnandum*. Sed hic mirari subit præstantissimum Mercatum, qui 3. de mulierum affectionibus, leporis coagulum non suppositum, sed comestum probat; quo modo non solum conceptioni nihil fauet, verùm sterilitatem perpetuam inurit; quare Dioscorides libro 2. cap. 67. hæc scribebat de leporis coagulo verba faciens: *Post menstruas purgationes appositum vuluæ cum butyro, præstat mulieribus, vt concipiant: potum verò partus enecat, & à puerperio pariendi spem adimit*. Nec mirum alicui videatur, quod idem coagulum ore sumptum aphoriam, vuluæ appositum fœcunditatem pariat; si quidem ad hoc vt theorema illud, *idem vt idem semper facit idem*, veritatem habeat, necesse est, vt sit idẽ nõ modo ex parte sui, verùm & ex parte recipiẽtis; Atqui ore sumptũ, & suppositũ non est ex parte recipientis idẽ coagulũ. Leporis quòque vterus assatus, & ore sumptus conceptioni auxiliatur; imò & ejus sanguis in ferculis adhibitus plurimum expedire creditur; fortè quia inter quadrupedes omnes fœcundissimum animal est lepus; nam frequentissimè superfœtat: eiusdem etiam stercus pessis remixtum commendat Auicenna nuncupato loco.

Capræ fel, eiusdemque, & Cerui cornua.

SVffumigium ex cornu Capræ limatura, & eiusdem fel suppositum sterilitatem abigere tradunt fœcunditatis assertores. Cerui insuper cornu pulverizatum, & cum vaccino felle commixtum, si mulier, dum coit, super se teneat, procul dubio concipiet ex Alberti arbitrio.

Suis uterus. Perdicis oua.

EXvtero Suis exiccato, inque pollinem redacto si suffitus efficiatur, ex multorum experimento facilè mulier concipiet. Perdicis quoque oua æsitata mulierum fœcunditati astipulari, volunt. Nec mirum, quando tantę fœcunditatis existunt hæ volucres, vt sola audita maris voce, vt scribit Aristoteles, impleantur.

Iumentæ, & Vaccæ lac.

EQuæ lac mulieri nescienti, si fides est Alberto, paulo ante clinopalin exhibitum conceptionem cotinuò promit. Vim eandem vaccino lacti plerique tribuunt.

Hyænæ oculus. Accipitris fimus.

PLinius auctor est 28. suæ naturalis historiæ libro, hyænæ oculo mulieris curari aphoriam: audiatis illum: *Sterilitatẽ mulierum emendari oculo cum glycyrrhiza, & anetho sumpto in cibo, promisso intra triduum conceptu*. Accipitris verò fimus prosthemate mixtus conceptioni fauet nonnullorum arbitrio.

Infantis umbilicus, & meconium.

INfantis vmbilicus, qui primis diebus spõte excidit exiccatus, & in puluerẽ leuigatus iure, vel aqua artemisiæ exceptus, & aliquot diebus à muliere sumptus, eius conceptionem aliquorũ opinione sumopere iuuat. Id præcipuè tradit Alexander Benedictus 30. de curandis morbis; atqui vmbilicum istum ignara muliere assumendũ tradit; quod tamen superstitiosum censerem; quandoquidem hæc vmbilici virtus aut est interna, & connaturalis, vel aliunde accedit; si deforis aduenire dicatur: quæra vnde, & quomodo superueniat. Si autem connaturalis erit, ac propriæ substantiæ consectanea, eadem semper vmbilicus erit præditus, nec ea virtus prędicitur eo, quod à conscia muliere assumatur. Sileat ergo omnes, quot quot rerum proprietates hac ratione limitant, & coarctant; nam parum physicè loquũtur, nec naturæ vim norunt, quæ semper, & vbique suas expandit virtutes. De meconio verò Plinius libro 28. hęc monumento tradidit, vbi de varia sordium vtilitate verba facit: *Rursus in fœminis, quas aluo reddunt infantes vtero editi, contra sterilitatem subdi censent: meconium vocant*.

CAPVT VII.

Propugnacula quædam aduersus sterilitatem arcana præcipuè qualitate iuuantia ex plantis deprompta.

DIoscorides, alijque Botanici multas ad fœcunditatem facientes herbas recensent, quas omnes percurrere inutilis foret labor; colligimus propterea præcipuas quasdam, quæque celebrio-

Digitized by Google

briores existimantur, atque ab olere familiarissimo exordium facimus.

De Saluia.

AEtius sermone primo capite de saluia hæc habet: *Agrippa autem inquit, Saluiam herbam sacram leæna prægnantes vorant, nam vitalem conceptum continet. Quare si succi eius heminam vnam cum modico sale mulier bibat quarta à puerperij purgamentis die, & viro condormiat, infallibiliter concipiet. Aiunt eum in Copto Aegipti pestis grassaretur, eos, qui superfuerunt in ea regione eo egisse mulieres, & vxores suas ad huius succi potentem adeo vsum, & ad plurimam sobolem peruenisse.* Ab ista tamen calidiores mulieres, & quæ feruido laborant vtero, abstineant, solisque permittatur humidis, algiosisque.

De Ammi.

MAtthiolus plurima describit auxilia, quorum præcipua sunt, quæ de semine pastinacæ, ammi, balsamina, & alchimilla exarauit capitibus proprijs; quatuor tantum regis trêtur.

Ammi, inquit ille, legitimi semen, quod ex Alexandria affertur, mirifice præstat ad mulierum sterilitatem; nam compertum est, huius tantum seminis auxilio plures prolificas effectas; siquidem si propinetur mane drachmæ ponere ex vino in tenuem pulueren contritum alternis diebus, tribus horis ante cibum futuram pollicetur prolem; sed oportet, maritum eum vxore rem habere iis tantum diebus, in quibus illa semen non ebiberit, quod tamen diutius sumi non debet, quàm quatuor, aut quinque diebus, est enim ad sterilitatem præstantissimum auxilium, & pluries expertum. Vide librum tertium capite decimo sexto.

De Balsamina.

B*Alsaminæ fructus*, idem habet, *exempto semine macerãtur oleo amygdalino dulci, aut e semine lini expresso addita ad vnãquamque olei libram liquidæ vernicis vncia in balneo calentis aquæ, aut equino calente fimo, sitque inde oleum, quo steriles mulieres fœcundas fieri, scribunt recentiorum quidam, si à balneo medicamentis vtero conferentibus parato eo vteri osculum sibi perunxerint, ac demum suis se iunxerint viris.* Vide libr. 4 cap. 177.

De Alchimilla.

A*Lchimillæ aridæ puluis*, eodem loquente, *datur ex vino, aut iure cochlearis mensura quindecim, aut viginti diebus mulieribus, quibus ad sumpta sit concipiendi facultas à nimia vteri humiditate, quæ iniectum semen contineri prohibet.*

De Petroselino, & Coriandro.

AVctorem legi, qui contra sterilitatem extollit placentas compactas ex farina tritici, & aqua stillatitia petroselini, & succo artemisiæ, & in oleo communi frixas, & à menstrua purgatione singulo mane vnam per quindecim dies comedere. Simili modo celebratur sal Sacerdotale, quod paratur ex salis Amoniaci drach. 2. saluiæ, & cumim drach. 1. exhibetur autem tribus vicibus à menstrua purgatione.

De Negundo.

APud Indos, Christophoro à Costa auctore, mulieres foliorum Negundæ decocto omni tempore corpus lauant, sibique persuasum habent, huius stirpis flores, frondes, & fructus ad conceptionem mirificam vim continere. Ideo Castor Durantes.

Ex foliis succus trahitur, quo fœmina vires Concipiendi capit, sterilis desistit & esse.

De Satyrione, Pastinaca syluestri, Artemisia, & Calamintha.

PVdendorum muliebrium ex succo Satyrionis inunctio, conceptionem accelerat. Pastinacæ verò siluestris semen duorum mensium spatio quotidie in potu sumptum votã parentum explet, ventremque citò mulieris implet. Cæterum si ex artemisiæ puluis cum saccharo summo mane sepius assumatur, indeque sussitur ex calamintha efficiatur, ocyus pullulabit in vtero fœtus.

De Mandragora.

MAndragoræ pomum amoris blandimẽtum appellatur, quòd amatorio quodam facinomentem in eroticum affectum trahat. Inde fœcúditatis eram creditur alexipharmacũ, quòd vel sacræ paginæ testimonio probari posse videtur; nam cùm Rachel sterilis audiret, ideoque mœstissima viueret, pomi huius ardentissimo tenebatur desiderio. Quare cùm aliquando Ruben in rus digressus tempore messis, matri Liæ mandragoras retulisset, Rachel sororis fœcunditatis æmula, illas sibi concedi postulauit, quas tamen cedere fronte caperata detrectauit Lia. Verùm composita tandem lite, ea conditione poma Racheli permisit illa, vt ipsa nocte sequente mariti frueretur amplexu; nam duabus sororibus vni marito copulatis alternis vicibus exigebatur concubitus. Rachel verò eo consilio

sio Mandragoræ poma tũ amidè concupiſce exi-
stimatus, quia illorum eſu fœcunditatem diu
exoptatam recipere confidebat, atque ita ſterili-
tatis probro carere, quo ſæpe percita cum
coniuge Iacob expoſtulabat, & inuidia per-
mota ſuccenſebat Liæ. *Egreſſus autem Ruben
tempore meſſis triticæ in agrum*, Sacra Geneſis
cap. 30. *reperit mandragoras, quas matri Liæ
detulit; dixitque Rachel: da mihi partem de
mandragoris filij tui: illa reſpondit. Parum ne
tibi videtur, quod præripueris maritum mihi,
niſi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Ra-
chel: dormiat tecum hac nocte pro mandragoris
filij tui: Redeuntique ad veſperam Iacob de agro
egreſſa eſt in occurſum eius Lia, & ad me, inquit,
intrabis, quia mercede conduxi te pro mandra-
goris filij mei.* Tandem paulò infra legitur. *Re-
cordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit
eam, & aperuit vnluum eius, quæ concepit, &
peperit filium, &c.*

Sed valde mirum fieri poteſt, quomodo man-
dragoræ, quę frigidiſſimę sũt, viq. pollent ſtupe-
factiua, ad conceptioni, cui præcalida potius, atque
excitantia auxilia ex vſu ſunt, arridere valeant.
Arqui facilè id ſibi perſuadebit, qui etiam a ni-
mia vteri caliditate aphoriam exoriri poſſe, non
ignorabit; quo caſu frigida vſurpare, opportu-
num conſilium eſt. Quippe temperato ex his vte-
ri feruore, nequiquam genitura diſſipatur, inq.
halitum euaneſcit. Huius naturæ autem Ra-
chel eſſe debebat; Iudeæ namque, Mauritanæ,
& Aegyptiæ plurimùm his pollent amettijs,
ideoque falacisſimæ etiam audiunt. Hæc ſcitè
Leulinus Lemnius exaranit in parabolis, quæ ex
herbis in Bibliis deſumuntur, capite de mandra
gora, vbi inter alia appoſitè illa leguntur. *Cæ-
terùm an mandragora fœtificandi uim muliebri-
bus conferat, atque vtero retinendi ſeminis effi-
A cacitam, conciliet, in dubium vocari poſſet. Quum
enim ſoporifero effectu prædita ſit, & impenſè
frigida, hæc qualitas ad tale quiddam præſtan-
dum prorſus ineffica conferri ſolet, & inidonea.
Quod tamen ita dilui poſſe video, vt in frigidis,
humidisque regionibus, atque in vtero humectio,
& algido tale quiddam perficere nequeat, ſed in
torrido, effluantique, & exuſto. Sic in Africa
Hiſpania, Iudea, Mauritania, Numidia, Ae
gypto, in quibus fere regionibus mulieres ada
ſtos, ventoſque habent vteros, ac feruidos, tum
ſqualidos, ac ſtrigoſos: non incommode hoc po-
mum adhiberi poſſe prædiderim. Siquidem eius
eſu corpus ad temperiem reduci poſſe, exiſtimo.
Quum poſt amplexum, & congreſſum maritalem
ſoluto in ſommum corpore, vterus retinendi-
vim ſeminis aſſiſtat, nec id in fumos, ac faligi-
nem euaneſcat, vt in calido, atque effluante vte-
ro, aſſolet in quo vtriuſque ſemina minus coa
leſcunt, aut vniuntur ſublata omni poſteritatis
ſpe. Hæc ille.

B

De Mercuriali.

DE hac vel Q. Serenus Samonicus teſtimo-
nium præbuit eo metro.

*Mercurialis item capitur cõmuniter herba,
Si cubitum noctu coniux feſtinet vterque*

C Cæterùm ex his, aliſque tum herbis, tum lacry
mis, & aromatibus mille ſuffitus, atque pro-
ſthemata concinnãtur, quę videre vnusquiſque
poterit tum apud ipſum Hippocratem libro de
ſterilibus, de natura muliebri, ac de morbis
mulierum, tum etiam apud Neotericos illos,
qui Gynęciũ edidere, inter quos opulentiſſimũ
penu ſtruxit Ludouicus Mercatus in ſuo de mu
lierum affectionibus. Nos vulgaribus omiſſis ad
reliqua properamus.

FINIS SEXTI LIBRI GENEANTHROPEIÆ
Ioannis Benedicti Sinibaldi.

SYLLABVS
TRACTATVVM, ET CAPITVM
quæ in præcedente Sexto Libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS:

De natura, & causa, tempore, mensura, & varijs menstrui sanguinis accidentibus.

Cap. I. *Quid sint menstrua, secundæ, an tertiæ coctionis excrementum, & cur flores appellentur, itemque tempora, & Marchio.* 707.

Cap. II. *Qua ratione, & quo consilio menstrua in mulieribus generentur.* 709.

Cap. III. *Per diapedesim, an per anastomosin sanguis menstruus effluat.* 713.

Cap. IV. *An cuiusque generis animalium fœmina menstruum sanguinem obtineant, & que nam largius inter mulieres.* 714.

Cap. V. *Quonam tempore mulieribus menses apparere incipiant, quoue tandem desinant.* 716.

Cap. VI. *Qualis sit sanguis menstruus, & an per se, an verò per accidens adeo noxius, ac deleterius existat.* 718.

Cap. VII. *Cur Luna decrescente potius menstrua purgationes recurrant; vbi de periodicæ earundem excretionis causa reseruntur aliqua.* 721.

Cap. VIII. *Quæ nam esse debeat menstruorum mensura.* 724.

Cap. IX. *Qualis esse debeat sanguis menstruus, & quomodo eiusdem vitia deprehendantur.* 725.

Cap. X. *De stagnantibus mensibus, siue alia menstrui sanguinis eclipsi vti Generationi incommoda.* 726.

Cap. XI. *An, & qua ratione mulier menstruis carens vtero concipere aliquando valeat ex Aristotele, & propria opinione.* 730.

Cap. XII. *De menstrua hypercatharsi, siue immoderato mensium fluxu.* 733.

Cap.

Cap. XIII. *An sanguis menstruus aliunde, quam à venis uteri per pudendum defillare valeat.* 737.
Cap XIV. *De fluore muliebri, sine menstruis albis.* 742.

TRACTATVS SECVNDVS.

De muliebri sterilitate,

Cap. I. *De plurimis detrimentis ab sterilitate oriundis.* 745.
Cap. II. *De sterilitatis extrinsecis, seu procatharticis causis.*
Cap. III. *De sterilitate à menstrui sanguinis defectu, exuberantia, vitio, atque ex arcana dispathia oriunda.* 752.
Cap. IV. *Qua ratione explorare valeamus uteri coniugum insit sterilitas.* 754
Cap. V. *Quibus experimentis præcipuè indagari valeat mulierum fœcunditas.* 743.
Cap. VI. *De communi sterilitatis curatione, ac primo de ijs auxilijs, quæ ab animalibus suppeditantur.* 757.
Cap. VII. *Propugnacula quædam aduersus sterilitatem arcana præcipuè qualitate inuantia ex plantis deprompta.* 760.

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER SEPTIMVS.

De Venere opportuna ad εὐπαιδίαν, ſiue ad bonam filiorum procreationem.

Ad Ill.mos, Reuer.mos, & Excell.mos DD. XII. Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Aduocatos, & Almæ Vrbis Archigymnaſij Moderatores Vigilantiſs.

DD. Petrum Franciſcum de Rubeis Decanum, Diomedem Vareſium, Io. Baptiſtam Spadam, Dominicum Cecchinum, Hieronymum Meltium, Iulium Cincium, Franciſcum Cultellum, Antonium Cerrum, Ioſephum Baylam, Antonium Montecatinum, Franciſcum Ferrettum, Iulium Donatum. Patronos, ac Mœcenates.

ERERI, ac tutelaribus Dijs fructuum primitias deuouebat ſuperſtitioſa Gentilitas. At vobis Patres Optimi, Nomophylaces Maximi, laborum meorum primitiæ non vano, ſed legitimo iure offeruntur: In agro enim fœto Romani huius Athenæi, cuius eſt vobis a Summis Pontificibus iandiu regimen demandatum, ſatæ primum, inde cultæ, mox tandem veſtris auſpicijs lectæ fuerunt. An verò palato veſtro exquiſito nimis

mis futuræ sint iucundæ, vtique vereri possum. Atqui tamen confido; quandoquidem acerba etiam suo non defraudantur vsu, & saltem appetentiam sylueſtria poma excitare, austeraque omnia gustum titillare consueuerunt. Quales quales tamen, Sapientissimi Præsides, vt deliberis, precor; nam etiam Dijs qui Thura non habent, salsa mola litare solent, nec tamen illi humile dedignantur libamen. Quòd si fata primùm, & vestra patrocinia dabunt, opportunè fructus iucundiores, & segetes longè sapidiores feram. Polliceor. Deiero. Sic me mea vota sequantur. Sic votis arrideant Numina. Nimirum singulis annis, vt noſtis, in Romanæ Sapientiæ prædio nouello, & meliora insero: Præstolari tamen aliquandiu, necesse est. Optantur Solis benigniores influxus, & ab Ioue Terrarum aliquo fœcundiores imbres. Næ si accedant, messis erit vberior, oporotheca opulentior, vnde sapor vnicuique gutturi, vestroque potissimum præstò erit iucundior. Valete interim, & meis studijs patrocinari contedite; dum ego interim pro vestra incolumitate Cœlites ex animo deprecor, quatenus honorum vestrorum quotidie maiora coruscare lumina valeant; Senatus enim vester omnium Romanæ Aulæ dignitatum Seminarium semper extitit.

Digitized by Google

GENEANTHROPEIÆ IDEST DE HOMINIS GENERATIONE LIBER SEPTIMVS.

De Venere Opportuna ad εὐγονίαν, siue ad bonam filiorum procreationem.

PROEMIVM

OMNIA tempus habent; & Venus ipsa suum. Haud semper venatur Cinthia, nec semper choreas ducit. Bacchus non semper exercet pocula, nec semper orgia petit. Non semper Cœlum nimbosis caligat imbribus; semper nec rident æthera. Non apis fert mella semper; nec semper lilia florent. Omnia tempus habent.

Nunquam purpureum nemus
Lecturus violas petas,
Cum sæuis aquilonibus
Stridens campos inhorruit;
Nec quæres auida manu
Vernos stringere palmites,
Vultu si libeat frui:
Autumnus potius sua
Bacchus munera contulit.

Canebat Boetius metro sexto libri primi. Ergo suas periodos docebat hic Cytherea coniuges.

TRACTATVS PRIMVS.

De Vniuersali, ac particulari tempore Generationi humanæ congruo.

PRAELOQVIVM.

HACTENVS, amice Lector, quæ ad fœcundam Venerem facere videbantur, abundè satis exaruimus; Modò quoniam rebus in omnibus eucheria, siue opportunitas apprimè est necessaria, siue qua vel optima quæque infructuosa, aut potius vitiosa reddunt, vel Sulmonense auctore 1. de remedijs.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore Vina nocent.

Operæ pretium iccirco est, septimo hoc libro tempus humanæ procreationi congruum præscribere, quatenus Generationis ipsius excellens opus vndique perfectum habeatur. Sicuti enim in cerealibus non sat est agrum aptè dispositum esse, & semina ritè parata; Verùm insuper necessarium est tempus, & astra respicere; quocirca in Georgicis Maro.

Vere nouo gelidus canis cùm montibus humor
Liquitur, & Zephiro putris se gleba resoluit
Depressо incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, &c.

Ita etiam in humanæ generationis liturgia opportuna magis aliqua tempora esse, putandum erit; licet ob generis præstantiam homines quocunque tempore procreari, vniuersalissimus rerum ordo decreuerit. Ad corporis gignendi saltem meliores dotes, maiorem venustatem, robur, ac valetudinem par est vt astra, ac tempora in Venere coniuges intueantur; nec non, vt minus referant in proprio corpore detrimentum.

CAPVT I.

De tempori constitutione. Padurgia commodo ex Paulo Aegineta.

NARRAT libro suo de Morbis Paulus Aeginas, Dioclen Philosophum, & medicum insignem Antigono Regi epistolam quandam prophylacticam conscripsisse, qua duce posset ille propriæ valetudini, rebusque suis aptè prospicere. Inter alia verò eximia præcepta, quæ à Philosopho traduntur, sunt illa præcipuè, quibus admonet, quonam tempore Veneri, genioque sit indulgendum. Scribit ideo, brumali Solstitio exercendam Venerem esse. Solstitium autem brumale, quod hibernum etiam nuncupatur, erat Cæsaris Augusti tempore octauo Calendas Ianuarij; nunc verò ad idus Decembris incipit, cùm videlicet Sol transmittit octauam Capricorni partem, incipiens vlteriores circulos petere. Quamobrem ex Dioclis consilio in Solstitio brumali, siue illud mense Decembris contingat, siue ad Ianuarium extendatur, libido est exercenda tuto; quo sanè tempore feles faciissimæ bestiolæ cupidinis ærumnis incenduntur, & furiunt etiam, ni fusè libidini faueant.

Rursus eodem auctore in equinoctio verno vsque ad Virgiliarum exortus sit congruum celebrandæ Veneris tempus: & sanè hoc æquinoctium 4. idus Martij, vel circa octauo calendas Aprilis accedit; his ergo mensibus præstat Generationis opus moliri vsque ad Virgiliarum exortus, vt ille ait; Sunt autem Virgiliæ septem illæ stellæ pleiades à Græcis dictæ, & manent in fine tauri, & cauda arietis, quod tempus est Maium. Quocirca mense Maio abstinendum erit. Præterea monet idem, vt in Solstitio æstiuali Venus vel omnino vitetur, vel simpliciter fugiatur, & candidè pertractetur, hoc est absque vllo labore, conatu, & vi; & hoc tempus accidit octauo calendas Octobris ante Virgiliarum occasum. At verò in equinoctio autumnali, Dioclē auctore, sitque mense Octobris, concubitum pro virili fugitare debemus. Petat qui vult Paulum libro primo capite centesimo.

Verumnimverò non leuis hic exurgit controuersia, quoniam præfatus Diocles hibernum tempus maximè probat; Aetius verò sic habet *Ex temperibus ver optimum est, inceptus autumnus & æstas; sed neque hyems commoda est propter frigiditatem*. Conciliantur auctores meo iudicio, si dicamus, Dioclem ad corporis tantum modo valetudinem, sine ad minus detrimentum ipsius Regis respexisse; qua ratione hiberno tempore Venerem adhibere minus incommodat; cùm enim ex Philosophi, ac Medicorum omnium sententia vnà cum semine multa pituitosi humoris copia excernatur; cùmque hyeme pituita præsumatur, hinc fit, vt hyemis concubitus fiat opportunior tantòmagis, quòd ex Aristotele hoc potissimum tempore homines ad genium proficiant auctio ab hyeme calore. At verò Aetius non ad sanitatem duntaxat; verùm etiam ad prolem lætè excipiendam collimauit: quo sanè consilio vere nouo præstat Priapo dare operam; quandoquidem verno tempore ex Hippocrate sanguis abundat, ac præuiget, & per consequens semen quoque vberius, magisque spiritibus ditatum elaboratur; quo fit vt, inde valetudo hoc tempore non lædatur; nam vt Galenus habet, sanguineis corporibus, & succulentis Venus apprimè competit, neque a coitu læduntur; & vt proles inde perfectior excipiatur; ex vberiori namque, & calidiori semine perfectior, & robustior coalescit proles, vt nemo ibit inficias. Præterea dici posset, Dioclen pro tempore hyberno finem hyemis intellexisse, Aetium verò principium veris; finis autem hyemis, & principium veris conueniunt; nam, vt est in Physicis, terminus ille, qui est finis vnius spatij, vel horæ, est principium alterius horæ, & alterius quanti cathegorematici. Rursus vnum, & idem sub diuersa ratione consideratum diuersos etiam parere sensus potest; inde fieri potest, vt vel hyems, vel ver Veneri magis apta statuantur.

Ceterùm vernum tempus omnibus censerem opportunius; vnde existimo, vates tali consilio ver Veneri dicasse: eo namque temporis potissimum animantia quæque Venereis & Genio sedulam nauant operam, vt clara patet experientia; aues namque modulamine dulci mauirer sese complectuntur, serpentes amplexantur inuicem, pisces per littora lasciuientes Venerem aduocant; Quare Poeta de vere.

Alma Venus colitur, Venerem genus omne volatum.
Sentit, amat blando tempore blanda coli.

Et Lucretius Physiologus.

It ver, & Venus, & Veneris præmunciu ante.
Pennatus graditur Zephirus vestigia propter.

Plura huc spectantia in secundo operis huius libro exarauimus.

CA-

CAPVT II.

Quo tempore ex Hippocrate Veneri sit indulgendum, vbi Celsus examinatur.

SVMMVS Philosophiæ, ac medicinę parens Hippocrates 1. de dixta prophylacticum Veneris exaraturus consilium, his verbis est vsus: *Coitu vtendum est aqua accessibus contingentibus frequentiore, in ignis autem impressionibus pauciore.* Cuius oraculi sensus multorum arbitrio non est alius, quàm quod tempus Veneri, Genioque proportionatum est & hyems, & ver, in quibus aquarum accidunt accessiones, id est imbres & rores: æstas vero, & autumnus, quibus impressiones igneæ, id est siccitates contingunt, tempora prorsus inopportuna. Hinc Salernitana schola,

At æstiuo sub æumate Syrius ardet
Quum rapidus, squalletque solum feruore caloris
Balnea pellantur, nullus sit Cypridos vsus,
Munere sed proprio cessent genitalia fungi
Membra.

Et ratio nimirum est in promptu; quoniam cùm Venus, teste Philosopho, valde exiccet, tunc temporis exercenda videtur, cùm corpora circumfluæ turgent humiditate, vti hyemali, vernoque die aduenit; tunc ex aduerso vitanda, quando præ Cœli squallore eadem arescunt, vt puta æstiuis, atque autumnalibus horis: quæquidem intentione ductus est Hippocrates in 6. Epidemiorum, vt asseréret, morbis epituita, id est humidis conferre Venerem.

Sed statim non leue exoritur dubium, cur nimirum Cornelius ille Celsus in hoc desciscat ab Hippocrate, in cuius verba toto sui operis curriculo iurasse videtur; ait enim apertis fidibus, autumno, & vere pernicio sam esse Venerem; hyeme, & æstate non ita insalubrem. Porrò hæc Celsi sententia non modo aliis omnibus tam Græcis, quàm Latinis auctoribus reclamat, verùm sensui ipsi repugnare palam videtur, quando manifesta probatur experientia, æstiuũ, atque autumnale concubitum deteriorem esse, cùm leui negotio ducat ad exolutionem, & interitum; ob id videlicet, quod contrarij ciuntur motus, ac propterea naturæ corruptiui; nam feruente Syrio, ac vniuersa eriã æstate ratione calidissimi ambientis fit motus in viuentibus à centro ad circumferentiam; quocirca viscera cuncta languent, virtus fatiscit omnis. Contra in Venere à peripheria ad centrum fit reductio; non ergo mirum, si eo tempore natura ab vsu Veneris perperam habeat. At vere blando dum tepet aer, dum ridet cœlum, dum prata virent, dum florent arua, dum vites gemmant, dum cuncta terra, marique geniali turgida succo lætantur, non est, cur damnetur Veneris blãdicium.

Etenim si Galeno credendum est libris de tuenda sanitate dicenti. Venerem innoxiam his tantum esse, qui calidi, humidique sunt, & vbere seatent sanguine; vere cumprimis fatendum est, illam euchristiam ferre; quo sanè tempore calida, humidaque sunt corpora, atque adeo polyœmia, & polysperma. Adde quod quum vere morbi fiant melancholici, vt patet ex Hippocrate 3. Aphorismorum 20. eo quia autumno genita melancholia, & hyeme congelata, tunc temporis liquetur, & corporis humani particulas irrepat, offendatque; cùmque morbis melancholicis ex Aristotele in Problematibus Venus prosit, quocirca & Galenus 6. de morbis popularibus aiebat, illis Venerem salubrem esse, quibus fuliginosi halitus, fumidique redundant succi; non videtur vlla ratione eo tempore abneganda, cùm præsertim Celsus mordicus nimis eam damnet, dicens esse pernicio sam.

Quid ergo statuemus? Aut quomodo Celsum tuebimur? Fermè virum tantum increpare decet, vt ideo potius cæteris conciliari debeat si aliqua ratione fieri possit, & eiusdem expiscari mentem; Alioquin celebres extant aduersus illum Hippocratis, & Aristotelis auctoritates, quarum illæ sunt præcipuæ in libro de superfœtatione, ac de sterilitate Hippocrates sic habet. *Tempus porrò vernum ad concipiendum aptissimum est.* Aristoteles 5. de historia animalium cap. 8 ita reliquit. *Tempora autem coitus præscripta, & ætates certas ad venerem singulis animalium natura finxit, & statuit;* & subiungit: *Ergo plurimorum animantium natura vult quidem rem Veneream per id tempus, cùm hyemis cessante sæuitia æstatis clementia oritur, quod sunt tempus veris est, quo plurima, & volatilia, & pedestria, & natantia ad coitum excitantur.* Quod si brũta, quæ simplici naturę ducuntur instinctu, vere nouo sese Venere inuitant, & si natura non frustratur, & semper quod melius est, eligit, vtique dicendum, illud tempus Cypridi maximè accomodatum esse. Rursus idem Philosophus 6. de historia animalium cap. 19. scribit. *Sunt porrò animalia propensiora ad coitum prope dicerim omnia verno tempore.* Atqui natura sagax ad id, quod melius est, inclinat. Ad huc secundo capite eiusdem libri: *Coeundi initium equis in vere est*, inquit. Quid plura? Galenus, Auicenna, Aetius, Paulus, & pene omnes constitutionem aphrodisio congruã statuerunt vernum tempus. Quare etiam apud Poetas mystice hoc significatur, dum Venerem

Aprilis mense natam ferunt; vnde 4. carminum Horatius vti alibi etiam retulimus.

Vt tamen noris, quibus aduoceris
Gaudijs, idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
findit Aprilem.

Verùm obiectionibus Cornelium obuiam euntem v deo, suamque opinionem sic elucidantẽ. Spòrè, inquit ille fateor, nec sũ iturus inficias, homines hyemali tempore ad Venerem stimulari magis, ac proinde coitu tunc temporis haud vel de lædi posse: scio & Aristotelem 5. de historia animalium testari, quod præstantior est proles, quæ hyeme, quàm quæ æstate gignitur, per quod verbum conceptionem non minus, quàm ab vtero progressum intelligit; vt ideo si res simpliciter consideretur, non sit negandum, quin salubrior sit hyeme, & vere, quàm æstate, & autumno Venereus contactus, non modo respectu prolis, verùm intuitu salutis ipsius concumbentis, apud quem ijs constitutionibus extuberat, ac turget semẽ, spiritus pruriunt, internæque corporis partes calidissimæ vigent: vere namque, & hyeme ventres calidissimi sunt arbitrio Hippocratis in aphorismis; quo circa cùm perfectæ coctiones celebrẽtur, plurimum vtilis alimentis congeritur, quo referta vasa Venerem aduocant, nullumque virium sequitur dispendium, & facultatum læsio.

Atqui alia manet ratio exaduerso, quæ clamat, vere minus beneficam esse Venerem. Quænam est? Verno tempore fluxiones multæ, ac rheumatismi per humanũ corpus concitantur, eo quod humores hyemali bruma congelati, tepido veris aere soluuntur, & per varios labuntur corporis artus, non secus, ac de montibus altis liquatæ fluitant niues, inde Horatius.

Soluitur acris hyems
Grata vice veris, & fauoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas.

Quo fit, vt eo temporis humanum corpus varijs reddatur obnoxium morbosis destillationibus, & ijs præsertim, quæ ab Hippocrate 3. aphorismorum 20. describuntur, nimirum furori, melancholiæ, morbo comitiali, sanguinis fluxui, anginæ, grauedini, raucedini, tussi, lepræ impetigini, alphis, pustulis, tuberculis, & articulorũ doloribus. Tales itaque fluxiones potius compescere, quàm irritare verno tempore conuenit. At fœda Venus, insitaque voluptas fluxiones vndique accersit, easque præcipites facit; igitur vere ex hoc capite Venus reijcienda erit. Id non præterijt sapientissimus Hippocrates 6. de morbis popularibus, vbi subobscurè dixerat: *Intrescentes morbos coitus*; quo loco Galenus de mente illius à Venere exacerbari multas fluxiones, testatur, vt sunt podagræ, artuum dolores, renum vitia, comitiales morbi & illi omnes omnino, quos fieri in vere dicebat in Aphorismis loco supra citato.

Sed statim quis obijciet Celso, Timocharem illum apud Hippocratem in epidemicis à destillatione ad nares per coitum fuisse liberatum, atque adeo falsam esse hypothesim, Venerem videlicet rheumata proritare. Respondeatur pro Celso, Timocharem a leui fluxu coriæ fuisse per Venerem exemptum, vt proinde dici valeat, concubitum magnas destillationes non compescere, sed leues tantummodo, ac paruas, cuiusmodi sunt illæ, quæ ad nares fluentes coriæ efficiunt. Verumtamen quando in corpore copiosa humorum soboles, & excrementorum colluuies reperitur, a coitu concitantur illi magis, & ad varias partes proiectantur. Patet hoc ex Galeno, qui exponens Hippocratis illum textum in Epidemicis: *morbis epituita confert Venus*, ita scribit: *Veneris vsus non cunctis à pituita laborantibus, sed quibus vires firmæ sunt, prodest*. At in magnis fluxionibus vires opprimuntur. Sic pari modo licet Aristoteles in problematibus dicat, morbis humidis Venerem prodesse, eo quod vnà cum semine magna excrementorum demittatur portio, credendum nihilominus est, vberes ac vndique fluctuantes humiditates haud sufficienter trudi semine mixtas. Præter quamquod apud Timocharem coitus vsu haud quaquam ablata destillatio fuit, sed potius, facta metastasi, aliò deducta; quod satis indicauit sapientissimus idem Cous eodem loco, quando statim subiunxit, *eundem* uirum post concubitum in totius corporis lassitudinem incidisse; ex eo videlicet quòd fluxus materiei, quæ ad nares de cerebro præcipitabat, agitatione Venerea ad neruos, & musculos irreptus ibi lassitudinem inusserat. Verùm de his multo plura libro 8. vbi expresso Hippocratis hanc sententiam examinamus. Patet ergo, ut nemo die ob imminentes fluxiones suspectus esse possit concubitus tum ratione ipsius concumbentis, cum etiam ratione prolis, quæ è semine excrementis circumfluo perfecta, & valida exoriri nequit; & sic, me arbitro, ab erroris nota vindicari Cornelius poterit. Ceterùm Hippocrati, aliisque Græcis auctoribus assentiri par est.

CAPVT III.

Cur homines coeundi stata, certaque tempora, vt cætera animantia non habeant.

SINGVLIS animantibus ex Aristotele 5. de Animalium historia statuit natura stata, certaque tempora, quibus Genio indulgeant, opusque generationis ad specierum propagationem efficiant. Sic Ianuario feles, domestica, valdeque salacia animalcula Venerem ardenter exercent; Iunio equæ: Alcyonæ circa brumam, & alia alijs temporibus vt ex nuncupato Philosophi loco quilibet addiscere poterit. Solus homo quasi deterioris conditionis peculiare tempus, quo Veneri faueat, non obtinuit. Cætera cuncta bruta verno potissimum tempore Genitalibus operam sedulò nauant. Inde Aristoteles eodem 5. de historia animalium. *Plurima*, inquit, *pars piscium parit in vere*. Et sanè quis non videt vere nouo vlucres tepidum volitare per aera, & cantu leui, dulcique amoris gemitu sese ad Venerem prolicere? *Singulis namque animantibus*, vt ait Aristoteles 4. de historia, *Insunt voces propriæ ad binnitum, & coitum*. Quoniam autem hirundo, vt idem testatur Philosophus citato superius libro, tardò educit partum, omnium prima coit, & parit; quinimo ipsa videtur esse prænuncia veris. Pisces eadem ratione perlubricas maris, fluminumque campestrias lasciuientes Veneris motibus indulgent. Bruta reptilia cauernosis relictis antris ad Cœlum prosiliunt, saltuque, & sibilo Genium aduocant; quinimo etiam vitales plantæ sensus expertes luxuriari in vere dicuntur, eo quod flores, frondesque ab ijs prorumpant vndique. Qui igitur factum est, vt parua quædam animalia, & homo in primis præscriptum non habeant coeundi tempus? vt enim 5. de historia capite 8. Aristoteles habet: *Homini maximè temporibus omnibus opportunus est coitus, atque etiam plura alia pedestri generi, quæ cum homine viuunt, coitum nullo tempore aspernantur*.

Huiusmodi cuentum explicant ipsi quoque Hermetici, dum aiunt, quod *Balsamum, eiusque spiritualis materia impregnata turget, & paroxismum profert ante florum emissionem, idque in quibusdam animalibus statis temporibus; sunt enim certa quædam tempora in omnibus fere animalibus, quibus gravida huius materia efflorescentiæ, & impetus præcedentes alienata quasi à sensumente (tanta est florum*

A *potestas) ostendunt. Hominibus propter speciei nobilitatem, & individuorum multitudinem in mundana revolutione præfinitam tempora huiusmodi non sunt attributa, sed hyeme, æstate, vere, autumno aque impregnatur, turget, floresque emittit seminalis illa materia*— vide Seuerinum Danum.

Porrò pro solutione dicendum erit, hominem liberum fuisse productum, atque adeo sui arbitrij, vt non debuerit inde ullis vinculis obligari, & legibus coarctari; quocirca ad Venerem haud quaquam ducitur, & impingitur naturæ duntaxat instinctu, sed voluntatis arbitrio etiam; vt valeat iccirco quandocunque Venereos exercere pruritus absque vlla iniun-
B cti temporis præscriptione. Atqui bruta, feræque cùm naturali solum regantur impetu, ac stimulo impellantur, suadenti naturæ obediunt, & impellentem sequitur Genium, id promptius exequendo, quod instinctus indit, ac propria natura dictat.

Verùm enimverò ratio hæc, licet vera, leuis, & parum plausibilis est; vt ideo aliæ magis efficaces, magisque secundum naturam, sint explorandæ. Aristoteles loco toties citato huius euentus causam refert in teporem, & polyopsiam, idest pabuli vbertatem; quæ duo examinanda, atque enucleanda hic erunt. Pro tepore, vt arbitror, nihil aliud intelligit Philosophus, quàm calorem, & sanguinem caloris domicilium; vt velit, ideo homines, &
C pauca quædam animalia quouis tempore coire, quia apprimè calida existunt; quod verissimum sanè est; habemus enim ex philosophorum scholis, hominem proportione suicorporis calidissimum, ac maximè sanguineum existere; à sanguine vero, & calore Venerea cupido protrahitur. Ex abundantia itaque sanguinis, & caloris exuberantia vtilis excrementi copia congeritur, à quo aptus redditur homo ad concubendum quauis anni constitutione, quouis tempore, imo qualibet cum die, tum hora. Sicuti enim inter complexiones quæ calidissima est, ad Venerem manet proclinior; ita inter animantia, quod erit calidissimum, erit etiam
D salacius, & magis temperans.

Secunda causa humanæ intemperantiæ ab Aristotele allata est pabuli vbertas, pro qua ciborum copiam, eduliorum euchimiam, & polyphagiam, seu ingluiem insuper intelligit. Enimverò si homines vnico cibo contenti essent, simplicique vterentur victu, non tot scaterent vndique morbis, nec molestos libidinis igniculos adeo feruentes experirentur; impinguatus enim sensus recalcitrat, & nimio cibo calefactus Genius furit, & æstuat. Atqui bruta tenui, simpliciorique enutrita pastu, coque forsan neque ad saturitatem adhibito, incalescere nequeunt; siquidem, vt et herbas ro-

ridas

ridas), vel frondes insipidas, vel cerealia frigida vel reptilia, & volucres, vel terram, aquasque imperas vt quadrupedes, & pisces comedere? quam possunt in corpore libidinis excitare stimulum, eo magis quod ea ipsa pabula sibi habent labore multo, atque anhelatu sub dio gelido parare? Homo autem vitam degens sedentariam, lautisque suis illi fellulis degustans dapes, præciosis vescitur exculentis, opiparis lætatur cænis, condimenta adhibet, gulæ fingit irritamenta, frequentat aromata, varietate gaudet, & nihil prorsus omittit, quod famem proritare valeat; non ergo mirum si pruritus eundem agit, si fomes titillat, & Veneris grassatur amor. Quare sapienter Phocilides de Amoribus:

Vtiliter nulli nimia data est copia victus;
Hoc stimulo in turpes homines pelluntur amores.

Præterea (& est illud maximum) homines vina potant, brutis denegata. Quantum verò ad Veneream prurigínem ciendã vinum faciat, nulla indiget probatione: quandoquidem plenę sunt omnium voces, pleni contextus, quos mentiri non facit experientia iugis, illud esse luxuriæ ministrum, turpisque libidinis irritamen. Vnde Diuus Paulus, *Nolite ebriari vino, in quo est luxuria*. Et Rhasisus Textor.

Dum molli Bacchо interna caluere medulla
Viscera flammifero mox cremat igne Venus

Quod multo ante sapientissimus Rex edixerat Prouerbiorum 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*. Verum namque est vulgatũ dicterium: *Sine Bacchо friget Venus*. Nihil namque vino præstantius ad spiritus accuendos, ad calorem fouendum, ad sanguinem producendũ. Contra infelix animantium Genus vix cœnosa, luridaque extinguit vnda sitim, vix liberè ad frigidum perueat fontem statuente natura, vt

Vina bibant homines, animalia cætera fontes.

Equidnon ne quotidiano sensu probatur, eos omnes qui vino indulgent, dummodo copia haud sese opprimant, esse in Venerem putres, eosque omnes, qui libidini, & Genio operam sunt daturi, vino prius torpefacta expergefacere membra, & sopitos excitare ignículos? Sic Rhasisus idem.

Propterea potate patres, Genioque fauete;
Natura, & Genius vina falerna petunt.

Præclarè itaque Aristoteles in pabuli vbertatem tamquam in potissimam causam reijcit hominũ perpetuam libidinem, inque oligotiam brutorum temporariam Venerem.

Cæterum si licet alias etiam commentari, & in medium afferre sententias, dicerem ego; quòd cùm homo, vt vult Philosophus, proportione sui corporis caput maximum, & cerebrum copiosũ obtineat, nihil mirum, si vberrimo etiam ex proportione scateat semine, si quidem vt magnus Hippocrates libro de genitura scriptum reliquit. *Plurima genituræ pars à capite iuxta aures per spinalem medullam procedit*; quare quantò cerebrum ipsum opulentius erit, tantò semen abundantius inde excidet; quantò vero semen existit vberius, tanto libidinis ardentior excitatur sensus; hinc 7. de historia animalium cap. 2. dicebat Aristoteles: *Plurimum enim omnium animalium emittit homo, comparatione dico magnitudinis suæ*. Adde, quòd cùm homo sit animal ciuile, ex societate quam fere perpetuam habet cum muliere, nihil mirum si frequentius nullo præscripto tempore aphrodisiasmon exerceat; nam nemo ignorat, ex aspectu mulieris, & consortio naturę igniculos incendi, & libidinem proritari; vnde illud Ecclesiastici nono: *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: Propter speciem mulieris multi perierunt: ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit*, & infra. *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non altercetur cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem*.

Postrema ratio nec, me arbitro, imbecillior est quòd homines magis demulceantur in vsu Veneris, quàm bruta, vt libro de Venerea voluptate infrà probabitur, ac proinde voluptatis illecebris longè magis irretiti cogantur frequentius voluptuoso Genio parere. Quòd si dicas, has vltimas rationes non militare in brutis illis, quæ nullum etiam à natura certum lasciuiendi tempus obtinuere; responsum velim, valere saltem illam de pabuli vbertate ab Aristotele recensitam, quod clarè significatum est, cùm dixit, ea animalia perpetuò vt homines coire, quæ cum homine viuunt, & sunt illa prorsus, quę domestica nuncupantur; cùm enim nullo penè labore ad saturitatem semper comedant, haud mirum si natura prolectetur ad luxum, & ad Veneris non necessarias illecebras titilletur.

CAPVT IV.

Quare grauida animalia cuncta recusent coitum excepta muliere, & equa.

GRAIOR, & æquè nobilis exurgit quæstio, cur scilicet, vt Philosophus 7. de historia refert, omne animal fœmininum prægnans recusét coitum excepta muliere, & equa? quinimo vt 6. eiusdem libri Aristoteles profitetur, multa animalia, & canes in primis, non modo post conceptionem Venerem detrectãt verùm

verùm etiam postquam pepererunt per sex menses à coitu abstinent. Quid igitur homo omni bruto intemperantior nullum concumbendi certum terminum habet, nullumque libidini facit interstitium? Et cur equa cæteris belluis dissimilis penem admittit grauida? Rationes aucupemur. Populia, seu Popeia Marci Agrippæ filia mulier prostitutæ libidinis hoc facto interrogata, præclarè nimis responsum tulit; quod enim bestiæ non coeant nisi quando volunt concipere, mulier verò licet conceperit, viro tamen vratur, causam esse dicebat, *quia illa bestia sunt*. At responsum est omnino lasciua illa bestia dignum.

Lactantius Firmianus libro de vero cultu capite 23. binas huius euentus rationes adducit. Prima est, quòd Deus immortalis ideo dedit, vt fœminæ sine noxa grauidæ sustinerent virum, ne feliciter homines alienas mulieres cogerentur calcare. Secunda est, vt mulier grauida renuens virum pudicitiæ nomen acquirere valeret, nã bruta pudica dici non possunt, cùm naturaliter tantum agant, & impulsu duntaxat naturæ. Verùm hæ rationes morales potius, quàm naturales existunt; nos autem physicam ratione exquirimus.

Doctissimus Mercurialis libro de morbis mulierbribus capite 4. rationem & ipse adducit satis probabilem: dicit enim, quod matrix, & vulua in brutis, dum gerunt vterum, extuberant valde, & maximè sunt propinquæ foramini exteriori; quare bruta quę alioquin bene mutonata existunt; vterum iam plenum longis genitalibus impellunt, ac percutiunt; vnde molestia, ac tædio affectæ fœminæ renuunt initum; quapropter, subiungit ille, si quæ sint inter bruta, quæ habeant genitale breuius, laxius, & paruum, vt lepores, ac dasypodes, non refugiunt; mulier autem, inquit idem, locos habet ante vterum valde crassos, quare virilibus acta nec tędio, nec dolore, afficitur.

Porrò ratio hęc plures continet difficultates, & in primis, quia non potest adaptari equæ pregnanti, quæ vt dictum est, coitum admittit, quandoquidem & ipsa vterum gerit propinquum foramini, & nihilominus etiam grauida equi, aut asini ingentem admittit penem, qui & percutit, & impellit vterum. Secunda difficultas est, quoniam falsum est quod de leporibus, ac dasypodibus dicitur penem obtinentibus laxiorem, ac breuiorem; siquidem genitalium proportio quæ est inter maiora animalia, est etiam inter minora; vt ideo pari modo affici debeant leporum fœminarum vteri à congruo eiusdem speciei genitali instrumento; quàm equarum, & aliarum belluarum longè maiorum a mutonibus grandioribus; præterquam quod maiora etiam bruta locellos ante vterum fortè magis quàm mulier habent. Probabiliores itaque rationes commiscamur.

Vnicus Philosophiæ dictator Aristoteles 4. de generatione animalium capite 5. huius rei causam his verbis exarat. *Pari ratione sola animalium mulier, & equa grauida coitum patiuntur. Homo enim sua natura præfœcundum animal est, aliquid etiam in vtero tum spatij, tum excrementi superest, quamquam non tantum vt vel alterum possit alere mulier; itaque ob eam causam coitum recipit; equa autem soliditate sua naturæ, & quod aliquid spatij in vtero supersit, vt dictum est, amplius quidem quàm, vt ab vno occupetur, sed arctius quàm vt alterum perfectè possit superfetari. Libidinosa natura est equa ab eundem affectu, quo solida omnia Veneris sunt appetentiora, illa enim ita se habent, quia carent purgatione, quæ perinde est fœminis, vt coitus maribus; equa enim menstrua minimè emittit; omnium autem viuiparorum fœmina solida sunt libidinosiores, quoniam simili modo se habent, atque mares qui semen genitale collectum non excernunt, fœminis enim purgatio menstruorum seminis exitus est.* Hactenus Aristoteles, a quo vel inuitus cogor desciscere; nam & falsa supponit, & sibi non constat. Sibi non constat, quoniam asserit, equam purgationem menstruam non habere, & tamen primo de Generatione animalium capite 19. apertè significat, equam id excrementi emittere. Falsa supponit, quoniam vt à vera philosophia iandiu explosum est, & nos alibi probauimus, menstrua non sunt mulieri pro semine, sed illa propriam genituram obtinet, quam non nisi in Venereis effundit, vudique à menstruo cruore distinctam. Insuper nec rationi est consonum, quod ab initio Aristoteles aiebat, nimirum ideo mulierem post concepturn viro succumbere, quia aliquid excrementi, & capacitatis in vtero relinquitur. Etenim simili modo aliquid & capacitatis, & excrementi penes brutorum fœminas ad vteros relinquitur. Et gratia exempli sus, & canis, quæ modò tres, modò quatuor, modò quinque, septem, & plures concipere possunt dum quatuor concepissent, deberent coitum sustinere, quoniam aliquid capacitatis, & excrementi in vteris relictum esset; Quare non bellè procedit, & gratis dicitur.

Probabilius itaque dicatur de muliere, quòd cùm hæc sit brutorum omnium calidissima, ac maximè polycyma; nihil mirum si neque post conceptionem à concubitu abstinet; teste enim Philosopho libro de historia animalium 3. inter fœminas omnes mulier maximè sanguine abundat; iam notum est sanguinis affluentiam Veneris excitare libidinem. Præterea

rea ideo mulier, & equa à conceptu miſcentur, quoniam omnium magis Venerea voluptate mulcentur. Id ex Ariſtotele haurio 7. animalium hiſtoria, vbi apertis verbis edixerit, mulierem, & equam ſuper omnes fœminas maxime diligere coitum; quod fortaſſe ab ingluuie, & obſonij vbertate procedere poteſt; equa enim polyphaga eſt, & nunquam à comeſtione plena ſecedit: mulier verò, & ipſa defidioſa, ac ſellularie degens obſoniis vtitur, quæ, vt ſupra dicebamus, Genij tentiginem proritant. Adde quòd equa inprimis inſignis eſt fumoſitatis, vnde vt plurimum naturę pruritus excitatur; quo circa 6. de hiſtoria præclarè nimis aiebat Ariſtoteles. *Salaciſſimum omnium tum fœminarum, tum marium equus eſt homine excepto.* & inferius: *Incenduntur libidine ex fœminis equæ potiſſimum.*

Verumenimuerò omnium vna mihi magis arridet ratio, & eſt me arbitro irrefragabilis quod videlicet ideo brutorum fœminæ, vbi facta eſt conceptio, detrectant initum, quoniam deeſt finis, propter quem vnumquodque agens operatur; quandoquidem, vt libro primo edocuimus, inſtituta eſt Venus à natura generationis gratia; quando autem facta eſt conceptio, tunc ceſſat intentionalis coeundi finis. Quapropter vel teſte Hippocrate 5. aphoriſmorum, vbi facta eſt conceptio, os vteri conniuet, nec ſemini patet vltra; quod ſanè prudenter à natura fit; nam Venereo motu poſſet corrumpi, ledique fœtus iam conceptus, nec non etiam a nouo infuſo ſemine turbari miniſterium naturæ, quæ circa illum connutriendum, ac mangonizandum occupatur. Atqui mulier cùm non ducatur ad Venerem finali tantum naturæ inſtinctu, ſed ex arbitrij libertate, cùm præſertim natura ſit libidinoſiſſima, tali vinculo non obſtringitur: præterquam quod vt multi volunt, mulier ſuperfetare aliquando poteſt, vt ideo licet conceperit, nouus coitus non ſit penitus fruſtratorius.

Sed o quàm ſatius abſolutè foret, mulieres omnes non ſolum poſt conceptum, verùm etiam poſt partum à Venere abſtinere, quam diu prolem lacte nutricant; lac enim mulieris, quæ Veneri indulget, lactentem puerum deſtruit, vt placet Ariſtoteli in problematibus; cuius rei illa eſt ratio, quòd nimirum cùm fœmina coit, ſubtilior, ac magis pura & ſpiritualior lactis portio ad matricem permeat, & vaſa petit ſpermatica, craſſior, ac terreſtrior in mammis remanet. Quare prudenter à Lycurgo Spartanorum Duce inuiolabili lege ſancitum fuerat, vt mulieres ſtatim a partu à virorum commercio ſegregarentur, & peculiari quodam xenodochio puerperis deſtinato per biennium, & amplius degerent. Quam eandem conſuetudinem fuiſſe, & in præſentiarum adhuc vigere apud Indos, memini me legiſſe apud ſcriptores illarum prouinciarum; ſed ad lactantes mulieres potiſſimùm regrediar. Galenus 1. de ſanitate tuenda ſic habet: *A Venere omnino abſtinendam eſſe, quecumque lac præbebit, monco, nam & menſes viri conſuetudine prouocantur, & lac odoris gratia in deterius mutat. Quin etiam aliqua in vtero concipiunt, quo alienius à puella adhuc lactante nihil eſt, ita enim quicquid ſanguinis eſt optimum, in fœtum abſumitur. Quippe is cum proprium in ſe vitæ principium contineat, & huius moderamine agitur & aſſiduè concumbens ſibi alimentum trahit, vtero ipſi veluti radici adherens, nec onquam ab eo nocte, dieque diſtendens. Interim verò non minor modo, verùm etiam deterior rationabiliter redditur ipſius grauidæ ſanguis, quo ſit, vt lac ipſius tum peius, tum verò exiguè in mammillis colligatur.*

Rurſus quod pertinet ad grauidas mulieres Magnus Hippocrates 1. de morbis mulierum vetat omnino, illas poſt conceptionem viro ſubiacere; ſi cui placeat illum audire, hæc ſunt verba, *Quum autem relatis diebus conſuetudinem habuerit cum viro, ſi probè parati fuerint vteri, & ſi genituram ad decem, aut quindecim dies detinuerit, ne adeat virum;* quam eandem ſententiam repetit libro de ſuperfœtatione; & ratio quippe eſt, quoniam Venereo motu effluere poſſet ſemen vteri oſculo reſerato, atque agitato, & omnino abortiri mulier valeret: & quod veriſſimum ſit hoc, patet ex Ariſtotele, & Auicenna, qui ad partum facilitandum paulo ante parturiendi tempus, coitum commendant, licet Hippocrates citato libro de ſuperfœtatione dicat: *Mulier prægnans ſi non coitu vtatur facilius à partu liberatur*; Verùm hanc difficultatem, & controuerſiam enodabimus alibi. Quod ſi Hippocrates eodem libro iubet mulieres, quæ conceperunt, non moueri, non deambulare in loco accliui, & decliui, non lauari, ſedere ſuper mollia, abſtinere ab omnibus relaxantibus, & agitantibus; quantòmagis vitari debebit ἔρωτος ψυχίον, ideſt amoris ludus, & Venereus motus, in quo peculiari modo vterus, & ſemimis conceptacula commouentur, & hiant? Nec ſummus legum dictator Plato 7. de legibus id prætetijt; ſic enim habet: *Ego verò niſi vererer, ne fortè iocari vobis videar, dicerem vtique, grauidas etiam mulieres maximè omnium illo anno ita regendas eſſe, vt nec ad voluptates multas, furioſaſque ferantur, neque doloribus agitentur, ſed tranquillam, placatam, & mitem vitam agant.* Sic Zenobia ab exemplo

Pal.

Palmerinorum prudentissima Regina, nunquam grauida coniugi succumbebat; talem cum pulchritudine pudicitiam obtinebat. Erubescat hic Romana illa libidinis infame monstrum, quę nunquam libentiùs, vt dicebat, nisi plena naui rectorem admittebat.

Tandem dicamus, iccirco homines intemperantius, & nulla præscripta lege Venerem accire, quoniam telo Cupidinis, huiusque illecebris sunt magis obnoxij; non enim bruta pulchritudinis splendore, & specie formæ ducuntur; nam in belluis non tanta est vultuum diuersitas, nec tantum formarum decus; At in humano genere maximus reperitur formę nitor, & multiplex pulchritudinis specimen; vt non sit ideo mirum, si tam varię, & frequenter nunc vno, nunc altero gaudeant amore potiri; est nanque peculiare hominidiligere pulchrum, & in pulchro gignere, magnaque naturæ sympathia inter virum, & mulierem intercedit; quare octauo œconomicorum Aristoteles testatur, societatem maximè secundum naturam ineße mari, & fœminæ. Quod licet bruta inuicem adamari dicantur, impropriè dicitur; amor siquidem est passio concupiscibilis quidem potentiæ, sed in rationali creatura; quare supponit voluntatem. At nihil volitum nisi prius cognitum, vt vera est Philosophorum assertio; igitur bruta cùm omni prorsus careant cognitione, nequaquam dici possunt amore ferri, sed potius imaginatione, & impellentis naturæ duci instinctu, & genio. Homines ergo dum ciuilem vitam viuunt, amorisque saucij cuspide pulchrum expetunt, amoris munera frequentius obeunt, studioque perenni Veneri sacrificant.

CAPVT V.

Quo potissimum tempore mulier debeat viro misceri, vt læta proles inde excipiatur.

QVONIAM amoris lucta, Veneriśque certamen Generationis causa celebrari debent, iure hic inuestigandum proponitur, quonam peculiari, certoque tempore par sit mulierem viro succumbere, quatenus pedagoniæ præstantissimum opus habeatur. Et sanè intemperantiæ argui debent homines, quòd nulla habita temporis ratione omni bruto dissimiles Geniali thoro fruantur: quod non modo humana sorte indignum est, verùm apprime noxium vitę, vt dedita opera dicetur alibi.

Prudentissimus ergo Hippocrates pluribus in locis opportunum congrediendi tempus mulieribus præscribit; hoc autem esse testatur libro de superfœtatione, de natura mulieris, & de morbis mulierum, quando vel menstrua incipiunt, vel iam recenter silent. *Cæterum*, inquit ille primo de morbis mulierum, *virum adire ipsam oportet definentibus, aut inchoantibus mensibus, optimum est autem vbi quieuerint. Maximè verò in his diebus experiendum est, an pregnans fieri possit, hi enim sunt oportunissimi.* At paulò inferius dum silent menses, oportuniorem absolutè Venerem esse scribit, verba sunt: *Quum purgatæ fuerint mulieres, maximè in ventre concipiunt cum viro consuetudinem habentes, & genitura ipsis corroboratur, si quando oportet coiuerint.* Mox rationem rei huius statim aperiens ait. *Tunc enim maximè os vteri orum hiat, & diffensum est post purgationes, & venæ genituram attrahunt. At in priore tempore, & os vteri conclusum est, & venæ magis sanguine plenæ existentes non similiter genituram attrahunt. Si verò genitura sugi cursu defluat, mulier vero misceri non cupit, & si misceatur, non concipit, & lumbi, ac coxendices doloris vexantur.* Optimum est, vbi quieuerint, inquit Hippocrates, quoniam incipientibus mensibus, cùm plenus impuro sanguine existat vterus, huius facultates à fœculenti sanguinis veluti sarcina oppressæ suis ægrè muneribus funguntur. At euanescentibus floribus, expurgato à fœcibus vtero, virtutes omnes constant vegetę, eo præsertim, quod ab effusio sanguinis exiccata matrix, genituram & melius attrahit, & arctius complectitur. Si queras, num hisce tantummodo temporibus concipiat mulier, emicantibus scilicet, ac deficientibus menstruis. Respondeo velim, his præcipuè temporibus rectè paratos ad concipiendum vteros esse; at non iccirco fieri conceptionem preter ea non posse: significauit id nobis Hippocrates idem citato libro de morbis mulierum, vbi postquam dixerat, apparentibus, aut cessantibus mensibus mulieri adeundum esse virum, subiungit: *Si verò non statim concipiat, & reliqua bene se habeant, nihil prohibet etiam alijs diebus cum viro coire, nam hæc exercitatio alacritatem ipsi inducit, & venulæ hinc laxantur, & si ea quæ à viro prodeunt concurrerint secundum rectitudinem cum eo quod à muliere, citius concipiet.* Consonat Hippocraticæ doctrinæ Aristotelis sensus, qui primo de generatione animalium, ita subscribit: *Quamobrem nec nullis omnino vicibus menstruorum fœmina generat, neque cum effluunt magna ex parte, sed à purgatione; vis enim quæ in maris genitura continetur, aut caret alimento, & materia, ex qua instituat animal, aut nimia copia semen cum humore eluitur, sed vbi effluxerint satis quod*

remanet, consistit. Quæ autem nullis menstruorum vicibus concipiunt, aut interea dum agitantur, & effluunt non possy earum alteris causa est, quòd tantum humoris continent, quantum proficiscis remanet à purgatione, quàm quam non ita superat, vt effluere possit; alteris quod à purgatione os vteri comprimatur. Cùm igitur multum quidem effluxit, sed adhuc effluit tamen non tantum vt semen allabatur, concipiunt. Profectò rem totam Philosophus basilicè, & exactè descripsit; explicat enim quomodo conceptio fieri possit, incipientibus aut cessantibus mensibus, quomodo etiam dum largè fluunt, aut cùm nihil omnino citantur; quod supra fuit à nobis insuper declaratum.

Illud interim prætereundum non erit silentio, quòd licet apparentibus mensibus concipere mulier valeat, eo quod vterus ore patulo viri genituram aptè suscipere possit; nihilominus contingat, vt fœtus inde exurgens semper inualidior, imperfectior, & impurior enascatur, & non rarò etiam fœminini sexus; patet hoc, quandoquidem tunc temporis crassior, fœculentior, rudior, & frigidior excurrit sanguis, cuius soboles haud satis esse potest numeris omnibus perfecta. Sed ne quicquam dicantur, quod Hippocratis ratione non sit fultum, audiatis illum libro de superfœtatione sic loquentem. *Et vbi marem generare voluerit, mensibus desinentibus, aut defœlis misceatur, & quàm penitissimè intrudat, donec desauiat; vbi verò fœmellam generare volet, quum plurimi menses prodierint, & dum adhuc eunt, coeat, &c.* Hunusce opinionis ratio est in promptu, siquidem cùm viri temperies calidior, & purior sit mulebri complexione, illa à puriori, hæc à fœculento, & frigido magis sanguine coalescere debet: calidior, & sincerior post menses exsistit flos menstruus, impurior, & fœdior est sanguis, vbi primum erumpere conatur. Extant & aliæ rationes, quæ probant, in fluxione abeunte mensium, opportunam esse Veneris luctam: & quidem cùm eo tempore mulieres ad libidinem citentur ob sanguinem, & spiritus ad vterum, & genitalia vasa prolabentes, maiori quoque voluptate liniuntur; à voluptate maiori alliciatur feminis maior copia, ab seminis vberiori copia perfectior emanat conceptus; igitur à primo ad vltimum dum procedunt menses mulieri, opportunus est viri contactus. Atque id omne intelligendum est in ordine ad generationem; alibi enim respectu sanitatis probabitur, valde perniciosum esse cum menstruata coire.

CAPVT VI.

Sub optimo, & peculiari quopiam Cœli Sydere plantandum esse hominem ex Astrologis.

QUAD bonas, vberesque segetes colligendas, itemque optimos fructus neeessarium esse sub aliquo peculiari aspectu syderum serere, & implantare, apud omnes in confesso est, cùm id certa experientia edoceat, & docti cultores agrium testentur palam. Petant eruditi Georgicorum libros, in quibus astra præcipua, & peculiares imagines expetendas esse, præcipitur; & in primis legantur ea, quæ à Virgilio sic primo libro concinuntur.

Libra dies, somnique pares vbi fecerit horas,
Et medium lucì, atque vmbris iam diuidit orbem,
Exercete viri tauros, serite hordea campis
Vsque sub extremum brumæ intractabilis imbrem,
Nec non & lini segetem, & cereale papauer
Tempus humo tegere, & iam dudum incumbere aratris
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent
Vere fabis satio, tunc te quoque medica putres
Accipiunt sulci, & millio venit annua cura,
Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro.
At si triticeam in meſem, robuſtaque farra
Exercebis humum soliſque inflabis ariſtis
Ante tibi eoa Atlantides abſcondantur.

Clarum id vtique est, nec probatione indiget.

Iam quæstio insurgit, num sicuti in vegetantibus, ita etiam in animantibus, & potissimum in hominibus, dum seruntur, attendendum sit præcipuum aliquod Cœli astrum. Etenim animalia bruta, quę solo naturę ductu impelluntur, videntur peculiari quodam signo in actu Veneris regi; quandoquidem eorum quęlibet species sub stato quopiam tempore Genio fauet, exercetque voluptatis amplexus, vt plena est Aristotelis historia de animalibus. Ast homo, qui non simplici naturæ instinctu, sed mentis quoque arbitrio exit

exit, ad opus, An Pædurgiæ daturus operam imaginem aliquam Cœli vel expectare, vel detrectare habet? Porrò non sum ipse Astrologiæ suffragator; quin huic facultati semper plus fidei derogaui, quoad ea præsertim, quæ Genethliaci fabulantur. At in re præsenti sic ratiocinari conuenit. Non est quippe maior ratio, quod si in ijs, quę deterioris extant conditionis, & obscurioris naturę, videtur requiri necessariò certus quidam planetarum, astrorumque influxus, expeti similiter non debeat in hominibus; cùm astra non minus dominium supra homines, saluo semper rationis arbitrio, quàm supra cætera viuentia obtineant; cùm præsertim penes Philosophum peculiari quodam intuitu dicatur: *Sol & homo generant hominem*, vt inde pateat, in confesso esse etiam apud naturales Philosophos, ad hominum generationem syderum, & solis inprimis conuenire influxus. Iure quidem optimo libro de vita cœlitus comparanda capite 25. a Marsilio Ficino inter recentiores Platonicos eximio dicebatur. *Concessum quoque absit, & insuper approbatum, crescente luna, eademque aucta humine, nec aliunde infortunata feminibus agros spargere vites, oleasque serere. Cur non igitur ad plantandum vt Cynice loquatur, hominem, vtamur beneficio lunæ, Iouisque, & Phœbi; nam Veneris quidem adhæc officio semper vtimur.* Hanc Ficini auctoritatem tanti facio, tamquam viri in Astronomicis peritissimi, vt nihil magis.

Quòd si quotidiana comprobatur experientia, vegetabilium semina sub contrario astro subque luna impropitia maximè iacta aut non germinare, aut perperam insolescere, breuique corrumpi; quantò id magis contingere putandum est in actu seminis humani, ad cuius pullulationem plura procul dubio requiruntur; ut ideo quod alius enascatur validus, alius infirmus, alius pulcher, alius deformis, alius æqui, alius iniqui temperamenti non modò ad semen patris, & sanguinem matris referendum sit; uerùm etiam ad peculiare aliquod astrum, quod tunc temporis ab auge in sublunarem mundum influeret; & hoc uel communi loquendi modo significatur; cùm enim aliquem respicimus forma, ualetudine, alijsque dotibus eximium; dicimus, illum sub optimo aliquo, felicique planeta conceptum esse.

Nec modò ad rectam ualetudinem, decentemque corporis symmetriam, robur, & formam necessarium est, peculiarem imaginem, astrumque obseruari à Generante; uerùm etiam (quod pluris refert) ad optimos mores, qui cùm corporis temperaturam, & complexionem sequantur, qualis hęc erit, talis etiam erit ad mores propensio. Quid autem ex quolibet signo Zodiaci, ac Planeta vel boni, vel mali in fœtu exprimatur, non erit ab re hic breuiter enucleare, quatenus vnusquisque Astronomiæ licet ignarus valeat in generatione ad hæc signa respicere. Illud velùti vniuersale principium statuentes, inferiorem hunc mundum regi à superiore; & ab eodem per influxus alterari iuxta illud Platonicum à Ficino obseruatum, hanc videlicet mundi machinam, ita secum esse connexam, vt & in terris cœlestia sint conditione terrena, & in Cœlo vicissim terrestria dignitate cœlestia, & in occulta mundi vita, mentęque regina mundi cœlestia insint vitali tamen, intellectualique proprietate sine excellentia. Vt sileam maiorum assertionem, qui astruunt, per inferiora superioribus consentanea posse ad homines temporibus opportunis cœlestia quodammodo trahi, atque etiam per cœlestia supercœlestia nobis conciliari, uel prorsus insinuari. Præterquamquod celebre est Aristotelis dictum 1. meteororum, mundum hunc scilicet inferiorem superioribus lationibus contiguum esse, vt inde omnis eius virtus gubernetur; Et Coeliuagans ille Ptolomeus si quis alius Planetarum, cœliquę scientię peritissimus libro Apotelesm. cap. de virtute astrorum confirmat quæ dicta sunt hac pulcherrima, aureaque sententia. *Quod itaque transfundatur, ac pertranseat vis quædam ab ætherea, sempiternaque natura in omnem circa terram mutationi obnoxiam regionem, primorum videlicet elementorum ignis, & aeris, quæ sub luna continentur, & cœlestibus motibus commutantur, quæque continent, & commutant reliqua omnia terram, & aquam, & in eis existentes plantas, & animalia, manifestum est.*

Id totum multò uerius erit in animalium generatione, ad quam peculiaris Cœli aura, dubio procul conspirat, vt inde dixerit Plato, in ea quid diuinum necessariò ineſſe. Imò Aristoteles, qui functionum naturalium, & generationis in primis principale instrumentum statuit calorem, cùmque huius caloris opus nimis excellens, ac penè mirabile intueretur, illum elementarem esse omnino detrectauit, sed omnino Cœlestem asseruit. Id primo de Generatione animalium capite 3. apertis exaruit verbis. *Quamobrem*, inquit ille, *ignis nullum animal generat, neque confiitat quicquam densis vel humidis, vel siccis videtur. At verò solis calor, & animalium non modo quo semine continentur, verum etiam si quid excrementi sit quamquam diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vitale*; & vltimum ad maiorem vim repetit. *Caterum calorem in animalibus contentum neque ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum*

ex his est. At huius Aristotelicæ sententiæ germanam expositionem in tractatu de semine abunde satis explicauimus, dum calorem omnem ejusdem speciei esse asseruimus, harmonia tamen differre probauimus.

Ingeniosissimus Auerroes libro de substantia orbis dicebat, quod calor Cœli non est de accidentibus propriis igni, sed de accidentibus communibus igni, & corpori Cœlesti: *Et forte*, inquit ille, *dicendum est ad hoc, quod non est remotum, vt calor dicatur in eis equinoctio per hoc signum scilicet, quod actio eorum diuersatur; calor enim ignis corrumpit, & destruit entia, & maximè ignis illuminantis; calor verò corporum cœlestium largitur vitam vegetabilem, sensibilem, & animalium, & secundum hoc calor erit duobus modis, calor qui est de qualitatibus passiuis, quæ transmutant substantiam in qua sunt. & calor qui non est de qualitatibus passiuis, sicuti est dispositio in diaphaneitate, & non diaphanetitate, scilicet quod quædam sequitur qualitatem passiuam, & quædam non.* Hactenus ille, cui subscribit Fernelius libro 4. Physiologiæ, vbi nititur probare, diuersum specie esse calorem elementarem à solari, & æthereo; sed nos rei veritatem alibi indagauimus. Hinc horum Philosophorum sententias referre placuit, vt probarem, cœlitus ad animalium generationem confluere & calorem, & virtutes varias, quas in hominum productionem largiùs conspicare, nemo sanæ mentis ibit inficias, cùm verè his gratiarum suarum prodigi sint orbes, astra liberalissima.

Illud postremò obiter ex Genethliacis reticendum non erit, inter planetas duos tantum fortunas, siue beneficos esse, vt Iouem, & Venerem; duos tantum maleficos, & infortunas, Saturnum, & Martem; cæteros bonitatem, aut malitiam à planetis, quibus adhærêt, recipere: Si enim à Marte, aut Saturno respiciantur, maleficos ipsos quoque euadere; si à Ione, & Venere, beneficos. Quare in cæterorum planetarum obseruatione, cui nam adhæreant, animaduertendum erit. Id autem intelligas velim ex Astrologorum inepta opinione; alioquin enim Plato in Epinomide astrorum genus diuinum facit, & ab omni prorsus pernicie exemptum, & Trismegistus in Asclepio: *Quicquid*, ait, *de alto ascendit generans est*; *igitur non reperitur maleficium in Cœlo*. Quare 9. metaphys. Aristoteles, *Non igitur*, aiebat, *quicquam in ijs, quæ à principio, & quæ propterea sunt, malum est, neque error, neque corruptum; eternum corruptio de malis est*; Quo in loco magnus interpres Auerroes hæc addit ad rem nostram. *Manifestum est, quòd in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna,* A *sed eorum essentia est principium, in his, neque malum est omnino, neque error, neque corruptio; corruptio enim est rebus malis, & ex hoc cognoscitur, impossibile id esse scire, quod Astronomi dicunt, stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas*. Quod idem maiori energia probat Chalcidius in Platonis Timæo, quem registrare non est opere pretium. Cæterùm ne Astrologiæ vanæ addicti esse videamur, virtutes omnium Planetarum, & syderum ad physicas causas reducemus.

CAPVT VII.

Quales, quibus moribus imbuti, in quos morbos proclives concipiantur homines, si sub dominio Saturni seruantur.

Saturnus.

Temperamentum frigidum, & siccum.

B QVID? Nonne Planetarum in primis habenda ratio est in conceptione, quorum vis vel malefica, vel benefica vt aiunt, satis inferiori mundo explicatur? Porrò licet astris non ea sit virtus, & energia tribuenda, quàm illi dicant Magi, vel Alchimistæ; debita tamen, eaque non mediocri defraudanda non sunt. Quantum igitur ad rem nostram attinet: quicumque in actu conceptionis obtinent e Cœlo dominantem Saturnum, hanc reportabunt corporis constitutionem, ac dispositionem. Erunt in primis rectè cerulei, & eleuati corporis, fusci, & plumbei coloris; Saturnus enim, vt placet Alchimistis, plumbi est auctor. Insuper supercilia iuncta referent, oculos inæquales, itaut vnus altero sit maior: nares densas, ac spissas; labia, atque dentes ordinatos, tenue pectus, graues pedes aspectum denique turpem; Cæterùm pectus valde erit pilosum, capilli nigri quodam squallore conspersi, cum quadam crispitudine; maleolentes denique, ac fœtidi. Et ratio naturalis est, quoniam cùm talis planeta frigidus, ac terrestris existat, ac proinde frigidos vndique, siccos, ac terrestres producat effectus, quare communiter dicitur, melancholiæ, & atræ bilis habere dominium, nihil mirum si hos caracteres inurit; quin voluerunt Mythologi, Saturnum e terra natum; vnde Virgilius in Georgicis.

C

Frigida Saturni se sit quo stella receptet.

Verè namque omnes recensiti effectus frigiditatis, ac siccitatis existunt soboles, vt color

D

su-

fuscus, densæ nares, pigri pedes, squallidi crines; quæ omnes notæ à Galeno, & Philosophis tribuuntur complexioni melancholicæ; vide illum in libris de temperamentis, nec non Io. Baptistam à Porta in libris de cœlesti Physiognomonia.

At quales quoad mores exurgent? Communiter traditur à Genethliacis, Saturnum, eoquod frigidum, siccumque extat sydus, atque bilis atræ ferax, præstare conceptus, quibus aduenerit, inuidos, malignos, superbos, philoplutos, auaros; atque ad iram tardos, sed in ea, vbi iam contraxerint, diutius insistere; rursus eosdem magni laboris compotes, ingentis malitiæ auctores esse, fœtida diligere vestimenta, sordida, & maleolentia non respuere: tristes terram inspicere, pigros esse, ponderosos, Veneris nihil amatores; sed si dilexerint, contra naturam potius adoptare. Quàm igitur necessarium est, sub imperio talis Astri in Veneris castris non militare? Quæ sanè cunctę qualitates oppidò in maiori cueniunt gradu, si Saturnus, vt loquuntur Astronomi, sit orientalis, quàm occiduus; quod physicè est, si Saturnus à nullo contrario sit refractus, sed omni sua potestate conueniat, siue suas qualitates in summo impertiatur.

At inter tot notas non desunt aliquæ dotes eximiæ, quibus insigniuntur, qui Saturnum in horoscopo habuerunt; sunt enim in periculis audaces, consilio, & ingenio pollentes, senilique præditi sapientia; id quod Aristoteles iudicauit dicens, melancholicos ad capessendas disciplinas aptiores esse.

Percurrit has dotes suauissimus Pontanus libro 4. Vraniæ vbi sic.

Quin variant etiam mores, & pectora sensus
Diuersos agitant studia, & montana sequuntur;
Hinc animi secreta alto sub pectore condit
Consilio grauis, & casus timet vsque futuros,
Et parcit parto, & prouisa negotia defert.
Cunctorum quoniam Saturni hoc imperat astrum.

Quæ omnia edixere palam Princeps Tholomæus Astrologiæ, cuiusque sectatores Hali, Iulius Firmicus, Maternus, Marsilius in Astronomicis, Leopoldus, & alij.

Cæterùm planetæ huius malignitas placatur Iouis coniunctione, vel receptione, vel oppositione vel trino, vel sextili aspectu, quod à Poetis misticè indicatum fuit, cùm dicerent Saturnum è Cœlo ab Ioue deiectum, inde Virgilius.

Primus ab æthereo venit Saturnus olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul adeptis.

Quid hoc physicè est? Iouis nomine sanguis intelligitur. Iam sanguis calidus est, & humidus; Saturnus hoc est melancholia, frigidus, & siccus. Si ergo verum est, vt verissimum, contraria contrarijs euinci, vel saltem infringi, verum erit quoque, sanguine atram bilem superari, & sic Saturnum à Ioue extrudi Cœlo, ideſt ab humano corpore. Sed quomodo euinci poteſt à sanguine? Facili negotio, quandoquidem calor est magis actiuus, quàm frigus; Ideo à Philosophis ignis, cuius est calor præcipuum instrumentum, dicitur elementorum æcerrimus, ac potentissimus; quod autem de Saturno dicimus, intelligas dictum de quolibet alio Planeta, ac signo, quorum temperies vel à miscela, vel à contrario aut refrangitur, aut euincitur; & hinc randem quilibet poterit egritudines præsagire, puta quartanam, lepram, cancrum, scabies, lienem, hæmorrhoides, & similes affectiones, quæ à melancholia ortum ducunt, cuius est ferax Saturnus, hoc est temperamentum frigidum, & siccum.

CAPVT VIII.

Quales sub Iouis ditione concipiantur homines, quos referant mores, quibus morbis subijciantur.

Iuppiter.

Temperamentum calidum, & humidum.

IVPPITER ergo Saturno aduersatur, vt diximus; igitur contrarias dotes inculcabit, si receptum apud Philosophos axioma veritatem habet: contrariorum contrariæ sunt rationes. Præsentaneum itaque erit, sub Ioue hominem plantare; nam his virtutibus insignita proles enaſcetur. Et primò quoad corpus erit æqualis staturæ, formosæ membrorum symmetriæ, magnos obtinebit oculos, maxillas paruas, aliquantulum turgidulas, roſcoque colore diffusas; imò vniuersam carnem veluti purpuream. Dentium duo superiores prægrandes erunt, ac parumper diuisi, vt vult Petrus de Abano. Erit insuper εὐσαρκος, ideſt habitu medio inter pinguedinem, & macredinem, carne mollis, & suauis halitus; quo puto Magnus ille Macedo Alexander e cute fragrantem vndique expirabat odorem. Rursus capilli prælongi, leues, & subcrispi de-

ex his est. At huius Aristotelicæ sententiæ germanam expositionem in tractatu de semine abunde satis explicauimus, dum calorem omnem ejusdem speciei esse asseruimus, harmonia tamen differre probauimus. A

Ingeniosissimus Auerroes libro de substantia orbis dicebat, quod calor Cœli non est de accidentibus proprijs igni, sed de accidentibus communibus igni, & corpori Cœlesti: *Et forte*, inquit ille, *dicendum est ad hoc, quod non est remotum, vt calor dicatur in eis equinoctio per hoc signum scilicet, quod actio eorum diuersatur; calor enim ignis corrumpit, & destruit entia, & maximè ignis illuminantis; calor verò corporum cœlestium largitur vitam vegetabilem, sensibilem, & animalium, & secundum hoc calor erit duobus modis, calor qui est de qualitatibus passiuis, qua transmutant substantiam in qua sunt, & calor qui non est de qualitatibus passiuis, secuti est dispositio in diaphaneitate, & non diaphaneitate, scilicet quod quadam sequitur qualitatem passiuam, & quædam non.* Hactenus ille, cui subscribit Fernelius libro 4. Physiologiæ, vbi nititur probare, diuersum specie esse calorem elementarem à solari, & æthereo; sed nos rei veritatem alibi indaganimus. Hinc horum Philosophorum sententias referre placuit, vt probarem, cœlitus ad animalium generationem confluere & calorem, & virtutes varias, quas in hominum productionem largiùs conspirare, nemo sanæ mentis ibit inficias, cùm verè his gratiarum suarum prodigi sint orbes, astra liberalissima. B

Illud posremò obiter ex Genethliacis reticendum non erit, inter planetas duos tantum fortunas, siue beneficos esse, vt Iouem, & Venerem; duos tantum maleficos, & infortunas, Saturnum, & Martem; cæteros bonitatem, aut malitiam à planetis, quibus adhærêt, recipere: Si enim à Marte, aut Saturno respiciantur, maleficos ipsos quoque euadere; si à Ioue, & Venere, beneficos. Quare in cæterorum planetarum obseruatione, cui nam adhæreant, animaduertendum erit. Id autem intelligas velim ex Astrologorum inepta opinione; alioquin enim Plato in Epinomide astrorum genus diuinum facit, & ab omni prorsus pernicie exemptum, & Trismegistus in Asclepio: *Quicquid*, ait, *de alto ascendit generans est; igitur non reperitur maleficium in Cœlo.* Quare 9. metaphys. Aristoteles. *Non igitur*, aiebat, *quicquam in ijs, quæ à principio, & quæ propterea sunt, malum est, neque error, neque corruptum; etenim corruptio de malis est.* Quo in loco magnus interpres Auerroes hæc addit ad rem nostram. *Manifestum est, quòd in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna, sed eorum essentia est principium, in his, neque malum est omnino, neque error, neque corruptio; corruptio enim est rebus malis, & ex hoc cognoscitur, impossibile id esse scire, quod Astronomi dicunt, stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas.* Quod idem maiori energia probat Chalcidius in Platonis Timæo, quem regiſtrare non est opere pretium. Cæterùm ne Astrologiæ vanæ addicti esse videamur, virtutes omnium Planetarum, & syderum ad physicas causas reducemus. C D

CAPVT VII.

Quales, quibus moribus imbuti, in quos morbos proclines concipiantur homines, si sub dominio Saturni serantur.

Saturnus.

Temperamentum frigidum, & siccum.

QVID? Nonne Planetarum in primis habenda ratio est in conceptione, quorum vis vel malefica, vel benefica vt aiunt, satis inferiori mundo explicatur? Porrò licet astris non ea sit virtus, & energia tribuenda, quàm illi dicant Magi, vel Alchimistæ; debita tamen, eaque non mediocri defraudanda non sunt. Quantum igitur ad rem nostram attinet: quicumque in actu conceptionis obtinent e Cœlo dominantem Saturnum, hanc reportabunt corporis constitutionem, ac dispositionem. Erunt in primis rectè cerucis, & eleuati corporis, fusci, & plumbei coloris; Saturnus enim, vt placet Alchimistis, plumbi est auctor. Insuper supercilia iuncta referent, oculos inæquales, itaut vnus altero sit maior: nares densas, ac spissas; labia, atque dentes ordinatos, tenue pectus, graues pedes aspectum denique turpem; Cæterùm pectus valde erit pilosum, capilli nigri quodam squallore conspersi, cum quadam crispitudine; maleolentes denique, ac fœtidi. Et ratio naturalis est, quoniam cùm talis planeta frigidus, ac terrestris existat, ac proinde frigidos vndique, siccos, ac terrestres producat effectus, quare communiter dicitur, melancholiæ, & atræ bilis habere dominium, nihil mirum si hos caracteres inurit; quin voluerunt Mythologi, Saturnum e terra natum; vnde Virgilius in Georgicis.

Frigida Saturni se sæ quo stella receptet.

Verè namque omnes recensiti effectus frigiditatis, ac siccitatis existunt soboles, vt color fu-

Digitized by Google

fuscus, densæ nares, pigri pedes, squallidi crines; quæ omnes notæ à Galeno, & Philosophis tribuuntur complexioni melancholicæ; vide illum in libris de temperamentis, nec non Io. Baptistam à Porta in libris de cœlesti Physiognomonia.

At quales quoad mores exurgent? Communiter traditur à Genethliacis, Saturnum, eoquod frigidum, siccumque extat sydus, atque bilis atræ ferax, præstare conceptus, quibus aduenerit, inuidos, malignos, superbos, philoplutos, auaros; atque ad iram tardos, sed in ea, vbi iam contraxerint, diutius insistere; rursus eosdem magni laboris compotes, ingentis malitiæ auctores esse, fœtida diligere vestimenta, sordida, & maleolentia non respuere: tristes terram inspicere, pigros esse, ponderosos, Veneris nihil amatores; sed si dilexerint, contra naturam potius adoptare. Quàm igitur necessarium est, sub imperio talis Astri in Veneris castris non militare? Quæ sanè cunctę qualitates oppidò in maiori cueniunt gradu, si Saturnus, vt loquuntur Astronomi, sit orientalis, quàm occiduus; quod physicè est, si Saturnus à nullo contrario sit refractus, sed omni sua potestate conueniat, siue suas qualitates in summo impertiatur.

At inter tot notas non desunt aliquæ dotes eximiæ, quibus insigniuntur, qui Saturnum in horoscopo habuerunt; sunt enim in periculis audaces, consilio, & ingenio pollentes, senilique præditi sapientia; id quod Aristoteles iudicauit dicens, melancholicos ad capessendas disciplinas aptiores esse.

Percurrit has dotes suauissimus Pontanus libro 4. Vraniæ vbi sic.

Quin variant etiam mores, & pectora sensus
Diuersos agitant studia, & montana sequuntur;
Hinc animi secreta alto sub pectore condit
Consilio grauis, & casus timet vsque futuros,
Et parcit parto, & prouisa negotia defert.
Cunctorum quoniam Saturni hoc imperat astrum.

Quæ omnia edixere palam Princeps Tholomæus Astrologiæ, ciusque sectatores Hali, Iulius Firmicus, Maternus, Marsilius in Astronomicis, Leopoldus, & alij.

Cæterùm planetæ huius malignitas placatur Iouis coniunctione, vel receptione, vel oppositione vel trino, vel sextili aspectu, quod à Poetis misticè indicatum fuit, cùm dicerent Saturnum è Cœlo ab Ioue deiectum, inde Virgilius.

Primus ab æthereo venit Saturnus olympo,
Arma Iouis fugiens, & regnis exul adeptis.

Quid hoc physicè est? Iouis nomine sanguis intelligitur. Iam sanguis calidus est, & humidus; Saturnus hoc est melancholia, frigidus, & siccus. Si ergo verum est, vt verissimum, contraria contrarijs euinci, vel saltem infringi, verum erit quoque, sanguine atram bilem superari, & sic Saturnum à Ioue extrudi Cœlo, ideſt ab humano corpore. Sed quomodo euinci poteſt à sanguine? Facili negotio, quandoquidem calor est magis actiuus, quàm frigus; Ideo à Philosophis ignis, cuius est calor præcipuum instrumentum, dicitur elementorum æcerrimus, ac potentissimus; quod autem de Saturno dicimus, intelligas dictum de quolibet alio Planeta, ac signo, quorum temperies vel à miscela, vel à contrario aut refrangitur, aut euincitur; & hinc tandem quilibet poterit ęgritudines præsagire, puta quartanam, lepram, cancrum, scabies, lienem, hæmorrhoides, & similes affectiones, quæ à melancholia ortum ducunt, cuius est ferax Saturnus, hoc est temperamentum frigidum, & siccum.

CAPVT VIII.

Quales sub Iouis ditione concipiantur homines, quos referant mores, quibus morbis subijciantur.

Iuppiter.

Temperamentum calidum, & humidum.

IVPPITER ergo Saturno aduersatur, vt diximus; igitur contrarias dotes inculcabit, si receptum apud Philosophos axioma veritatem habet: contrariorum contrariæ sunt rationes. Præsentaneum itaque erit, sub Ioue hominem plantare; nam his virtutibus insignita proles enascetur. Et primò quoad corpus erit æqualis staturæ, formosæ membrorum symmetriæ, magnos obtinebit oculos, maxillas paruas, aliquantulum turgidulas, roseoque colore diffusas; imò vniuersam carnem veluti purpuream. Dentium duo superiores prægrandes erunt, ac parumper diuisi, vt vult Petrus de Abano. Erit insuper ὑπαχος, ideſt habitu medio inter pinguedinem, & macredinem, carne mollis, & suauis halitus; quo puto Magnus ille Macedo Alexander e cute fragrantem vndique expirabat odorem. Rursus capilli prælongi, leues, & subcrispi de-

decorabunt, & barba mediocris cum quadam bifurca pulcra, quæ omnia sunt calidi, & humidi temperamenti caracteres, vt ex Physiologia didicimus. Quoad mores, Iouis progenies benigna, placida, iusta, fidelis, pacifica, victoriosa, diuitiarum cupida, hilaris, alacris, fortunata, dignitatis particeps, boni ingenij, prudens, ac sapiens erit: vir gratus erit omnibus, & mulieribus inprimis dilectus, ipsque deditus, vti Apollonius Rhodius 4 Argonauticorum de Ioue concinit.

Semper enim cura est illi sibi iungere Diuas,
Fœmineosue cupit complexus, munera amoris.

Has Iouis virtutes registrauit 4. Vraniæ suus olor Ponranus hoc metro.

Est illi mite ingenium, & sibi pectora recti
Conscia sunt animi præclara ad munera nati,
Iustitiamque colunt, & inest reuerentia veri,
Et sincerus Amor, pensi quoque sedula cura,
Nil præceps; etenim Iouis hos sic temperat astrum.

Mores corporis temperaturam sequuntur, vel Galeno teste, quare sanguinem tales consequuntur virtutes, vide Physiognomon. Cœlestem Ioannis Baptistæ à Porta. Quàm foret igitur vtile in Veneris congressu huiusmodi astrum præsidiari, vt corpus, animumque ingenuum proles nanciscetur; calidum siquidem, vt Astrologiam ad Physicam referamus, atque humidum contraherent temperamentum, quod sanè omnibus est præstantius, multumque prudentiæ proficuum, vt celebris extat Hippocratis auctoritas libro de flatibus, vbi hæc verba leguntur. *Opinor autem inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm sanguinem; hinc ergo quum in coflanti habitu persistit, consilii & prudentiæ, sanguine verò permutato concidit simul & prudentia.* Quò pertinet illud Astrologorum dicentium, Iouem habere in spiritu animali potestatem, ac proinde ad philosophiam, & veritatem inuenien dam conferre. His consentit Plato, qui dicebat, ab Ioue Philosophos proficisci; indeajebat Homerus: *Talis est mens hominibus, qualem in dies adducit Pater hominum, atque Deorum.* Ceterùm hinc emanantes affectus morbosi erunt penitus sanguinei, vt hæmorrhagiç, variolæ, pulmonum inflammatio, pleuritis, sinochus, gonorrhœa, & similia.

CAPVT IX.

Sub imperio Martis qualis concipiatur proles, quos ducat mores, quos patiatur affectus.

Mars.

Temperamentum calidum, & siccum.

LICET Mars sit Veneris amator; Veneritamen indulgere Martem, nefas est, imo cauendum est vnicuique ab illecebris Veneris, dum ille in cœlo dominatur, & audacibus oculis mortales despicit, cunctaque sublunaria ense ferit. Hoc est: filijs operam dare, Marte ascendente, nihil operepretium est, quoniam sub tali sidere excepta proles multis erit labefactata notis. Primò enim quoad corporis formam longa nimis, & improportionata exurget, carne nudata, & valde gracilis; color micubit rufus, atque citrinus, & omnino turpis aspectus; eo magis quod quædam inseritur totius corporis, & oculorum obscuritas, nec non quibusdam veluti paruis, rubeisque lenticulis tesseratur facies. Ceterùm oculi parui cauique erunt, ad rubedinem cum quadam mobilitate tendentes. Nasus rigebit longus & in extremo gracilis, lingua balbutie hesitabit: caput, & pectus prominebit: acutum, crines rufi, dentes longi, barba hircina, paucorumque pilorum; atque hæc omnia contingent magis si Mars erit in oriente. Sed quænam in Marte ratio tot effectuum naturalis reperiri valet? Profectò dominante Marte bilis exurgit vberrima, feruetque magis; est animille huius humoris auctor; modo bilis est humor ille pessimus, apprimè calidus, & siccus a quo pessima quæque symptomata emanare, tum Hippocrates libro de natura humana, tum Anaxagoras profitentur. Legitur enim penes Aristotelem 4. de partibus animalium. *Anaxagoras errore opinari videtur, fel esse morborum causam acutorum, cùm enim abundat, aspergi in pulmonem, & venas, & consilia, asseuerat.* Quam sententiam licet Aristoteles ipse haud multum commendet, probabilem tamen esse non ignoro. Quantò igitur magis inde accidentia illa preuenire poterunt, quæ deformem, & inconcinnam proportionem præseferunt? vt rufus color, balbuties, parui oculi, nasus acutus, & reliqua, de quibus meritò

ritò Hippocrates 1. Epidemiorum sectione 5. dicebat. *Quicunque fului, naso acuto, oculis paruis, malli*, Malam igitur naturam, peruersumque genium obtinet, qui sub Martis horoscopo in lucem prodit; quin idem Hippocrates 6. epidemiorum, aliam adhuc in Martiales profert sententiam, cùm ait: *Caput magnum, oculi parui, balet, iracundi sunt*: etenim iræ, & furoris Deus ab ethnicis credebatur Mars, iam quàm nequam complexio iracunda? Cæterùm quoad mores temperamenti sequaces, Genethliacis communiter placet, eum qui in conceptione Martem dominatorem habuerit, futurum fore impetuosum, fortem, audacem bellicosum, victoriosum, sanguinis effusorem litigiosum, dissidiosum, vindicem, discordiarum satorem, stultum, obscœnorum verborum profusorem, periurum, infidelem, & mala cogitantem; Inde eodem 4. Vraniæ Pontanus canebat.

Illi fidem, testesque Deos, conceptaque verba
Postkabet, & rabidos irarum concitat æstus:
Immitis, promptusque manu, violentus, & exlex
Hoc mores quoniam Martis ferus indidit ardor.

Heu modò Mauortis malignum astrum fugite coniuges, ne postmodum iniquæ prolis tedeat vos esse parentes. Interim prætereundum non est, hanc ipsam Planetæ nequitiam tot mala in angulo Cœli portendentis mulceri oppositione, vel coniunctione Veneris, siue hæc diligat per sextam circuli partem, vel per tertiam, omnem tamen eius rabiem, & ferocitatem infrenat, mitificat, & compescit. Inde fabulantur vates, Martem Veneris esse amasium, eo quod in eius amplexibus mansuescit, immo adeo eiusdem consortio mitescit, vt Mars illebellorum parens, roboris, ac potentiæ numen, qui nequit ab alijs Dijs euinci, & superari, in Veneris thoro leui reticula comprehendatur à Vulcano. Quid aliud est hoc, quàm quod Martis siccitas extrema, hoc est complexio arida mitescit ab humiditate, ac rore sanguineo? ideoque aiunt Arabes, bilis frenum esse sanguinem. Tandem ægritudines inde prouenientes erunt tertianæ, causonesque febres, icteritiæ, erisypelata, lentigines, pruritus, phrenitis, & similes, quę à bile propagantur affectiones.

CAPVT X.

Qualis prodeat conceptus Apolline, seu Sole dominante fatus, quoſque ferat & mores, & morbos.

Sol.

Temperamentum calidum, & siccum temperatè.

NVLLA vel minima res sublunaris existit, quę Solis assiduo iubare non illustretur, calore perpetuo non foueatur, spiritu iugi non moueatur, influxu perenni non conseruetur; vt iure ideo Plinius Polyhistor diceret; Sale, & Sole nihil esse vtilius; ab hoc enim plurimum de vita mundi velauctore Ficino trahere possumus; nam in Sole omnium cœlestium contineri virtutes non solum Iamblicus, sed omnes vnanimi arbitrio affirmant; immo dicebat Proculus, vt refert Ficinus idem de concordia mundi, ad Solis aspectum omnes omnium cœlestium virtutes congregari in vnum, atque colligi. Aliorum autem Planetarum naturæ magis clam adhæremus, Solis lumine perspicuo magis, & palam viuificamur, quod significauit Philosophus, cùm talem præcipuum Planetã ad hominum generationem conspirare, dicebat. Quinimo in multis effectibus, quorum secretæ, & admirabiles relucent proprietates, vim tantùmodo solarem inesse, plerique autumant; & quod maius ad hæc est encomium, virtutes genituas eminenter is continet; siquidem ignobiliora illa animantia, quæ vniuocam causam non agnoscunt, Solem ipsum equiuocum parentem habere putantur; quin etiam nulla prorsus est Venus absque vi Solis; quod insinuarunt misticè Poetæ, referente Natali Comite libro 4. qui ideò circo Venerem, aiebant, amasse Adonidem, qui est Apollo, quoniam frustratoria illa esset absque Sole. Hic non est sermo de vniuersali Solis influxu, quo terrena cuncta quotidie accessu, & recessu fouet, verùm de peculiari illo, quo mundum videlicet inferiorem respicit, dum supra Cœlestes orbes dominium seruat.

Quando itaque in hominis conceptione Sol in auge imperabit, ἀκμαῖος, idest optimi temperamenti idem consors erit, & æqualis complexionis particeps; quandoquidem calor Solis non est exuperans, non mordax, non æstuosus, non corruptiuus, sed suauis, lenis, mitis, ac totus vitalis. Insuper nec nimis humidus, nec

nimis

nimis erit siccus, quia solis calor eiusmodi est, vt per se neque exiccet valde, neque preter modum humectet; verum quæ siccitate squallent, rore quodam diffundit: quæ humiditate diffusa sunt, benigna temperet ariditate. Hinc autem primò continget, vt ingeniosissimus, ac simul sapientissimus euadat, qui sub propitio, & omnium lucidissimo astro vitam initiabitur, eo quod perfecta symmetria commisceatur ignis & aqua, hoc est calor, & humor primigenij. Id nos docuit medicinæ Princeps Hippocrates primo de dieta vbi hæc habet: *Quod humidissimum est in igne, & siccissimum in aqua si in corpore temperamentum acceperint, sapientissima sunt, quia ignis quidem habet humiditatem ab aqua; aqua autem siccitatem ab igne, vterque autem sic sufficientissimas est*; & paulò inferius addit. *Ex his autem anima temperata sapientissima est, & memoria valentissima prædita, si verò aliquo ascitamento vtens alterutrum horum augescat, aut contabescat desipientissima redditur*. Vide lector, ac exactè perpende textum; profundam namque doctrinam continet ad primigeniam caliditatem, & innatam humiditatem, earumque rectam temperiem attinentem. Confirmat Hippocratis hanc sententiam polygnotos Plato in Theæthero, vbi prudenter satis edixerit. *Non rectè anima se habet in denso, aut lutulento, molli nimis, aut duro cerebro; molle celeres ad percipiendum efficit, sed eosdem obliviosos: durum diu memores sed ineptos ad percipiendum, densum simulacra obscura continet*. Cùm itaque à Sole hæc duo elementa æqualiter temperentur, quid mirum si crasis inde ad ingenium aptissima resultet? Meritò igitur à Martilio de vita studiosorum inter nouem illos duces, qui per iter illud asperum, arduumque ad excelsum musarum templum perducunt, numeratur inter Cœlestes dux magnus Phœbus, qui quærentes animos, & res quæsitas splendore vberrimo sic illustrat, vt perspicuè quod quærebatur à nobis inueniatur.

Tandem quoad mores excepta sub hoc ardentissimo lampade proles iusta erit, hilaris, pia, facunda, philomusa, & vaticinio prædita; Apollo enim musarum pater est, ac futura præsentit; quare vaticinandi Deus ab ethnicis putabatur. Præuidebit autem vir solaris futura, non quod verè sit futurus χρησμολόγος, vates, aut Propheta, sed quoniam valde εὐφυὴς, ideò prudentissimus erit; est autem prudentiæ munus, eminus, quæ impendent, præfagire. Adhuc diutiarum erit cupida; nam Sol auri est auctor: prompta, quoniam id astrum iubar suum vndique fundit, faciemque purpuream semper vniuerso mundo explicat. Ex aliquorum sententia erit idolatra etiam, & hippocrita, vt potissimum Petro de Abano placere videtur; ex his qualitates aliquas canebat Pontanus ille 4 Vraniæ.

Aſt alium inſignemque animi, & præſantibus oris.
Nobilitat Sol, & generoſo corde ſuperbum
Inuitat ſtudio imperij, atque extollit in altum.
Placantemque aras Diuum, & pia vota ferentem.

Quoad corporis dotes illustres erit staturæ mediocris, alba quadam adiuncta cyrinitate, & pulcherrimi aspectus; talis enim est Apollo ipse.

Sed nitidus, pulcherque veni.

Canebat 2. Elegiarum Tibullus: capillos gestabit flauos, subtiles, expansos; ac penitus aureos.

Cantamus Peana Deum, qui eſt magnus Apollo
Perpetuum, pulcbrum, intonſum, ſemperque comantem.

Membra eiusdem diu vigorem seruabunt, ac serò ad senectutem prolabentur, id quod vates iudicarunt, qui Apollinem semper iuuenem effingebant; quod sanè acceptum referri debet optimæ illi temperiei, quam ex igne, & aqua Sol miscet; id quod omniscius Hippocrates primo illo de dieta non præterijt, inquit enim: *Etenim quod tenuissimum est in aqua, & quod rarissimum in igne si in hominis corpore temperamentum acceperint, sanissimum habitum constituunt*, & paulo infra: *quæcunque autem corpora ignis fortissimi, & aquæ densissima temperamentum acceperint, fortia, & robusta fiunt*. Seruatur verò in huiusmodi crasi diu, quoniam difficilè radicalis humor dissoluitur, & rarò egrotat, & si egrotauerit, conualescet breui tempore: quo consilio existimarim, eundem medicinæ Deum creditum fuisse prisco ævo, vnde Callimachus in hymno.

Ex illo didicerunt funera primum
Differre, & gelidæ vitare pericula mortis.

Phœbus temperatur à Mercurio, eiusque insidijs; quamobrem commenti sunt poetæ, Apollinem sæpe a Mercurio deceptum; & hunc illi furripuisse boues, ac deinde pharetram; Horatius primo carminum.

Te boues olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra.
riſit Apollo.

Tandem hinc callidæ, ficcæque expectande sunt affectiones morborum, præsertim ad oculorum regionem.

CAPVT XI.

Quales nascantur proles sub Veneris imperio concepta, quibus moribus insigniantur, quibus morbis afficiantur.

Venus.

Temperamentum frigidum, & humidum.

A

DHominum, ceterorumque animalium Generationem nullum prorsus intimius conspirat sydus, quàm Venus, sine qua nulla penitus ratione fieri potest conceptio, siquidem absque Venere genialis coniunctio non habetur; quare meritò Orpheus.

Omnia iunxisti, per te stant pondera mundi,
Imperitasque tribus Parcis, atque omnia gignis
Quæ mare, quæ Cœlum latè, terramque pererrant.

Haud ergo absque Veneris nutu fieri conceptio potest. At hic non loquimur de vniuersali, ac necessario nutu; verùm de præcipuo illo, quo de summis orbibus inspicit terrena, eo prorsus modo, quo superius de aliis Astris enunciauimus. Quis ergo conceptus, dum Veneris meritricium sydus imperitat? Profectò Venus Ioui consimilis extat, ideoque eadem ferè corporis dotes immittit; Quare sub ea conceptus homo staturę mediocris erit, speciosus forma, visu blandior, albus roseo quodam immixto rubore, eo maximè si Venus erit orientalis. Cęterùm decoram faciem atque rotundam referet, necnon pleno, pinguique totius corporis incedet habitu: caput extollet magnum potius, quàm parvum pulchra redimitum cesarie, crispis implicita crinibus: frontem & spatiosam, & serenam, candore perspicuam. Insuper oculi petulanter cum hilaritate micabunt, eruntque cęruleiporius, vt Venus habebat ipsa, e cęrulea Ponti spuma conflatos, pulchris, tenuibusque supercilijs coronatos: collum crassum, niueum, purpureumque. Physico sensu dicas, Venerem sanguinem & ipsam abundè producere, natiuumque calorem fouere, humidumque radicale augere, vnde relata manant accidentia corporis. Quoad mores vtique tales erunt quales afferre solet sanguinis vbertas; quo

B

C

D

A circa hilaris, benignus, affabilis, misericors, philocosmos, ac γυναικόφιλος, hoc est mulierosus conceptus euadet: insuper Amoris vulnere ferietur facile, pulchritudinis studiosus, mulierum formosarum cupidus, ludorum amicus, conuiuijs, odoribus, & musicis deditus armonijs, suauiter loquens, dulcissimè canens, cantibus, musisque dilectus.

Temperat ast alium Veneris nitor, bina nitet illi
Cultus, & aurato fulgens noua purpura textu:
Luxuriat domus, ac lucos flant tecta Sabæos,
Et passim nitidæ Charites dominantur in aula.

Huius complexionis ęgritudines sunt fere illę prorsus, quas Iouis esse diximus, hoc est sanguinis; verùm hic in gradu remisso; siquidem in Ioue caliditas prępollet humiditati, in Venere humiditas pręstat calori.

CAPVT XII.

Qualis futura sit proles sub Mercurio fata: quos latura mores, quos passura morbos.

Mercurius.

CALLIDVS Deorum nuncius exeat iam, & suos ipse mores, & humores propalet: exeat insidians latro, & suas edoceat impostvras, atque insidias. Sed quid aio? Prosiliat potius eloquentię Deus, & nobis canora, restudine facundiam insinuet, exurgat caduceator, & irrationalis animę motus rationis caduceo compescat, & se et. Exurgat tandem Planeta vagus, mobilisque: & varias circuitiones, errores que ostendat; siquidem hic vnus inter sydera cuncta inconstans motuum habet varietates, ac tergiuersationes; Nam modò procedit, modò retrocedit; modò sublimis est, modò depressus; modò celer, modò stans videtur, vt proinde Astronomi vt hunc motuum varietatem exprimere possent, non circularem duntaxat tradiderunt, verum, & alium ad oui formam dictum. Quid igitur mirum, si sub Mercurij ditione incōstantissimi producantur homines, imò potius ingenio veloces? quod vt exprimerent Poetæ, illum talaria, alasque gestare scripserunt; inde 4. Aeneidos.

Et primum pedibus talaria nectit,
Aurea, qua sublimem alis sive æquora supra
seu terram, &c.

Quid ergo mirum, si tali syderi inauctorata proles astu pollet, calliditate, ac fraude, imò etiã in latrocinia procliuis est? quocirca Mercurius furandi artem edocuisse dicitur. Sic Lucianus quoque in dialogo Apollinis, & Vulcani insignem furem illum fuisse testatur; nam cùm paruulus adhuc infans esset, à Vulcano suis vlnis exceptus instrumenta fabrilia ex officina illi subripuit: idem cùm Cupidinem eadem die natus palæstra vicisset, Veneri, quæ ipsum ob victoriam complexa fuerat, cingulum furatus est: Ioui sceptrum sustulit; inde meritò tamquam Numen à latronibus adorabatur; sic Homerus in hymnis.

Hunc superos inter post hæc retinebis honorem,
Latronum princeps diceris tempus in omne.

Enimuerò cùm calidus, & siccus hic Planeta extet, versutos, panurgosque aptus est præstare homines. Cæterùm sub hoc astro fata proles multi erit intellectus. Philosophiæ studijs opportuna, alios regendi prudens, & præcæteris discreta; talis enim ipse Mercurius celebratur; vnde primo carminum Venusinus.

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decora
more palæstræ.

Quo consilio prisci æui homines in sacrificijs Mercurij linguas adhibebant. Erit insuper in sermone celer, & in omnibus festinans, stellarum scientiæ perita, sortilegii, & vaticinij studiosa, hymnorum modulatrix, somniorum curiosa, in omnibus erudita. Ideo Pontanus 4. Vraniæ.

Scitatur rerum causas, & suscitat artes
Ignotas solers, facundaque pectora versat
Mercurius, veterum repetens monumenta virorum,
Dum linguæ pretium, dum famæ affectat honorem,
Ignotum & patitur nihil, & contemnit inertes.

Præterea musicis delectabitur instrumentis; Mercurio namque chelim cytaramque tractandi studium ascribitur; quod vel Nicander in Alexipharmacis dixerat.

Muta prius fuerat; vocalem reddidit illam
Mercurius dempta carne e testudine, fundo
Bracchia bina locat, super his chordasque retendit.

Confirmat in hymnis Homerus:

Mercurius prior ipse chelim facit arte canoram.
vnde primum.
Fluxit & neruis honor, & decora copia linguæ.

Addit Marcellus, qui illud quod de somnijs, & augurandi studio dicebamus, astruit his versibus:

Iam leues somnos dare, iam negare
Vestrum opus, vestrum pater Argicida
Nocte sapit is aperire Diuum
condita facta.

Encomia plura lege ex Hali, & Iulio Firmico

His ergo ornatus honoribus præcellet homo sub astro natus Mercurij. Sed quoad corporis tandem dotes statura corporis mediocris erit ad paruitatem declinans potius, excarnis, tennis: caput paruum, frons angusta, oculi pulchri, ac parui, supercilia iuncta, aures tensę, nares tenues, labia mediocria, manuum digiti longi, membra cuncta agilia, barba minima. Sub tali ergo syderę, coniuges, Veneris obite munera; Mercurius enim vos faciet ingenioſæ, disertæque prolis parentes. Mercurij morbosæ affectiones eędem quæ Martis, sed in gradu remisso, in hoc anim calor, & siccitas non adeo intensæ.

CAPVT XIII.

Quales à dominio Lunæ concipiantur homines, quibus præditi moribus, quibus obnoxij morbis.

Luna.

Temperamentum frigidum, & humidum.

NON est alius post Solem rebus inferioribus adeò influens Planeta, vti Luna, quæ occasu, & interitu multarum in orbe variationum causa est; & quidem si alicuius in conceptione habenda est ratio syderis Lunæ quam maximè est seruanda; siquidem hoc astrum præ omnibus alijs maleficij, ac beneficij particeps est. Sanè Lunæ dominium in herbis, arboribus, piscibusque manifestissimè apparet. Cur ergo in hominum conceptione oppidò magis non obseruabitur imperium ipsius? Quid enim? nonne in quadraturis illis perspicuò magna in elementis alteratio apparet? Siquidem caligat aer, coecutit Cœlum, & vt Boetius:

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera lumen.

Tellus, ac Pontus in suis germinibus non leuem præseferunt agitationem, & si quis est homi-

hominum, qui aliquo detineatur morbo, ijs temporibus maximè exasperatur; quinimo pociones, ac pharmaca eodem tempore propinare, non modo infructuosum, verùm etiam damnosum, ac penè deleterium. Quare ex Ptolemæo fertur, quòd cùm Luna iungitur Ioui, medicamentum vix quicquam mouet; eo modo quo similiter obseruatur, eadem coniuncta Veneri pharmacum nihil proficere. At nihil est, vt multum temporis impendam, vt probem Deæ triformis dynastiam, quæ cùm sit elementorum continens, multa necessariò producere habet in elementis, ac mixtis omnibus; quandoquidem, vt est apud Aristotelem 8. Physicorum, *Necessarium est, multos motus fieri in corpore à continenti*; imò ex opinione Diui Thomæ, ideo necessarium fuit Cœlestia corpora inferioribus esse contigua, vt scilicet superiorum vis inferioribus communicari posset; oportet enim ex Philosopho, vt agens corporale tangat passum. Huiusce autem peculiaris influxus à Luna procedentis, magis quàm ab alijs Planetis tres rationes affert summus ille Astronomorum Princeps Ptolemæus. Prima est vicinia huius orbis ad terram; Superius enim asseruimus, contineri terram, ac mundum inferiorem ab orbe Lunæ non autem ab alijs Planetis, atque adeo necesse est, multas varietates, ac motus gigni ab orbe Lunari magis quàm ab alijs. Secunda ratio est, quoniam vt ille ait, Luna omnium superiorum planetarum naturas, ac virtutes continet; Siquidem aliorum Planetarum influxus per orbem Lunæ permeare habent, siue sint illi lumen, & calor, siue potius proprietates arcanæ. Tertia demum ratio est, quoniam Luna operatur virtute sua, necnon etiam solari, quam ab ipso mutuatur Sole; etenim, vt coltat, iubar, lumenque Lunę est Solis ipsius per oppositionem contractum, ac reflexionem, ex quo meritò ab Aristotele minor Sol nuncupatur, & in somnio Scipionis Tullius luce aliena lucere eandem aiebat: *ex quibus*, inquit, *ea erat minima, quæ vltima Cœlo citima terris luce lucebat aliena*. Non est autem vis Lunæ æqualis virtuti solari, quia vt prudenter admodum Philosophus ipse scripsit 4. de generatione animalium capite vltimo. *Luna calefacit, & siccat vt Sol ipse, sed eo minus, quò repercussum lumen reflo debilius esse par est.*

Sed age iam ad propositum descendamus: quicumque sub huius Astri dominio ortum sortierit, Luna manente in angulo orientali, his corporeis qualitatibus exurget insignitus. Vniuersum corpus in primis mediocris erit formæ, sed vndique humiditate circumfluum, humoris namque id sydus prolificum existit; quare Ptolemæus in Apotelesm. *Luna plus habet virtutis in humectando, quia videlicet Terræ propinquissima ob humidorum exhalationem & dispositionem e vestigio corpora emollit & putrefacit: participes quoque virtutis est parum calefaciendi propter Solis illuminationem.* Hinc verò sequitur, vt color futurus sit semialbus quadam glaucedine conspersus, carnes molles, vti habent mulieres omnes ob copiam humidi. Caput erit magnum, acmultis obnoxium destillationibus; siquidem huic potissimum Luna dominatur inter omnia membra; quo circa Auicennas libro primo fen. 4. capite 21. scriptum reliquit: *Cerebrum augescente Luna augetur, decrescente decrescit.* Perinde ac ob idem prædominium, teste Aristotele libris de animalibus, ac Plinio ostrearum, conchiliarum, cancrorum, & simílium augentur & implentur corpora, vnde Lucillus apud Aulum Gellium.

Luna alit ostreas & implet echinos
Muribus fibras, & pecudi addit.

Facies decora, mollis, rotunda: addunt multi, vnum oculum futurum semper altero maiorem; atque etiam semper inæqualem. Insuper erit putredini obnoxius, quia de Philosophi sententia humiditas est fons putredinis; putredo namque est corruptio natiui caloris in vnoquoque humido: quæ omnes proprietates à frigido, humidoque temperamento manant.

Cæterum quoad mores cogitationibus vagus erit; omnium enim syderum, vt dicebamus, errantissima est Luna; quo consilio finxerunt vates, eam curru vehi celere, & multicolorem induere vestem ob motuũ videlicet, quos inducit varietatem; ad sapientiæ studium haud valde proclivis erit; cerebrum namque impensè humidum fluidum est; atqueadeo litterarum incapax, & obliuiosus erit; id quod studijs omnibus aduersatur: mater enim Musarum, si est vatibus habenda fides, memoria est; id quod acceptum referri debet capitis temperamento præhumido, in quo cùm rerum fluctuent imagines, tenax memoria seruari nequit. Insuper pusillanimis euadet idem, formidolosus, secretorum diuulgator, voluptatum, & mollitiei amator, atque omnino muliebribus indutus moribus, ideoque veneficijs, ac fortilegijs deditus, qua intentione ni fallor, putarunt Ethnici, Lunam præesse veneficijs, vt annuit Aristophanes:

Veneficam si fœminam ipse Thessalam
Coemereo, captabo Lunam noctibus.

Quid plura? Exoticis delectabitur cibis, incultu, & ornatu luxum præseferet: addit Pontanus 4. Vraniæ:

Sunt quos & splendor iuuet, atque exculta suppellex,
Ornatusque domi fulgens, laqueariaque aurea,

Digitized by Google

Et Tyriæ veſtes, villoſo & purpura limbo,
Hos populos longè acceptos Latonia Luna
Commendat, fauor hinc, & amicæ gratia plebis,
Ingeniumque habile, & rebus vis apta gerundis.

Noſce igitur, vt ſint in humana generatione conſpiciendi Planetæ, qui quidem iuxta domorum diuerſitatem diuerſos etiam producunt effectus.

CAPVT XIV.

Quales ſub quolibet Zodiaci ſigno enaſcantur homines, & primò ſub Arietis dynaſtia qui mores, qui morbi ſerantur.

Aries.

Complexio calida, & ſicca.

POST Planetarum conſiderationem ſtatim ſeſe offerunt duodecim illæ Zodiaci imagines, quæ & ipſæ ditionem ſupra res inferiores, atque ſublunares exercent; ſtudioſè igitur hic de his caracteribus agendum erit, quatenus humanam temperiem apti ſunt vario modo elaborare, & afficere. Et primò quod pertinet ad Arietem, quiſquis eo dominante conceptus erit, his dotibus inſignitus exurget; Corpus obtinebit ritè ſymmetriatum, ob longam faciem, lumina prægrandia, intuitum humi demiſſum, paruas aures, collum prælongum, aliquatenus incuruatum, crura mollia, tenuia, ac multipila, criſpos crines, colore ſubrufos. Quoad verò mores diſertus erit, ſiue potius philologos, mendax, iracundus, ciborum auidus, à quibus vitioſis Genijs reprimetur interdum ſtimulo laudis, atque honoris, nam nihilminus φιλοδόξος erit. Sed quoad fortunam, quid ſit futurum, concinit lepidiſſimè Pontanus 1. Vraniæ his metris.

Hoc ſurgente aliquis veniens ad munera vitæ
Ingentes nunc diuitias cumulabit, opumque
Affluet vndanti riuo, nunc rurſus in aream
Pauperi coniectus, inopſque arentibus vndis
Vix ſedare ſitim poterit; nam ſyderis huius
Eſt mutare vices, alternaque fata referre.

Et inferius.

Quod ſi fortè nouas veniens quis huius in auras
Lanigerum medio fulgentem in culmine Cœli
Aſpiciat, non illi aditus, non limina regum
Claudentur primoſque inter, Procereſque patreſque
Diuerſans, hinc diuitias, hinc commoda vitæ,
Hinc faſces, noto atque aſſectetur honores.
Non illum tamen aut animi generoſa Cupido,
Aut recti mens certa ſibi tutabitur, vt non
Pauperiem, tenueſque lares ſuſpiret, & idem
Lætetur dites mutata ſorte Penates
Alternare vices rurſum, ac referatur eodem.
At ſi præcipitem occaſu, atque Atlantis in vndis
Mergentem aſpiciat iam tandem cana ſenectus
Fœlicem agnoſcet, placidaque in ſede quietum,
De thalamo tamen, aut thalami conſorte querentem.
Interea magnis iactatum ſæpe periclis
Externas vrbes, peregrinaque tecta petentem
Deſertis errare locis fata aſpera iubebunt.
Aſt vbi ſeſe imo acclinans torquebit olympo,
Errores paſſim varios, ac triſtia flenti
Fata feret, charæque obitum conſortis, acerbumque
Aut nati funus, languenti aut corpore morbos.
Quin in amicitias Magnorum, aulaſque virorum
Inſinuans nunc tollit humo, ſtatuitque ſedentem
In ſolio, nunc rurſus humi proſternit & inde
Euehit ad ſolitos ſublato vertice honores.
Lætitiam & mœſtis, requiemque laboribus affert;
Hæc Aries, hæc lanificum denuntiat aſtrum.

Vide ſi placet Manilium in Aſtronomicis. Profectò vti hæc temperies Marti conſonant, ſic paribus inauctoratur affectibus. Interim ſcias, dentium dolorem, epilepſiam, faciei maculas, & morpheam huic ſigno deberi, eo quòd caput, facies, oculi, aureſque peculiariter regantur ab illo.

CA-

CAPVT XV.

De Tauri dotibus, moribus, ac fortunis, morbisque ad noues fœtus translatis.

Taurus.

Complexio frigida, & ficca moderatè.

QVAE sub Tauro concipitur proles, rectam refert corporis staturam, formosum aspectum, candidam, spatiosamque simul frontem; longas nares, acutas tamen cum foraminibus amplis; magnos oculos, nigris supercilijs coronatos: hispidos nigrosque crines, collum crassum, & breue. Quoad animi pathemata grauis erit, ac maiestosa, verecunda, honestè incedens, vana tamen, atque in Veneris voluptatibus dissoluta; domus enim Veneris propria Taurus est, vt alibi prolixius diximus. Insuper tardè iracundus; sed iram diutius conseruans, vt ijs vniuersaliter accidit, qui in iram haud ita facilè incedunt. Quid plura?

Hinc Amor, hinc studium formæ, cytharæque sonantis,
Hinc choreæ, cantusque placent, pexusque capillus,
Excultique sinus, & multùm lauta suppellex:
Adueluisque aliunde odor, Assyrijque liquores,
Munditiæque, iocique, & quicquid blanda voluptas
Suadet, & ornatis vorantia pocula mensis.
Hinc etiam hortorum cultus, & cura serendæ
Arboris, hinc deflexa comis in mille figuras
Myrtheta, inque nouam crescentia cytria formam,
Cultaque per varios Genialis amaracus artes.

Sic Pontanus eodem 2. Vraniæ, qui de fortunis hæc addit.

Nec verò exoriens Taurus non ipse labores
Nascenti accumulat, primoque in tempore partas
Perdit opes; sed mox & mollia tempora, & ipsos
Successus rerum amplificat, semperque iacentem
Sternit humi, si quis contra insurrexerit, hostem.
Inde diuitias, atque ornamenta secunda
Fortuna dabit, è medio si culmine cœli
Nascentem aspicias. Non illi munera Regum
Deficient, non è sacris compendia templis
Publicaue assuetæ commissa negotia curæ.
Non tamen intacti thalami, non florida coniux
Contiget, sed anus, sed cui seruilia vincla,
Aut occultus amans, & non sine labe iuuenta.
Tristior vt fessas eat ipse Hymenæus ad aras.
Taurus ab occasu, pronoque à cardine mundi
Et partas labefactat opes, & rursus easdem
Instaurat, patrioque hæredem sistit in æra,
Peruincitque inimicum odium, ac malè conterit hostem;
Quin etiam rapidos flammarum excusitat æstus
Ex oculis, parat atque oculis immite venenum.
Ast imo potius Cœlo, atque in parte profunda
Aetheris, vnde nouum sese conuertit ad ortum
Plurima fœlici promittit sydere nato.
Ille inter proceres, atque intra limina Regum
Versatus, longaque fide spectatus in aula,
Magnarum curas rerum, ac molimina magna.
Suscipiet credentur opes, credetur & amplæ
Summa Domus, claris, & famam extendit in actis;
Tantus est Tauro vigor, & vis cornibus aureis.

Hoc signum, eo quia collum, gutturque sub sua ditione tenet, scrofulas parit, bocium, collique alias ægritudines, necnon subnigræ choleræ ferax est.

CA-

CAPVT XVI.

Præsagium quoad corporis dotes, animi mores, atque fortunas, morbosque concepti fœtus sub dominio Geminorum.

Gemini.

Complexio calida, & humida temperatè.

SEQVVNTVR alterna vita Tyndarides Gemini, sub quorum imperio quisquis concipietur, totius corporis staturam obtinebit erectam, speciosumque aspectum, pulcros oculos, crines cincinnatos, pectus latum, ac similiter armos. Quoad animum fœlicis intellectus erit, ingeniosi scriptor operis, pulcrarum rerum inuentor, peritus astronomus, in omnibus eruditus, veridicus, iustus, philotheos, mediocriter timens numen, præsertim cũ eorundem fuerit Mercurius Dominus fortunatus. At quid de fortuna? Pontanus indicat 2. illo Vraniæ.

Vnde sub exortum, primaque in parte locati
Nonnullos natis ineunte ætate labores
Protendunt, tamen haud illis pia cura Parentum
Defuerit, seu blandus Amor. Cœlestibus inde
Artibus imbutos decorant, iunguntque fideli
Principibus studio, & Dominis placuisse laborant.
At media de parte poli, atque e culmine summo
Promittunt faciles olim nascentibus annos.
Hos fandi decus insignes, hos delphica laurus
Illustres reddit populis, his insula sacris
Assurgit veneranda comis, capitique tiaras:
Hinc sibi diuitias, hinc ornamenta benignæ
Fortunæ accumulant, auro hinc laquearia fulgent,
Hos merces peregrina, aut teſtamenta beatos
Præclaraue artes, aut virtus rara, Deumue
Religio efficiunt, nam virginis astra per ortum
Sufficiunt Geminis vires, & robora præstant.
At cùm præcipitem occasum, cauaque antra subibunt
Oceani, dias veniunt qui lucis in auras
Hi perferre malum, & duros tolerare labores
Damnaque, & aduersos conflanti pectore casus
Assuescent, celare odium, ac simulare parati.
Non his aut studium recti, aut sapientia decrit,
Ingenijue fauor, docti, seu pectoris artes.
Successus sed opum seri, primaque senecta
Suscipient tardos cara cum prole nepotes.
Dant imo positi morbosque, ægrumque laborem,
Aut vitium occultum, aut secreta in parte dolores,
Eripiunt & opes paratas, censumque paternum.
Post tamen vberiore manu cum fœnore magno
Ingeminant & opes, & lucra ignota reponunt,
Suppeditent vnde, & multis alimenta ministris.
Hos fœlix, fatoque tamen cogente senectus
Ab procul à patria externis tumulabit in oris.

Hoc idem Dioscurorum signum brachia, manus, & spatulas regit, nec non sanguiſluas imprimit affectiones.

CAPVT XVII.

Quales dotes, mores, & fortunæ, morbique sint hominis concepti sub Cancro.

Cancer.

Complexio frigida, & humida temperatè:

SVB Cancro fata proles corporis breuem staturam refert, crassa membra, pinguem faciem: paruos, cæsiosque oculos, capillos crispulos, breuem barbam, clatos humeros. Cæterùm quoad mores semper mobilis, semperque sibi incostans exiſtit, μικροφρένιος, ideſt parui iudicij, atque minoris sapientiæ; ad iracun-

cundiam, & libidinem facile procliuis, parum tamen in vtraque constans. Mores, & fortunam plenè edocet Pontanus eodem loco his carminibus:

Hac etiam de parte, imoque e cardine surgens
Si testudineus moueat sua brachia Cancer
Humidaque impressis figat vestigia plantis
Plurima diuino promittit munere natis.
Illis diuitiæ ingentes, & copia rerum
Vndabit variarum, & latis prædia campis
Sufficient latam Cererem, Bacchumque fluentem.
Illis nobilitas, & clauis insula vittis
Conferet insignes titulos, magnoque fauore
Decernit statuas, fastisque insignibus ornat,
Annuerit placido facilis si Iuppiter ore,
Sed iuuat intonsus crinis, promissaq; barba
Atque inter titulos sordenti flamine vestis
Quin etiam insidias cognati, & sanguinis iram
Nuntiat, aduersosque inimica mente propinquos,
Quos & ab occasu grauiori concitat ira
Tum verò fœlix multa cum laude senectus
Continget, tunc clarus honor præstantibus actis
Cum medio posuit Cœlo vestigia, & æquor
Despiciens bibulis tantundem distat arenis
In mare qua Ganges, & qua Tagus aureus intrat,
Ac veluti lento sensim per lictora passu
It Cancer, tardusque graui sub mole laborat
Paulatim sic diuitias, sic lentus honores
Accumulat, donec grauidos cœperit aceruos
Vix tamen vt gemino fœcundet viscera partu.
Exoriens placidos mores, animique quietum
Ingenium, & solers mitis promittit acumen
Nascenti, tamen vt facile indignatio, & iræ
Exagitent, facile iratos componat vt æstus
Mollibus officijs, ac miti pectore natus.
Ipse acer vitiorum vltor cum fronte seuera
Iurgator scelerum, atque ad publica munera versus,
Præsidia inde domus, & victus quæret honestos,
Et tamen indigna decubet morte peremptus
Aut grauibus capitur morbis, aut lumine mœsto
Spectabit raptos non vno funere fratres

Pectus, mammillas, ventrem superiorem, pulmonem, splenemque sibi vendicat Cancer, inuritque scabiem, impetiginem, lepram, serpiginem, & congenea.

CAPVT XVIII.

Quales dotes, mores, & fortunas, morbosque insluat conceptæ proli, e Cœlo dominans Leo.

Leo.

Complexio calida, & sicca intemperatè.

LEONIS rugientis dominium præstat homines pulchri penitus corporis, coloris rosei, viuidique, cuius corporis membra superiora erunt inferioribus longè maiora. Alacres oculi, petulantesque micant, flaui, aut cæsij potius: capilli pendent aurei, & calamistrati: pectus amplum, crura gracilia. Quo ad animum, Leonina proles fortis est, ac generosa, magnanima, tentans ardua, solers in periculis, vehemens in motu, iracunda, disciplinabilis, ingeniosa, ac præterea philotisijs, & gastrimargiæ, hoc est Venereis, & gulæ addicta, necnon φιλόνεικος, fortunam addiscere licet ex Pontano ipso præcitato Vraniæ libro.

Ergo cui primæ radiabit lucis in ortu
Notus erit, feret hic celebris præconia famæ,
Fascibus, atque operam dabit, atque inhiabit honori:
Quæret opes proprio semper tamen ipse labore,
Spelunca fremit in magna, dominator in altis
Montibus, Aethiopumque fremunt deserta Leonem.
Quærendo tamen insudat per deuia passu.
At cui de summo nascenti fulget olympo
Perferet ille graues forti cum corde dolores,
Post tamen aut domini pergrata potentia ditem.
Efficit, aut si qua est Domino cognata potestas
Vnde etiã charis alimenta ministret amicis.
Ducit ab occasu litem, iratosque, propinquos
Efficit, & multos aduersum concitat hostes
Iurgiaque indignum thorum, moresque sinistros
Coniugis, & nullo thalamos dignatur honore;
Ast ima de parte dabit consumque, bonasque
Diuitias, dabit & tabulas, scribetur & hæres;
Partaque fœlici seruat patrimonia cura.

Cor-

Cordis, & præcordiorum ægritudines infligit Leo, spinæ dorsi, pectori, diaphragmati, & stommacho peculiariter dominans.

CAPVT XIX.

Quibus dotibus, moribus, ac fortunis, morbisue insignita exurgat proles sub signo dominantis Virginis concepta.

Virgo.

Complexio frigida, & sicca, intemperatè.

VIRGINE imperante pulcrum emanat corpus, concinna symmetria, recta statura, habitus enfarchos, neque pinguis, neque gracilis, capilli subcrispi, vox acuta. Quoad animum Virgineus fœtus macte virtutis, sapiens, veridicus, modestus, bonæque indolis erit. Fortunæ à Pontano sic describitur 2. Vraniæ.

Hunc labor, hunc & cura premet iuuenilibus annis
Huic & fœlicem præflabunt fata senectam,
Quem lata ex imo Virgo spectarit olympo,
Ornatumque animi dotis, & moribus amplis.
Hæc Dea dat curas animis, dat & vtile pectus
Consilij, dat secretas exquirere causas,
Moliturque nouas artes, mentemque Deorum
Explorat dubijs quærens oracula rebus;
Nil intentatum ingenio, nil linquit inausum,
Quod natura tegat, tegat & vis insita fato.
Sic illum Pater instituit, &c.

Manilio stude. Regit idem ventrem, epigastrium, & intestina, paritque melancholiæ terra symptomata.

CAPVT XX.

Quas dotes, mores, ac fortunas, morbosue instuat Libra suis conceptibus.

Libra.

Complexio calida, & humida, distemperatè.

IN domino Libræ concepta soboles decora simul, & formosa erit; corporis habitum obtinebit medium inter gracilitatem, & pinguedinem; albam faciem cum reliquo corpore subnigro. Cæterùm quod attinet ad mores, eadem erit in sermone suauis, atque animo mitis, liberalis, disciplinabilis, boni iudicij, musicę, fidiumque studiosa, necnon mechanicarum operationum solers; venationum insuper, & Genialium voluptatum amatrix. Fortunas disce à Pontano sic modulante 2. Vraniæ.

Igitur Libra fulgente per ortum
In lucem quicumque venit, non ille Deorum
Contemptor, non recta animi sententia mentem
Deseret, aut raris exurgens gloria fœlis.
At vitæ tenor inconstans, morbusque, laboque
Turbabunt, & multa nouis discrimina rebus.
Hunc lites, atque immeritis certamina causis.
Hunc aduersa fori vexabunt arma, sed ipse
Inuictus feret, ac multo se robore firmat,
Quem tam en amissis proflerent funera natis
At cum se summo librarint æthere chelæ,
Fœlices dant euentus, dant prospera rerum
Subsidia, & quoties aliquid fortuna maligum
Vexerit, instaurant alieno funere damnum,
Aut ex alterius iactura, aut forte latenti
Thesauro, sed nec pietas, cultusque Deorum
Defuerit nato, quibus annua vota per aras
Persoluat rite incolumis, nec carmina deerunt

Culta

Culta, nec aurato resonans caua tibia buxo.
Hunc dulcis lepor & grato facundia gestu
Adiuuat & blanda comitatur gratia lingua,
Quod si nimboso occasu atque Atlantis ab hortis
In Mare præcipitent dant publica munera natis,
Et Regum insinuant domibus. Mutabilis aura
His manet, & nigris post albos vrna lapillis,
Vt neque coflanti perflet fortuna tenore.
Ex imo censum patrium, proauisque paratas
Perdunt diuitias, nulloque in munere primos
Constituunt; verum post damna, grauesque labores
Lucra parant, &c.

Quia renes, vertebras, lumbos, & fœmora Libra regit; inde variæ extimendæ afflictiones vt hæmorrhagiæ per inferiora, vrinæ & fœcum retentio, & similes.

CAPVT XXI.

Quas dotes, mores, ac fortunas, morbosue insinuet proli suæ Scorpio.

Scorpio.

Complexio frigida, & humida distemperata.

QVAE soboles sub Scorpionis dominio vitam ingreditur, colorem corporis obtinebit subrubrum, paruam, & angustam frontem, paruaque lumina, suisque latentia spheris: longa crura, subtilia, pedes amplos, & capillos plurimos. Cæterum quoad mores; erit facunda, fœcundaque verbis, prodiga, nugax, mendax, accusatrix, discordiæ seminatrix, falsa, dolosa, prudens, disciplinabilis, ingenio & sagacitate plena. Hæc omnia, & infimul fortunas exarat Pontanus 2. Vraniæ.

At quibus in primo nascentibus affuit ortu,
Non his dexteritas rerum, non mentis acumen
Defuerit, verum ira ingens, & pectoris ellus
Et varij exagitant motus, multumque fatigant
Aduersa, & tamen hæc fœlicia fata, potensque
Euentus manet, ac sobolis iucunda propago;
Atque vtinam non & patria tellure relicta
Externas quærant vrbes, non prima sepulcro
Pignora dent, non ob veteres certamen amicos,
Damnaque & immensos subeant quandoque labores,
Nam cum de summo nascentibus afficit orbe
Difficiles animi mores sed fortia præstat
Pectora; sed magno claros extollit honore
Ex humili persæpe loco, dominique potentis
Subleuat officio. Tamen & consortis acerbum
Funus, & indignos affert de prole dolores
Nec patitur certa errantes consistere terra
Efferet vxorem optatam, primosque hymenæos
Lugebit cui mauryso de lictore caudam
Vibrarit nepa fatificum iaculata venenum
Non tamen ingenio defles, non pectore segnis
Ipse geret magna comissa negotia cura.
Decumbet terra ignota cæloque alieno,
Et cadet infælix violenta cede peremptus,
Siue repente ruens fato rapietur acerbo,
Quamquam prima gerens, & magna negotia primus
Ex imo cui sorte loco se Scorpius offert
Armatum, ipse ima minitans fera vulnera cauda
Fraude potens nitensque, astu dominoque superbus
Quando etiam socios iunxit sua tecta sub antro.

Parentes hoc fugite signum, est enim apprimè maleficum; inserit illud fistulas, hæmorrhoidas, calculum, tenesmum, scabiem, lepram, colicumque dolorem. Habet namque subiectum anum, pudenda, vesicam, ileon.

CAPVT XXII.

Quales dotes, qui mores, quæ fortunæ, morbique inferantur conceptui à Sagittario dominante.

Sagittarius.

Complexio calida, & ficca, intemperatè.

SAGITTARIVS efformat homines erectæ, sublimisque staturæ, & flaui coloris, qui longam faciem, barbamque demissam referant, mentum, ac frontem acutam, amplum ventrem, longas coxas, crassas tibias, testes, ac pudenda protensa, crines tenues, rufosque. Quoad mores homines producit alacres, liberales, fortes, agiles, æquitatus studiosos, calidos, instabiles, libidinosos, & fœcundos. Addit fortunas Pontanus toties citato loco.

Iam primo quoties Cælo fulgentia chiron
Ora effert, quicunque nouas in luminis auras
Prodierit, quantum ille maris? Quot flumina obibit?
Quæ terra errantem excipient? Quos viderit hostes?
Et tamen insperata etiam patrimonia adibit,
Publicaque inspecta geret ipse negotia cura.
Ingenio bonas, atque artes instructus honestas.
Errores etiam varios, hostemque potentem
Indicat, insidiasque, & multa pericula Cælo
Si medio aspiciat, patrimonia perdit, & idem
Restituens aliena dabit, studioque fideli
Iungit amicitias, conceptaque fœdera seruat
Exercens habile ingenium, & mentem aptat agendo.
Sæua tamen pueri tela, immanemque pharetram
Irati ciet, atque incensos ventilat ignes,
Perque oculos placidum demittit ad ossa venenum:
Incolet externas vrbes, peregrinaque tecta
Iactatus fato tamen patriamque, suosque
Inuiset Diuum ipse memor. Sed pectora curæ
Exagitant, & sæpe dolor per corda recursat,
Sentiet iratos hostes, cladisque suorum
Exitij, aut fratrum, magni seu causa periculi.
Ille quidem assiduo chiron cui mergitur astro.
Hunc Cæli fauor arridens, hominumque fauorem
Concilians statuit templis, & præficit aris,
Ingenijque bonis, atque artibus ornat honestis,
Cui fauet ex imo senior Centaurus olympo.
Quin dulcis natorum Amor, & iucunda propago
Fœlicem efficiunt. Nam quamuis pignora prima
Efferat, optata rursum noua gaudia prole
Suscipiet, cumulabit opes pietate suorum,
Debeat vt caris censum, & bona parta propinquis.
Multa etiam in superos pietate vtetur, & aris
Plurima pro meritis persoluet vota, benignos
Thure Deos veneratus, & igne calentibus extis.

Hoc idem signum femoribus, coxis, & verendis imperat, ac temperiei consonas infligit ægritudines.

CAPVT XXIII.

Dotes, mores, fortunæ, morbique hominis cœcepti sub imperio Capricorni.

Capricornus.

Complexio frigida, & ficca, distemperatè.

CAPROLES Capricorni est corporis habitu sicco, & gracili prædita, statura sublonga, colore subnigro, aut subflauo, capite paruo, capillis multis, acuta facie, & caprina, si Hali credimus, compressis oculis subtilibus cruribus, & ijs pæne omnibus qualitatibus, quæ Saturno debentur. Maternus addit, quod si Capricorni pars XV. erit in Horoscopo, homines præstat gibos, nanos, ac totos deformes. Quoad mores, libidinosus ob flatuum copiam suspiciosus, tædiosus, φιλόμισος, hoc est odiosus

sus, & φιλόδιμος, ideſt amator controuerſiæ & multis litigijs obnoxius. Inſuper mores, & fortunas Pontanus explicet 3. Vraniæ his carminibus.

Hoc igitur ſigno genitos, curæque, laboreſque
Exercent, cultuſque ſoli, terræque domandæ.
Hos dulces verborum auræ, tenerique lepores
Delectant; ſed multo tamen mendacia vanos
Efficiunt, neque enim dictis conſtantia perflat.
Quin etiam fœdi mores, prenſque libido
Sollicitat cupidas mentes, ſtudiumque nocendi.
Nam quibus in primo ſurgens apparuit ortu,
His ſuperat res ampla domi, ſed ſponte per orbem
Viſendi ſtudio allecti, peregreque vagantur.
His amor in teneras ſuccendens corda puellas
Subijcit imperijs dominæ. Verùm arida poſtquam
Deſauit ſitis, & longe exatiata libido eſt
Sectanturque odys, & iniqua voce lacerſunt.
Digener his animus: ſed mens famulata Deorum
Obſequijs, præcibuſque aras, ac templa fatigat
Verum inſtructa dolis fraudemque in corde voluntas
Ingratiſque operas ipſi, & benefacta locabunt.
At famæ pretium nobis, & gloria creuit,
Quod medio fulſit radians Capricornus olympo.
Hinc etiam ſecreta poli, atque occulta Deorum
Panduntur, variiſque manent accomoda rebus
Fœdera, & ingenio quæſitum nomen ab ipſo eſt.
Hinc multis alimenta damus, noſtroque fouemus
Præſidio, & magnis primi quoque præſumus actis,
Et primi veterum colimus monimenta virorum.
Pronus ab Oceano mentis portendit acumen,
Ingeniumque capax, & veſtigantia longe
Corda: ſed occultos languenti in parte dolores
Corporis, aut animi varios denuntiat æſtus,
Criminaque, inſidiaſque, grauique pericula damno,
E quibus emergit tandem, placideque quieſcit.
Sed iacens ima patrimonia vertit, opeſque
Alternat patrias, proprijs quas viribus inde
Colligit, & diti peragit ſua fata ſenecta.
Ac ſibi vel natos aliena ſtirpis adoptat,
Aut prolem ignoto genitam de ſemine tollit
Atque hæc hyberno præflat Capricornus ab antro.

Lege inſuper Manilij Aſtronomica. Genua, eorumque ſubiectat ſibi Capricornus affectus; Febres inſuper, ſcabies, lepram, mutitates, ſurditatem, ſanguinisque fluores infernos inſerit, atque oculorum caligines.

CAPVT XXIV.

De natura, virtutibus, influxu, & maleficio dominantis Aquarij.

Aquarius.

Complexio calida, & humida diſtemperatè

EX Aquario in Horoſcopo ſurgunt homines breuis, formoſæque ſtaturæ, boni habitus, rubei coloris, venuſtæ faciei, magni capitis, crurum inæqualium, vnum enim altero maius erit, vt Hali, ac Bonatus tradunt. Cæterùm ſtudioſus, iactabundus, glorioſus, philotimus, & liberalium artium peritus. Addit hæc Pontanus præfato loco.

Quicunque oriens orientis Aquari
Fœlices radios, & amicos viderit ignes
Ille bonas artes ſolers tractabit, opeſque
Inde parans dabit, & multis alimenta miniſtris,
Et multos parto paſcet, magnoque fauore
Iunget amicitias primorum ex vrbe virorum.
Munera quin etiam ſcriptis commiſſa tabellis

Siue Deum in templis, & sacra negotia curans
Sentiet inuidiæ vulnus, liuentiaque arma:
Perdet opes, parta amittet, quæ viribus vni
Ingenioque bonis facili ratione repensæt.
Qui si de medio nascentem aspexerit orbe,
Fuderit & liquidos amnes de culmine fumino,
Diuitiæ ondabunt illi, rerumque paratus
Assuet. & multa quæsita pecunia cura,
Publica dum tractat, peragitque negotia solers
Propter aquam, sudet aut rebus non segnis aquosis;
Regibus aut placet, aut dominantum limina seruat;
Sed neo certa fides vndis, & flumina saepe
Finitimos populantur agros, egressaque ripis
Dant stragem, & miseri frustrantur vota coloni.
Dum fata præcipitemque trahunt spem gentis, & anni
Fert & opes, adimitque datas Atlantide ab vnda
Lucraque, damnaque mutato de sydere prebet
Atque vtinam quæcunque illi sua contigit vxor
Seu vidua, & primi thalamos defuncta mariti
Seu virgo furtim illecebras quæ nouit Amantum.
Siue anus, & penso quæ dudum assueuit hevili
Concordes agitet tædas, seruetque pudorem.
Nil illi gratum à socijs, gratumue ab Amicis
Speretur, sterilem ipse fidem, frustraque dolebit
Si quem deuexo nascentem vidit ab orbe

Habet hæc, aut similia Manilius libro Astronomicon. Quid plura? Tibias cum suis morbis subiectas habet, nigramque inspergit ictericiam.

CAPVT XXV.

De qualitatibus, moribus, fortunis, ac morbis Piscium e Cœlo imperantium.

Pisces.

Complexio frigida, & humida, distemperate.

QVISQVIS in Piscium Horoscopo conceptus erit, si Hali, Materno, & alijs habenda est fides, erectam ac bene symmetriatam refert staturam, colorem album, rotundos oculos, & subnigros, caput paruum, magnamque faciem, latas maxillas, venustam barbam, pectus latum, & aliquando membro aliquo diminutus extat. Circa mores: Gulæ deditus erit & vino, & hinc somnolentus, ac veternosus, iramque si concipiet, retinebit diu. Quid plura? Ingeniosus, sapiens, fidelis; sed Pontanum audiamus

Ille igitur, quem ceruleo de gurgite Pisces
Nascentem aspiciunt, Cœloque tuentur eoo
Multum Vrbes petet ignotas, longumque vagatus
Noteset peregrè externis nouus aduena terris.
Quin etiam ingenioque valens, & pectore plenus
Munera tractabit solers, quibus inde peractis
Ad maiora gradu properabit munia certo.
Certas amicitijs, cognato & sanguine certus,
Vicissenque hostem facilè, atque ex ordine fœlix.
Arcui de medio squamosis culmine nantes
Alludent caudis, illum sua flumina noscent
Vicinæque vrbes pelago, censumque alienis
Qui paret ex opibus, multa & patrimonia gaza,
Diues agri, diues pecoris, neque finibus vnis
Qui serat, vt duplici forsan dominetur in aula

Im-

Imperitans, geminasque potens moderetur & urbes.
Aſi bunc pomiculæ hæſperides ſi gurgite cauto
Accipiant, vndoque lauent ſimul equore piſces
Externæ noſcent Vrbes, peregrinaque tecta.
Præſtantem ingenio, & facilem bene rebus agendis;
Quin etiam Veneres, & gratia magna ſequatur
Obſequio, vt multi paſſim famulentur amico.
Nec verò non ille ſuis accomodus actis,
Ciuibus aut notus, aut fido pectore clarus,
Aut cuius certæ credantur munera curæ,
Quem celeresimo Piſces tueantur olympo;
Necnon & thalamum auerſans, læſoſque himenæos
Accuſet, meritoque illi damnabitur vxor,
Ni ſalix placido ſaueat ſaturnius aſtro,
Spondeat & gratos blanda cum coniuge mores.

Pete Manilium in Aſtronomicis. Pedes regunt Piſces, eorúque affectiones; inſuper lepram, paralyſim, podagram, & huius generis progignit.

CAPVT XXVI.

Qui ventorum conſtitutione prolem ſexcrere magis expediat.

PEREGIMVS aſtra, ac Zodiaci vniuerſas imagines, ſuperſunt meteora quædam non contemnenda; Proferantur ſi placet. Spirantibus Auſtris haud quaquam Generationi operam dare confert: tunc enim temporis fluida nimis corpora, & ſemina ſunt; ſi verum eſt autem quod magis concretum, & compactum, ſemen calidius eſt, & conſequenter longè magis fœcundum, illud, quòd ab Auſtro alteratur, & funditur, ad bonam prolem minus efficax erit; enaſceturenim intemperanter humida, ſegnis, & capitis obnoxia ſtillicidijs. Inſuper femina potius, quàm mas gignetur; quod ſecundò capite libri 2. de generatione animalium legitur his verbis, *Humidiora etiam, effeminatioraque corpora fœminam potius gignunt. & ſemina humida magis, quam ſpiſſa hoc idem faciunt.* Cuius quidem ſententiæ illa eſt ratio, quoniam ad perfectam, validamque prolem, nec non maſculinam imprimis producendam expoſcitur genitura valde calida, & vndique ſpirituoſa. Iam affluens humiditas calorem, & ſpiritus hebetat, qui adhuc in fluida nimis ſubſtantia nequeunt ſeruari. Meritò igitur Philoſophus loco paulo ſupra citato aiebat: *Flatibus item Aquilonijs magis quàm Auſtrinis mares gignuntur*: cuius reiſtatim rationem afferens ſubiungit, quòd auſtrino tempore ſuperfluæ humiditates multæ in corpore inſunt, & excrementa à calore aliquo ſegni coqui nequeunt, & in bonam formam coctionis, & perfectionis redigi; nam vt ipſemet ait, hæc enim omnia eueniunt caloris inopia naturalis; quamobrem neceſſe eſt, ſemen, & ſanguinem menſtruum humidiores fluere, atque adeo imperfectiores. Quinimo ſapientiſſimus idem Ariſtoteles ex doctrina, & obſeruatione Paſtorum refert, non modo intereſſe ad maſculini, ac feminini pecoris fœturam, vt initus Aquilonijs, Auſtrinisue flatibus fiat, ſed etiam ſi dum pecus coit, ſpectet ad Aquilonem, aut ad Auſtrum. *Ita*, inquit Ariſtoteles, *minimo interdum momento cauſa datur caliditatis, aut frigiditatis.*

Cur autem flante Borea opportunum ſit magis prædurgiæ parare opus, patebit liquidò ſi contrario modo quàm de auſtro ratiocinemur; ideoque cùm ſub tempore Aquilonari membra cuncta robuſtiora ſint, corpuſque vniuerſum humido non diffluat, verùm ab excrementorum illuuie reſiccetur, ipſaque in primis genitura denſior, & magis cococta euadat duplici de cauſa, prima quidem ob naturam borealis flatus exiccantis; ſecunda quòd calor ſeminis augetur ob frigidi halitus ventilationem, qua fit actio antiperiſtica; Nonmirum ſi proles omnibus abſoluta numeris euadat. Confirmat hoc Philoſophus 6. de hiſtoria animalium capite 19. de ouibus, capriſque loquens, vbi ait: *Mares autem, aut fœmina generantur vt tum aquarum, tum admiſſariorum; nam & aquæ faciunt, vt fœmina mareſque concipiantur. Ad hæc Aquilonis flatu mares potius concipiuntur, Auſtri fœminæ.* Et ſubiungit adhuc: *Vis tanta eſt Aquilonis, vt vel ea, quæ non niſi fœminas pariant immutet ad prolis maſculæ procreationem, ſpectare Aquilonem.* Vt proinde hic ritè adaptari poſſit Hippocratis Aphoriſ. lib. 3. *Quotidianæ verò conſtitutiones Boreales corpora confirmant valida, agilia, bene colorata, melius audientia efficiunt; ventres exiccant.* Quod adeo verum eſt, vt negare penè temerarium ſit; immo non eſt alia ratio, cur pueri aliquando adeo morbidi enaſcantur, niſi conceptio illorum ſub huiuſmodi auſtrina conſtitutione celebrata, quibus niſi fonticulis in occipicio ſtatim occurratur, vel non viuunt, vel fontico morbo ſeu epileptico corripiuntur; quod non modò contingit, ſi proles taſi tempore ferantur, & concipiatur; verùm etiam ſi vtero ge-

gestetur austris dominantibus; significauit hoc idem Hippocrates 3. Aphorismorum 12. iis verbis; *Si tamen hyems fuerit austrina, pluuiosa, & clemens, ver autem siccum, & boreale mulieres quarum partus ad ver spectant, ob quamuis causam manifestam abortiunt; Si verò peperierint, languidos, ac morbosos infantes parient, ita ut statim moriantur, aut tenues & morbosi viuant.* Id quod Albertus in meteoris confirmauit his verbis. *Aliud est quod habetur ex artificio Iacob, qui posuit virgas, quando prima admissura fuit, & hoc quando flat Aquilo, eoquod ille continet poros in generantibus, & semine, ne euaporent spiritus, & debilitetur conceptus.*

A

B

CAPVT XXVII.

Qua hora præcipua, ac determinata sit causa prolis celebranda Venus.

ASOMNO Veneri indulgendum esse, Hippocratis consilium fuisse, censent plerique ex illa nobili paræmia: *Labor, cibus, somnus, Venus omnia moderata.* Quarum dictionum, inquit Galenus in commentario, obseruandus est ordo; labor enim cibo præire debet, somnocibus, Veneri somnus. Verùm huiusmodi sententia à posterioribus Medicis derelicta videtur; quandoquidem doctissimus Actius inprimis libro 1. sermone 3. capite 8. à prandio coeundum esse censet, quandoscilicet cibus e stomacho descenderit; Eiusdem opinionis, arbitror, inter Arabes extitisse Auicennam, qui tractatu illo 3. capite proprio de re Veneria monet, fugiendum esse coitum super repletionem, quoniam inducit ægritudines, quas motus super repletionem factus gignit; cuius quidem rei illa rati est, quoniam si cibo assumpto, & ventriculo pleno Veneri detur opera, à coctionis munere distrahitur natura, eoquod spiritus omnes ad renes, & organa genitalia auocentur; quo fit insuper, vt crudus chilus ad ipsum hepar demandetur; hinc verò exortæ cruditates vniuersum corpus labefactare valent: At Paulus Aeginas libro primo capite 35. iubet coeundum esse secundum cibum antequam somnus irrepat. Quid ergo in ancipiti auctorum sententia statuendum?

C

Profectò vbi summorum virorum sententiæ pugnantes inter se apparent, non statim vnus aut alter erroris insimulari debet, verùm diuersam vtriusque aucupari considerationem; Cùm enim vna sit veritas, vnica etiam debet esse rei sententia; At modus illam diuersa ratione considerandi facit, vt in legendo dissentiones hauriantur. Quamobrem distinctionem adhibendo dicendum est, huiusmodi quæstionem agitari posse vel in ordine ad generationem, vel ad humani corporis sanitatem, & hac sola distinctione rei veritas elucescit, necnon grauissimorum auctorum cociliatio patrabitur. Quocirca respectu Generationis Hippocrates, Plato, & Aristoteles audiendi sunt. Hippocrates quidem libro de superfœtatione, vbi scribebat, mulierem conceptura coitu ieiunam, & virum sobrium modicè pastum vti debere; quam eandem sententiam pluribus in locis, & præsertim primo de morbis mulierum repetit Plato etiam 6. de legibus aiebat: *Quare vt solidus, stabilis, ac quietus conceptus fiat, non oportet corporibus ebrietate diffusis dare operam liberis;* & subiungit: *Qui autem vino refertus est tam animæ quam corporis rabie concitatus quouis & trahit, & trahitur, iccirco ebrius tanquam mente captus ad serendum est inutilis.* Hippocrati, & Platoni subscribit Aristoteles in problematibus, vbi commonet, vt concubituri parcè cœnent, quod sic meatibus magis patentibus faciliùs, & longius semen propelunt. Quò insimul pertinet illud eiusdem Philosophi 3. Problematum, vbi asserit, viros temulentos infœcundum reddere semen, & œnopheras mulieres vt plurimum steriles euadere: Quæ omnia Franciscus Vallesius ingeniosè confirmat libro vndecimo de sacra Philosophia. Hinc verò pateat hodiernus abusus, quo concubituri consueuere lautè, & copiosè nimis cœnare, meracisque bibere, ex quo longè impotentiores redduntur vtique, vt patet ex eo, quod vbi ad potum aquæ frigidæ confugiunt, aptiores ad Venereæ palæstram reddantur; aqua namque in huiusmodi casu patentiores reddit meatus, obstructasque vias aperit semini.

D

Sed ex his primò quæres, cur ex Hippocrate ieiunia mulier in Generationis opera esse debeat, non autem vir? Inde est meo arbitrio, quod cùm debeant vtriusque nempe viri & mulieris semina vno, eodemque tempore fundi, quatenus fiat conceptio, mulier, quæ natura sua in Veneris studio laboratmagis, quàm vir in genituræ iaculatione, si comedat, ob spirituum auocationem à partibus Genitalibus ad ciborum assimilationem difficilius emittet, vnde frustrabitur conceptio: At vir occasione cibi mediocris robur acquiret; ipse enim minori virtute indiget, præstatque esse caciorem conatum. Secundò quæres, an ebriosorum semen sit vt plurimum infœcundum; verum cùm ex professo quæstionem agitauerim in tractatu de semine, hîc pluribus non erit opus.

opus. Eò lector confugias, ne decantata occinamus, & palilogiam faciamus.

Cæterùm si hanc ipsam quæstionem sanitatis intuitu examinare velimus, amplectenda erit Pauli, & Aetij sententia, atque etiam Auicennæ, qui astruunt, post cibum Clinopalin exercendam esse, quo tempore renutriti spiritus, & ad congressum alacriores reddi non adeo horum, nec tantam corpori inferunt noxam; & licet Auicennas ipse post cibum aphrodision improbet, intelligit de illo immediatè post epulas, & repletionem exercito, quod & nos fatemur. Quod verò nostra hæc distinctio rite procedat, perspicuum est; siquidem Aetius, Auicennas, & Paulus locuti sunt vti medici; Hippocrates, Aristoteles, & Plato, vt Philosophi de Generatione solliciti. Quare si Plutarchus hanc nostram diuisionem cepisset Symposiorum tertio, nequaquam adeò laborasset in quæstione hac pertractanda licet concludat postremò, concùbendū esse post modicū cœnam, quod & ad generationem, & ad sanitatem commodum sit. Instabis, quod sanitatis respectu futurum sit melius in mediate ante cœnam, & prandium lasciuire, quoniā succedente alimento repararetur illico natura. Id sponte inficior, quandoquidem Venereo motu spiritus, & natura confertim ad Genitalia auertitur, ventriculi interim facultate languida relicta, ac torpida; quo circa si cibus assumeretur, antequam singulis membris redderetur debitus calor, dubio procul chilosi frigescente ciborum neque appetentia, neque peplis congrua efficeretur; & hinc improba innotescat hominum consuetudo, qui à Venere confestim ad mensam confugiunt, tamquam ab illa deperditam substantiam ilicet recipere valerent. Quàm satius foret per horam saltem quiescere, deinde temperatos quidem, sed optimos cum cibos tum potus adhibere? Sed quia præsens hic tractatus ad Generationem dirigitur (inferius enim quoad sanitatem agitabitur) quæres meritò, quando ad perfectam prolem excipiendam expediat magis Genio indulgere mane, an vespere. Longè melius proficere, aio, in matutino tempore, quo mens à phantasmatibus depurata, ac digestione absoluta non ita est obtenebrata, seu fuligine præstricta, ac distracta. Quantum autem referat prolis causa in actu Generationis mentem, animumque ipsum limpidum esse, dicetur in inferiori libro. Tandem pro Corollario lubet ascribere quæ Arnaldus de Villa noua capite primo de Coitu habet. *Est autem hora coeundi congrua, quando corpus in temperamento fuerit omnium exercitiorum, vt scilicet non sit plenum, nec vacuum nutrimento, nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec siccum, sed temperatum. Si verò errauerit ab hac ratione, & coierit, melius erit calidum, quàm frigidum, melius satur quàm famelicum, melius humidum quàm siccum, melius ante somnum, quàm post somnum, quia post quam coierit, à labore quiescet, melius inde erit virtuti.* Plura qui vult legat apud ipsum Arnaldum, qui licèt hæc præcepta ad sanitatem direxerit, possunt nihilominus equè Generationi competere.

FINIS SEPTIMI LIBRI GENEANTHROPEIÆ
Ioannis Benedicti Sinibaldi.

SI-

SYLLABVS
TRACTATVVM, ET CAPITVM
quæ in præcedente Septimo Libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS. A

De Vniuersali, ac particulari tempore Generationi humanæ congruo.

Cap. I. *De temporis constitutione Padurgiæ commodo ex Paulo Aeginetæ.*

Cap. II. *Quo tempore ex Hippocrate Veneri sit indulgendum, vbi Celsus examinatur.*

Cap. III. *Cur homines coeundi fiata, certaque tempora, vt cætera animantia non habeant.*

Cap. IV. *Quare grauida animalia cuncta recusent coitum excepta muliere, & equa.*

Cap. V. *Quo potissimum tempore mulier debeat viro misceri, vt læta proles inde excipiatur.*

Cap. VI. *Sub optimo, & peculiari quopiam Cœli Sydere plantandum esse hominem ex Astrologis.*

Cap. VII. *Quales, quibus moribus imbuti, in quos morbos procliues concipiantur homines, si sub dominio Saturni seruantur.*

Cap. VIII. *Quales sub Iouis ditione concipiantur homines, quos referant mores, quibus morbis subijciantur.*

Cap. IX. *Sub imperio Martis qualis concipiatur proles, quos ducat mores, quos patiatur affectus.*

Cap. X. *Qualis prodeat conceptus Apolline, seu Sole dominante fatus, quosque ferat & mores, & morbos.*

Cap. XI. *Quales nascantur proles sub Veneris imperio conceptæ, quibus moribus insigniantur, quibus morbis afficiantur.*

Cap. XII. *Qualis futura sit proles sub Mercurio fata: quos latura mores, quos passura morbos.*

Cap. XIII. *Quales à dominio Lunæ concipiantur homines, quibus præditi moribus, quibus obnoxij morbis.* B

Cap. XIV. *Quales sub quolibet Zodiaci signo enascantur homines, & primò sub Arietis dynastia qui mores, qui morbi ferantur.*

Cap. XV. *De Tauri dotibus, moribus, ac fortunis, morbisque ad nouos fœtus translatis.*

Cap. XVI. *Præsagium quoad corporis dotes, animi mores, atque fortunas, morbosque concepti fœtus sub dominio Geminorum.*

Cap. XVII. *Quales dotes, mores, & fortunæ, morbique sint hominis concepti sub Cancro.*

Cap. XVIII. *Quales dotes, mores, & fortunas, morbosque influat concepta proli è Cœlo dominans Leo.*

Cap. XIX. *Quibus dotibus, moribus, ac fortunis, morbisue insignita exurgat proles sub signo dominantis Virginis concepta.*

Cap. XX. *Quas dotes, mores, ac fortunas, morbosue influat Libra suis conceptibus.*

Cap. XXI. *Quas dotes, mores, ac fortunas, morbosue insinuet proli suæ Scorpio.*

Cap. XXII. *Quales dotes, qui mores, quæ fortunæ, morbique inferantur conceptui à Sagittario dominante.*

Cap. XXIII. *Dotes, mores, fortunæ, morbique homini concepti sub imperio Capricorni.* C

Cap. XXIV. *De natura, virtutibus, influxu, & maleficio dominantis Aquarij.*

Cap. XXV. *De qualitatibus, moribus, fortunis, ac morbis Piscium è Cœlo imperantium.*

Cap. XXVI. *Qua ventorum constitutione prolem ferrere magis expediat.*

Cap. XXVII. *Qua hora præcipua, ac determinata sit causa prolis celebranda Veneri.*

Digitized by Google

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER OCTAVVS.

De congrua pædagonia, Veneris aptiori figura, atque prolis multiplici varietate.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

D. THADAEVM COLLICOLAM Vrbani VIII. Pont. Max. Intimum Cubicularium, & Medicum, atque Canonicum Vaticanum.

NVNQVAM ſuſtinuiſſem, ſapientiſſime ſenex, lucubrationes haſce meas, quæcunque ſint, in lucem prodire, niſi tuum præ alijs rectiſſimum iudicium acceſſiſſet, quo non obſcuras fore, dudum auſpicatus, fortè etiam vaticinatus es. Neque ſanè alteri cuipiam magis præſtare fidem, atque aſſentiri par erat, quàm tibi Medicæ Reipublicæ coriphæo, ac Patrono; tibi inquàm, qui Pontificis Maximi, & quod gloriarum eſt ſum-

ſumma, vnius VRBANI VIII. æquè dignitate, ac ſapientia præſtantiſſimi, valetudini præes, quam toties à magnis, quæ aderant, periculis vindicaſti, & ab imminentibus præſeruaſti; adeo vt ſi Roma olim Antonio Muſæ ob Auguſti reparatam ſalutem prope Æſculapij templum ſimulachrum decreuerat; tibi æquiùs ob Sanctiſſimi, & Vrbaniſsimi Principis vitam ſæpius ſarctam, ac tectam vniuerſa Chriſtiana Reſpublica immortales honores decernere deberet. Sic ergo dum Geneanthropeia tanquam ſtudiorum meorum Mimus orbis theatrum ingreditur, vt Scenam agat, Sciolorum blaſphemias, aut Catonum iurgia nihil vereor: quinimo tuo ſolo nutu inanes ituros confido omnium tumultus inuidos. Ecquis enim tuam non reuereatur probationem, Illuſtriſſime Collicola, quando vniuerſæ Europæ apprimè cognitus reſulges? Non enim Romæ, & Italiæ duntaxat Vrbibus conſpicuus es; verùm Galliæ, Iberiæque ſimul, quas regiones cum Eminentiſsimo Cardinale FRANCISCO VRBANI digniſsimo Nepote peragraſti, & vbique tuæ virtutis ſpecimen dediſti, ac paſsim tuæ Sapientiæ monumentum reliquiſti. Vale interim VRBANO, ac tibi; & exile hoc non ingrati animi argumentum ne deſpicito; nam tibi accepta refero mea in Vrbe profeſsionis primordia.

GENEANTHROPEIÆ.

SIVE

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER OCTAVVS.

De congrua pædagonia, Veneris aptiori figura, atque prolis multiplici varietate.

ENERIS idoneam ad Generationem figuram singulis animantibus natura præscripsit; siquidem nonulla auersim, aduersim alia coeunt; sedendo quædam, stando alia; complexu illa, hæc verò simplici adhæsu, incubando pleraque, & alia alia forma aphrodisijs operam nauant; pro varia nimirum illorum aptitudine, corporis mole, & genitalium situ. Solus homo, vt qui nec stata coeundi tempora obtinuit, ita neque vnam seruat Veneris rationem, ac modum iuxta illud Ouid. 1. Amor.

A

Venerem iungunt per mille figuras.

At verò censere fas est, humano quoque Generi vnam formam genialis voluptatis, ceu præstantiorem definitam fuisse, quę scilicet genito non minus, quàm generanti expediat magis. Cęterùm ipsa hominum intemperantia per nequitię ruens illecebras, quasi consuetas nauseata figuras alias commenta est petulantiæ formulas: perinde ac enim Seneca dictante 22. epist. *Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt: quærit quemadmodum post saturitatem quoque efuriat, quemadmodum sitim prima potione sedatam reuocet*; ita eodem dictante 7. natural. quæst. *Inuenit luxuria aliquid noui, in quod insaniat; inuenit impudicitia nouam contumeliam sibi.*

B

TRACTATVS PRIMVS.

De vsu Veneris humanæ Generationis perfectioni commodo.

PRAELOQVIVM.

NON sat est in hominis Generatione temporis opportunitatem seruare, nisi etiam recta ratio, vsusque adhibeatur, si quidem *Omnia honesta, & vtilia videntur vtentibus, quomodo quis rectè illis vtitur; turpia verò, & detrimentosa quando malos patronos & defensores sunt nacta*, dicebat Diuus Dionisius. Sic instruimur, antiqua illa fabula de Satyro, & igne. Postquam enim Prometheus æthereo ab orbe Ioui sustulit ignem, huius micante flamma, rutilante facie, & iubare pellectus quidam Satyrus ipsum amplecti, & exosculari optabat; at Prometheus, ne faceret, monuit, quia barbæ detrimentum, mento cruciatum attulisset: succensuit ægrè Satyrus, arguitq. Promethea, quòd malum splendidum attulisset mortalibus. At ille malum non esse ignem, retulit, sed magnam viuentibus vtilitatem, iucunditatemque allaturum fore, pronunciauit,

C

dummodo illo quis rectè vti sciat; sic monemur, omnibus in rebus rectum vsum exquirendum esse, nam.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

Vt Venusinus. Quod multò luculentiùs in re Venerea probatur, cuius eximia est voluptas, cuius excellens est opus, puta hominis Generatio; At nisi congrua ratione exerceatur, & Generanti damnum, & Genito noxam infert.

D

CAPVT I.

Generantem à cunctis animi passionibus in primis, mentisque phantasmatibus Exemptum esse debere.

QVO tempore lubet viris filiorum propagationi indulgere, par est, eos animi perturbationibus in primis vacare, vt nec timor, nec ira, dolorque, nec denique æstuans nimis præcupidine ani-

mus infestent, siquidem Venus vndique sedatos, compositosque expositi animos, præsertim à tristibus curis alienos iuxta illud·

Delitiæ risum, lætitiamque petunt; &
Non solet in mœstos illa venire thoros.

Id autem non modo maioris voluptatis gratia expedit; verum etiam ratione perfectioris prolis. Diximus alibi tristem, flebilemque mulierem in clinopali nequaquam concipere, & ex Actio inuitos mulierum coitus infœcundos esse; sicuti ex Rhase 9. contin. mulieres, si nimium amore flagrent non concipere. Adeo animi perturbatio infesta est conceptui. Et vnde fieri putatis quod spurij prauis adeo moribus vt plurimum imbuti enascantur? Nisi quod concipiuntur à parentibus illicito concubitu, quem timor, culpa, ac propriæ conscientiæ morsus, mentisque anxietas consequuntur. Vnde in semine, & sanguine excitatus tumultus tumultuosam quoque effingit progeniem.

Rursus cur existimatis vetus illud celebrari adagium; *Heroum filij noxæ*. Non aliam ob causam nisi quia docti admodum viri, ac sapientes dum Geniali thoro indulgent, multa eaque grauissima mixtè perlustrant, perscrutantur, ac rimantur, vt nunquam pacato sint, otiosoque animo, sed operoso semper, atque abstracto: quò sit, vt sæpe conceptus stolidos rudemque prolem edant. Etenim quo tempore natura superiori facultati puta intelligentiæ, & ratiocinatrici inseruit, inferiores potentias, nempe naturales & genitiuas deserit quo fit vt auocatis ad mentem purioribus spiritibus frigescant naturalis, genitalisque potentia. E contrario videmus non rarò rusticorum quorundam, & mechanicorum opificum fœtus vndequaque absolutos exire, validos, ingeniosos, & venustos; parentes namque eorum diu ruris negotijs adstricti cùm fuerint, nocte sedata vndique mente, ac tranquilla pace potiuntur; vnde est vt natura ex præuio labore alacrior reddita naturalitantum modo famulata potentiæ, & spiritus auctiores, fœcundioresq. Genituræ præstet, ex quo proles tandè emergit omnibus muneris absoluta.

Simili modo cunctis alijs phantasmatibus par est in Generatione mentem parentum denudatam esse; si quidem qualis est vt plurimum parentum imaginatio talis etiam soboles ab illis edita esse solet; vsque adeo vi imaginatricis potentiæ & in corpus & extra corpus vim obtinet. Hinc venustum illud epigramma legere est apud Thomam Morum Martyrem.

At qui graues tradunt sophi,
Quomodocumque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis dant operam,
Cuius latenter, & notas
Certas, & indelebiles
Modoque inexplicabili
In semen ipsum congeri,
Quibus receptis intimè
Simulque conescentibus
A mente matris ipsitum
Natus refert imaginem.

Quod idem Marsilius Ficinus libro 13. Platonicæ theologiæ confirmat ijs verbis; *Phantasiam quatuor sequuntur affectus, Amor, Gaudium, Metus, Dolor, hi omnes si fuerint vehementissimi, subito corpus proprium omnino interdum vel etiam alienum afficiunt.* Adeo ut licet Hippocrates libro de Genitura scripserit, impossibile esse, quin proles in aliquo genitoribus assimileatur, ob vim tamen fortis imaginatricis fieri potest, vt nec patri, nec matri illa similis enascatur, alterato, immutato, vel depranato semine ab imaginatione.

Omnibus manifestum est, quod Reginæ illi ab Alberto, & alijs relatæ contigit; cum enim in cubiculo Aethiopis haberet pictam imaginem, quæ sæpe oculis, & imaginationi offerebatur, æthiopem genuit; siquidem semen quod à Generante procedit, facit vt quod in animo generantis erat spiritualiter, in corpore generati ab illa incipiat esse corporaliter, eo quia imaginatiua superior est formatiuæ, & hæc ab illa dirigitur. Quod qua ratione contingat hic enucleare operæpretium censeo ex sacra philosophia Francisci Vallesij, qui capite 11. hæc exarauit; *Imaginari non est anima; neque corporis sic coniuncti, sicut odisse, amare, reminisci, vt tradit Aristoteles in libro de anima. Deinde animal sentiens vel imaginans quippiam fit eius simile, quod imaginatur, & cognascit, immò fit quasi illud ipsum, quia cognoscens recipit in se speciem, & similitudinem rei cognitæ. Quamobrem dixit Aristoteles, animum esse quodammodo omnia; cognoscat ergo vehementer aliquid imaginans in concipiendo, & generando fit eius rei simile, & quodammodo illud ipsum ex quo intendimus: nam generans facit sibi simile, hoc enim est generale, & quod actu imaginatur aliquid est ei simile: ergo quod simul gignit, & vehementer aliquid imaginatur gignit simile sui non solum secundum naturam, sed etiam secundum id quod imaginatur actu: non enim animal generat sibi simile secundum id quod fuit, aut erit, sed secundum id quod actu est.* Præclara sanè Valesij verba omnium philosophorum auribus digna, sed quæ idem subiungit intelligamus adhuc, faciunt enim ad rem nostram quamplurimum, & præsertim ad relatam Reginæ parientis æthiopem historiam; *Semen habet à Generante diuinam quandam vim fingendi omnia membra, & faciendi tale quale est ipsum Generans non modo secundum pro-*

ſecundum proprietates ſpecificas, verùm etiam nonnunquam ſecundum individuales; eſt enim potentia totum animal, & quia ex omnibus corporis partibus deciditur, omnes quoque partes corporis ſimiliter vt illæ erant efficiendi poteſtatem habet. Talis porrò ſeminis poteſtas data eſt à Generante, non ratione corporis, ſed ratione animæ; ſiquidem facere, ac mouere ad formam ſpectat, & mouere ad materiam, vt ait Ariſtoteles in libris de Generatione, & corruptione. Conſentaneum igitur eſt, vt ea potius ex Generante deferat ſemen, & conferat in fœtum, quem formatquæ Generanti inſunt ſecundum animam, quàm quæ illi inſunt ſecundum corpus, eâque potius in corpus rei generandæ transferat, quàm in animam; quocirca in corpore geniti fiet corporaliter, quod in generante quodammodo erat ſpiritualiter: Atque hinc fiet, vt animal album in ipſo actu generandi vehementer imaginans nigrum quippiam generet nigrum potius, quàm album. Hoc autem tunc potiſſimum continget, cùm tam mari, quàm fœminæ in ipſo actu generandi vehemens eiusdem rei imaginatio ſimul acciderit; quod non obſcurè indicauit ſcriptura Geneſis 30. dicens, Iacob poſuiſſe virgas ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione concipe-rent, &c.

Porrò hæc ipſa parentum fortis imaginatio non modò in ipſo generationis actu vim habet extraneam aliquam in fœtu qualitatem imprimere; verùm etiam dum vtero geſtatur matris; habemus exempla plurima à grauiſſimis relata viris, de quorum veritate dubitare nefas eſt. Martinus Delrio vir maximæ eruditionis refert, Vuitenbergæ ciuem cadauerosa facie natum, eoquod mater vterum ferens obuio cadauere ſubito fuerit pauefacta. Item Iſenaci pudicam, & formoſam matronã peperiſſe glirem, eo quod huic occurrens glis, rei ignarę ſubito occurſu, & aſpectu ita eſt conterrita, vt fœtus in vtero in formam beſtiolæ degenerauerit. An non mirum ſimul, & pulcrum eſt, quod Fernelius inter medicos inſignis libro de hominis procreatione ſcribit, Pauonẽ videlicet, ſi dũ ouis incubat, albis linteis circumtegatur albos omnino pullos non variegatos edere? Narrant inſuper hiſtorię, ſedente Nicolao III. Pontifice Romæ quodam in palatio mulierem infantem vrſo ſimilem peperiſſe, eo quod varijs in locis picti vrſi in palatio cernebantur. Antuerpiæ pariter mulierem vterum geſtantem, quæ ſimiam in delitijs habebat, filiam vnicam excepit, quæ ſimiorum mores retinebat; nam puellula latitare, geſticulare, & ſimilia multa facere appetebat. Plura qui vult, adeat Martinum ipſum Delrium Diſquiſit. Magic. libro 1. capite 3. nec non Marcellum Donatum 2.*

A *de hiſtoria medica mirabili, vbi plures coſimiles congeruntur euentus ex Iulio Scaligero, Cornelio Gemma, Lælino Lemnio, & alijs; ad quos lectores auidi demittuntur. Hinc ergo addiſcant parentes, quàm ſit neceſſarium nedum præſentaneum in actu generationis prauis cogitationibus vacare, ac tumultuoſis non diſtrahi phãtaſmatibus, ne labes proli inuratur.*

Sed hic ἐν παρόδῳ non inuenuſtum problema proponendum exurgit, cur nempe mulier, quæ cum coniuge quatuor procrearat filios, omnes patri diſimiles ediderit; vnum verò mœcha cum curica conceptum coniugi ſimilẽ peperierit? Profectò hæc mulier dum viro parum diſecto ſumcumbebat, imaginatione ad amaſiã, B *cuius imaginem ferebat animo, diſtrahebatur; hinc ergo ſemen effigiem delineabat, quam Genitrix phantaſiæ geſtabat impreſſam, eo modo quo ſupra ex Valerio dicebamus; quare extraneo viro ſimiles enaſcebantur filij. At exaduerſo cùm adultero adhærebat, vt ſolet omne nefas plenum eſſe ſuſpicione, metuebat ne aduenireret coniux, vel aliquo modo criminis euaderet conſcius; qua ratione coniugis, præoculis perpetuò in Venere, & laſciuia effigiem habens illi, & non mœcho prolem ſimilem exarabat; hanc veritatem inſinuauit nobis Plinius libro 7. capite 12. iis verbis: Similitudinum in mente reputatio eſt, & in qua creduntur multa fortuita pollere: viſus, auditus, memoria, hauſtaque imagines ſub ipſo conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum ſubito* C *tranſuolans effingere ſimilitudinem, aut miſcere exiſtimatur: Ideoque plures in homine, quàm in cæteris animantibus differentiæ contingunt, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit: cùm cæteris animantibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus, ſingulíſque in ſuo cuique genere.*

Sæpius in mentem venit, ſume lector iucundam appendicem, vnde Romæ contingat, vt viles, ac nil formoſi viri, mulieréſque e vili plebicula etiam turpiculæ filios, filiaſque D *venuſtiſſimas producant; ex his namque vel formoſiſſima ſcorta educuntur vt plurimum, adeovt ſimilẽ formã nequaquam in Heroum palatijs, & principum aulis conſpiciamus. Scio aliquem mordicus reſponſurum, id accidere, quia hæc cum nobilibus, venuſtíſque, ſi placeat, congrediatur iuuenibus; Abſit iniuria: non enim tanta libidinis licentia eſt in Vrbe, vt vbique vulnerata inueniatur pudicitia, vbique thalamus, fideſque temerata. Hoc euenit, quoniam in Vrbe frequentiſsimè feſtiuitates celebrantur, aut equitatus, aut publica ſpectacula fiunt, aut cœlitum inuiſuntur templa, aut aurę captandæ gratia per compita, plateaſque deambulatur. His omnibus accurrunt mixtim*

viri, mulieresque & venusti simul iuuenes vt formosarum cõspectibus fruantur, quare mulierculæ quæcũque etiam aspiciuntur, salibus, ac dicterijs aphrodisiasticis incessuntur, vnde & illæ animo, menteque idòla illa pulcherrimæ iuuentutis concipiunt, ad quorum deinde exemplum virtus formatrix, dum e suis viris concipiunt, decoras effingit facies, venustaque pingit membra.

CAPVT II

Aphrodiasmon auersum beluarum more ex aliquorum opinione fœcundiorem esse.

MVLTIGENAE sunt sterilitatis causæ, quæ quidem non ab vllo vteri, vel seminis vitio proceedunt, venim ab incongruo, & absono clinopalis vsu. Enimuerò tametsi aduersum aphrodision, quod vulgo exercent homines & honestius, & ciuilius existat, minus tamen fœcundum censendum est eo, quo natura in cæteris vtitur animantibus. Quod vt ratione, & auctoritate eluceascat, supponendum in primis erit, mulierem nunquam concipere posse, nisi apto modo, riteque viri semen retineat; atqui ęgrius retinere valet ea positione supina, qua subiacet viro; siquidem in huiusmodi situ vterus decliuis manet, ac proinde non secus ac reuolnta phiala humorem non retinet, ita mulierbre conceptaculi semen haud continebit absque maiori retentricis vteri facultatis labore, & conatu. Quinimo nisi foret matrix ipsa adeo seminis auida, multisque referta cellulis & obsita asperitatibus, nulla ratione eo modo concipere posset; quandoquidem vna e potissimis sterilitatis causis est vteri ipsius lævitas, vt ideo ille, quò conceptioni aptus euadat, e medicorum sententia instar cementarij lapidis scaber esse debeat. At modo ferarum Veneris celebrata palæstra, quoniam ea figura vterus est inflexus, quid mirum si belle, & perfecte contineat exceptum semen? Satis docte, ac venuste id nobis physiouates Lucretius insinuauit 4. de natura his carminibus;

Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert; nam more ferarum,
Quadrupedumque magis ritu plerumque putantur
Concipere Vxores, quoniam loca sumere possunt
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.

Eiusdem opinionis inter Græcos fuit Paulus Aeginas, qui libro 3. capite 74. inquit. *A tergo coitus iuuare conceptum videtur.* Et hæc pauca ex aliorum arbitrio dicta sufficiant. Cæterum non omne quod iuuat licet; ideoque parendum sacrorum canonum dogmatibus, quæ reuerenter amplector. Interim dixisse iuuat, hunc modum a tergo, vt belluis proprium, ita homini indecorum esse, solumque ijs relinquendum, qui turpissimas, ac male olidas nacti sunt vxores, quive in coniunctione nil nisi libidinem agunt, Alioquin existimare debemus naturam humanum complexum in generatione instituisse, vt pulcro faciei decore, oculorumque apto splendore frueremur, & oculis honestius, amabiliusque prosequeremur palæstram. Præterquam quod maior sic voluptas conicquitur, & seminis melior complexus, ob rationes quas Sęuerinus Pinęus in suo opusculo aureo de Physiologico, & Anatomico describit, quas propriis verbis propterea registrare operæprætium duco, & sunt hæc. *Hic sinus* (de muliebri loquitur) *membranosus, neruosus, & vbique rugosus est, magis autem in ingressu, quàm in medio, aut fundo anticè vesicam versus, quàm posticè ad rectum intestinum: est enim inter vtrumque situs. Quod natura effecit ad maiorem Amantium voluptatem, sed aduersum non auersum concumbentium: Nam in antica, & superna balani parte dorsum penis versus non modo asperitatem, sed fere circularem prominentiam, seu projecturam ipsam posuit, quia blandus sit attritus, & inde titillatio maior, quàm si auersum pectudum more concumberent. Vnde colligere est, vnicum esse naturalem hominibus gratum, & prolificum coeundi modum, in quo viri, & femine mutuus sit amplexus, & partium genitalium copula aptior, titillatio maior, seminis virilis iniectio directior in cervicem, & vteri cauum, eiusque attractio, retentio, atque conceptio tutior, propter mulieris situm, & vteri, ac ejusdem partium motum aptiores.*

Quid respondebunt ad hæc putres in Venerẽ homines, aut potius belluæ, quibus ferini mores applaudunt? Hos nimirum stomachari mulieres omnes deberent, siquidem actus huiusmodi a tergo magna iniuria cunctis est mulieribus, & vt indecens reputari perpetuò debebit: quemadmodum ijsdem iniuria fit, dum in aphrodisio certamine osculis non delibantur

CA-

CAPVT III.

De Venere pendula, aliisque Veneris inconcinnis, infœcundisque figuris.

PENDVLAM Venerem vocat Apuleius, in qua vir succumbit, ascendit mulier; sic habet ille libro 2. metam. *Hæc dicens insistenso grabatulo superme sensim ac crebra subsiliens, lubricisque geslibus mobilem spinam quatiens pendula Veneris fructu me satiauit, vsque dum lassis animis, & marcidis artubus simul ambo corruimus.* De hac eadem loquebatur olor Apollineus Ouidius dum ea carmina occinebat.

Parua vehatur equo, quòd erat longissima, nunquam
Thebais Hecloreo nupta resedit equo.

Verùm hæc Veneris immutata figura, vt viri sanitati maximè aduersatur, teste Auicenna 20. 3. tract. 1. cap. 2. Ita etiam conceptioni apprime incomodat; nam semina retineri prohibet, ac dicto citius fœmineo conceptaculo delabi facit; ideoque meritò à sacris nomophilacibus interdicitur.

Cæterùm Veneris aliæ figuræ pœnè omnes infœcunditatis insimulantur, quod ex meus dilectissimo Paulo Zacchia ita verbotenus honestissimè expromere lubet ex libro 7. quæst. medico-leg. titulo 3. quæst. 1.

Naturali itaque modo iam demonstrato, dicendum est, ab eo omnium minime recedere, nihilque sanitati obesse coitum, in quo mulier instar quadrupedum initur prona iacens eleuatis cruribus; magis autem conceptioni obsistit, & magis item sanitati mulieris obest, cùm illa in ventrem iacens demissis, extentisque cruribus Venerem exercet, pectori enim, & respirationi mulieris situs hic inimicus est, eo maximè in actu, in quo mulier multum se exagitat, atque vt Lucretius lib. 4.

——exosato ciet omni pectore fluctus.

Vir autem non potest ob natium mutuam compressionem, & spissitudinem membro ad uteri intima penetrare. Conceptionem insuper impedit, & viri sanitati insidiatur, si modo quidem consueto concumbat, sed vir aut alterutrum, aut vtrumque vxoris crus proprijs brachijs eleuet, atque substentet, præterquamquòd enim laborem adauget, eius semen non rectà ad uteri internum osculum, sed ad superiores colli ipsius uteri parietes ejicitur. Hinc sequitur concubitus in latus, qui etiam si nihil obesse alterutrius sanitati videatur, conceptionem tamen omnino impedit, siue ille ab antica parte, siue à postica fiat; nullam enim in hoc differentiam agnosco, quantum pertinet ad faciliorem, vel difficiliorem conceptionem; ventris enim exuberantia ab vna parte, Natium ab altera, & compressio subiacentis partis à superiore prohibent necessariam vasorum approximationem; situs autem uterum in latus concidere cogit, ac ipsius osculum constringi, itaut minus promptè virile semen possit excipere. Ex quo patet, magis recedere hunc modum à naturali, quàm Canonistæ putent, qui parum recedere existimarunt. Summa Ang. parte 1. verb. deb. coniug n. 25. Summ. Siluestr. p. 1. verb. deb. coniug. n. 6.

Subsequitur concubitus factus vtriusque stantibus, in quo & conceptio impeditur, & sanitas detrimenti plurimum elicit. Impeditur conceptio, quia os uteri & constringitur, & nimis extenditur, vt dicit Roderic. à Castr. loco citato sanitas: labefactatur, quia cùm coitus per semetipsum hominem debilem faciat, quandocunque erectis hominibus fit, maiorem multò affert lassitudinem, Oribas. ex Rufo lib. 6. Collect. cap 38. præterquamquod disponit corpora ad articulares morbos, & ad pleraque alios, vnde crediderim si vlla culpa interuenit in mutatione modi, multò maiorem (lic. t contra videri possit) ex hoc concubendi modo coniuges incurrere, quam ex vllo eorum alio, quos iam tradidimus. Sed & coitus, qui sedente alterutro ex coniugibus, vel vtrisque fit, laboriosus est, & conceptioni contrarius, nam sedente muliere internum uteri osculum constringitur, & vasa, seu instrumenta generationis debitè coniungi non possunt; sedente autem viro, eadem inconuenientia subsequitur, quæ mox addemus numero proximo; sedentibus autem vtrisque eadem inconuenientia adaugentur. Omnium maximè & generationem impedit, & noxius sanitati viri concubitus est, cùm mulier virum init, nempè cum vir succubus est, mulier incuba. Auic. 20. 3. tract 1. cap 11. Rasi 24. Contin. cap. 1. præterquam multos enim morbos, qui indè sequi possunt, nullo modo conceptio est possibilis. Neque vllam veritatem habet, quòd mulieres concipere possint, etiamsi membrum virile non intret per ventris claustra ob uteri facultatem attractricem, vt voluerunt Canonistæ, decepti omnino ex eo, quod sibi peruaserint, ex semine proiecto in balneo, aut in lecto absque concubitu mulieres aliquando concepisse, quod est ridiculum, & alias à me confutatis, itaque hic modus vti à Medicis præ cæteris ad corporis salutem improbatur, ita præ cæteris ob salutem Animæ à Canonistis videtur damnandus, quia omnino impedit prolis generationem. Vnde videndum, an benè determina-

Digitized by Google

minauerit Vugarell. in addit. ad summ. Ang. verba debitum coniugale nu. 21. litt. b. ex Asten. in hoc modo concubendi ex eo, quod nec mulier est apta ad semen suscipiendum, nec vir ad infundendum, interuenire peccatum mortale.

CAPVT IV.

Vt citius fiat conceptio, vno, eodemque tempore fundi oportere viri, mulierisque genituras.

QVANDOQVIDEM eo cõsilio mas fœminæ iungi debet in geniali thoro, vt scilicet charam excipiant prolem; opportunum iccirco erit enarrare, quomodo Venus compleri debeat, ne frustratoria euadat. Pro qua re præfandum erit, id quod certissimum est, mulierem videlicet in seminis iaculatione viro tardiorem esse, quod palam profitetur Hippocrates libro de genitura, quo loco vbi legitur: *Multo magis delectatur vir, quàm fœmina, & vir etiam tempore longiori*; legendum est in non vulgato codice, sed in manuscripto antiquo, vt notat Mercurialis 4. variarum lectionum, nec non in Hippocratis paraphrasi: *Mulierem minus in coitu delectari, quàm virum, sed diutius ipso perdurare in voluptate*; Iam diuturnior, aut brevior voluptas non aliunde manat, quàm à cita, vel sera seminis effusione. Huiusce verò euentus causa est natiua viri caliditas, & mulieris frigiditas; hęc namque remoratur, illa accelerat genituræ emissionem; quocirca diuturnior etiam sit mulieris iucunditas, & viri breuior; vnde addebat Hippocrates: *Propterea autem quòd vir magis delectatur, secernitur ipsi derepente ab humido fortiori turbatione, ac agitatione, quàm muliere*. Regestrauit expressis verbis hanc eandem sententiam Auicennas libro 3. fen. 20. tractat. 1. capite 44. dicens: *Mulieres enim secundum plurimum tardant in emittendo sperma, & remanent non complentes desiderium suum*. Iam vt mulier concipiat, necesse est, vt eodem momento, & nihilo seciùs genituram effundat; quod vel apud Aristotelem legere est 10. de historia animalium capite 7. ijs verbis: *Si vir in causa infœcunditatis non fuerit, & vtrique ad procreandum sobolem idonei sint, ijs fœtificatio deerit, si in mittendo simul non conueniant, sed longè interse discreperint*. Et paulò inferius clarius ad hæc subiungit: *Nam si mulier etiã ad semẽ, & generationẽ confert, equalem debere esse ab vtrisque consursum, conflat*; A *si igitur alter cito, altera vix effecerit, plerumque enim mulieres sunt tardiores, id impedimento est, vnde etiam non semper inter se coniunctis gignunt, sed tunc cùm inciderit, vt pari missione in coitu vtantur.* Hactenus Aristoteles, qui tamẽ sibi non constat, pace sumi viri dicatur; manifestè enim hic faretur, mulierẽ & ipsam actiuè cum suo semine ad Generationem concurrere, id quod in libris de Generatione adeo mordicus detrectat. Sed ad rem propositam redeuntes videantur quæ Auicen. lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 10. de cura sterilitatis exarauit; hic enim, vt castis auribus sit honos, registrare haud placuit.

En ergo vt ad conceptionem compar viri, mulierisque requiritur concursus, quod 4. de animalibus idem Auicennas confirmauit, vbi aiebat, mulieres, vt non conciplant studere debere, vt diuerso tempore, ante scilicet vel post viros copula resolutæ, sperma emittant, Quæ hoc studio delectantur, sunt scorta improba, quæ cùm concipere abnuant, nituntur illecebris obscœnis, & crissatione proterua virorum accelerare semina, ipsaque interim nihil emittunt. At quæret aliquis de conceptione sollicitus, qua ratione fieri posset, vt vir mulieri in emittendo non præeat? Reperiuntur enim nonnulli adeo vel salaces, vel renibus prompti, vt primo ipso complexu, ac Veneris præludio ludum absoluant? Dico debere in primis, dum Veneri dat operam, lasciui actus imaginationem quoad potest compescere, siquidem phantasia, quæ in opere libidinoso præpollet, si sit apprimè intensa, procul dubio semen ocyùs aduocat, ac prolectat. Id si minus fieri possit, adhibeat irrenum regione roborantia, atque modicè infrigidantia, vt myrthi folia, cotoneorum, agni casti, & similium. Insuper largè, vberiusque comedat, vt supra enim dicebamus, ciborum copia seminales meatus obstruit, quare semini intercipit viam, ne saltem de repente desluat. E contrario expedit, mulierem vti calefacientibus tam intrinsecus, quàm extrinsecus, nec non abstemiam, & ieiunam esse. Cætera committe naturæ.

Sed hic memoria repetas, quæ de vi magnetica seminis virilis erga muliebre in quinto libro docuimus, vbi dicebamus, quòd licet aliquando eodem temporis momento mulier cum viro in effusione non conueniat; attamen sequi possit conceptio, viri nimirum semine sua magnetica vi prolectanto, & educente e proximis vasis mulieris semen illius, iam venereo ludo agitatum, libidinisque flamma spumans, calefactum, ac dispositum.

CA-

CAPVT V.

Optimæ conceptioni minus expedire, iugi consuetudine thori coniuges uti.

PRVDENTISSIMVS ille Dux Spartanorum Licurgus lege sanxit, ne sponsus cum sponsa dormiret, sed vtrumque iubebat maximam diei partem cum suis æqualibus, versari; quam rem admiranti, & interroganti cuidam responsum tulit; Primum scilicet, id se iubere, quod hi corporibus validioribus essent, si non ad satietatem vterentur ingressu; deinde vt sponsis amor mutuus permaneret semper recens, ac vigens; demum vt prolem ederent robustiorem. Hinc ergo non possum nisi valde obstrepere quorundam, immò ferè omnium hominum abusui, aut potius intemperantiæ, qui vxorum thalamos qualibet nocte premunt, in dies consortia petunt & coniugij aphrodisios actus intemperanter exercent; quod quam noxium pedurgiæ existat, indicat in primis proles, quæ inde excipitur imbecillis, deformis, & valetudinaria. Nam cum huiusmodi parentum semen sit modicum, aquosum, omnibusque defunctum spiritibus, qui ex eo coagulatur conceptus non nisi imperfectus, atque rimosus exurgere potest; quandoquidem quale semen, tale germen. Quamobrem vna e potissimis causis, cur vita hominis alioquin, ab origine macrobij, breuis adeo reddita sit, iure meritò illa censetur præcipua, quòd parentes assiduam exercentes clinopalin, frigidiores, atque imbecilliores euadunt, à quibus vt solet in deterius natura ruere, mox languidior, & imperfectior proles enascitur.

Insuper quantum detrimenti parentibus ipsis inferat quotidiana thori consuetudo, & nequitiæ studium, vel inde innotescere potest, quod videlicet breui dierum spatio roscidum iuuentutis robur amittunt, roseum carnis colorem, & vigoris pulcritudinem deperdunt. In dies enim videre est quamplurimos cum viros, tum mulieres quæ ante coniugium pulchritudinis decorem præseferunt eximium cutisque floridum coccineumque eburneo mixtum colorem, quos tamen iam tum penitus amittunt quando simul iuncti rebus aphrodisijs immodicè abutuntur, nuptialique thalamo iugi calcare indulgent, quare paulo post pallescunt, frigescunt, senescunt. Hi sane tam viri quàm mulieres vix primo iuuentutis gradu transacto senectutis ingrediuntur limen. Laudabilis vti-

A que mos extitit apud Indos, apud quos mulieres vbi pepererant, confestim à maritis seiungebantur, & in locis ad hoc extructis degebant in cohorte per triennium, quousque filij ablactarentur: vtinam apud nos consuesceret idem, siquidem humanum genus nec viribus adeo, nec opibus deficeret. Apud aliquot celsiores Principes duntaxat mox tulit, vt coniuges seiuncto quiescant thoro, quem tamen vsum fuisse antiquum, etiam penes minoris famæ viros, colligo ego ex muliere illa, quæ ab Alexandro Magno voluptatis gratia accersita, & interrogata, cur tamdiu percunctata esset, respondit: *expectaui quousque cubile suum coniux petierit.*

B Meminit & Xenophon consuetudinis huius apud Spartanos scribit enim: *Iam vbi ad virum accedit mulier, quod alios videret initio, præter modum cum vxoribus consuescere, hic etiam in parte quiddam diuersum statuit. Nam sanxit pudore virum præpediri debere, quo minus ad vxorem vel accedens ab alijs conspiciatur. Hoc modo si consuescant maiori eos desiderio teneri necesse est, & fœtus, si quos procreent, fieri valentiores, quàm si satietas inter eos irreperet.* Hactenus ille de Republica Lacedæmonum.

Postremò addas ex diuturna familiaritate detrahi voluptati non parum; nam rara Venus dat voluptati faces, & contracta consuetudo contemptum parit, id quod vel ex eo deprehendere licet, quod huiusmodi viri spreta tandem vxore pulcherrima licet, ruunt præcipites in scortilla fœda, ac pellaces, triobolaresque mulierculas.

C

CAPVT VI.

Qua ratione in humanæ Generationis liturgia mas potius, quàm fœmina haberi possit.

D VTINAM possem masculorum edocere plantationem? Mundus enim breui temporis curriculo maribus plenus careret fœminis, imo vacaret malis, vt enim Seneca in Hippolyto.

Sed dux malorum fœmina.
Et scelerum artifex.

Namque dubio procul sibi quisque masculinam prolem potius compararet; & fortassis mulier vna dote, ac pretio non amplius duceretur, sed auro empta copioso pro delitijs haberetur, non absque naturæ iniuria, cuius pedagoniam frustrari, consequens esset. Profectò arduum, & fere impossibile id est, modum videlicet edocere ferendi mares ad libitum; at ni-

nihilominus quæ probabilia sunt, quæque ab A
aliis monumentis tradita fuere, referre, & communicare haud erit ab re, imò curiosum potius, proficuum, ac delectabile. Summus Medicinæ dictator, vt ab hoc exordiar, libro de superfœtatione hæc litteris mandauit: *Et vbi marem generare voluerit mensibus desinentibus, aut defectis misceatur, & quàm penitissimè intrudat, donec desauiat; vbi verò fœmellam generare volet, quum plurimi mensis prodierint mulieri, & dum adhuc eunt, coeat, ac dextrum testem obliget, quantum id tollerare poterit; sed si marem generare expetat, similiter testis obligandus erit.* At non fatè hæc retulisse, nisi quoque rationes addamus. Iccirco dum menses fluunt, si Venus B
celebretur, fœmella gignitur, quoniam tunc temporis sanguis rudior, crassior, & frigidior est, cuiusmodi fere ad mulierum generationem exposci videtur. Adde, quod si verum est, vt verissimum, tunc produci fœminam, quando mulieb're semen viri genituram superat, ac pene spiritus masculos supprimit; dum fluctuant menses, seminales quoque salinæ ad vterum confluunt, vnde est, vt hoc potissimum tempore plereque Veneris æstro citentur; quo fit, vt mulieb̃ris genitura ex victoria, & humiditatum colluuie mulierem producat. Ex opposito vbi cruentus restitit fluxus, menstrualesque silent humores, mulier imbecillior reddita est, necnon excrementorum C
sarcinam detrusit, vnde fit, vt purior gignatur fœtus, cuiusmodi mas est, & virile semen habita victoria virum producat; decantata est enim apud Hippocratem sententia ex alterutrius victoria seminis nunc marem, nunc fœminam efformari, quod plenè libro de Genitura exaratur illis potissimum verbis; *Quandoque quidem fortius est semen a muliere emissum, aliquando verò debilius: similiter etiam quod vir emisit &c.*

Auicennas, ad quem post Hippocratem non immeritò declino sen. 21. tract. 2. hæc scripta reliquit: *Oportet, vt calefiat mulier, & vir cum aromatieis, & suffumigatione, & potu, & cibis, & potu mithridati, & cum suffumigationibus, & pessarijs prædictis, si eis indiget, cum clisteribus, & vnctionibus scilicet ambobus. Et non auscultetur ille, qui dicit, quod oportet, vt mulier sit debilis spermatis, vt generetur ex ea masculus: imò oportet vt sit spissi spermatis, & fortis, & puella: huiusmodi enim sperma dignius est, vt suscipiat masculinitatem. Verum tamen non oportet, vt deficiat a spermate eius sperma masculi: imò oportet, vt sit sperma masculi fortius, in hoc capitulo eo; & oportet, vt dimittat coitum ad tempus, & non recedat a coitu omnino, quare corrumpatur sperma secundum quod diximus;* D
& vt non multum vtantur potu aquæ, immò bibant de ea paulatim, & cibentur cibis fortibus calefacientibus: deinde experiatur vir sperma suum, & dum permanet tenue, scias quod necessitas ad curationem remanens est: & cum ingrossatur sperma, expectet post illud diebus aliquot, & procedat secundum regimen suum, donec confortetur sperma, & aggregetur secundum modum, quem innuimus. Deinde conueniat cum ea conuentu, quem innuimus in loco aromatizato aromaticis calidis sicut ned primo ex muscho, & croco, & xilo aloe indo crudo, & deuitet camphoram, & sit in lætiore dispositione, & meliore animæ, & delectabiliori domo, & cogitet de masculis & appropiet meditationem suam in masculis fortibus habentibus audaciam, & opponant suos oculos formæ viri de illis, qui sunt rectioris creationis, & gloriosæ formæ, & coeat. Hactenus Auicennas, cuius verba cum plenè scateant philosophica scientia operæpretium censeo, illa eadem perpendere, ac breuibus ditare commentariolis; seriatim procedamus.

Oportet, vt calefiat mulier, & vir, &c.

QVatenus nimirum prolifici spiritus excitentur, semen pruriat, & ad Venerem glisceat, calor visceribus adaugeatur, necnon genitalia & vasa, & organa ritè præparentur.

Et non auscultetur ille, qui dicit, quòd oportet, vt mulier sit debilis spermatis, &c.

VIr fœmina longè robustior est; quare tam maris, quàm fœminæ fortius postulat semen: non ergo ab humidiori, & segniori alterutrius coalescere idem poterit: sic Hippocrates de Genitura edixerat: *Fortior autem masculus fœmina est, necesse igitur est, ipsum a fortiori femine generari*; id quod luculentiùs adhuc primo de Dieta expressit.

Verùm non opportet, vt deficiat a spermate eius sperma masculi &c.

SIquidem ne dum mulieris, ipsius quoque viri genituræ necesse est spiritibus affluentem esse; alioquin muliebre semen quantumlibet robustum, & forte, ad maris productionem non satis conferret; ideoque sapientissimus Præceptor eodem libro de Genitura: *Si ab vtrisque semen fortius prodierit, masculus erit: si verò debile, fœmina nascetur.*

Digitized by Google

Et oportet, vt dimittat coitum ad tempus, & non recedat a coitu omnino.

NE scilicet frequentiori Venere frigidior, & humidior genitura reddatur. Nec tamen poenitus abstinere oportet; quandoquidem ex dimisso clinopalis vsu semen ipsum corrumpitur, vel in squallorem abit, & continentia vasa arescunt, atque insuper organa genialia infirmantur; vsus enim opportunus firmat, & roborat. Ita insuper intempestiuus aquarum potus semen diluit, frigiditasque praestat; Quare & vino moderato potius, & calidis esculentis ante certamen aphrodisium indulgendum erit. Sic libro de sterilibus Hippocrates: *At vir non sit ebrius, neque vinum album bibat, sed fortius, ac meracius, & cibos edat fortissimos, & calida ne lauetur, & robustus sit, ac sanus, & a cibis abstineat, qui ad rem non conducunt.* Quam eandem sententiam repetit clarius adhuc primo de Dieta, vbi sic legimus: *Caterum foemellæ ab aqua magis, & a frigidis ac humidis, & mollibus augeantur tum cibis, tam potibus, itemque studijs, ac exercitijs. Masculi vero magis ab igne, a siccis videlicet, & calidis cibis, & reliqua diæta. Si igitur foemellam parere velit diæta ad aquam vergente vtendum est. Si vero masculum, exercitijs, ac victu ad ignem tendente vtetur, & non solum virum hoc facere oportet, sed etiam mulierem. Non enim solum quod a viro secernitur, auctile est, sed etiam quod a muliere ob hanc sanè causam.*

Deinde conueniat cum ea conuentu, quem innuimus in loco aromatizato, &c.

NOn modò intimæ partes, & viscera calidis præfouenda sunt cibariis, verùm externæ quoque in ipso congressu suffumigijs, & thymiamate præparandæ, eaque fugienda, quæ Venerem infrigunt, aut pruritum extinguunt, vti camphoram, & similia naturalia, melefica, de quibus loco suo dictauimus.

Et sit in lectiore dispositione, & meliore animæ, &c.

FOecunda Venus delicias amat, tristitiam odit.

Non solet in mœstos illa venire thoros.

Ideoque, vt alibi diximus, plorans in Venere mulier non concipit; quod multo magis ad marium productionem conferet, eo quod lætitia, mentisque gaudio spiritus alacrius prolicientur.

Et cogitet de masculis, & appropriet meditationem suam in masculis fortibus, &c.

MIram in rebus Veneris, & foetus productione energiam obtinet imaginatio, vt supra multis inculcauimus; vi namque suæ varios caracteres in prole expromere potest; Nam si Auicennæ, & Algazeli credendum est, hominum anima præstantior, & a corporis passionibus seiuncta; & cogitationibus maximopere affixa, cùm principiorum superiorum à quibus ortum duxit, & quibus materiæ obtemperant, naturam redoleat, eò excellentiæ processit, vt ad eius nutum, imperiumque exterior quoque materia permutari valeat. An non mirabilis extat Cornelij Gemmæ historia illa primo de admirandis spectaculis capite 6. registrata, & a Marcello Donato in historia medica mirabili relata? Placet tamquam corollarium famigeratum apponere: *Mulier pergrandi vtero tumens cùm partus tempora non procul ab Epiphaniæ festo, seu trium Regum vulgari calculo conijeciisset, alijs alludentibus, ac si tres Reges vtero ferret, quod fælix faustumque sit, illa respondit: Neque fefellit euentus rei; nam Regum die profectò enixa est proles masculas tres, quarum vna colore bituminis Regem æthiopem præseferebat, & si eadem non superuixerit diu. Hæc quia confectu Louanij patris, aliorum plurium testimonio confirmata protulimus.* Ablegandæ igitur cogitationes omnes impuræ, & alia phantasmata; & si marem serere placeat, eumque venustum, & vegetem, imaginationi altius vterque coniugum maris venustam speciem offerre debet.

Astrologi & ipsi tunc masculos gigni aiunt, cùm in cœlestibus masculinum imperat astrum, & signum. Sunt autem masculina signa inprimis sex ex illis duodecim Zodiaci caracteribus, atque imaginibus, e quibus imparia, in numerando incipiendo ab Ariete masculina sunt, fœminina paria. Insuper e Planetis masculini sunt Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol: fœminina Venus, Luna; Mercurius anceps, siue Hermaphrodita. Quotiescunque ergo, dicunt illi, huiusmodi signa in conceptione, vel natiuitate dominantur, & sunt in propria domo, hoc est in suo robore, masculinam prolem produci, necesse est. An non ergo marem serere poterit, qui Astrologiæ non est peritus? Melius Aristoteles, qui libro 4. de Generatione Animal. cap. 2. inquit, flantibus Aquilonijs magis, quàm austrinis mares progigni; etenim aeris, ac ventorũ diuersæ qualitates, & alterationes ipsius seminis tincturas, vt Hermetico nomine vtar, immutare, & alterare sunt potes.

At scisciteberis, an, & qua ratione verum sit, sinistrum testem obligatum ad masculam prolem conferre? Porrò verum id esse potest, & ratio est, quoniam partes dextræ sunt calidiores, & robustiores, & ideo semen, quod in dextera parte elaboratur, perfectius, & calidius, atque adeo aptius ad masculorum opificium, vt 7. de historia animalium affirmat Aristoteles. Verùm hic haud leuis ponderis difficultas insurgit, quandoquidem ad sinistrum testem non modo pertingunt vna vena, & vna arteria sicuti ad dextrum, verùm etiam non rarò ramulus à caua accedit, vt ex anatomica inspectione mihi sæpe constitit, & luculenter etiam edocent Galenus, Vesalius, Vasseus, Mundinus, & alij Neoterici. Quamobrem cùm plura sint vasa deferentia & sanguinem, & spiritus ad sinistrum testem, consequens est, vt mihi elaboratum semen vberius, atque calidius existat, id quod maximè ad matris libidinem facit. Certè dubitatio est magni momenti, neque aliud in tutelam affarri posse puto, præterquam non semper parumlam illam venam à cauâ ad sinistrum testem protendi. Accedit, quòd cùm genericè sinistræ partes sint frigidiores, licet adesset perpetuo altera illa venula, non ideirco sinistri testiculi semen calidius, & perfectius foret, eo magis quo, vt alibi etiam diximus, sanguis, qui ad sinistrum testem, atque lenam vteri regionem confluit, impurior est, & humidior, ob rationes quas adduximus. Atque hæc in præsentiarum sint satis.

Iam ad medica descendam auxilia, quibus videlicet masculini conceptus haberi valeant. Dioscorides libro 3. meminit cuiusdam herbæ, quam vocat cratæogonum, siue cratæonon, & videtur esse de genere persicariæ; quæ si ante Venerem congressum comedatur, masculinæ proli cooperatur. Illius hæc sunt verba: *Traditum est à quibusdam, hoc si bibat ieiuno ore ter die, posi menses purgatos tribus obolis in ciathis aquæ duobus mulier ante concubitum quadraginta diebus, & vir modo consimili totidem diebus ante coitum hauriat virilis sexus puerum futurum.* Aliam eodem loco Dioscorides herbam describit nomine philum, cui eandem tribuit energiam, & huius illius numerat species, theligonum, & arrhenogonum. *Arrhenogonon* (ait ille) *potu masculi sexus fœtus parturit, at theligonon fœminei proditur.* Rursus ibidem testiculo vim eandem ascribit: *Edunter*, inquit, *radices coliæ vt bulbi, ex quibus si maiorem edant vlcri, mares generari dicuntur, si minorem, fœmina alterum sexum.* Idem prorsus de mercuriali traditur herba, vnde versus:

Mascula Mercurio fiunt, si fœmella, puellam.

Mas puerum Venus est cùm sociata dabit.

Sed horum, & similium esto apud scriptores fides. Moderatorem naturæ Deum crediderim ad libitum & mares, & fœminas apparare non sine tamen ipsius naturæ apta dispositione.

Quæres, an sint aliqua indicia, quibus dignoscatur, num vir, aut mulier maris, vel fœminæ sit proletaria? Respondeo, Auicennam sen. 21. paulo supra nuncupata id luculenter exaraſſe, de viro enim sic habet. *Albanim*, ideſt faciens masculos, *est vir fortis corporis, aqualis carnis in duritie, & mollitie, multi spermatis, grossi, calidi, & est magnorum testiculorum; manifestatum venarum, fortis desiderij, quem non debilitat coitus, ex cuius dextro ejicitur sperma; nam ruſtici etiam stringunt sinistrum testiculum tauri, vt effundatur ex dextro. Cumque adolescentis dexter prius instatur testiculus, tunc ipse est masculinans aut sinister, tunc ipse est fœmininans, & similiter ille, ad quem festinat pollutio, non a nocumento in spermate, est faciens masculos.*

De fœmina verò hæc statim subiungit Mauritanus idem. *De mulieribus masculinans est mulier æqualis coloris, & formæ, quæ non est grauis corpore, neque mollis; & neque menstruum eius sunt subtilia, cruda, neque pauca, aquosa, adusta valde, & cutis os matricis est vulue oppositum, & cuius digestio bona est, & cuius vena sunt apparenter procedentes ad exteriora, & cuius sensus, & motus secundum quod oportet, existunt, & non habet ventris solutionem assiduam, neque ipsius constrictionem assiduam, & oculi eius sunt decliues ad fuscedinem absque subalbedine, & est gaudentis natura, & lætæ animæ. Et puella vir potentes in primis cùm coeunt sunt velocis impregnationis propter fortitudinem caliditatis earum, & paruitatem adipi matricis ipsarum, & humiditatum earum: & illæ quibus velociter veniunt menstrua digniores sunt, vt masculos concipiant, & spatium mundificationis illarum quarum est breue est vsque ad viginti dies, non vsque ad quadraginta.*

Secundo quæres, quid nam circa maris, aut fœminæ Generationem futurum fuisset, si perseuerasset homo in statu innocentiæ; tunc enim temporis cùm naturæ opus perfectissimè processurum fuisset, necessarium inde videtur, quòd semper masculus genitus fuisset. Respondeo ex Petrio libro 4. de Generat. Hominis cap. 2. quæst. 3. qui citat D. Bonauenturam, quòd in statu innocentiæ facultas generatiua fuisset in voluntate hominis, ita vt volens generare marem maiori vi, conatu, & intentione se ad hoc applicuisset, e conuerso statuens fœminam generare debiliori cojuisset remo; velisque minus tumidis Veneris traiecisset Oceanum; perin-

de

de ac artifex ingeniosus statuam pulcherrimam efformaturus maiori sese ad opificium intentione conuertit, studio, & nisu maiori se applicat. At mihi magis arridet opinio dicentium, vno, eodemque partu semper futurum fuisse, vt mas, & fœmina insimul ederentur; Quod alibi retulimus.

Aliquid in corollarium poscis, tamquam bellaria post opiparam mensam, vel ad palati iucunditatem, vel ad digestionem? Arrideo, sit promus Hesiodus in libro, quem inscribit *opera, & dies* tamquam in aureo cratere.

Sextus dies post decimum valde inutilis est plantis;
Ad gignendos autem viros peridoneus, sed puellæ nunquam commodus est.
Neque ad gignendum primum, neque sanè ad nuptias ineundas.
Ne quidem primo dies sexta mensis puellæ ad gignendum.
Apta est, sed ad hedos castrandos, & greges ouium.

Et infra.

Vigesimo quidem in summo, pleno die prudentem virum
Procreat; valde enim bona indole, ac vsque præditus erit.
Aptaque viris creandis est decima, puellaque quarta decima.

Vnde hoc? dices; Tute speculare, nisi in Lunę uariam temperiem referre placeat.

Contraria mari explicauimus in secundo huius operis libro; quod autē semen vel formæ similitudinem referat, aliasque extrinsecas similitudines, id nostram sententiam magis confirmat; siquidem accidit non rarò, vt fœmella sit magis patri similis, puellus vero magis matri; vt autem libro ipso de Genitura scribebat Hippocrates: *Et ex quacunque corporis viri parte plus prodierit in genituram, quàm mulieris, partus ille magis similis erit patri; vndecunque verò à corpore mulieris plus venerit, magis assimilabitur matri*; & paulo infra subiungit: *Contingitque aliquando, vt filia nata maiori ex parte magis similis sit patri, quàm matri, & filius natus aliquando magis similis est matri, quàm patri. Atque hæc tam multa à me relata declarant superiorem sermonem, quod & in muliere, & in viro tum mascula, tum fœminea genitura existat.* Sic Hippocrates, cui Ludouicus Duretus vnica illius anima, & intellectus subscribit in Coacis prænotionibus, vbi legimus: *Certissima enim securitas est, quod vt in viro, sic in muliere semen virile, muliebreque inest.*

TRACTATVS SECVNDVS.

De prolis humanæ numerosa, ac multiformi Generatione.

PRAELOQVIVM.

PROLIS varietas tum in numero, tum in forma in humano genere magis, quàm in bruto contingit, ab animi rationalis non minus, vt arbitrorecstasi, ac multi iuga volubilitate, quàm à Veneris intemperantia, eiusq. minus decentibus modis. Has varietates breuibus percurramus. Specificas videlicet non indiuiduales; quis enim has mente comprehendere, nedum scribere valeat? opulentissimum enim, ac pene infinitum est naturæ penu ex quo humanæ Generationis figuræ, & caracteres exantlantur.

CAPVT I.

Qua ratione producantur Gemelli.

GEMINATVR interdum partus, immo frequenter producuntur Gemelli: fic vates dixere, Castorem, & Pollucem a Læda vnico partu editos mortis ac vitæ mutare vices; vnde verò hoc accidat rationibus expiscabor. Profectò quotiescunque viri semen dapsile, & exuberans in vterum non vniformiter insinuatur, ita vt seminis portio in vnum sinum secundum medietatem decidat, altera verò in aliam, tunc si muliebris sanguis & ipse exuberet, commodumque præstet alimentum, gemina fit conceptio; sic Auicennas sen 21. capite 17. geminati partus rationem reddens

aiebat. *Causa earum multitudo spermatis, & diuisio ipsius in duo, & quod est supra, & casus eius in duos ventres.* Sic etiam & Aristoteles geminatum partum seminis vbertati acceptum refert. Verùm sapientissimi nostri Hippocratis ex primo de Diæta afferenda doctrina est, vt omnium firmissima, & celeberrima; sic ergo habet. *At verò quomodo Gemini nascantur, hoc sermone declarabo. Equidem natura vterorum in fœminis vt plurimum in causa est. Si enim similiter in vtramque partem iuxta osculum dispositi a natura fuerint, & similiter biauerint, & a purgatione siccantur, adeo possunt si semen viri conceperint, ita vt flatim discindatur: sic enim necesse est dispergi in vtrumque vterum similiter. Siquidem igitur multum semen ab virisque, & forte secretum fuerit, in vtrisque facis augeri potest; dominium enim habet in alimentum, quod accedit; si verò aliter contingat gemini non fiunt. Quum itaque masculum ab vtrisque secretum fuerit, necessarium est in vtrisque masculos gigni: quum verò fœmineum ab vtrisque, fœminæ fiunt; quum autem alterum fœmineum, alterum masculum fuerit, vtrum alteri preualescet, id ipsum augescet propter a ratione.* Porrò sicut Aristotelis, & Auicennæ nimium diminuta fuit allata geminorum causa, ita Hippocratis omni ex parte absoluta, & omni calculo perfecta. Siquidem ex huius arbitrio non modo seminis requiritur affluens vbertas; verùm insimul, vt vteri bene dispositi sint in vtraque regione, ritè hiauerint, & æquè a purgatione fuerint resiccati. Rursus, vt tam viri, quàm mulieris dapsile, & forte sit semen, vt statim discindatur, necnon in vtrumque vteri sinum æquabiliter dispergatur. His adde, requiri insuper muliebrem sanguinem copiosum, qui loco materiæ in conceptione se habet, alioquin semen, multum licet, geminato fœtui non sat esset; deficeret namque geminatæ actionis subiectum, quod efficienti causæ proportionatum esse debet; sed interim.

Quæres primò, cur Gemelli similes oriantur? Respondet Hippocrates nuncupato loco his verbis. *Similes porrò inter se fiunt gemelli ob hanc causam; primum quidem quòd æquales sunt loci, in quibus augescunt; deinde, quòd simul secreti sunt; postea quòd iisdem alimentis augescunt, vitalesque in lucem prodeunt.* Verum id perpetuò non contingit, nam vel teste Aristotele 7. de historia animalium, capite 6. *Gemini vel dissimiles inter se nati iam sunt, sed plurimi magna ex parte similes prodeunt.* Visi profectò sunt aliquando gemelli adeo lineaturis, forma, & statura similissimi, vt nix a parentibus nisi vestium diuersitate distingui potuerint. Peperit tam similes mihi aliquando uxor mea suauissima Adriana de Mongallis, vt non nisi nutricum relatione vnum ab altero distinguere valerem: vtinam hi ambo pædotripharum incuria non obijssent.

Secundò quæres, cur Gemelli sint rarò vitale? Quælibet humani corporis virtus suis definitur limitibus; quamobrem non sat esse potest natura duplici proli, eique numeris omnibus absolutæ, nec matris alimentum, ad robur vtriusque fœtus æque sufficere potest; inde est, quòd vt plurimum Gemellorum alter prodit vitalis, alter caducus, & breui tempore interiturus. Addo insuper, iccirco esse vt vnus altero imbecillior euadat, quoniam vna seminis portio, & est prima, efficacior est, & spiritibus longè magis turgida, ex quo vegetior proles; altera vero, & est secunda portio, frigidior, & humidior, unde debilior conceptus prodit; & hinc insuper accidit, ut e gemellis alter mas, altera fœmina producantur. Quod ab Hippocrate intelligas uelim libro de natura pueri in fine, ubi hæc leguntur: *Quod autem Gemelli fœmella, & masculus generantur, hoc causæ esse sentio. In muliere, & in viro, & in omni animali in singulis & debilior, & fortior genitura inest, & non semel, ac simul genitura procedit, sed & bis, & ter ebullit, ac eiaculatur: & non est possibile, omnem esse fortem, tum quæ prius exiuit, tum quæ posterius. In vtrum autem sinum crassiorem, ac fortiorem genituram ingredi contigerit illic masculus gignitur. In vtrum verò rursus humidiorem, ac debiliorem illic fœmella generatur. Si verò in vtrumque sortis ingredietur, ambo masculi fient: sin debilis ambo fœmellæ.*

Rursus hæc eadem seminis diuersa ratio morum insuper diuersitatem in Gemellis parit; etenim ut plurimum morum temperamentum dispar est, dissona animorum harmonia, unde diuersus oritur Genius. Esau, & Iacob Gemelli erant, attamen morum disparilitas inter eos insignis erat, nam præterquamquod sese hostili prosequebantur odio, in omnibus insuper actionibus contrariũ præseferebant genium. Neque hic sanè futiles Astrologorum opiniones, qui morum diuersitatem in astra reiciunt, locum ullo modo habere possunt; quandoquidem Gemellorum conceptio eodem fere instanti contingit, eodem ab æthere dominante planeta, iisdem prorsus aspectibus Cœli; quare si ab ijsdem syderibus consimiles immittuntur instinctus, & consequenter easdem debuissent præseferre naturas. Dicet fortè Astrologus, morum diuersitatem in Gemellis e diuerso natiuitatis tempore haberi posse, quando prius unus, quàm alter ab utero prodit, ita ut longum interdum inter unius, & alterius;

rius exitum intercedat temporis spatium, atque adeo syderum interserantur varij influxus. Et hoc sanè difficultatem habet, siquidem maior vis est in conceptione, quàm in natiuitate; & insuper asserunt multi, quod idem astrum ortum respicit, quod conceptionem; At missa hæc faciamus.

Porrò ambigendum non erit, qua ratione in seminis eadem iaculatione qualitatum disparitas reperiri valeat, cuius gratia dissimilitudo in gemino fiat conceptu; quandoquidem verissimum est, seminis haud quaquam substantiam penitus esse homogeneam; insunt enim ex Philosophorum, & Medicorum arbitrio humores & pituitosi, & melancholici. Adhuc cùm sit semen aliud in grandinem compactum, aliud fluidius; illud aptius, hoc inutilius ad conceptionem existit; igitur & hoc, & illud licet eodem puncto in partes vteri decidat, dissimiles producet effectus & quo ad sexum, & quoad mores, & quoad ingenia. Non ibo tamen inficias, quin possit aliquando semen æquè forte, calidum, & eisdem tincturis imbutum in vtrumque vteri sinum delabi, atque adeo Gemellos vniformes, vnanimes, & penè vnius vitæ effingat. Diuus Augustinus in libris de ciuitate Dei de quibusdam Gemellis narrat, quòd eodem semper tempore ægrotabant, ijsdem vexabantur accidentibus, eademq. ratione conualescebant. Noui & ipse Gemellus e Monte Falco in Vmbria ex familia Agathoniorum, medicinę vnum, iuris peritum, alterum, qui eadem die obierunt, loci interuallo plus quadraginta milliaribus distantes, & retulerunt etiam, eodem prorsus tempore concidisse in eundem morbum, qui, ijsdem symptomatibus vexauit ambos. Vnde hoc? existimarim, hos intrinsecam aliquam labem per traducem e femine patris contraxisse, quę sic in vno, vti in altero stato quodam tempore reuiuisceret, & sic ambos vniformiter afficeret. Plura eiusdem census breuitatis causa relinquo, at si quis auiditatem explere cupiat D. Augustinum adeat libro 5. de Ciuitate Dei capite 2.

Atque hęc de Gemellis, quorum generationem inculcat iterum Hippocrates libro de natura pueri, ideoque simul hic registratam tamquam κτῆμα ἐς ἀεὶ boni consulat lector, eo præsertim nomine, quòd vberiori verba doctrina locupletata sunt; sic igitur habet: *Gemelli autem fiunt ab vno coitu hoc modo. Vteri sinus frequentes, & curuos habent, alios remotiores, alios propinquiores pudendo. Et animalia, quæ multa gignunt, plures sinus habent & pecora, & ferę, & volucres. Vbi itaque contigerit, genituram findi, & in duos sinus peruenire, & vteri genituram susceperint, & sinus alter ad alterum non biauerit, nec dimiserit, segregata genitura in vtroque sinu pelliculas induit, & viuificatur eodem modo quo vnus fœtus; quapropter verò id fiat diximus. Quod verò ab vno coitu Gemelli gignantur, hoc testimonio constat. Est canis, & sus, & alia animalia, quæ ab vno coitu pariunt & duo, & plura, & vnumquodque animal in vtero in sinu, ac pellicula existit: atque hæc ipsi fieri videmus, & hæc omnia eadem die vt plurimum pariunt. Sic autem, & mulieri ab vno coitu gemelli facti vterque in sinu, & pellicula est, & eadem die vtrumque parit, & alter prius foras procedit, & pellicula ipsius, siue secunda.* Hactenus Hippocrates, qui ne forte putaret aliquis, à geminato coitu Gemellos effici, prælata exarauit verba.

CAPVT II.

An plures quàm Geminos in hominum Generatione edere vnico partu natura possit.

EE Brutorum multiplici fœtu quotidiana docet experientia; siquidem maior eorum pars numerosam unico partu emittit sobolem; sed præcipuè omnium fœcundissimi sunt pisces, vt ex innumerabilibus ouis, quę in eorum inueniuntur visceribus facilè deprehenditur. Quin generatio murium quoque, teste Aristotele 6. de historia animalium capite 37. præter cętera animalia mirabilis maiorem in modum est tum numero, tum celeritate. *Iam enim*, inquit ille, *fœmina prægnante in vase milliario aliquando occupata, paulo post reperta vasis musculi numero viginti, & centum reperti sunt.* Chamelus est, qui unum tantummodo uno partu edit fœtum ex Aristotele 6. de historia animalium capite 26. quod idem de elephantis traditur. Ea verò huius euentus excogitatur a Philosophis ratio, quòd perfecta quæque animalia unipara sunt ut plurimum, multiplicatio namque, vt alibi diximus, naturę imbecillitatę, & imperfectionem præsignat, inde est, quòd utilia, & minoris notæ animalcula usque ad admirationem ingeminantur interdum, ut uidere est in formicarum, muscarum, ranarum, murium, lumbricorum, & similium genere.

Dubium nunc est de humana prole, num videlicet plures, quàm gemini à muliere concipi queant. Et sanè Aristoteles, cui maior fides habenda, vt ab hoc initium faciam, libro 7. de historia animalium capite 4. non videtur ire inficias, mulierem vnico partu tres, quatuor, & quinque etiam fœtus edere posse; lubet

lubet affigere textum: *Et cùm alia singulos pariant, alia plures, Genus humanum in ancipiti est. Nam quod plurimùm, & locis pluribus agitur, mulieres singulos singula pariunt, sed sæpè, & locis plerisque Geminos etiam; vt in terra quoque Aegipto fieri, certum est; pariunt etiam tres, & quatuor; Et quidem locis nonnullis valde ita fit, quod dictum iam est, sed quinque cum plurimum nascuntur; iam enim hoc pluribus euenisse, conspectum est; & quadam viginti partubus quatuor edidit: quinos enim singulis partubus enixa est, maiorque eorum pars enutriri, & adolescere potuit.* Hactenus Philosophus.

Verumenimuerò, si fas est alijs quoque fide conspectis auctoribus fidem ipsam non denegare, non semel euenit, vt mulier quatuor, quinque, duodecim, centum, tercentum, mille, vel plures vnico exitu siue embryones, siue fœtus dederit, quod ex historijs, quas statim resumpturus sum, patebit vnicuique.

Aristoteles, vt à diagnoste exordiamur, citato loco paulo supra aiebat: *Iam incidit, vt facta corruptione duodecim superfœtata puerperia egererentur.*

Horatios, & Curatios tergeminos fuisse Romanorum testantur monumenta.

Aulus Gellius Noct. Attic. lib. 10. narrat, quandam ancillam Augusti Imperatoris in agro Laurente vno partu quinque enixam filios, eamque in ipsomet agro honorificè vna cum ipsis pueris sepeliri mandasse Augustum, facta, insuper sepulchri inscriptione.

Auicennas de animalibus libro 9. tradit, mulierem quandam triginta tres fœtus vnico abortu dedisse; quin Petrus Aponensis legit septuaginta octo.

Albucasis Chirurgiæ libro 2. capite 76. hæc monumentis reliquit: *Quandoque formantur in matrice multi fœtus etiam quatuor, & quinque, & sex, & septem, & plures decem. Compertum habeo, quandam mulierem abortiendo emisisse septem, & aliam quindecim omnes formatos. Adeo mirabilia sunt opificia rerum opera, cuius sapientiæ, & potentiæ non est finis.*

Quid illud? non ne mirandum quod Sigebertus in Chronica, & Lycosthenes referunt de Lemisio Longobardorum Rege. Narrant enim anno 396. tempore Algemundi primi Longobardorum Regis, meretricem quandam vnico partu septem puerulos enixam esse, omnesque in proximam abijecisse piscinam; quos tamen sorte fortuna, vel sic numine permittente, cum Algemundus deprehendisset vnum ex infantulis illis, puta Lamisium hasta, cui firmiter adhæserat extractum nutrici omni studio, & vigilantia alendum tradidit, qui cùm adoleuisset ob ingenij perspicaciam, & rectitudinem mortuo Algemundo regno successit.

Quę narrat Albertus Magnus de abortu viginti duorum corpusculorum, nec non de abortu septuaginta in Germania; atque in super mulierem quandam centum quinquaginta minimos embryones enixam esse, multi referunt, credunt pauci; at non est verè temere detrectandum; quin his maiora iam iam recensebimus. Age ergo prodigiosa magis referantur, quæ preterquamquod humanam fidem superant, terrorem insuper faciunt. Schenchius e Bruschio hęc scribit. *Isembertus Comes de Altorf exorem habuit Irmentrudim. Hæc cùm pauperculam fœminam eodem partu tres liberos mares enixam vidisset, & tamquam impudicam reprehendisset, quod ex eodem viro tres simul filios susceperet impossibile videretur: ipsa post annum, Deo sic eius superbum iudicium confutante, absente viro duodecim mares enixa est. Perterrita eo casu, quod iam de sua quoque pudicitia dubitari posse arbitraretur, obstetrici vndecim in proximo torrente Sobercio mergendos comittit, vnicum illa seruat. Obuius sit illi Comes, & quid velatum gestet, interrogat. Illa vuelfos, sic enim lingua sua catulos vocabant, deformes submersuram sese asserit. noxille: at permittet, inquit, vt videam, sint ne aliqui, qui venationi nobis inseruire possint. Repugnat illa. Tandem coacta infantes vndecim ostendit, & negotium Comiti itaut gestum erat, narrat. Imperat ergo Comes, vt factum apud vxorem suam dissimulet, filios educari præcepit. Exacto iam sexennio cum omnes viuerent, an arcem adduci iubet, atque illic coram omnibus amicis imprudentia vxoris detecta, veniam illi dedit, & filios porrò duodecim æquali iure suos esse voluit, statuitque, vt nō comites de Altorf sed ex vetula obstetricis ominosa voce, quæ vitā illis vndecim dederat, Vuelfi vocarentur. & gratitudinis ergo pro diuinitus seruata tam numerosa prole in ipso Altorfensi oppidulo coenobium monialium construxit.*

Sed adhuc parua sunt, quę retulimus: quę iam iam relaturi sumus, fabulas redolent, & nihilominus vera esse, graues tradunt auctores. Erasmus Roterodamus, Ludouicus Viues, & Ludouicus Guicciardinus, aliique narrant, quod cùm Margarita Florentij Comitis Hollandię filia mulierculam stipem petentem, gemellos in vlnis gestantem acrius increpasset dicens, non potuisse illam duos concipere, nisi duobus succubuisset viris. Mendica precibus a Deo contendit, vti in signum sue pudicitiæ Comitissa grauida tot pareret infantes, quot sunt anni dies. Peracto gestationis curriculo exanditis mulierculæ precibus, anno Domini 1278. ætatis suæ 42. in ipso die Parasceues peperit Margarita 364. partim mares, partim fœmellas, maribus

Digitized by Google

ribus Ioannis; Foemellis Elizabethe nomine A
impositio, & cum matre paulo post depositi epy-
taphio historico celebrati sunt huiusmodi mar-
more extulpto in Hollandia in quodam Moniu-
lium Cœnobio.

Illustr. D. Florentij Comitis Holandiæ filia, cuius mater fuit Mathildes; filia Henrici Ducis Brabantiæ; fratrem quoque habuit Guglielmum Alamanie Regem. Hæc præfata D. Margarita, Anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno 42. ipso die Parasceues hora nona ante meridiem peperit infantes viuos promiscui sexus numero trecentos sexaginta quatuor, qui post quam per venerabilem episcopum D. Guidonem Suffraganeum præsentibus nonnullis Proceribus, & magnatibus in pelui quadã Baptismi Sacramentum percepissent, & Matsculis Ioannis, fœmellis verò nomen Elisabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matris animæ ad Deum æternaliter victura redierunt; corpora autem sub hoc saxo requiescunt.

Auentinus libro septimo Annalium Skenchio relatore narrat Machtildim Comitissam Hennenberg sub Friderico II. Imperatore mille quingentos quatuordecim pueros simul genuisse, qui in malluuio ab Orhone Traiectensi Episcopo ablunculo eius sacra aqua lustrati sunt, & post mortui. Heu prodigia! Abstineamus amabò; nam portenta huiusmodi vix fidem inueniunt.

At illud statuendum est; diuinæ scilicet potentiæ arbitrio posse, & potuisse his longe maiora accidere miracula; nihil quippe tam magnum excogitari potest, quod Omnipotentis nutu, ne dum bracchio non sit inimius: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram*; vt Psalmographus, qui & alibi *Dextera Domini fecit potentiam: Dextera Domini fecit virtutem*; Hinc vel Pythagoras in Symbolis, quamuis veræ fidei orbatus lumine sapienter admodum: *De Dijs, rebusque diuinis nihil tam mirabile dicitur, quod non debeas credere*; Verum de his multa in commentarijs nostris in Symbola. Cæterum id natura viribus contingere nullo modo posse, tamquam axioma recipiendum est. Nempe vi naturæ vegetis rebus seminis vbertate diuitijs labentis, e spirituum vbere affluentia, e sanguine muliebri copioso ad quatuor, & quinque ad summum concepræ prolis numerum ascendere posse, non eo inficias; hos terminos, limitesque superare posse, omnino, & palam detrecto.

Nec sane huic theoremati Aristoteles dissentitur, qui 10. problem. 30. quærens; cur in animalium cæterorum genere seruari æque gemini possint, quamquam sexus sunt vtriusque; in hominum autem non possint, sic respondet: *An quod homini maxime partus geminatio contra sua naturæ legem accidit? Singulos enim parere sancitum est, tum in geminis ipsis marem, ac fœminam creari natura omnino recusat. Ergo quod maxime contra naturam est, id & imbecillum esse ratio postulat.* Si igitur ex Philosophi sententia geminatus partus humanæ speciei contra naturam est, quanto magis multigeminus, & centigeminus? Porrò adeo veritatis candori proxima est propositio, vt multis minus egeat rationibus, quatenus suaderi valeat. Satisit in præsentiarum ad vnicam probationem dixisse, Agentis naturalis virtutem haud seruari in minimo quanto, ideoque in tam numerosa prole cùm suppetere nequeat vnica; licet amplissima iaculatio seminis, quod in tot segregatim portiunculas diuidi debet, sequitur, non posse id naturaliter euenire. Exempli gratia in minima seminis guttula diuinum illud prolificum balsamum, architectonicos spiritus, & mechanicam scientiam (Hermeticè loquor) hoc est formatricem fœtus facultatem seruari, impossibile est; vnde sit, vt si ad multiplicem prolem requiritur, vt in plures diuisim guttulas disgregetur semen, huius virtus in nulla prorsus portiuncula seruabitur. Quod non seruetur in minima seminis stilla illius facultas, certum est, & prudenter docet Auerroes commento decimoquinto octaui physicorum, vbi probat, quod ad Agentis actionem, necessaria est certa quantitas, qua deficiente actio non sequetur; poterit nimirum securis esse tam parua, vt non scindat. Quinimo sum huius quoque opinionis, quicquid in contrarium sentiat Scotus, quod vel in homogeneis datur minimum, itaut vltra illud nequeat dari minus, in quo species non conseruetur. Sic in exemplum caro, quæ si ad certam quandam mensuram diuidatur, formam & speciem carnis retinebit quidem, at si vlterius diuidatur, non erit amplius caro. Significauit hoc iucunlenter, ni fallor Aristoteles primo Physicorum textu trigesimo octauo, vbi dicit, quod si à minima carne aliquid esset separabile, daretur minus minimo, quod repugnat. Probatur insuper ratione perspicua, quoniam res non potest esse in illa quantitate, in qua non potest operari; non enim dare est esse absque operatione, iuxta perpetuę veritatis paræmiam: *Sicut res se habet ad esse, ita quoque ad operari*; Sed ad operationem quoad paruitatem certa quantitas est necessaria; igitur ad ipsum quoque esse. Vti ergo prodigia recensiti casus habeantur, in quibus licet aliquid naturæ resplendeat, eo quod in eius gremio, & ab eius ministerio fuerint exantlati; fortuiti nihilominus dici debent; siquidem teste Peripatetico *Fortuna, & casus sunt eorum, quæ nec semper, nec frequenter eueniunt.*

CA-

CAP. V. T. III.

An, & qua ratione fiat superfœtatio.

INTER naturæ spectabilissima opera non infimum porrò est illud superfœtationis, quæ vti rarò accidit, ita maiorem sui contemplationem exposcit; neque illam aliquando accidere, ambigendum est; siquidem præter Hippocratem ipse quoque Aristoteles palam & sentit, & affirmat. Hippocrates quidem cum primo de diæta, tum libello, qui de superfœtatione inscribitur, quibus sanè subscribunt Arabes. Galenus, Paulus, & Actius an cognouerint superfœtationem ambiguum, nullibi enim expressè illius meminerunt: Aristoteles autem & 4. de Generatione animalium 5. & 7. de historia capite 4. vbi hæc verbatim leguntur. *Mulier, & equa omnium maximè animalium grauida coitum patiuntur, cætera vbi grauida fuerint, fugiunt mares, ea scilicet quorum naturâ superfœtare more leporis recusant. Verum equa nunquam superfœtat, sed magna ex parte vnum tantummodo generat. At verò in muliere rarò quidem euenit, vt superfœtet, sed factum tamen aliquando est.* Confirmant magnorum auctorum sententias perspicua exempla, quæ peculiariter habentur primo apud Dodonæum (vt relinquam Gordonium) in scholio capitis nonagesimi primi Beniuenij, vbi habetur celeberrimus superfœtationis euentus his verbis exaratus: *Superfœtatio adeo quidem raro est, vt nonnullis impossibilis habeatur, cuius tamen manifestum in honesti ciuis vxore exemplum apparuit. Peperit hæc filium plenè gestatum anno 1570 Decembris die 7. horâ decimâ vespertinâ, succedentibus omnibus, quæ ad fœlicem partum requiri solent: postridie verò, qui erat octauus eadem horâ præter expectationem obstetricis, ac sui ipsius peperit eadem fœtum alterum, sed non dum quadrimestrem, vtpote cui neque oculi, neque nares, neque os patérent, quem idcirco post conceptum fuisse satis manifestum.*

Sed Nicolus adhuc magis admirandam historiam describit sermone 60. tract. 1. cap. 22. ita prorsus: *Ego nouæ vxoris Zachariæ de Scarparia, quæ peperit masculum, & hinc ad tres menses peperit alium masculum, & bene vixerunt ambo, & vnus fuit speciarius Florentiæ in burgo Sancti Laurentij.* Magis inquam admiranda est hæc historia, quoniam de Aristotelis sententia, si superfœtatio contingat priori fœtu adaucto impossibile est, vt in lucem vitales prodeant conceptus; quare ? illo de historia citato cap. sic habet: *Qui itaque longo post tempore sint concepti, nihilo perfici possunt; sed præmaturius dolorem quo ipsi, & primus fœtus intereat, mouent.* Enimverò vt superfœtatio sit vitalis, necesse est, vt non multum vnus ab alio distet congressus Venereus; id quod Philosophus statim subiunxit: *At verò si proximè à primo conceptu secundus sit factus, absolui, edique potest, quod superfœtarit, vt quasi gemini nasci videantur, quomodo Herculem, & Iphiclem procreatos esse, fabulantur.* Idem quippe ratio ipsa dictat, si quidem si mulier leui negotio abortit, aut concitatiori motu, aut grauiori sublato pondere, aut longiori tripudio, vel simili alia occasione; qui fiat, vt cum pelus conceptum fœtum in lucem mittit nisi maximo, dolore intensissimo, sanguineque copioso, superfœtatam prolem retinere valeat adhuc languidam, adhuc male hærentem?

Sed ad causam ipsius superfœtationis progrediamur. Verum quidem est, & magnus declarauit Hippocrates 5. Aphorismorum, post conceptionem os vteri adeo conniuere, vt vix acus specillum intromitti valeat. At non est hoc perpetuæ veritatis axioma, quandoquidem ob feminis auiditatem interdum penitus illud non occluditur, quare alterum semen vti famelicum excipere potest; quod si in vtero congruam sanguinis reperiat copiam, statim sequitur coagulatio, & fermentatio prouia ad nouam prolem; vnde colligimus, superfœtationem vt plurimum, imò semper contingere apud mulieres sanguifluas; quod significarunt & Rasis 22. Cont. & Alsaharauius lib. pract. Tract. 25. cap. 23. & Auicennas lib. 3. fen. 21. Tract. 2. cap. 17. docentes, mulieres ea superfœtare, quæ pregnationis tempore menstruantur, quæque, vt loquitur Auicennas ipse, sunt multorum pilorum, & multi sanguinis propter multitudinem caliditatis earù. Huiusmodi namque mulieres cùm insuper ratione feruidæ temperiei plurimum in Venere delectentur, ideo est, vt præ voluptate os vteri dehiscat; semenque auidius ebibat.

Præterea dicunt alij, nec omnino irrationabiliter, vterum post conceptionem statoquodam tempore, ac certis interuallis aperiri quatenus excrementitij sanguinis, aliorumque humorum detrudat colluuiem. Porrò hoc verisimilius est, quàm quod asserunt alij nonnulli, os videlicet vteri perpetuò etiam apud pregnantes in Veneris agone aperiri, atque hiare. Quod primum si accidat, mirum non erit, mulierem, quæ in viri amplexum denuo veniat eo instanti, nouam excipere prolem, ideoque Hippocrates de superfœtatione: *superfœtant autem mulieres, quarum stomachus adest... vteri post primum conceptum non claudatur, i.e. valde*

valde. At non leuis difficultas est, qua ratione superfœtatio celebrari valeat, si vasa in primis, quibus nouum coagmentetur chorium, seu secundina, deficiunt; nec non insuper venæ, quibus ad nouum fœtum alimetum deducatur. Acquiesces nihilominus, si naturæ prouidentiam animaduertes, quæ prudenti consilio, nec vasa omnia propriæ nutritioni dicata, vnico implantat fœtui, sed seruat aliqua vel ad aliam fœturam, vel ad sanguinis exonerandam sarcinam, si forte superueniat; qua, nisi periodicè truderetur, tenella proles strangularetur. Quæres, num plures fieri possint superfœtationes? Annuere videtur Aristoteles, qui lib. illo 7. de historia dicebat: *Iam incidit, vt facta corruptione duodecim superfœtata puerperia egererentur.* Est eo demum colophon ex Hipp. superfœtationē fieri nullatenus posse, si in media vteri regione prius concepta proles detineatur: & si in altero cornu fiat, vitalem non euadere; immò ex retentione dolores, & febrem, & fœtidum fluxum, aliaq. plura inferre symptomata. Hippocratis verba in principio libelli de superfœtatione registrata lubet apponere: *Quum superfœtarit mulier, si primum puerum in medio vteri habuerit, superfœtatio elabitur, à primo, ac veteri expulsa. Si verò in altero cornu superfœtationem habuerit; posterius ipsam insuper paserit non vitalem, nimirum vitalitate, vbi vterus laxatus, & humectus fuerit, exoluta. Si verò non statim secedat superfœtatio, dolores exhibet, & fluxum fœtidum, ac febrem, & facies intumescit, tibiaque, ac pedes; & si pereat, cibum auersatur, donec exciderit.*

CAPVT IV.

An sint Pygmæi, & qua ratione eorum contingat Generatio.

PYGMÆOS repertos esse, & reperiri adhuc, nec fabulosum, nec commentitium est; horum autem nomine cubitales homunciones intelliguntur; vnde D. Augustinus 16. de Ciuitate dei cap. 8. Nanos, inquit, Pygmæos appellatos à πυγων, vel πηχυς, quod cubitum significat, vel πυγὴ breuis: & si magni in primis auctoris, Aristotelis nempe auctoritatem audire placeat, sic ille 8. de historia Animal. cap. 12. scriptis exarauit. *Et alia de locis vicinis discedunt, alia de vltimis prope dixerim, vt Grues faciunt, quæ ex Scythicis campis ad paludes Aegypto superiores, vnde Nilus profluit, venium, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur; Non enim id fabula est, sed certè genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum, vt dicitur, est, degunt que in cauernis, vnde nomen Troglodita a subeundis cauernis accepere.* Hactenus Philosophus, cuius verbis magna emphasi prolatis non est cur fides derogetur. Plinius quoque multarum rerum inuentor, & scriptor simul libro 7. capite 2. Pygmæorum meminit, & sunt, vt ait populi in extrema parte montium Indiæ habitantes salubri cœlo, semperque vernante. Idem libro 4. capite 11. in Thracia Pygmæos fuisse tradit, vrbemque Geraneam tenuisse, donec à Gruibus fugati nouas sibi sedes quærere coacti fuerunt; quò sanè illud Iuuenalis in Satyra 13. spectare crediderim.

Ad subditas Thracum volucres, vrbemque sonoram.
Pygmæus paucis currit bellator in armis.

Atque hæc opinio tantò magis est plausibilis, quantò Aristotelicæ historiæ supra relatæ nihil dissonat. Homerus quoque Pygmæorum meminit, quos pariter cum Gruibus bellum inire scribit. Plinius adhuc eodem libro 7. subdit, Pygmæos hosce conscendere pro equis hircos, & capras, & sic adoriri grues, illarum oua, & nidos vastantes, & spatio trium mensium huiusmodi prælium durare; Insuper sibi domos, e luto fingere, plumis, & ouorum testis; qua in re Plinius, aliique auctores discrepant ab Aristotele, qui cauernas illas habitare asseuerat. Rem nec præterijt 6. Metamorphos. Ouid. vbi sic:

Altera Pygmæa fatum miserabile matris
Pars habet: hanc Iuno iussis certamine victam
Esse Gruem, populisque suis indicere bellum.

Vide etiam Aelianum lib. 15. cap. 29. & si placet Cardanum etiam 8. de Varietate cap. 4. vbi contra quorundam opinatum scribit, Pygmæos reuera inueniri, nec eorum naturas fabulosas esse. Doctissimus Alciatus in suis emblematibus Pygmæos effingit infestantes Herculem sub arbore pinu iacentem, qui statim deinde eos inter vngues veluti pulices occidat.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno
Sub picea, & clauam, cæteraque arma tenet,
Alcidēn Pygmæa manus prosternere letho
Posse putat, vires non bene docta suas.
Excitus ipse velut pulices sic proterit hostem,
Et sæui implicitum pelle leonis agit.

Quomodo autem pusillæ adeo naturæ generentur, haud valde laboriosum est edocere, siquidem seminis paucitas causa est, cur diminuto corpore fœtus oriantur; Sicuti enim ejusdem vbertas ad corporum facit magnitudinem, vt infra dicetur, ita paucitas ad paruitatem. Sunt qui velint, id ipsum ex angustia vteri prouenire, quod non sit à ratione alienum; dum enim sinus adeo est angustus, proles inibi contenta magnum nequit assumere incrementum. Sic vulgari periculo didicimus, catellos, quos minimæ molis efficere deliciosæ student mulieres, angustis occludi vasibus, in quibus nullus dimensionis incrementum recipere valent. Sed quid in hoc laboro? Redit in auctores Genus. Ipsa origo pusilla est. Ex paruis non nisi parui produci possunt. Omne animal secundum parentes nascitur, Hippocrate auctore, & experientia magistra. Ex pusillis pusilla oriuntur; Ideoque apud exteros consuetudo tulerat, vt coniugio non nisi magni viri, longæque mulieres copularentur, vt celsa, generosa, atque adeo bello aptior proles inde susciaretur. Quamobrem cùm eo in regno vel ob cœli rigorem, vel aliam ob terræ infœlicitatem homines pusillæ adeo staturæ nasci inceperint, vt solet in deterius natura semper abscedere, progressu temporis in minimam abiere figuram; adeo vt etiam cum perdicibus pugnam inire dicantur. Neque propterea existimandum erit, (vt perperam sentisse videntur aliqui) hos homunculos diuersos ab alijs vel specie ipsa existere, & tamquam frutices humi ab origine sponte surrexisse; ideoq. terræ filios nuncupari; vt inter alios Philostratus de imaginibus, vbi de Hercule verba facit, annuere videtur: ab illo enim perempto Antæo, qui terræ filius putabatur à vetustate, aduersus Herculem, inito fœdere Pygmei insurrexerant, mortem vlturi fratris; quò illud Iuuenalis collimare videtur.

Vnde fit, vt malim fratereulus esse gygantis.

Non inquam id existimandum; alibi enim, vt indignam explodimus sententiam, potuisse nimirum homines absque vitali semine terris adnasci; verùm terræ filios dictitari Florens Septimius putat, quorum sit incertum genus. Vide Rhodiginum libro lectionum antiquarum vigesimo capite 28. ejus appendix. Pigmæos haud maiores palma manus se vidisse testatur Bernard. Gordon. Medicus quo suo famigeratus; vt ideo quod a Iuuenale addebatur, non fabulosum existimem.

Mox impar bello, raptusque per aera curuis
Vnguibus à fera fertur grue, &c.

CAPVT V.

An Gigantes aliquando fuerint: Num æuo nostro reperiantur alicubi: & quomodo eorum generatio fiat.

PRISCIS temporibus Gigantes extitisse, sacra non minus, quàm profana monumenta suadent; vtriusque generis nonnulla in lectoris iucunditatem non ægrè retexam. In Numeris cap. 13 exploratores illi, in Terram Chanaan à Mose missi ita loquuntur: *Terra, quam lustrauimus deuorat habitatores suos. Populus quem aspeximus procera statura est: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach de genere Nephilim* (ideſt giganteo) *quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Rursus Deuteronomij cap. 2. hæc regiſtrantur: *Dixitque Dominus ad me, non pugnes contra Mohabitas, nec ineas aduersus eos prælium; non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filijs Lotb tradidi eam in possessionem. Emin primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enachim stirpe, quasi Gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enachim.* Et infra. *Terra Gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zommim, populus magnus, & multus, & procera longitudinis*, &c. Adhuc Deuteronomij c. 3. *Solus quippe Og rex Basan reliquerat de stirpe Gigantum*, vt reliquam, quæ de Gigante Goliath 1. Regum cap. 17. leguntur; nec non etiam in libro Iudith, quæ omnia & recenſet, & illuſtrat eruditiſſimus Hieronymus Magius 1. Miſcellaneorum cap. 4. ad quem auidiorem lectorem remitto, nec non ad Diuum Auguſtinum 15. de Ciuitate Dei; vbi & Gigantum meminit, & illorum hiſtorias nonnullas recudit.

Sed ad profanos aliquot auctores deſcendamus; quorum proculdubio multò plura monumenta extant. Philoſtratus libro 5. ita Apollonium Thianæum de Gigantibus loquentem deſcribit. *Ego Gigantes fuiſſe, dico, multiſque locis, diruptis tumulis eiuſmodi corpora oſtendi, non tamen, vt fertur, cum Dijs pugnaſſe, credo, ſed forſan Deorum aëres, ac templa violaſſe.* Solinus cap. 14. de Phlegra verba faciens hæc habet. *Illic ſi quando, vt accidit, nimbis torrentes excitantur, & aucta aquarum pondera ruptis obicibus, valentius ſe in campos ruunt, eluuione oſſa etiam nunc feruntur detegi, quæ ad inſtar ſunt corporis humani, ſed modo grandiori,*

ri, quæ ob enormem magnitudinem monstruosi exercitus iactant extitisse. Plinius lib. 7. cap. 16. scriptum reliquit, in Creta monte a terræmotu fatiscente, atque abrupto corpus hominis stantis 46. cubitorum inuentum fuisse, idque Orionis alij, alij verò Etionis fuisse, existimarunt. Polyhistor idem testatur sub Claudio Imperatore hominem ex Arabia nouem pedum longitudinis aduectum fuisse, nouemque insuper vncijarum, & amplius. Ita etiam Herodotus libro primo Orestis caduer septem cubitorum effossum aliquando fuisse, posteritati mandauit. At frustrà essem, si omnes ex omnibus auctoribus historias retexere conarer; perlegant alibi qui cupiunt sponte sua apud ipsosmet scriptores. Vnum illud ex nostro sæculo tamquam superpondium ascribam ex Galeoto Martio de doctrina promiscua 36. vbi sic. *Nam Gigantes fuisse, sacra narrat historia, & Roma tempore Henrici III. inuentum est caduer Pallantis, quem Turnus occidit, tanta magnitudinis, vt longitudine sui Romanos muros æquaret:* Relinquo Gigantis historiam à Ioanne Boccacio 4. Genial. relatum tamquam fortassis fabulosam. Non ergo temere negandum, fuisse olim Gigantes, atque etiam nunc aliquibus in locis reperiri, ac potissimum eo loci, quem Gigantum Insulam nuncupant ab Americo Vespucio inuentum, vbi quinque brachiorum mensuræ homines visuntur.

Maior difficultas est perscrutari, quomodo, Gigantes generentur, & cur nostra ætate non producantur. Hippocrates, vt à summo Dictatore exordiar libro de aere, aquis, & locis corporum magnitudinem optimæ aeris temperiei, cœlique clementiæ inauctoratur; ipsa auctoris recudamus verba: *Longè enim pulchriora, & maiora omnia nascuntur in Asia, eâque regio ipsa hac nostra multò mansuetior: sunt mores hominum benigniores, & cultiores. Causa verò horum est temperum anni temperata mixtura; liquidem in medio solis ex ortu sita est ad auroram; a frigiditate, ac caliditate omni remotior. Incrementum autem ac benignitatem inde proficisci, omnibus in confesto est, cùm nihil sit præcellens, & cogens violenter, sed per omnia æqualitas vigeat, &c.* Verùm enim verò sibi non constare Cous noster videtur; quandoquidem etiam illos, qui aeris, ac temporum non fruuntur clementia, sed rigidas potius, ac montanas incolunt regiones, proceros fieri in eodem libro paulò infra his verbis testatur: *Quicunque regionem montanam, Asperam, nudam, & non aquosam incolunt his mutationes temporum contingunt magnæ, & diuersæ, vnde & hominum formas magnas progigni conuenit, qui & ad laborem, & ad viriliter agendum à natura præsient, quibusque feritas, & immanitas non mediocriter à natura sunt congenitæ, &c.*

Dixerim tamen, haudquaquam sibi contradicere Hippocratem; quandoquidem ijs in locis non vnam corporum proceritatis causam afferre contendit, sed plures; plures enim etiam contrariæ possunt esse vnius effectus causæ, sub diuersa tamen ratione; ita & à frigore per antiperistasim, & à calore corpora calefieri, sentimus; quare basilicè Philosophus 3. Problem. sect. problem. 24. aiebat: *Nihil prohibet, rem eandem à contrarijs effici, dummodo non agant, modo eodem, sed diuerso: exempli gratia vritur & agelu, & à calore, vbi gelu calorem coegit exniuer sum. Itaque modo quodam à contrarijs effectus proficiscitur idem, &c.* Iam in regione mansueta, atque aere benigniori cùm radicale humidũ neque à frigoris excessu cogatur, neque ab immodestia, & exurente caliditate dissipetur, sit inde, vt partium incremento dapsilè deseruire valeat, necnon opiparè suppleat nutritioni. Rursus in montanis, asperisque locis cùm calor insitus à contra obsistente frigore vegetus, atq; robustus euadat, cùmq; efficiens auctionis causa immediata sit caliditas ipsa primigenia, nihil mirum, si in frigidis etiam regionibus, & sub inclemente cœlo homines enascantur magni, & proceres. Quare in aeris temperie ideo plurimùm augentur corpora, quoniam augmenti materia, quæ est humidum radicale, longè, latèque abundat; ideo in rigido cœlo pariter in summam proceritatem eadem ascendunt, quoniam proceritatis instrumentalis causa, quæ est calor, valde in principibus membris prædominatur; quapropter dixerat Vitruuius lib. 6. capite 1. pollicemos esse omnes, quotquot Septentrionali plagæ subijciuntur. & Alexander Aphrodisiensis 2. Problem. probl. 2. Scythas plurimo detineri calore circa internas partes, ac viscera, testatur.

Quod autem humor, & calor sint corporum magnitudinis potissimæ causæ, nemo absque crimine iturus erit inficias; cùm passim id classici auctores profiteantur; nam Aristoteles, vt ab Archisopho initium ducam, non vno in loco id apertis fidibus asseruit; ita 3. de partibus animal. calorem esse affirmat, qui augendi vim obtineat; quod Problem. sect. 10 quæst. 10. luculentius exaruit, vbi quærens, cur mares corpore maiori ex toto penè sint, quàm fœminæ, ita respondit. *Vtrum quòd mares calidiores fœminis sunt, quæ res vim obtinet augendi.* Sed clariùs adhuc decimaquarta Sect. Problem. problem. 8. rem ita explanat: *sit igitur, vt qui loca inhabitant calida, refrigerentur, qui frigida, concalescant. Vtrobique tamen corpora magna adolescunt, eo quod qui frigida colunt, insito calore abundant; qui calida, calore loci refouentur; quippe cùm in calidis, & a calore incrementum sequatur, frigus autem vim adstringendi, constipandique habeat. Cùm igitur al-*

teri principium intra se vehemens augendi obtineant, alteri nullo extremo frigore impediantur, meritò utrique augeri possunt plenius. Aristoteli Plinius subscripsit 2. naturalis histor. cap. 78. vbi monumentis tradidit in Æthiopia propter ignium nisum; in aduersa verò glaciali mundi plaga propter humoris alimentum, corpora procera euadere.

Cæterum quòd humoris vbertas potens causa magnitudinis corporum exsitat, indicant altissimorum montium arbores, vbi in miram proceritatem iccirco assurgunt, quoniam radicalis humor à Sole nequaquam exhauritur, id quod præter Vitruuium in 2. libro cap. 10. & lib. 6. cap. 1. Plinius libro 7. cap. 2. his verbis inculcat: *Maxima in India gignuntur animalia. Indicio sunt canes grandiores. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, vt sagittis superari nequeant;* mox illa subiungit: *Hæc facit vbertas soli, temperies Cæli, aquarum abundantia.* At vbi reliquimus nostrum Hippocratem? Ipsum præ cæteris audiamus nuncupato libro de aere, aquis, & locis ita loquentem: *Atqui cum multus aer ab aquis regionem occupet, ob hanc ipsam causam, quod ad formam, ac corporum speciem attinet, Phasiani sunt à reliquis hominibus longè diuersi; sunt enim magnitudine ingenti, & hoc quia vtuntur aere maximè humectato &c.* Idem profectò Auicennas intelligebat tractatu 2. prioris partis Canticorum cum aiebat, *causæ magnitudinis membrorum sunt fortitudo, & potentia formatiua, & etiam nutriens.* Quippe formatricis fortitudo non nisi à calore vegeto, quo tamquam vnico vtitur instrumento; nutriens non nisi ab humoris vbertate manare solent.

His omnibus si addatur locus valde capax, in quo animal concipiatur, nihil ad corporum proceritatem deerit: in parua enim, & angusta matrice magnum corpus soboleſcere nequit; id quod silentio haud præterijt Philosophus decimo illo Problemat. problem. decimoquarto, vbi quærens, cur in animantium genere alia paruo, alia magno consistant corpore, hæc habet: *Causa duplex sanè reddi potest, aut enim locus, aut alimentum id facit; locus si angustus est, alimentum si exiguum, quod etiam partu ism edito nonnulli efficere conuntur, vt qui catellos in cauculis occlusos educant, &c.* Vide plura apud ipsum.

Non ergo mirum si nostra ætate, & vbique Gentium non facilis Gigantum sit generatio; siquidem plurima simul requiruntur, vepote formatiuæ virtutis robur, siue dicas calor feminis amplissimus; alimentum dapsile; Cæli clementia; temporum æqualitas; humoris non solum in aere; sed in alimentis quoque vbertas; aut etiam fortes aeris mutationes, ignium nisus, calor & frigus excellens; quæ omnia cùm non facilè, imò ferè nunquam simul vniantur, difficilè, & fere nusquam Gigantes producuntur. Addamus insuper, omnia hæc temporum iniuria iam firmari, atque etiam depraui; ideoque iure plerique huiusce priuationis causam in mundi senectam reijciunt; quò nimirum Lucretij collimant carmina:

Iamque adeo effœta est ætas, effœtaque tellus
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Astipulatur Plinius citato libro 7. cap. 15. vbi hæc leguntur: *In plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri, propemodum obseruatur, rarosque patribus proceriores, consumente vbertatem feminum exustione, in cuius vices nunc vergat ævum.* Pro exustione aresccntiam, atque naturalem quandam tabem Plinium intelligere, ait Pitror; quibus adhuc alludunt, quæ 1. Georgicorum Virgilius concinebat de cerealibus seminibus loquens.

Vidi lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Gigantes ævo nostro viderunt Amatus Lusitanus, vt centur. 5. curat. 95. videre est: Martinus Delrio, vt in Troade Senecæ; Bahuinus lib. de Hermaphrod. & Platerus. Cæterum de Gigantibus, vt audio opusculum in præsentiarum concinnat eruditissimus Gabriel Naudeus, cuius calamus immortalitatem pollicetur.

Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

De sobole vitiosa.

PRAELOQVIVM.

NATVRA, quæ perpetuæ Generationi studet, & inhiat, præ varia causarum dispositione varios edit conceptus. Nam si diminutè agat, pusilla producit corpora, pomiliones, nanos, pygmæos. Si luxuriet, proceræ staturæ homines, validè virtutis artus effornat: Gigantes, Heroes gignit. At si perperam agat, informes fœtus, & monstra exantlat. De informi, & monstruoso conceptu hic agendum superest.

CAPVT I.

De mola; quomodo generetur, à quanam causa efficiente, ubi nova proponitur opinio; ac tandem de signis, & curatione.

MOLAS, idest carnes illas informes, duras, atque osciosas in utero muliebri aliquando concipi, ephemerina docet experientia, qua videre est, mulieres etiam prolificas non rarò falsos hosce gestare conceptus. In harum generationis causa auctores è diametrò pugnant: Arabes enim nonnulli, quorum Princeps agit Auicennas 10. de Animal. & ante eum Plutarchus absque vllo virilis seminis concursu produci existimarunt, solo videlicet muliebri sanguine, & genitura concurrentibus. Cuinsquoque sententiæ fuisse videtur Plinius, qui natural. histor. lib 10. cap. 6. illa tradit: *Molas gigni putant, ubi mulier non ex mare, verum ex semetipsa tantum conceperit, ideo nec animari, quia non sit ex duobus, altricemque habere per se vitam illam, quæ satis, arboribusque contingat.* Astipulatur Gordonius 7. suæ Praxis, Savonarola cap. de mola, & etiam Fernel. primo de procreat. hominis. Græci verò, Hippocrate Magistro, arbitrati sunt nulla ratione posse, molas in utero concipi, nisi virili genitura tamquam vnica efficiente causa præcedente; quare libro de sterilibus

A

apud Coum Senem ita registratum habemus: *De mola conceptu hæc est vera ratio; tum sanguis copiosissimus semen paucum, & morbosum acceperit, legitimus conceptus non fit, & venter intumescit, quasi utero gereret*; eandemque sententiam ferè ijsdem verbis repetit primo de morbis mulierum: quod confirmat Actuarius ijs penè verbis: *Mola est tumor carneus; qui principium & quod habet compactum sumit a semine prolifico.* Nempè Hippocratis, aliorumque Græcorum opinio veritati magis finitimæ est, saltem apud nuptas mulieres, quæ frequenti virorum fruuntur diuino, atque eorundem genitura diluuntur. Atqui tamen veramque sententiam vulgariter acceptam a scopo declinare, asseuero. Quippe errant Arabes, si nullo modo ad molæ conceptionem viri seminis virtutem prærequiri, contendant. Declinantur & Græci, si proximum, ac præsentem ejusdem seminis affusionem necessariò exigi, arbitrentur.

B

Verùm antequam assertionem meam in medium asseram, illud tamquam verum supponendum primò erit, quod & nos supra libro 4. Tractatu 1. capite 4. edocuimus, vterum vim quandam obtinere suscitandi semina, eorumque dynamin ad actum reducendi. Secundò nosse par est, eundem vterum a seminis virilis irroratione fœcundari, hoc est spiritalem quandam energiam, virtutemque plasticam nanciscì licet incompletam, & hanc diu seruare, etiam si multo tempore a viri consortio abstineat; eo modo quo alibi ex Hieronymo ab Aquapendente astruximus, gallinarum scilicet vteros ab vno galli coitu per annum ova edere fœcunda, etiam si toto hoc spatio gallo non subiaceant, ob vim nimirum fœtificam, seu spiritus plasticos, qui in vtero recepti tamquam in sede analoga diu asseruantur; Neque id absurdum, aut impossibile alicui videri debet; quandoquidem spiritus ijdem vel nouem mensium spatio, quandiu membrorum absoluitur formatio, perdurant in pluribus corporis partibus; immo etiam ex mulierum probabilissima sententia perpetuò vsque ad senium, & interitum persistunt; quando formato editoq; fœtu nequaquam corrumpitur, sed vti alię virtutes assistit, ut si sit opus, aliquid in corpore regeneret; quemadmodum regenerari dentes: nec rarò reproduci venas, & arterias Galenus, & experimentum suadent.

C

D

Hisce

Hisce ita constitutis, censeo, non posse ulla ratione molam in utero virginis concipi; quandoquidem deest efficiens causa, quę est virilis seminis, cujus adhuc illa nuit expers, entelechia; neque est cur dicat aliquis, rudem illam, & informem carnem posse a proprio mulieris coagulari semine; quoniam, ut alibi probauimus 5. scilicet operis huius libro Tract. 1. cap. 8. muliebre semen nihil per se architectare potest, nisi adueniat virile, ad quod spectat motionis principium; alioquin quotidie uidere esset in viraginibus polyemis præsertim, & cataphoris, aliisque anaphroditis mulieribus, rudes aliquos, & infirmos conceptus; quos tamen haudquaquam cernimus. Quod si aliquando ab honestis virginibus quid molæ simile emissum fuisse, constet; id nihilominus ad lumbricos potius, quàm ad veram molam referendum putat doctissimus Mercatus 3. de sterilium, & prægnantium affect.

Posse tamen in viduis, aliisque mulieribus, quæ olim viro sint usę, absque recente contactu, & maris illecebris eadem conceptionis rudimenta congenerari, vtique pro compertò habeo; adhuc enim in illarum vteris virilis genituræ asseruantur spiritus, & facultas quædam plastica, imbecillis tamen; quoniam in suo vigore extra propriam sedem permanere non potest: semper enim irradiatio irradiante debilior existit; quamobrem sanguine deinceps ad vterum dapsilè affluente spiritus illi aliquid moliuntur, & coagulationem quam piam compingunt leui motione excitata; nequeunt tamen membrorum stamina producere, quoniam adhęc seminis ipsa materia exigitur; & si quid membranaceum, atque pellicеum interdum in huiusmodi molis conspiceretur; id e semine muliebri coaluisse, putandum esset. In ijs vero quæ Venerem exercent etiam ab ipsius virilis seminis corpulentia exoriri posset.

Cæterum in prægnantibus, in quibus aliquando mola concipitur, non dum absoluto, & emisso naturali fœtu, a qua vi dicendum erit illam produci? Profectò non a virili genitura, quæ iterum fuerit nouo coitu affusa, quoniam facta conceptione os vteri conniuet; nec inaphrodisijs genituræ aditum vllatenus concedit: neque a vi, & facultate seminis illius, quod conceptum primò fuit; siquidem hoc in proprio subiecto sistens circa sui fœtus delineationem, & efformationem occupatur; neque distrahi potest, vt binis oprationibus simul deseruire valeat; ergo existimandum coalescere aliquam spiritali illa energia, qua imbuitur a commixtione mulierum vterus, qui illam & retinet, & custodit diu.

In coniugatis præterea mulieribus, quarum vteri iugi virilis seminis irrorantur affluuio, a languida eiusdem entelechia progigni, vt Hippocrates tradit, rationi consonum est, accedente sanguinis vbertate, quę coqui, regi, & formari non possit; quod etiam testatur 4. de Generat. animal. Arist. cap. 7. vbi habet hęc: *Cùm igitur ex humore concoctu difficili conceptus consistit, tunc gignitur, quod mola vocatur.* Cùm itaque tanta sanguinis accurrit plenitudo, vis seminis obruitur; quare nullam efficere valet partium discriminationem, multoque minus illas animare. Vt ideo mirari subeat eruditissimum Donatum Marcellum, qui duplicem facit molæ differentiam, vnam scilicet quę sensu, & motu non caret, & hanc absque viri semine produci nequaquam posse, affirmat; aliam verò citra sensum, ac motum, & hanc absque viri consortio solo mulieris semine coagulari, quod cuiusdam honestissimè matronę exemplo probare contendit libro 4. de medica historia mirabili cap. 25. Profectò informes has carnes vegetatiua anima informari cum Plinio loco supra citato, haud omnino diffiteor; Sensitiuæ verò consortes fieri, palam detrecto; Cùm enim huiusmodi anima præcipuè organa requirat, & partium distinctionem, molam quæ rudis est, & indistincta informare minimè valebit.

Iam ad signa diagnostica non minus, quàm prognostica molæ perfunctorię descendamus; necnon etiam ad curationem: qua in re Hippocratem vobis loquentem reddam, ne tempus inutiliter teram, sic ergo primo de morbis mulierum legere est; *Neque conceptus rectus sit, & venter plenus est velut prægnantis. Nihil autem in ventre mouetur, neque lac in mammis generatur. Mammæ autem turgidæ fiunt. Hæc igitur ad duos annos, sæpè etiam tres sic habet; & siquidem vna caro fiat, mulier perit; neque enim fieri potest, vt superfles maneat; Si verò plures, erumpit ipsi per pudendum sanguis carnosus plurimus: & si hoc moderatè fiat; seruatur: Sin minus, a fluxu correpta perit; & morbus quidem talis est, &c.* Quod curationem hæc subiungit: *Et primùm quidem totum corpus foueto: deinde per sedem clysterem adhibeto, quo sanguis multus erumpat; & rursus: sed, & vteros colluito, quò sanguinem educas: sin minus subditicijs vtatur fortissimis e bupresti. Et dictamnum Cretiensem in vino bibat; sin minus castoris testem; & retro cucurcubitam ipsi ad laterum mollitudinem affigito, & plurimum sanguinem detrahito.* Pete lector Gingeia, si plura de mola cupis. Hęc non vulgaria Geneanthropologo satis.

CA-

CAPVT II.

De monstrorum generatione, eorumque causis, ac differentijs.

NON id mihi consilij est, vt ex professo hic, & pleno calamo de monstris referam, eorumque singulas expendam differentias, ac varios errores, quibus interdum suis in partubus natura ludens παίγνια facit. Labori iamdiu detraxit ornatissimus Licetus, qui dedita opera de Monstris opus, vt solet omnia dapsilè, compilauit, ad quem auidum lectorem delegatum velim, aut etiam ad Martin. Vuinrinch. in suo de ortu monstrorum, nec non ad Ludouicum Mercatum 3. de steril. & prægnant. affect. ca. 6. Sat nobis erit, quantum ad Geneanthropeiam attinet, monstrorum generationem ex Aristotele breuibus edocere; is ergo 4. de Generat. animal. cap. 3. hæc habet: *Cum ita seminis genitalis, & natura in efformando fœtu motus soluuntur, & inordinantur, & eousque procedendo a semetipso degenerant, vt demum ne homo quidem, sed animal tantum aliquod existat, huiusmodi quæ gignuntur, monstra appellari meritò solent; neque enim quod genitum est generati vspiam simile euadit, sed extraneum maximè, & aliunum, & quæ superest materia a seminè, & vi formatiua non superatur, homo quidem ex homine eo non nascetur, sed tantum animal, quod vniuersale seruetur in Generatione, pereat autem quod singulare, & individuum est.*

Profectò Philosophus ita licet paucis complexus est examussim monstrorum causas, vt si quis ea exacto ingenij lance expenderit, nil amplius desiderari inueniat. Pro maiori tamen elucidatione nonnulla enucleabo laconicè. Et quidem egregiè Aristoteles in id monstrorum generationem reiecit, quod scilicet seminis genitalis, & naturæ soluatur motus; ex quorum sanè solutione contingit, vt generantis pereat similitudo, qua recedente monstrum dicitur; adeò vt, quemadmodum alibi obiter annuebam, monstrum etiam quoquomodò dici valeat, quicunque suis parentibus in omnibus etiam lineis non assimilatur: quippe cùm nequit natura, quod intendit perficere, quod potest efficit; ideoque 2. physic. definiebatur monstrum: peccatum naturæ propter finem aliquem agentis, quo frustratur aliquo principio corrupto.

Cæterum cùm duplex natura sit ex receptissimo theoremate, forma videlicet, & materia, & vtraque motus principium obtineat, eo tamen discrimine, quod forma est magis natura; fit inde, quod si formæ ipsius inordinantur, aut soluuntur motus, monstrum exoritur, in quo licet seruetur materia, non seruabitur generantis species; vt si ex hominis semine mola exempli gratia, aut simile quid rude, & informe producatur. Si autem materiæ motus non maneat incolumis, sospite omnino motu formę; tunc gignetur quidem secundum speciem proles, sed membra aut erunt imminuta, aut adaucta, aut in distincta, aut praua colore imbuta, siue alio quoquo modo offensa, & a parentum materia aliena. At vnde motus huiusmodi materię soluatur, discе à Mercato paulò supra nuncupato loco. Verùm enimuerò si soluantur, atque inordinentur formæ simul, & materiæ motus, Genitorum neque formæ, neque materiæ similitudo seruantur, atqui toto genere præter naturam educetur monstrum; cuius modi fuerit, qui in Thessalia Claudio Cæsare auctore a muliere editus fuit Hippocentaurus; aut qualis serpens, quem in Italia ancillam quandam perisse liquet: vnde illud Lucani.

Matremque suus conterruit infans.

Et quales omnino tot fuere belluino aspectu fœtus, de quibus Iacobus Rueff. historias plurimas cum suis iconibus dedit, quas marte suo apud ipsum videre vnusquisque poterit. Vnde autem feminis, hoc est formatricis genuinus motus dissoluatur, non planè apud auctores constat: referunt plerique ad astra; ad imaginationem non paucis ad diuinam vltionem Theologi.

Monstrorum quinque differentias constituit Mercatus, cui astipulari lubet, atque adeo ipsius recudere auctoris verba; Sic ergo ibidem. *Ex ijs, quæ diximus constat, quinque reperiri monstrorū genera: primum, quod videtur quodammodo secundum naturam existere, comprehendens omnes' nationes, quæ defectu aliquo insigniuntur. Ferunt etenim, quosdam vnico in media fronte oculo insignes esse: alios in humeris oculos habere, quippe quibus cernere minimè sit: item alios in montis Armiai conualle siluestres pone crura plantis auersis; alios quoq; sine ore, corpore vniuerso hirsutos, halitu & spiramentis naso tractis viuere. Sic Sciapodes reperiuntur, hoc est, qui si vmbra pedibus facta tegunt. Alios geminas in singulis oculis pupillas habentes, visu, quo irati intuentur, interimentes: alios que eiusdem naturæ complures, quos mostruosa à communi hominum generis figura esse formatos, dubitauit nullus. Secundum genus monstrorum ex his est, quorum corpora magnitudine, aut paruitate à natiua hominum commoderatione deficiunt, vt pumiliones, vel gigantes. Tertiū verò ea continet corpora, quibus aliquod membrum deest, vel superabundat, quod sanè complectitur hermaphroditos, vel ea corpora, quæ plures digitos manuum, vel pedum, aut plura brachia, vel crura, aut capita habent, vel ex necessarijs defecta existunt. Quartum quidem ea monstra complectitur, quæ partim humano corpore fruuntur, aliqua tamen particula, aut pluribus bruti alicuius speciem refert. Quintum autem, & vltimum eorum est corporum, quæ bruti alicuius animalis ex toto, vel plurium mixtim speciem, ac figuram repræsentant, quorum omnium causas iam audies.* Et hæc de monstris pro instituto satis.

SYL-

Digitized by Google

SYLLABVS TRACTATVVM, ET CAPITVM

quæ in præcedente Octauo Libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS.

De vsu Veneris humanæ Generationis perfectioni commodo.

Cap. I. *Generantem à cunctis animi passionibus in primis, mentisque phantasmatibus exemptum esse debere.*

Cap. II. *Aphrodisiasmon auersum bellua-rum more ex aliquorum opinione fœcundiorem esse.*

Cap. III. *De Venere pendula, alijsque Veneris inconcinnis, infœcundisque figuris.*

Cap. IV. *Vt citius fiat conceptio, vno, eodemque tempore fundi oportere viri, mulierisque genituras.*

Cap. V. *Optimæ conceptioni minus expedire, iugi consuetudine thori coniuges vti.*

Cap. VI. *Qua ratione in humanæ Generationis liturgia mas potius, quàm fœmina haberi possit.*

TRACTATVS SECVNDVS.

De prolis humanæ numerosa, ac multiformi Generatione.

Cap. I. *Qua ratione producantur Gemelli.*

Cap. II. *An plures, quàm Geminos in hominum Generatione edere vnico partu natura possit.*

Cap. III. *An, & qua ratione fiat superfœtatio:*

Cap. IV. *An sint Pygmæi, & qua ratione eorum contingat Generatio.*

Cap. V. *An Gigantes aliquando fuerint: num ætate nostra reperiantur alicubi: & quomodo eorum generatio fiat.*

TRACTATVS TERTIVS.

De sobole vitiosa.

Cap. I. *De mola; quomodo generetur, & quanam causa efficiente, vbi noua proponitur opinio; ac tandem de signis, & curatione.*

Cap. II. *De monstris, eorumque causis.*

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

idest

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER NONVS.

De Salubri, & insalubri Venere.

Ad Perillustres, & Excellentissimos DD.

D.D. ROMANI COLLEGII

Archiatros, & Collegas Ornatissimos.

TANDEM agerem, Archiatri præstantissimi, si meas hasce studiorum primitias absque vestro nomine, aut potius omine in lucis theatrum prodire paterer. Nam præterquamquod benignitati vestræ plurimùm debeo, quòd in Senatum istum præalijs me cooptare voluistis; illud nimirum est vestræ dignitatis, ac præminentiæ decus, vt plurimum inde splendoris, auctoritatisque meo huic operi auctum iri confidem. Nempe si vos estis, Collegæ Optimi, Vrbis, immo etiam totius Romani Orbis Iatrophysicorum Principes, & Moderatores; quicquid insanè blaterent infimæ classis logiatri quidam, vilisque plebiculæ cerdones; quicquid rudiant Bœotici quidam Asini, atque etiam ineptè præsumpserint prisco sæculo nonnulli fortuna potius, quàm doctrina in Vrbe conspicui: Si vos insuper estis, qui Æsculapidum Polyarchiam Summorum Pontificum nutu, amplissimo iure nuper confirmante VRBANO VIII. Pontificum Maximo, & Sapientissimo, multis ab hinc sæ-

sæculis moderamini; qui poteram absque crimine honorificentiæ vestræ non meminisse, mihique simul non gaudere, quòd eadem sorte fruar, vestræque gloriæ consors hoc solo nomine cæteris præcellam, & famam vel apud exteros demerear? Profectò vestrorum honorum iubar tam latè coruscat, vt omni tempore viri celeberrimi ambitiosè subsellia vestra postularint; & si breuis epistolæ ratio pateretur, recenserem libenter, quotquot Archiatri per totum Orbem multiplici titulo insignes nostro Ordini ascribi enixè studuerunt. Vtinam e viuis tam immaturè non cessisset doctissimus, atque eruditissimus D. Balthassar Bonannus, nostri Collegij semper fœlicis memoriæ alumnus; is enim classicorum omnium Medicorum vsque ad præsens sæculum retexebat historiam, atque adeo in eius opulentissima Chronologia viri quamplurimi recudebantur, qui Romano Collegio ascripti Medicorum Rempublicam & rebus optimè gestis, & librorum docta supellectili locupletarunt; sed, vt spero, opus id laborioſum absoluet D. Franciscus Santuccius nepos, & bonarum eiusdem qualitatum ex asse hæres, meusque olim ingeniosus Auditor. Interim ad calcem huius epistolæ alto silentio præterire non possum, quod e gremio vestro fluxerunt semper Medici Principum, & Summorum etiam Pontificum Archiatri: celebriores huius almi Gymnasij Professores; nec non scriptores omni tempore in omni scientia eximij. Meum hoc exile deuotionis argumentum, & beneuoli animi pignus æqui bonique facite. Valete.

Digitized by Google

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER NONVS.

De salubri, & insalubri Venere.

PROEMIVM.

NVLLVM *à naturalibus operibus nociuum est*, aiebat Auerroes, igitur & Venus, naturalissima operatio, si modum non excedat, multarum vtilitatum consors erit; sicuti per accidens eiusdem vsus lege non seruata omnium malorum fiet origo, vt ideò iure maximo in Delphico Templo legeretur μηδὲν ἄγαν, hoc est *nequid nimis*; quod præceptum si in omnibus actionibus seruari par est, in aphrodisijs inuiolabiliter seruandum putarim; siquidem teste Tullio de Oratore, *Suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quàm parum*. Et quoniam bonum prius est malo, sicuti habitus prior priuatione, ideò, seruato naturæ ordine, agemus prius de vtilitatibus, & commodis, quæ Veneris ab vsu moderato proueniunt, mox de plurimis detrimentis, quæ ab eodem intemperato manant.

TRACTATVS PRIMVS.

De multigenis vtilitatibus, quas Venus adiunctas habet.

PRAELOQVIVM.

CAVE putes, lector, non posse generationis obiri munus absque generantis offensa; nam insimulari meritò natura posset, si filiorum procreationem calege statuisset, vt necessariò Parentes in ea læderentur; etenim sicut huic nobili, ac penè diuino operi voluptem inseruit, ita & vtilitatem, eamque non mediocrem annexisse existimandum est; eò magis quòd sagax natura corruptionem detrectat, omniaque in salutem, & vitam dirigit; immò earum corruptione, & interitu maximè tristatur, ac dolet. Quamobrem religiosè Philosophi illius erit excipienda sententia, qui tum Venerem censuit exercendam, cùm quis se ipso deterior fieri optabat; nam de intempestiuo, atque immoderato aphrodisio tantum id fas est intelligere. Inuestigemus ergò salubritates, quas ab ipso generationis ministerio quisque reportare valeat; dummodo tamen per sanctum coniugium liceat, & absque peccati crimine operam huic studio vacare sit fas. Alioquin hisce vtilitatibus renuncietur; vita, ne dum valetudo ruat, pereatque; quam sanè peccati precio redimere, insanum consilium est. Breuissimo corporeæ vitæ momento perpetuam animæ venundare lætitiam, parricidium est. Indignæ merces, quæ citra culpam non comparantur. Verinus ille exemplo fiat cunctis, de quo sic Iacobus Bidermanus, e Societate Iesu modulatur egregiè 2. Epigram.

Verinus, puer innocens, Iberæ
Nuper gloria nobilis iuuentæ,
Cùm lætho proprior videret omnes
Desperare Machaonum cateruas:
Et spe Peonij labante succi,
Ad metam nihil vltimam relinqui:

Aut certè superesse tam malignis
Vnam à Cypride febribus medelam;
Vnam si Podaliriis pudica
Victuram negat indoles boram.
Abscedant Veneres, cupidinumque
Infames, ait, exulent cohortes:
Non est viuere, nec valere, tales
Mortem euadere posse per cnidias.
Vin', ne qua moriar, Venus, mederi?
Malo, ne medearis, emoriri.

CAPVT I.

An, & qua ratione morbis è pituita oriundis profit Venus.

EXTAT celebre Hippocratis dictatum 6. Epidemiorum. *Morbis è pituita confert Venus*; quod licet veritatem habeat aliquam-diu; sana tamen mente intelligendum est; siquidem non omnibus absolutè pituitosis affectionibus proficit clinopalis: quin plurimis est vndique infensa, vti apoplexiæ, paralysi, stupori, veterno, arthritidi, & similibus; quamobrem Hippocrates ipse libro de internis affectionibus in quarto illo renum morbo, a pituita oriundo monet, ne æger vllo modo Veneri indulgeat; quod etiam in quarto lienis morbo, qui ex pituita pariter originatur, præcipit, vt eadem adhibeatur curatio, quæ in aliis prioribus morbis: At in ijs ludo Venereo ægrotos interdixerat. Hinc quoque Marsilius Cagnatus 1. Variarum obseruationum existimauit, Hippocratem, pro morbis e pituita pueriles morbos intelligere, qui cùm sint humidiores, pubertatis tempore Veneris vsura exolui solent; alioquin Hippocratis sententiam non valde rationi consonam, arbitratur. At affectibus verò quibusdam ijsque leuioribus opitulari poterit, vt coryzæ, tussiculæ, & paruo rheumati, nec non capitis leuiori cuidam dolori, dummodo is à ficcitate non oriatur. Idque duplici ratione contingere, euacuando scilicet, ac deriuando fluentè succum; euacuando quidem, quoniam vel testimonio Aristotelis sect. 4. Problem. vnà cum semine multa frigida excrementa, ac magna pituitæ portio excernuntur. Verba Philosophi sunt: *Cur Venus immodica morbis pituita non nullis commoda est? An quoniam excrementi quidam exitus est, ita vt multum vacantis materia cum semine detrahi possit? pituitam autem excrementum esse, nihil dubium est.* Sic ergo Veneris beneficio phlegmaticus ille humor, qui in capite stabulatur, ibique doloris quempiam afferebat sensum, euacuari facili negotio potest. Quod sanè euentus comptobat, quod sæpè videre est, & viros, & mulieres, qui diu clinopali abstinuerunt, capitisque aliquo dolore infestantur, habito congressu liberari. Atqui hic animaduertat lector, Hippocratem non asserere, naturis pituitosis Aphroditim auxiliari; verùm morbis e pituita, qui in calidioribus etiam naturis excitari solent; vt enim Galenus non vno in loco profitetur, corpora calida, & humida in primis distillationibus à capite obnoxia sunt; quare, vt naturis pituosis infensa est Venus; ita morbis e pituita in calidis complexionibus aptè propitiatur. Hæc si intellexisset philautos quidam, amicus tamen, haud quaquam in huius textus intelligentia tantopere anhelasset.

Deriuando etiam fluxionem prodest Venus; quandoquidem ex Hippocrate libro de Genitura, cùm plurima genituræ pars à capite iuxta aures in spinalem medullam procedat, fit, vt ea pituita, quæ labens in partes anticas rheumara, coryzas, tussiculas, aliasq. id genus distillationes producebat, per spinalem medullam vnà cum semine resundatur: sic apud Hippocratem, quinto Epidemiorum legimus: *Timochari hyeme distillatio maxima in nares; cùm Venere vsus esset, resiccata sunt omnia.* Quæ sententia, licet à Marsilio Cagnato primo libro Variarum obseruationum capite primo ità legatur, vt secundum orationis membrum coniungatur cum primo, posito deinde interpuncto: ita vt sensus sit: Timochari hyeme factam esse distillationem, quia Venere vsus esset; nihilominùs alio modo communiori probabilior est; ità vt cum Vallesio talis traductio probetur: *Timochari hyeme catarrhus maximè in nares. Vtenti Venere siccata sunt omnia.* Adde insuper, quòd materia ipsa pituitosa Venereo motu excalefit, atque adeo attenuatur, necnon dissipatur; ideo iure Auicennas in Canticis aiebat: *Coitus duplici de causa calefacit propter motum, & frigidi excretionem.* Quod sanè moderato vsu intellectum velim; alioquin enim fieret in capite pituitosi humoris maior liquatio, qui deinde præceps in subiectas corporis partes deterioris affectus fieret origo; certum est enim caput à nimio coitu imbecillius reddi; debilitatum autem succi pituosi defluxum nequit compescere. Quare miror inverbis Aristotelis, qui ait citato loco Problematum: *Venus immodica morbis e pituita nonnullis commoda est:* Siquidem illa particula, *immodica*, difficultatem, eamque maximam continet; quandoquidem omne immodicum naturæ inimicum; & Hippocrates, cunctique Medici scugalem Venerem duntaxat commendant; cuius excessus præ cunctis alijs inutilis, & maleficus extat. Sed putant, errorem fuisse Theodori Gazæ, qui verbum λαγνία inter-

terpretatus est Veneris immoderatum vsum, cùm tamen vox illa luxuriam simpliciter, & scortationem significet, possitque tam pro moderata, quàm pro immoderata Venere vsurpari.

Porrò si in Veneris vsu non nisi frigida, humidaque excrementa deturbarentur, ex immodico vsu illius magis profectò imminuerentur pituitosæ ægritudines; siquidem causæ morbificæ semper magis detraherentur; verùm cùm & spiritus, & melioris partes substantiæ insimul deperdantur, immodica Venus nequaquam iuuare potest. Iccircò Galenus Epidemiorum 6. super huiusmodi textum. Non omnibus inquit ex pituita laborantibus auxilio Venerem esse, sed ijs tantummodo, qui robusta sunt virtute: quocirca vel Aristoteles aberrauit, quod non ausim asserere, vel paraphrastis fuit error in translatione, vel particula illa fuit addita, quod mihi libentius persuadeo, cùm deberet dicere modicam ablata syllaba, in, transtulerunt immodicam. Cæterùm Vallesius in Timocharis historia hæc habet, dignissima vt regiſtrentur. *Atqui profectò ipsa per se curatio pituitosarum passionum per Venerem haud est tuta, vt proprio loco indicabimus; Nam debilitat facultatem, & exhaurit spiritus, vnde ex accidenti crudis succis replere, & deliquia animi accersere magis solet. Laborat etiam per Venerem & cerebrum, & totum neruorum genus, vnde enerua tiones, & paralyses, & vertigines, & cephalæ, & capitis grauitates fieri solent. Commouentur, exagitanturque succi in toto corpore, vnde lassitudines, & varia multas in partes fluxiones, & obstructiones. Calescunt labore omnia, vnde putrescentia, & febres fiunt, Hæc plus, aut minus, vt cuique est apparatus*, & quæ sequuntur.

CAPVT II.

An Venus Epilepticis faueat.

ARETHÆVS vir doctrina præclarus manifestis verbis edisserit, Venerem Epilepsiam prouocare; at verò Scribonius Largus, & cum eo Medicorum plurimi, statuit ab Epileptico morbo curari mulieres, quo tempore hymenæum abrumpunt, ac virginitatis florę exuuntur; viros etiam quo tempore Venerem exercerę incipiunt; quinimò ipsemet Arethæus refert, clinicos quosdam, inter quos vnus fuit magnus Asclepiades, videntes curari hunc morbum, quo tempore homines Aphrodision celebrare incipiunt, commendasse hunc vsum in Epilepticis. Quid ergo statuendum erit? Profectò quæstioni haud simpliciter, & absque diuisionibus respondendum; nam ex vna parte Arethæi sententia veritatis limina tangit, quandoquidem coitus Epileptico morbo compar est, vt ideo à Democrito Venus parua diceretur epilepsia, quod multa epilepticorum symptomata in concubentibus reluceant, Hinc Faustus de coitu

Turpis, & est morbi species horrenda caduci.

Quo pacto igitur illud, quod est alteri finitimum, poterit illud expugnare, quando actio quælibet, & passio fit à contrario? Adde, quod cùm sit Epilepsia morbus frigidus, vt plurimum Galenus 4. de tuenda sanitate cap. 4. ait Venerem aduersari ijs, qui supra siccitatem frigidi quoque sunt. Rursus cùm Venus caput, & cerebrum imbecillum apprimè præstet, admodumq. refrigeret ob spirituum deperditionem, viam potius epilepsiæ parabit, quàm præpediat. Præterea Aetius inter Græcos eximius Auctor, qui vnà cum verborum breuitate, mirabiliter doctrinæ facilitatem, ac perspicacitatem possidet, sermone 9. cap. 18. sic habet. *Vidi autem & alios in ore Ventris comitialis morbi modo conuulsos, quum vehementi eruditate laborassent, aut vino multo meraciori se ingurgitassent, aut intempestiuiis re Venerea fuissent vsi*, Ipse quoque nuper accersitus adiui puellam recenter desponiatam, & coniugi ab vno mense cohabitantem, quæ huiusmodi in ore ventris conuulsione, & quidem grauissima laborabat ex concubitu intempestiuo, ac frequentiori, eò magis quod vir eius robore, & salacitate præpollebat; inde memor verborum Aetij symptomatum percepi causam, Quare hinc luce clarius patere videtur, morbum comitialem vel per se, vel per accidens à Venere inferri potius.

Ex altera verò parte cùm quàmplures curati sint ab Herculeo morbo, cùm primum geniales actus exercere cœperunt, nequaquam absolute detrectari posse videtur; quin conferat aliquatenus. Itaque pro solutione adhibenda est diuisio desumpta a tempore, & ab ætate. Nam Venus nequaquam eos liberat ab incursu sacri, & Herculei morbi, qui post decimum quintum annum tali morbo tacti fuerint, multoque minus adultos iuuenes, virosque, & minimè omnium ætate declinantes, aut senium attingentes; quin potius hi omnes a cœlibe vita vtilitatem quammaximam reportabunt: legimus enim apud Heurnium, multos epilepticos euirari solere, & salutem recipere. Posse tamen pueros validos, qui decimum quartum annum iam excesserint, quique sanguineo temperamento maxi-

mè imbuti fuerint, Veneris beneficio a comitiali morbo sin minus liberari, saltem diutius seriari, ac mitius torqueri, nemo ibit inficias. Siquidem cùm Pueri semen effundere incipiunt, maximas in vniuerso corpore mutationes experiuntur, pubescunt, hirquiunt, barbescunt, rusticitatem spoliant, & alios omnino mores inducere videntur; qui cùm corporis temperaturam vt plurimum sequatur, cùmque tunc cæporis ipsa temperies immutetur, consequenter & omnia, quæ temperamento conueniunt, immutari necesse est, vt passim ex Aristotele libris de historia, & generatione Animalium perspicuum sit. Cur igitur non valeant a morbo etiam sontico quoquo modo reuocari, quandoquidem vna cum semine maximam excernent humidorum excrementorum colluuiem? quin etiam ausim affirmare, eo tempore, & ætatis supernacuas duntaxat, aut saltem in maiori copia humiditates emittere, quod patet luculenter ex eo, quia nihil constans est, & grandinosum, quod iaciunt semen, sed aquosum valde & colore, & substantia; cùm autem potissimum a capite secernantur huiusmodi excrementa, vt ex Hippocrate citato toties libro de Genitura retulimus, mirum ideo non erit, si quo tempore id genus humidi excrementitij per Veneris illecebras excernere incipiunt, ab epilepsia liberentur, quæ illorum excrementorum soboles est.

Neque putandum est debilirari, aut refrigerari hinc cerebrum, quoniam paucissimi spiritus in puberibus disperduntur, quod ex ipso Aristotele certum est, qui libris de historia, & generatione Animalium illud semen calorificum, & spirituosum esse contendit, quod crassum, albumque penitus est. At in Pueris, ephebisque, vt diceb amus, nec densum, nec album semen est, verum aquosum vndique, & circumfluum. Præterquamquod nec in adolescentulis ipsis commendatur clinopalis, quæ excessum habeat, itaut illam iugiter debeant, intempestiuè, & absque moderamine exercere, sed opportunè, ac mediocriter iuxta præceptum Galeni 4. de sanitate tuenda: *Tunc Venereorum vsus confert, quando tantum inter-ualli adhibetur, vt resolutio sentiatur aliqua.* Adde ad hæc, quod multò magis locum habet in Pueris, qui calido, & humido temperamento præditi sunt. Quocirca nec possum acquiescere sententiæ celeberrimi Heurnij 2. Aphorismorum 45. qui finem epilepsiæ in puberibus in exhaustam, solum modo pituitam, confirmatosque neruos reijcit, non autem in Veneris vsum; nec doctissimi Alsarij a Cruce præceptoris mei, pace dicam tantorum Virorum, qui libro de Epilepsia tectione 42. in fine scribit, quod si qui Pueri liberantur, non tam ob Venerem, quàm ob ætatis mutationem liberantur. Si quidem diuinus Hippocrates, Aphorismo 45. secundi libri præter ætatem complectitur etiam alia multa, ait enim ex Heurniana paraphrasi: *Finem epilepsiæ iuuenibus afferunt, ætatis, loci, & victus mutatio.* Sub illa namque, voce, *victus*, multa comprehenduntur; græcus enim textus habet τῶν βίων, quæ vox latinè sonat vitam, sub qua complectuntur & motus, & quies, & exercitatio, & alimentum, & potus, & Venus etiam; nam vita in hoc sensu est viuendi norma, quæ respicit res omnes non naturales à medicis dictas, adeo vt mutatio vitæ à cælibatu ad Venerem, potest epilepticis non parum prodesse; quò pertinere etiam illud eiusdem Hippocratis 3. Aphorismorum 28. certum est: *At verò puerilium affectionum finiuntur, aliæ quidem quadraginta diebus, aliæ septem mensibus, aliæ septem annis, nonnullæ cùm ad pubertatem ventum est.*

Cæterùm a quacunque causa oriatur epilepsia in præfata ætate soluitur beneficio Veneris vt plurimum; si enim a pituita ortum ducat, vtique superatur, quia morbis e pituita confert Venus; quod facilius contingit in pubertate, in qua ob nativi caloris eclampsin temperamentum, quod iam tum nimia humiditate erat circumfluum, ad siccitatis crasin redigitur, iuxta celebre illud Hippocratis 6. epidemiorum dictatu: Infantium ἐνικμοτάτη, idest effulgescentiæ simul cum pubertate quibusdam mutationes habent. Si verò sit morbus originarius ab humore melancholico, identidem expugnabitur a mixtione Venerea; quod patet vel ex Philosophorum Principe in problematibus, vbi quærit, *Cur melancholicis prosit Venus.* Præterea nonne genus epilepsiæ est, quæ omnino in mulieribus ab vtero, & corrupto semine oritur, tantò sænius, quantò seminalis humor putrefactus omnem excedit corruptionem? vtique isthæc epilepsia nonnisi per seminis effluxum curari contigerit. De illa, si placet, vide Ludouicum Mercatum libro 2. de morbis mulierum.

Atqui argues, cur ex eadem ratione senes epileptico morbo non liberentur, siquidem si pituitosis morbis Venus confert, illis etiam pituita redundantibus prodesse deberet. Respondeo, quod licet senes & ipsi pituitosis scateant succis, viribus tamen vti Adolescentes non constant, ideoque lædunturinde potius, quàm iuuentur: significauit id Galenus expressis verbis commento quinto sexti epidemiorum, textu vigesimo tertio, cuius præclara verba registrare minus grauabor, inquit enim: *Non omnibus ex pituita male affectis, sed in quibus vires valida sunt, Venereorum vsus conducit, quia si illæ sint languidæ, ad extremam imbecillitatem inde reducti maximopere ia-*

iaduntur. Porrò qui vires robustas habent, hi haud dissoluntur; sed potius illis Venus prodest, quippe quæ pituitæ copiam exicoet; nam diuersissimi, Venere comperinde vt vigiliam propterea quod humores plus digerit, corpus exsiccat. Præterea verò & corpus eorum calefacit, quorum vires sunt firmæ, infirmos autem statim quidè calefacit, postremò verò plurimum refrigerat.

Dices, Hippocrates epidemiorum 6. sectione quinta docuit, quod morbi connutriti in senecta & per coctionem, & per solutionem, & per rarefactionem definũt, cur igitur sacer quoque morbus solui non potest in eadem ætate, etiam si fuerit syntrophus, & à principio vitæ molestarit? Respondeo, Hippocratem in eo contextu haud quaquam de omnibus morbis intelligere; venim de calidis tantummodo, qui facile in ætate senili desinere possunt, quoniã tunc temporis languescente calore, corpus refrigeratur, vnde morbi calidi recedere possunt; etenim particula illa, coctio, non significat eo loci caliditatis effectum, sed reductionem ad moderationem temperiei. Vide Galenum 6. epidemiorum comm. 5. supra hunc ipsum textum; quomodo frigidi morbi nequaquam coqui dici valent, quod satis edixerat in Aphorismis magnus Hippocrates ijs verbis, *Rauedines, & grauedines in valde senibus non concoquuntur*. Quàm minus ergo epilepsia, quæ morbus est Herculeus, coquetur? & hinc patet responsio allatarum supra obiectionum.

Ad id autem, quod ex Actio afferebatur, respondendum, illum, vt verbis propijs apertè colligitur de Venere intempestiua, atque effrænata sermonem habere, qua ratione verissima est sententia Auicennæ, alioramque vnanimi firmata consensu. Nos autem loquimur de vsu Veneris tempestiuo, frugali, ac maturo, pro medicina, non pro voluptate adhibito, recta ratione, non extra finem directo, inuitò potius, quàm spontè celebrato, eo prorsus modo, quo cuncta medicinæ auxilia iniucundè recipiuntur. Vide Valesium 6. epidem. in expositione illius particulæ; *Increscentes morbos Veneris*, vbi post alia multa hæc addit in calce. *Iis verò, qui debilitatis alias notas non habeant, sed redundantia humorum, sintque flaccidi, & redundantes semine etsi epilepsia laborent, permittendum in adolescentia vti Venere moderata; debilibus verò & biliosis, neque valde redundantibus succis inbendum, vt omnino abstineant, &c.*

Denique in ea epilepsia, quæ à retento, corruptoque semine ortum ducit, tanti momenti Venus est, vt hac tantum modo curari valeat, sitque præter aphrodision quodcunque aliud inane auxilium. Insultus huiusmodi epileptici haud rarò obseruantur apud cœlibes præsertim viros, mulieresque castas. Meminit Ianuensis cuiusdam iuuenis, qui à præuaretenti seminis qualitate concidebat epilepticus Leonardus Iachinus in 9. Rhasis. Quin etiam Alsaharauius in sua praxi capite de epilepsia se virum nouisse, testatur, cui in epilepsiæ insultu, ac paroxismo mulierem occurrebat phantasma, à quo ad Venerem complecti ardè videbatur; adeo vt post varia libidinis impudica ludibria non prius ab ipso paroxismo absolueretur, quàm semen larga copia profudisset, vnde postmodum illæsus exurgebat. Quod igitur epilepsia à putrescente saltem oriunda semine solo curetur aphrodisiaco, inficiabitur nemo.

CAPVT III.

An vsus Veneris melancholicis, furiosisque animi passionibus medeatur.

PRÆ omnibus, quæ humanum corpus male afficiunt animi passiones, illa, me arbitro, vna est, ac vehementissima, quæ melancholia, mœror, ac tristitia nuncupatur; vt enim omnium sapientissimus in prouerbijs cap. 14. *Vita carnium sanitas cordis*. Modo vix vllum reperire est magis præsentaneum auxilium, quod animi deiectionem subleuet, tristitiamque coerceat, quàm Veneris temperatus vsus, cuius illecebris affatim animus dispoliat infensas tenebras, fugatque obscuras nubes: significauit hanc rei veritatem in primis magnus Hippocrates 1. de morbis mulierum, vbi testatur clinopalin, hilaritatem ipsi mulieri afferre, *& hæc exercitatio*, inquit, *alacritatem ipsi reducit*. Præterea summus Philosophus in problematibus ex professo quærit, cur melancholicis propiciatrix sit Venus; præterquamquod vsus rerum magister edocet, omnes, qui graui deprimuntur mœrore, si lyceum Veneris petant, continuò animum serenare. Hinc Actius sermone 3. cap. 8. ex Rufo alebat. *Quapropter & atra bilis, pertitis, subtristibusque, & hominum consortia fugientibus, velut magna quædam medela accomodatissima existit*, & Paulus Aeginas de arte medendi libro 1. cap. 35. inquit: *Quapropter atrabilario appolitissimum, si quicquam aliud est subsidium*. Venis nempe, de qua loquitur.

Cur vero hoc fiat, affert Aristoteles causam in Problematibus, vbi testatur eos, qui melancholia detinentur, scatere humidis excrementis, quod sanè veritati consonum est, quo consi-

filio, vel etiam ab Hippocrate libro de morbis, & alibi non rarò melancholia ἰδιώτης ideſt aqua nuncupatur, & ipſemet Philoſophus 4. Problematum ſcripſit, ſanguinem lienoſorum eſſe ſanguinem dilutum, & aquoſum. Iam, vt noſtis ex 6. de Popularibus morbis, humidis confert Venus. Inſuper addendum, quod ex conflictu aphrodiſio deriuantur à corde fuligineſi plures ſpiritus, diuerſtuntur à corde curæ mille tetricæ, deturbantura ſanguine ichores nigri, delinitur in hepate exurens bilis, & apertis meatibus, vndique in melancholicis occluſis, datur exitus, & licentia exhalationibus tetris, & obſcuris. Quid plura? non modo conducit mœrentibus Venus ob id, quod excrementitij, ac fuſci humoris colluuies demittitur, & caligineſi ſpiritus diſſipantur; verùm etiam ex eo, quod ſuaui mulierum conſortio homines hi pauciloqui, ſolitarij, ac myſanthropi excitantur, verba plurima reddunt, audiunt ſcommata, ac ridicula dicteria, iocos efficiunt, cœnis lætantur, ac maximè enadunt Philanthropi. Adhuc cùm iidem frigidi natura ſint, amplexibus ſouentur, ſpiritibus oris, dum oſcula libant, reuiniſcunt, pugna (rara tamen) & amoris lucta incaleſcunt, quæ omnia aduerſa ſunt meſtitiæ nubibus. Hinc prudentes medici inuenibus triſtitiæ obnoxijs vxorem iungi conſulunt.

Verùm foluenda eſt quædam contrarietas in dictis Auicennæ, nam libro 3. fen. 20 de iuuamentis coitus præpoſitam noſtram ſententiam confirmat, dum ait; *& ipſe quidem confert melancholiæ, & pluribus ægritudinibus choleræ nigræ, propterea quod dilatat, & propterea quod expellit fumum ſpermatis.* At prima 3. tractatu quarto capite de Melancholia damnat vſum Veneris in melancholicis; quanam igitur ratione pugnantes textus conciliandi erunt? Profectò dici poſſet, quod vltimo loco Auicennas de Venere immoderata, atque intempeſtiua loquatur; in primo verò de opportuna, ac temperata; ſed hæc ſatis vulgaris conciliatio cenſeri poſſet. Dicamus itaque, quòd cùm duplex ſit melancholia, altera naturalis, ab exuſtione altera, quæ dicitur atrabilaris; huic prodeſt, illi obeſt: de naturali loquitur Auicennas capite de melancholia; de atrabilari verò capite de coitus iuuamentis, & hanc ſolutionem hauriо in primis à verbis ipſius Auicennæ, qui primo textu ſcribit, quòd confert ægritudinibus choleræ nigræ, propterea quod expellit fumum ſpermatis, quę verba caloris exceſſum, & ſanguinis indicant exuſtionem. Secundò colligo ex Galeno 6. Epidemiorum comm. 5. textu 25. quo in loco cùm diceret Hippocrates, mixtionem coercere morbos increſcentes, Galenus explicat, Hippocratem nomine mixtionis coitum intelligere; inter morbos autem increſcentes ipſe Galenus melancholiam recenſet, & addit moderatum coitum melancholicos iuuare, qui fiunt propter vapores ex atris, & combuſtis humoribus. Naturales verò melancholicos, cùm ſint valde frigidi, ac torpidi, nequaquam iuuari arbitror, licet multum in libidinem excitentur ob flatuum copiam, quæ à debili calore in ijs progignitur; quæ poſtmodum virilia, neruoſque diſtendit; quin ſi coeant, accidet ijs quod Damagorę apud Hippocratem 6. Epidem. ſectione 3. contigit; ait enim ibi: *Quibuſdam vbi Venere vtuntur, venter inflatur velut Damagoræ*; & ratio illa eſt, quoniam cùm huiuſmodi homines flatulenti ſint, vt dicebamus, a motu Venereo flatus agitantur, vnde venter inflatur, & intumeſcit vti Arceſilao. Sic ergo intelligendus erit Auicennas.

Cęterùm quid melancholia vterina deterius, aç tetrius? quę tamen nullo poteſt efficacius, a lio ſublenari auxilio, quàm ſeminis miſſione. Profectò ex retento ſemine in Virginibus, ac viduis, eoque putrefacto in eam animi depreſſionem incidunt, in idque furoris, vt mulieres ſibi ipſis manum inferant, ac ſępe ſe ſe ex alto precipitent. Plutarchus in libris, quos inſcripſit ἀιτίαι φυσικαί narrat Virgines Mileſias omnes fere ſine vlla euidenti cauſa repente corripuiſſe obeundę mortis cupidinem, ac deinde plurimas vitam ſuſpendio amiſiſſe, & cùm id accideret quotidie crebrius, neque poſſent earum excæcatianimi à mortis deliberatione reuocari, viros Mileſios decreuiſſe, vt quotquot ſe ſuſpenderent, nudę in proparulo effererentur eodem laqueo, quo ſe necarant; quò factum fuiſſe, vt Virgines deterritæ mortis inhoneſtę pudore, voluntariam mortem non amplius oppetierint. At vnde cenſebitis ferum, immanemque hunc morbum emanaſſe, niſi ex corrupto ſemine, à quo tanquam à minera fuligines tetrę, obſcurę que exalationes eleuatæ cor in anxietatem, anguſtiam, ac preſſuram deducebant, mentemque, rationiſque, vſum mala opinione prętringebant? Audiatur Hippocrates rem hanc adamuſim delineans libello de Virginum morbis, vbi hęc exarauit: *Quum enim hæ partes repletæ fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres appellant; His autem ſic habentibus præ acuta quidem inflammatione inſanit: præ putredine verò clamat: præ caliginoſitate autem timet, ac formidat; præ compreſſione verò circa cor ſtrangulationes parat; præ ſanguinis autem malitia animus mœrens, & anxius malum attrahit: ſed & alium horribiliter compellat, & in putros proſilire, ac incidere iubet, & ſtrangulari, tamquam meliora ſint hæc, & omnem vitæ vtilitatem excedentia. Aliquando verò ſine ſpectris, ac phantaſmatis voluptas quædam adeſt, ex qua mortem velut bonum aliquod amat, &c.* Quid hoc funeſtum magis, ac calamitoſum?

Sed

Sed huiusce miserandæ ægritudinis curationem discite ab eodem Hippocrate, qui statim subiungit: *Cæterùm curatio, vt hinc liberentur, est sanguinis detractio, si nihil fuerit, quod impediat: Ego verò iubeo, virgines, cùm huiusmodi patiuntur, quamcitissimè viris cohabitare: si enim conceperint, sanæ fient.* En igitur quomodo animi pressuris, cordique mœrenti pluribus e caussis Venus præsto esse solet. Quod posteriùs confirmatum volo historia celebri, ab ipso Galeno 6. de locis affectis recensita, vbi sic: *Quidam vxoris mortem lugens, & à concubitu, quo antea creberrimè fuerat vsus, abstinens, cibi cupiditatem amisit: vbi verò seipsum cogendo plus sibi ingerebat, protinus ad vomitum excitabatur, mœstus etiam apparebat; verùm hic ad pristinam consuetudinem rediens, quamcelerrimè liberatus fuit.* Atqui non modo animis graui mœrore obductis medetur Venus; verùm etiam cholericis, iracundis, efferis, & furiosis mentibus. Sic Aetius sermone, & capite paulò ante nuncupatis ait: *Furentem indignationem mitigat.* Sic Paulus Aeginas identidem citato loco. *Restituit Hominet modestia, ac dementes.* Sic Auicennas præfato capite. *Et quandoque sequitur eum edomatio iræ superfluæ.* Quid plura? Hue spectare arbitror, quod sub fabularum cortice Vates olim ediderunt; Venerem scilicet nupsisse Marti, furoris, & iracundiæ Deo, quod illa sit videlicet, quæ Martem, ideft furorem compescit, ac delinit, iramque demulcet. Hinc Leonidas Poeta Venerem alloquens Martis onustam armis.

Hæc Martis sunt arma, Venus, cur cingeris istis?
Cur, Cytherea, geris tam graue pondus iners?
Mars est à nuda victus, cùm cesserit ipsa
Vel Deus, hæc frustrà nunc geris arma Viris.

Vtinam id verum non esset; Veneris namque illecebris fortissimi quique animi irretiuntur. Quot fortitudine præclari, ab hostibus alioquin inexpugnabiles continuò Veneris delicio, oculorum ictu debellati, tributarij facti sunt illi, dignitatis, & propriæ salutis prorsus obliti? Romanorũ vnus hostis acerrimus Carthaginiensiũ dux Annibal, & Marcus Antonius ille iam iam Romani moderator imperij, rerumque potiturus omnium, in voluptatis hoc theatro sunto testes; vnus Alexander infregit Veneris tela, cùm oblatas pulcherrimas debellati Regis filias respiciens, dixit: *Nefas est, eum, qui multos vicit, à mulieribus vinci.* Secundo de natura Deorum eximius Orator Tullius Venerem ex eo nuncupari testatur, quod ad omnia veniat. Quis enim vel Deorum Veneris imperio non cessit, quæ Cœlo, Terris, omnibusque elementis dominari credita est? Inde Euripides in Coroniphero.

Percurrit Aethera, illa rursus in maris
Vndis peruerrat, &c.

Intrepidi quoque animi nequeunt huius Sirenis resistere blandicijs: quot Iudices æquanimitate alioquin celebres corripiuntur, & corrumpuntur licet, cum formosum aspectum obuiam factum intuentur? Aspectu, & lachrimis decoræ Adolescentulæ quis adeo ferus, & immitis animus, benignus, mitisque statim non est redditus? vt prudenter ideo dictum sit à Sophocle,

Magnum quoddam robur
Venus refert victorias semper.

Relinquo ea, quæ apud sacras paginas legere est de Salomone, Sampsone, ac Dauide; quid igitur mirum si furentibus animis, & igne iracundiæ citatis propitietur Venus? quo factum est, vt Venus gratiarum, deliciarum, benignitatis, ac lætitiæ Dea crederetur; quoniam eius aduentu benignè omnia læta, & iucunda reddunturr. Inde Lucretius Physiouates.

Aeneadum genitrix, hominum, Diuumque voluptas
Alma Venus, Cœli subter labentia signa
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras, per te quoniam genus omne animantum, &c.

Verùm dices; inferius, vbi de Venere insalubri agitur, decernitur, Veneream cupiditatem furorem, & insaniam inurere; quo pacto igitur eadem, vt modò asseritur, furiosos animi motus infrænat? Scito, Venerem dupliciter considerari posse, vel nimirũ in actu primo, vel in actu secundo. In actu primo considerata Venus nihil est aliud, quàm desiderium, & ardor rei concupitæ; in actu verò secundo est actus ipse, quo cupiditas expletur, ac veluti forma, qua priuatio recedit. Primo modo considerata, apta est proculdubio furorem immittere, quinimo est ipsemet furor, hinc 4. Aeneados Dido

Heu furijs incensa feror.

Secundo verò modo accepta non modò furorem non concitat; verùm compescit, furenatque potius; frigescit namque cupidinis ardor, dum re concupita fruiti sumus. Iam infra de cupiditate in actu primo sermo est; hic autem de ipsomet Veneris delicio, quo mitescit furor omnis; quo consilio 2. de remedijs Ouidius monebat.

Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes.

Quin etiam Lucretius 4. de rerum natura affectum, seu furorem eroticum Venere vagus superari canebat; sic ille.

Sed fugitare debet simulacra, & pabula amoris

Ab-

Abstergere sibi, atque aliò convertere mentem,
Et iacere humorem collectum in corpora queque,
Nec retinere semen conceptum vnius amore.

CAPVT IV.

Temperamento calidis, & humidis mixtionem Veneream apprimè conducere.

AT quid aiendum de calidis, humidisque temperaturis? an non maximè vtilis, ac ferè necessaria Venus est? Nemini certè dubium; ideo 6 de sanitate tuenda Galenus: *Venus*, inquit, *confert humidis, & calidis naturis, quæ copioso abundant sanguine.* Patet quia cùm huiusmodi corpora veluti quadam sarcina ob plethoram premantur, a Venere exonerantur quodammodo; quin si fortè à clinopali diù sursedeant, facili negotio incidunt in plethoram, in capitis dolorem, in gonorrhœas, in renum dolores, torpores, atque alia id genus sæua symptomata; namque retentum semen, vt 6. de locis affectis Galenus edisserit. *Putret, ac vim veneni acquirit:* cuius deinde suligines, si caput inuadant, ibi dolorem conciliant; si pectus, respirandi difficultatem inducunt; si renes, dolorem, æstumq. inibi producunt; & omnino iuxta partem, quam occupant, diuersa pariunt accidentia: &, mehercle, non est vlla deterior qualitas, & peior suligo, quàm quæ à corrupto semine euaporat; vt enim 6. illo de locis affectis Galenus idem affirmabat: *Quò quid perfectius est, cum integram naturam seruat, eò deterius fit, cùm ab eo degenerat:* Iam non est quid semine perfectius ex omnibus humoribus, dum seruat naturam suam, igitur nec insensius quicquam cùm desciuerit ab illa. Quicunque igitur circunfluunt sanguine, seminis consequenter abundant copia, quo spermatica vasa oppleta, si aliquando non exonerentur, distenduntur, & hiant, vnde fit spontanea seminis effluxio: vel si diutius detinetur obstructis meatibus, nacta putredine corrumpitur, febresque seminales accendit, de quibus paulò infra, & in prauam degenerat materiam, qua obserua tum interdum est, produci etiã vermes. Narrat Mercurialis doctissimus lib. 1. suæ Gymnasticæ quod Ephebus Athenis serpentem pusillum, pilosum, & pluribus pedibus statim ambulantem multo cum semine eiecit; qui sanè vermis non aliundè ortum suum duxerat, quàm è cagastro seminis, vt loquitur Paracelsus, siue dicas ex putredine, cuius causa licet seminis genitiui facultas iuxta speciem corrumpatur, eiusdem tamen iliastrum penitus non dissoluitur, sed ex eo si non fœtus ad speciem similis emanet, aliquod tamen viuens noxium licet, & imperfectum educitur. Simili ratione existimo ego, genitos fuisse vermes illos per vrinarium meatum demissos, de quibus Rondeletius capite 17. de dignoscendis morbis, Aloysius Mundella dialogo 4. Rembertus Dodoneus in scholijs Benivenij, Fernelius, & Hollerius testantur; potius namque e seminali materia, quàm e pituita, vel ichore vrinario producti fuisse, verisimile est.

Sed ad institutum remeans, assero, valde calidis, humidisque temperaturis non solum Veneris vsum nihil obesse; verùm proficere plurimùm, quod quidem suadent experimenta diurna. Vir nobilis officio, & prudentia conspicuus, mihi familiaritate apprime coniunctus, cùm calido; humidoque temperamento sit præditus, plurimoque circumfluat sanguine, si fortè assiduam Venerem negocio districtus intermittat, illico afficitur capite, conficitur vigilijs, offunditur caligine quadam, tamquam sarcina premitur, distentionibus lancinatur, stomacho læditur, quæ omnia symptomata congressu habito euanescunt. Sed nemo audeat, si pius est, Veneri, si ex coniugio non liceat, indulgere, quantumuis opprimatur sarcina, aut vitiosi prauitate seminis.

CAPVT V.

Aphrodisiasmo carnes asperas leuigari, ac duros habitus emolliri.

SVNT non pauci, qui vel naturali temperamento, vel morbosa aliqua contracta labe, adeò cute rigent, vt habitum penè ligneum, vel marmoreum à natura obtinuisse videantur. Quibus profectò nihil ita magis conducit ad carneum tactum reducendum, quàm Veneris temperatus vsus; quod probatum velim cum rationibus; tum etiam auctoritate. Pro auctoritate sit vnus eximius Philosophus Iosephus Phauorinus sectione tertia exercitationum Philosophicarum capite 10. vbi astruit, hirci cornua ad vtrem faciendum ob laxitatem, & molliticm minus aptum esse, quàm sit capri, & capræ; & hoc accidere ob maiorem operam, quam Veneri tradit hircus; is enim ingiter, ac intempesti-

fruè, vt liquet, genitali voluptati indulget; hinc A
alutas omnium animalium depiles fieri, atque
cariè tabescere noui, quotquòt exemptæ libidi-
nis eorundem tempore fuere; quin etiam didici,
coitu serpentes exuere spolium, & aues hispi-
das deponere plumas.

Ratio nobis confirmare identidem potest; quandoquidem cutis durities prouenit ex den-
sitate, densitas à constipatione, constipatio vel à
crassis humoribus infarcientibus, vel à spissa tex-
tura; quomodolibet autem accidat, Venus illi
derogare potest; cũ enim in ludo Venereo trudan-
tur ob agitationem calor ab internis partibus
ad extimas; huiusmodi calor dissoluere, ac di-
scutere valet crassos illos humores, emphraxim
facientes: & si fortè humores absint, valebit
saltem spissam, ac densam cutis texturam ape-
rire, & rarefacere, ac proinde mollire superfi-
ciem: Quod texturam attenuet, meatusque
dilatet Venus, manifestum fit vel exeo, quod
vbi primum adolescentes genio indulgere inci-
piunt, pili vndique prorumpunt, citiusque bar-
bescunt. Si dicas: Venus exiccat, ergo durum
non potest mollire habitum, quoniam molli-
ties ab humido manat, vt videre est in mulieri-
bus, quæ præ humidiori temperamento molliо-
res carnes, quàm viri obtinent. Respondeam
primò: Venerem immoderatam solum exic-
care; atqui nobis fermo est de tempestiua, ac
moderata. Secundò aio, non ab humiditate
tantum molles fieri cutes; verùm etiam à te-
nui, ac rara textura, quam calore molitur
Gymnastica Veneris. Demum addo, labore, B
ac polemo Venereo calorem ad superficialem
partem deduci, & vnà cum calore portionem
roridi humoris deferri, quo videmus congre-
dientes irrorari; vnde leniri, lenigari, & hu-
mescere potest exterior corporis habitus. No-
ui iuuenem, qui erat habitu durissimo, den-
so, hirsuto, hispido adeò vt coxæ, & bra-
chia querquera viderentur; duxit vxorem,
& paucis interiectis mensibus habitum car-
neum reportauit; cuius rei rationem in vxorem
ipsemet reijciebat, cũ palam profiteretur, se ex
coniugali thoro lignum in carnem commutasse.
Quid plura? Accidit quotidie, vt adolescen-
tuli, qui in ephebia rigidi, aridique sunt, cùm
primum incipiunt arua mulieris aspergere,
molliscunt ad cutem, ac pinguescunt interdum;
quod in puellabus longè magis perspicuum fit,
quæ vbi primum flores edunt, faciei nitorem,
totiusque corporis venustatem nanciscuntur.
Addam postremò, quòd cum cutis asperitas
a forti textura, & robore procedat, cumque
Venus ipsa debiliter, ac robur auferat, non
mirum si mollescere inde habitus valeat. At-
que hæc satis.

CAPVT VI.

An, & qua ratione Venus dysenteriæ medeatur, vbi duæ Hippocratis in Epidemijs sententiæ insignes elucidantur.

VLTIMÒ Epidemiorum legitur apud Hippocratem: *Turpis scortatio dysenteriæ medela*. Qui quidem contextus torsit multorum ingenia, cùm intrimum eiusdem sensum assequi non potuerint. Non ignoro aliquos extitisse, qui turpi nota haud sunt veriti ex hac sententia Hippocratem insimulare, asserentes hunc de præpostera Venere loquutum esse. Cuius quippè rei mendacium nihil est vt a me palam fiat, quando Hippocratis pietas, moresque integerrimi sunt vnicuique perspicui. At si quis fortè eos non norit, legat saltem iusiurandum ante omnia eiusdem opera exaratum, quod & ipse iurat, & cunctos medicos iurare iubet, in quo quidem velut in limpidissimo speculo videre, & contemplari facilè est viri æquanimitatem, temperantiam, atque philocaliam. *In quascunque autem domos*, iurabat, *ingrediar, ob vtilitatem ægrotantium intrabo, ab omnique iniuria voluntaria inferenda, & corruptione, tum alia, tum præsertim operum Venereorum abstinebo, siue mulierbria, siue virilia liberorumue hominum, aut seruorum corpora mihi contigerit curanda.* Et paulò supra dixerat: *Porrò præterea & sanctè vitam, & artem meam conseruabo*. Nec profectò valet fundamentum illorum, qui asserunt, particulam illam, *turpis*, satis apertè nefariam Venerem denotare, quoniam præterquamquod est illa alia particula, *scortatio*, quæ propria etymologia naturalem, & mulierem significat congressum; omnis coitus, omnisque genialis actus quandam præsefert turpitudinem; & hinc est, vt postremo operis libro dicetur, quòd homines post coitum tristantur; & quòd rem agere Venereum cupientes, vt loquitur Aristoteles 4. sectione Problem. confiteri se cupere maximè pudet; vt ideo meritò ab Aristotele ipso proprietas porcorum Venus dicatur; quo nimirum intuitu apud priscos Romanos mos fuit, Berecinthiæ matri Deorum spadones, & impotentes duntaxat ministrare. Quinimò ex ipsa eadem particula, *turpis*, deprehendi verè potest Hippocratis mens ab hisce actibus aliena penitus. Sed hæc missa faciamus.

Quo autem pacto intelligi debeat hic locus,

quinc sit eius germanus sensus, ex ipsomet Hippocrate expiscabor. Hic itaque 6. epidemiorum sectione quinta manifeste refert nobis præfatæ sententiæ mysterium, ait enim: *Coitus ea, quæ in ventre sunt, indurat*, Iam cùm in dysenteria omnia, quæ in ventre sunt, liquata, ac fluida sint, hinc est, quod mixtio dysentericis medetur. Quòd si alicui id probare ex ipsomet Hippocrate sat non sit, auscultetur Aristoteles, qui libello de longitudine, & brevitate vitæ, id perspicuè confirmat iis verbis: *Semen excrementum, & amplius exiccat tenuissimum*, & 4. sectione Problematum 18. idem ex professo quærit: *Cur res Venerea ventrem refrigerat, & siccat*. Simili modo Aetius sermone 3. ex Rufo ait, inueterata alui profluuia per Venerem resiccari.

A

At afferantur modo rationes, ob quas Venus aluo fluidæ, ac dysentericæ opituletur. Sanè, vt in confesso est apud omnes, aphrodision exiccat; igitur in dysenteria, cuius indicatio est exiccare, conducit eius vsus. Verùm supponendum hic primò erit, antequam vlterius progrediamur, Hippocratem dysenteriæ nomine nequaquam intelligere fluxum illum sanguineum cum exulceratione, & febre; sed simplicem quempiam alui fluxum, vel à forti expultrice, vel à bilis copia impellente, atque irritante, vel à nimia humiditate intestinorum, ac stercorum oriundum, quibus affectionibus ediametro Venus arridet. Rursus cùm simplex fluxus aliquando procedat ob seminis retentionem, aut vitium, hinc est, quod clinopalis, in qua semen dimittitur, ob ipsius peccantis humoris diuersionem, deriuationem, & euacuationem propitiatur interdum. Quòd autem fluat aliquando venter causa retenti seminis, vel Aristoteles insinuauit 1. de Generatione Animalium capite 20. iis verbis: *Voluptas enim ijs omnibus fœlpendo excitatur, & quorum depranata est generatio*; mox subiungit: *aluus interdum soluitur, propterea quod excrementum eò fœcedit, quòd concoqui, atque effici semen non possit*. Vide supra, vbi quærimus, in quas corporis partes abscedat in Eunuchis excrementum seminale.

B

Insuper in dysentericis (si de ijs aliquo modo loquatur Hippocrates) cùm calor, & sanguis prædominetur, cùmque humidis tantum, calidisque naturis, quæ vbere circunfluunt sanguine, sit Venus proficua ex Galeno 6. de sanitate tuenda, non mirum, si huiusmodi affecti symptomate aliquatenus mulceantur. Adde, quod cùm Venus refrigeret, potest ex hoc etiam capite fluenti nimis aluo præsto esse; quare sexto eodem epidemiorum Hippocrates scripserat: *frigiditas ea, quæ in ventre sunt, indurat*; & hæc fortasse potissima ratio est, cur Venus exiccet, quia statim post præfatam sententiam subiungit:

C

Coitus ea, quæ in ventre sunt, indurat. Ab Hippocrate suam sententiam, vt sæpe solet, mutuatus Aristoteles 4. illa sectione problematum citata, hæc dixerat: *An refrigerat, quoniam calor in concumbendo excernitur: & siccare quidem coitus Venereus potest, quippè cùm euaporari, dum calor exit, necesse sit: exit autem cùm refrigeratur: Adde etiam, quòd feruor coeundi siccare nimirum potest*. Nec dissentit Galenus eodem 6. de Popularibus morbis supra iam relato textu, vbi habet: *Volunt etiam ex concubitu, quæ in ventre sunt, frigescere, præfrigore autem siccari*. Silubet, vide locum. Dicas tandem ex Dureto, quòd rerum Venerearum vsu musculi transuersi abdominis imbecilles, atque effœti redduntur, ideoque excrementorum expulsionem, cui deseruiunt, infirmam, & languidam fieri.

D

Verùm statim argues, qui fieri possit, vt anaphlasmos fluxioni aluinæ conducere valeat, eò quia binæ enacuationes ob virium dispendium periculo non vacent? Vtique robur virtutis dysenterica passione infirmatur; vsu autem Veneris prosternitur. Respondeo primò, ex hoc ipso, quod robur infirmatur, accidere, vt valida intestinorum facultatis expultricis virtus hebetetur, ideoque ad excretionem minus promptè insurgere, vt ex Galeno eodem loco colligitur. Secundo ajo, Hippocratem, vt supra annui, non intelligere de vera, ac legitima dysenteria, verùm de simplici alui fluxu, seu diarrhea, quæ multoties à semine retento, atque excreto procedit ad aluinam regionem secedente; Vel dicas, quòd licet adaptari sententia possit legitimæ dysenteriæ, illi tamen non consummatæ, sed inchoanti conuenire, quæ aliquando ex se ipsa finitur. Venus itaque vel in dysenteria incipiente exercere posset, dummodo febris absit, & vires nihil corruerint; quomodo etiam in principio huius symptomatis sanguinem mittimus, quamuis dicat Galenus ad Glauconem de febre fluxui copulata loquens, hanc neque sanguinis missione, neque alia purgatione esse curandam.

Cæterùm res Veneris ex alio etiam capite currenti auxiliari potest aluo, nimirum ob metastasin, cùm natura ab intestinis ad seminis meatus auocatur, eo modo quo sumpto pharmaco Venus prohibetur, ne facultas, quæ circa illud occupatur, geniali pruritu ad semen conuertatur. At cùm in re medica præualeat experientia, cuius euidentia rationes debent silere, vt aiebat Celsus, operæ prætium facturum me arbitror, si dicta huc vsque celebri Amati Lusitani confirmem historia. Is ergo secunda centuria hæc narrat: *Plures epidemica dysenteria affectos curamus, inter quos mulomedicus quidam veterinarius dictus erat, qui cùm dysenteria grauiter opprimeretur, in nocte erecta virga ad fœminam sibi proximam se direxit, & cum ea*

ea leniter Hymenæum exercuit, & illico deiectiones cesserunt'. Atque hęc satis dicta, non vt quis ad huiusmodi remedij genus temere confugere debeat, sed vt Hippocratem explicaremus, & a turpi crimine vendicaremus insuper.

Verumenimuerò relatæ Hippocratis sententię, nostræque elucidationi aduersari videtur alter nihilminus famosus contextus 3. epidemiorum in fine, vbi talis exaratur historia. *In Melibœa adolescens ex potibus, & Venereis multis multo tempore calefactus decubuit: horridus autem, & anxiosus erat, vigil, & absque siti, ab aluo autem primo multa flercora prodierunt cum circumfluo humore multo, & sequentibus multa aquosa cum virore pallida prodibant, &c.* Igitur adolescens hic præ Venere immoderata incidit in alui fluxum; falsum ergo quod dicebatur, Veneris nempe studium dysenteriæ mederi. Præclara obiectio, sed clarior solutio. Adolescens non quidem a Venere multa, quam exercuit, sed expotibus in alui laxitatem incidit, accumulatis prius ob victus prauam rationem, vt Mercurialis notat in commento, plurimis fœcibus; siquidem ex doctrina Auicennę, & quotidiana experientia, fęces multiplicantur, dum super cibum humidum nimium potatur. Adde ex doctrina etiam Aristotelis 4. de Generatione Animalium capite primo, quod corporis caliditas excrementorum copiam parit. At Adolescens ille multo tempore calefactus decubuit; igitur potuit a calore, & nõ a Venere alui fluxũ subire, eò magis quod ὑδατόχλοα, ideſt aquosa cum virore pallida deiecit; excandescit enim, & magis irritatur bilis Venereo motu. Rursus fęcum vbertas ex Galeni sententia 3. de Symptomatum causis capite 2. prouenit ex eo quod chilus per corpus non perfectè distribuitur; non distribuitur autem, quoniam vela meseraicis, vt par est, idem non attrahitur, vel bellè in ventriculo non perficitur. Vtrumque relato Adolescenti contigerat; nam ex nimio potu cibum ritè parare nequierat, & præ mesenterij obstructione minus distribuere; adfuisse vero partium illarum emphraxin patet ex verbis paulò infra adiunctis: *hypochondriorum distentio submollis*.

At ne quis in hoc dysenterię nomine hallucinetur, lubet ad calcem iterum inculcare, Hippocratem dysenteriæ voce nequaquam intestinorum duntaxat vlcus delineare; verùm excretionem quamlibet cruentam, vt cumulatissimus Hippocratica scientia perbellè explicat in Coacis Duretus, e recentioribus vnica medicorum norma; *cum autem cruenta deiectionis interdum causa sit hepatis iuuenia, cuius virtute liberaliter sanguis ad intestina fluit, vt ephebis interdum verno tempore accidit; si fortè hæmorrhagia careant illa, de qua dixerat Hippocrates: cum cœperint agnoscere Venerem, vel asperam vocem edere, sanguinem illi profundunt e naribus, hinc est, vt huiusmodi dysenteriæ in primis propitiari valeat Venus sanguinem minuens, hepatisque compescens feracitatem.*

CAPVT VII.

De febre spermatica ephemera, putrida, & hectica à corrupto semine, eiusque æstuantibus spiritibus, & vasis excalefactis oriunda, quæ ἀναλαστικὸ, siue seminis emissione duntaxat, vt proportionato auxilio remoueri potest.

EST & aliud febris genus vltra id, quod communiter hactenus Asclepiadeis innotuit, quodque ab ijsdem plurimis quæstionibus, & auxilijs peragitur, neminiadhuc fortè cognitum, quod non aliunde, quàm à putrefacto semine, eiusque spiritibus, & continentibus inflammatis, & excalefactis accenditur; at ne cuidam paradoxon id prima facie videatur, addam statim rationes, easque validas; adducam experientias, afferam instantias; nec pro viribus quicquam omittam (breuitatis tamen seruata lege) quod huiusmodi febres explicare, enucleare, ac persuadere valeat. Apagè bono omine auspicemur. Profectò non est maior ratio, cur possint, soleant, ac debeant omnes nostri corporis humores in putredinem delapsi multiplicem febrem excitare, semen autem corruptum, ac putrefactum suam & ipsum febrem, æstumque non agnoscere. Siquidem simili, atque etiam deteriori modo, ac cœteri humores ipsummet semen putrefieri potest, seque febrilis incendij præstare subiectum. Patet hoc; nam eque pene humidum, & calidum, ac sanguis illud existit, immò spiritu magis; Quare pari ratione ab obstructione, & prohibita transpiratione, aliisque causis immutatum putredinem, quæ in calido, humidoque corpore excitatur, contrahere valet, à qua continuò febrilis ignis explendescit. Quòd autem seminis corruptio prauior sit, ex communi illo axiomate perspicuum fit, videlicet, quod res tantò deterior euadit, cùm à propria natura recedit, quantò in suo statu perfectior erat. Iam nullus est in viuente corpore vtilior, ac purior succus, quàm semen, quod ideò à natura renutriendis particu-

is, & insuper Generationis eximio, ac propemodum diuino operi deligitur, ac destinatur; igitur nec alius, vbi à seipso degeneravit, sævior, ac lethalior, vt in progressu constabit: ideò Galenus 6. de locis affectis capite vltimo, quærens, quænam deterior noxa, an quæ à semine retento, & vitiato, an quæ à menstruo prouenit; decreuit meritò, eam, quæ a semine oppidò prauiorem existere.

Neque dicat quis, vasa seminalia vim feminis conseruatiuam obtinere, ideoque inibi seminalem succum nullatenus corrumpi posse; nam id gratis dicetur, eò quia & venę ipsæ, vt loca humorum propria, seruant sanguinem, admixtosque humores, nec tamen semper à putredine vendicare eosdem queunt; licet enim veritati consonum sit axioma: Quod nihil in propria sphera corrumpitur, id nihilominus secundum totum intelligi debet; non enim exempli gratia in regione aeris totus insimul aer corrumpitur; sed potest verè secundum sui aliquas partes labefactari, & immutari, vt liquet ex iugi elementorum transmutatione, nec non etiam ex pestilente labe, quæ modò hoc, modò illud grassatur cœlum. Rursus quid magis locatum suum seruare deberet, quàm arteriæ ipsæ, quæ spiritus vitæ auctores, caloresque ministros continent? & nihilominus accidit interdum, vt spiritale illud nectar, purpureusque ros corrumpatur, vt in diarijs pestilentibus, quales extitere Hungarica, & Anglica febris, à qua breui horarum spatio miserrimi ægrotantes vitalia lumina claudebant. Nullus igitur extat in corpore succus, qui putredinem subire nequeat.

Dices fortè, neminem hactenus censuisse, semen intra vasa putrescere; non debent ergo nouæ opinionis semina iaci, nè videamur falsarum opinionum nouatores? eo magis quod palam à Rondeletio id detrectatur. Obiectioni satisfiet, si dixerim, humanum ingenium diuinitatis particeps, rationis lumine præfulgidum, & nescio quo numine afflatum, haud esse limitibus intelligentiæ obstrictum; sed quotidie inuentis addere, nouâ inuenire; quare non erit vanę opinionis auctor, qui eam rationibus apertissimis fulcit; præterquamquod postquam diu velis, remisque nisus sum, vt cuiusdam classici auctoris auctoritatem aucuparer, tandem in Ludouicum Mercatum incidi, virum, si quis alius de Philosophia, ac medicina optimè meritum, qui hanc seminis putrefactionem obiter delineauit; capite enim de vteri strangulatione, libro de morbis mulieribus, quærens, an corruptio seminis, & sanguinis menstrui, qui tantorum accidentium sunt causæ, contingat in cauitate vteri, an intra vasa, statuit, vtrobique corruptionem contingere posse; eam autem, quæ fit intra vasa, alia symptomata, & febres, quę diutius durant, progignere; quę extra vasa in cauitate vteri alia accidentia, vt strangulatum, furorem, aliaque id genus parere. Iuuat registrare verba. *Sed considerationę hac in parte dignum iudico expendisse, an seminis, & sanguinis menstrui corruptio, quam tantorum malorum causam esse diximus, intra vteri cauitatem fieri teneatur, vt hac mala moliri possit; an potius intra eiusdem vteri vasa. Cui dubio dicimus, certum esse in vtraque parte has substantias posse corrumpi, & ea mala efficere. Censeo quidem in hac re vteri motus, & peruersiones ex vasorum plenitudine à sanguine menstruo, & semine facta contingere, & ex hac etiam causa vteri strangulationes proficisci, licet ex flatu corpus vteri distendente non rarò succrescant. Verùm ea mala, quæ ex corruptione harum substantiarum prodire conspicimus, frequentius extra vasa, corruptis semine, & sanguine menstruo delapsis propè testes, & in vteri cauitatem, ac non purgatis; etiamsi, vt mea fert sententia, non rarò intra vasa ipsa putrefieri contingat, efficereque febres, & alia accidentia, quæ diutius durant, quàm vteri strangulatio, & pleraque ex ijs accidentibus, quæ subito cessant. Quippe coniectabile est, mala, quæ diu durant, & diuturnas Virginum febres potius ex causa concluſa, & intra vasa latitante fieri, quàm ex ea, quæ in vterum prolapsa haud difficulter purgari possunt.* Mox subiungit. *Ex quo quidem arbitror hysfericas Virginum affectiones maiori ex parte, ex semine, & sanguine menstruo intra vasa vitiatis fieri, &c.* Opinionem hanc præterea roboraturus doctissimus Mercatus hæc addit, quę ijs, quæ supra decreuimus adamussim consonant: *Sed dicet fortasse quispiam, qui fieri possit, hanc substantiam corrumpi intra propria, & naturalia loca, cùm id accidat frequentius his substantijs dilabentibus in loca non naturalia; præterquamquod si intra vasa putrefieri aliquo modo possunt, multò rectius id fieret in omnibus fœminis parum ante menstruationem, concluso ibidem sanguine futuro menstruo. Cui dicimus, non minus id fieri posse, quàm dum sanguis in febrium generatione intra vasa putrescit prohibita naturali caloris ventilatione: sic Virgines, & solidioris contexturæ viduæ, præsertim iuuenculæ, cum ob naturalem meatuum coſtrictionem improbè purgentur, plerumque ea mala perpetiuntur semine, & sanguine menstruo intra vasa putrescentibus; quò fieri arbitror, vt Virgines frequenter frebricitent, & febris non sit admodum intensa.* Hactenus ille, qui mecum est in opinione, intra vasa putrescere posse semen, nec non febres accendere: quam sententiam insuper aliquo modo insinuauit Galenus 6. de lo-

locis affectis capite vltimo, vbi habet: *Sunt enim nonnulli, quos protinus à iuuentute concubitus imbecilliores efficit: alij nisi assiduè coeant, capitis grauitate molestantur, cibos fastidiunt, ac febribus obnoxij fiunt.*

His ita positis ad rem meam venio. Si potest semen putrilaginem concipere, sique ex eo putre facto febres accendi possunt, cuius generis illæ erunt? Profectò non tertianæ, quia hæ à bile excitantur; non quotidianæ, quoniam hæ à pituita; non quartanæ, quoniam ab humore exusto, aut melancholico; non erraticæ, quia à succis etherogeneis ortum ducunt: igitur proprio nomine spermaticæ, quia semen corruptum, vt adæquatam causam agnoscunt. Huius census in primis est febris illa, alba dicta à Neotericis, quę rationabilius hoc nomine nuncupari potest, eò quod semen, in quo exardescit, album est; vnde labia, genas, vultum, vniuersum dealbare ualet, eo prorsus modo, quo febris à bile flauo inficit colore, febris a melancholia nigro, à pituita aqueo. Nec meo iudicio Mercatus, & alij huius febris causam adequarè statuerunt obstructionem; siquidem obstructio aliarum quoque febrium est origo, sed semen intra uasa corruptum pro coniuncta, & continente causa statuere debebant, quod illam, aliasque consimiles excitat febres.

Sed an dignosci possint febres istę, quibusue signis distingui, uidendum est. Cum fortè accesseris ad monachum aliquem, & undique impollutum virum; ad virginem puram, integramque; ad uiduam pudicam, & anaphroditim, hasque febricitare deprehenderis, nullumque interim in urinis apparere uideris uel bilis, uel melancholię, uel alterius humoris dominium, quin inculpatum sedimentum ineſſe; cęterùm statis quibusdam temporibus non exacerbari, ut solent cęteræ febres humorales: dolere dorsum, ac lumbos, tristari nimium, febrem non bene ægrum distinguere, uiribus præter modum deijci, flecti non posse, renes quati, & internam præsentire phlogosin, nec non pulsus exiles, ac lentos tetigeris, dicas, huiusmodi febrem à putrido semine originari, ac tali putredini iniunge auxilia. Nempe febris hæc quoniam subiectatur in humore coacto, grandinoso, partim frigido, partim spiritali, est lenta, parui motus, leuis incendij, nec per se proprium ullum obtinet typum, sed per accidens eius humoris ordinem seruat, cui admiscetur; ut si semen, gratia exempli, bilioſum sit, exacerbabitur quodammodo febris de tertio in tertium; si pituitoſum quotidie; si melancholicum quarto quoque die: quod si semen sit sincerum, aliisque succis impermixtum, febris inde exorta erit ueluti sanguinea, synochus dicta, ideoque absque ullo manifesto paroxismo tres differentias inire poterit; aut enim à principio usque in finem minuetur semper, & erit uelut paracmastica, uel semper augebitur, & erit epacmastica, uel eundem semper seruabit tenorem, & erit homotona; idque ex eo contingeт, quod semen naturam sanguinis sapit, solumque differre uidetur in gradu perfectionis; siquidem ulteriori, & exacta coctione elaboratus sanguis fit semen, quod uerè appellari potest flos, eminentia, aut quinta essentia sanguinis, ideoque consimiles etiam passiones, ac sanguis ipse subibit.

A

B

C

D

Verùm stat im insurges obijciens, si hoc ita est, febres à semine, nequaquam constituent quintum genus febris, sed ad naturam synochi referri debebunt. Atqui reclamo, siquidem multæ intercedunt differentiæ inter hanc, & illam febrem, potissimæ verò hæ sunt: In febre sanguinea adest somnolentia, ac stupor quidam, qui à febre seminali absunt; in febre à sanguine fiunt rerum sanguinearum insomnia, vti illi Palæstritæ apud Galenum accidebat, qui in sanguinis piscina sese natare somniabat: In spermatica verò rerum Veneerarum per somnū imagines; in sanguinea thorax nimiò granatus, & oppressus sanguine ægrè mouetur, vnde anhelitus oritur difficultas; id verò minimè apparet in spermatica. Pulsus synocho affecti magnus est, vehemens, velox, plenus: spermatica febre detenti paruus, sepultus, tenuis, tardus: vultus febricitantis à sanguine rubeus, floridus, plenusque existit; febricitantis verò à semine albidus, languidus, & gracilis. Demum in nulla re conueniunt, præter in typo; calores enim distant etiam toto cœlo; huius enim sepultus est; illius micans; huius lenis, illius fortis, & omninò in cunctis discrepant symptomatibus; quarè spermatica febris suum proprium constituit genus, suasque circumscribit differentias.

Quæres, an semen intra uasa positum, aut in uterum allapsum possit identidem, vbi putruerit, febrem intermittentem parere. Censeo, quòd sicut sanguis extranenatus inflammationem, & febrem per accidens tanquam symptoma producit; ita semen in uteri cauitatem, aut aliò delapsum, & corruptum ferè plurima symptomata prauo halitu gignit, vt strangulatum, furores, & alia, quorum similiter consectariæ sunt febres aliquæ symptomaticæ. Arguet quis fortè ex Galeno: febris ex sanguine non datur; quoniam sanguis putrefieri non potest; ergo multò minus dabitur febris à semine, quod est flos, & sincerior pars ipsius sanguinis, magisque concocta. Argumenti respondeo primò, iamdiù è medicorum schola explosam esse Galeni sententiam, in qua ipsemet sibi ipsi constare non videtur, quam fortissimis rationibus impugnauit Auicennas, estque ediametro contraria vel menti Platonis in Ri-

Digitized by Google

Timæo, & Aristoteles 3. de historia animalium, & 2. de Partibus eorumdem statuentium, in omnibus animantibus sanguinem putrescere posse: verum est enim, quod sanguis pro ea, quam obtinet æqualitatem temperiei difficilius, quàm cæteri humores intra venas putrescit, eo quòd natura de conseruatione vitæ sollicita pro viribus illum à corruptione vendicare studet. At non ex eo fit, quin aliquando putredinem contrahat. Quorumlibet enim humidorum, calidorumque corporum finitima est putredo, vt Philosophi docent; & licet, vt Galenus ait, sanguis putrefactus in alienam degeneret naturam, puta in bilem, ideoque biliosam non sanguineam produci febrem debere; attamen quando est in via ad putredinem, nondum abiuit in alienam naturam, vt enim Meteororum 4. cap. 6. ex Arist. habetur, putredo non est rei mutatio, sed via ad mutationem.

Quoad illud secundum, videlicet multò minus debere semen putrefieri, eò quod purioris est substantiæ, magisque concoctum dicam; hoc ipso quod perfectioris est substantiæ, magisque coctione adæquatum, putredini esse magis obnoxium; nequit enim adæquata humorum coctio illos à putredine vendicare: quinimò coctio ipsa ab aliquibus putrefactio dicitur: sic apud Hippocratem venter, vbi fit pepsis, appellatur putrefactorius; vnde fortassis datus est locus Plistonico Praxagoræ discipulo, Laurentio Ionberto referente, vt putaret de sententia Asclepiadis, alimenta in ventriculo putrescere. Simili modo apud eumdem Hippocratem libro de alimento, quæ sunt moderatè concocta, dicuntur in superficie putrefacta: sic, vt refert Aristoteles 4. Topicorum, Empedocles vocabat vinum, aquam ligno putrefactam. Præterea nonne videmus acerba poma, quæ nondum perfectam coctionem nacta sunt, diutius illæsa seruari à putredine? quin fructus omnes, qui pro hyemali tempore seruandi sunt, immaturiores colliguntur, alioquin ocyus corrumpuntur. Rursus lac ipsum citius, quàm sanguis putrescit, & nihilominus lac factum est à sanguine per vlteriorem coctionem; quò forsan respexit etiam Empedocles, dum dixit, lac nihil aliud esse, quàm pus; falsum igitur est semen, eò quod fit sanguis optimè coctus, putrefieri non posse.

Quæres, cur febris alba, omnisque spermatica sit leuis incendij, cùm semen ipsum sit pluribus spiritibus locupletatum, & calefactum? Respondeam, succum seminalem ex se lentum potius, ac frigidum esse, & consequenter magnam flammam concipere non posse; vt enim Auerroes ait, tanta est febrilis caloris mensura, quanta ipsius, vbi excitatur, subiecti natiua caliditas. Iam licet semen spiritibus vndique circumfluat, hi tamen putredinis ipsius æstum euanescunt, ac dissipantur; Adhuc, ex loci distantia, succique paucitate potest cordi non tam magnus æstus communicari. Adde postremò, seminalem humorem esse paucum, paucisque detineri vasis; cæteros verò humores, ac maximè sanguinem per vniuersum corpus affluere, plurimisque in toto habitu contineri meatibus.

CAPVT VIII.

De differentijs febrium spermaticarum, earumque sede.

AGENDVM est modò de harum febrium differentijs, quæ triplici ordine constituuntur; aut enim febris in spiritibus ipsius seminis accenditur, & fit ephemera spermatica; aut in ipsa substantia humida, & fit putrida spermatica; aut in ipsis continentibus, nempè vasis spermaticis, & fit hectica spermatica: ephemera seminalis, aut spermatica contingit, cùm ex aliqua occasione ipsius seminis incalescunt, imò inflammantur spiritus, qui potissimum agitatione Venerea solent excandescere; tunc præsertim quando laboratur in emissione, aut post longum certamen nihil effunditur; præterea ex plenitudine seminis furere identidem ijdem possunt; nam dum pruriunt, ad exitum micant; quod si non fiat illis aditus, concitato calore magis, ac magis æstuant, vnde postmodum febris aliqua.

Sed quæres, quibus notis distinguatur hæc febris ab ephemera sanguinis; pluribus certè, & in primis ephemerinos a spermate mitior est, atque etiam minus perdurat; idque ex minori seminis, quàm sanguinis copia procedit, & à maiori à corde distantia. Rursus ephemera spermatica semper est cum pruritu quodam, ac Veneris titillo, ideoque cum genitalium tensione quadam; Adhuc renes calore magis æstuant, & circà illam regionem maior, intensiorque phlogosis persentitur, quàm circà superna. Adde postremò, quod in vrina apparet interdùm seminalis materiæ vestigium. Huic febri inauditorantur, quotquot in Veneris certamine laboriosiùs dimicant. Ephemeræ succedit ex ordine putrida, quæ à corruptione ipsius spermaticæ substantiæ fit; cùm enim ex obstructione, ac ventilationis defectu, ex retentione diutina, alijsque causis lentus ille succus accenditur, ac putret, continuò putredinalis febris exoritur, quæ à cæteris putridis distinguitur, vt supra dicebamus, magnitudine, typo, subiecto, sede, & sym-

pto-

promatibus; neque vrinarum inspectio febri huic quicquam confert; illæ enim eorum, quæ duntaxat intra venas existunt, sunt indices. Febre hac facilè corripientur polygæmi, & polygoni omnes, quotquot puram, & ab omni sordie libidinis alienam traducunt vitam; eoque facilius si cacochimia diffluant; nam aliorum humorum impuritas commixta semini illud miasmate inquinat, atque ad putredinem parat. Quòd si adhuc maius contrahat vitium, vt nimirum non putredine solùm, verùm etiam corruptione labefactetur, febris pernicioſior exoritur, atque malè morata, ita vt spermatica maligna valeat appellari.

Si tandem calor febrilis vasis ipsis, & continentibus communicetur eo modo, quo in cæteris solidis partibus accidit, hectica seminalis efficitur, quę tamen haud facilè contingere poteſt, eò quod ægrè a spermaticis vasis, quæ pauca sunt, si hecticam contraxerint intemperiem, communicari cordi, ac cæteris continentibus labes ipsa valebit. Hùc pertinet illud Schenchij 3. obseruationum tract. de partibus genitalibus, quod quibusdam diu à Venere abstinentibus, testes, & vasa spermatica contabescunt. An verò huiusmodi hectica ab altera distingui possit, est sanè valdè dubium, solùmque ex alio adiecto accidentę vnam ab altera disgregari posse, existimarim, veluti fortè ex illa tabe dorsali, de qua in libro de semine egimus, quæ hecticæ spermaticæ; vt signum tecmerium posset iniungi.

Quoad sedes, & loca spermaticæ putredinis proculdubio tot illa sunt, quot meatus, & vasa continentia semen; quorum cùm exactam anatomen dederimus libro de instrumentis generationi humanæ opportunis, sat erit hic dixisse, semen putrefieri posse in testibus ipsis, prostatis glanduloſis, in vasis deferentibus, in epididimite, & in preparantibus. In testibus erit maior putredo intensiuè, & extensiuè, sicut in ijs semen in maiori copia, & perfectione resider: in glandulis erit modica, & vix febrem excitabit, eo magis quod natura humorem illum noxium poteſt per vrinam expellere: in deferentibus fiet putredo alicuius notæ, & per consensum afficietur vesiçę collum, ad quod deferentur: in parastatis modica fiet putredo: in preparantibus maior; hac tamen differentia, vt in his afficiatur dorsum, & spinalis medulla, à quibus deducuntur. Si putredo fiat in testibus, ac deferentibus vasis, partes circa vesicam, peritoneum, & perineum dolore, ac tensione quadam pruriginoſa afficientur, & quod insuper addo, fiet affectio satyriaſi, & priapiſmo consimilis, qui semper, cùm fuerint rebelles, contingunt ex semine acriùs calefacto, & corrupto, cuiusmodi fuit illa satyriaſis apud Schenchium, in qua virga biduo poſt mortem tensa perduraùit; cuiusmodi insuper erat Priapiſmus Heracliti Imperatoris, qui referente Pomponio Lætо in compendio hiſtoriæ Romanæ, *perijt nouo cladis genere, testium nempè folliculo sursum verſo simul cum virili membro, & semper tenſo, adeò vt quoties meieret, niſi tabula vmbilico admota prohibente, vultum lotio sparſiſſet.* Tandem seminalis materia putrescere poteſt in vniuerſis partibus spermaticis dictis, vti in venis, arterijs, neruis, oſſibus, & alijs; quandoquidem hę omnes partes ex Galeno libro primo de semine, nutriuntur semine; quod semen licèt nondum perfectum immiſceatur alijs humoribus intra venas, adeò vt ſi putrescat, vt putrescere poteſt nutrimentum hoc, accendatur febris proprio nomine ſpermatica, vel seminalis; vocant Auctores humorem hunc succum alimentalem; verùm id nunquàm, aut rariſſimè contingere poteſt, & ſi contingat facilè erit, vt in hecticam abeatur: partes namque ſolidę, quæ ſubſtantiæ ſimilitudine humore hoc nutriuntur, ſi is putruerit, vel nullo modo alentur, & ſic in ſiccitatem delabētur: vel perperam nutrientur, atque adeo malum habitū contraent. Quid ſi dicamus, febrem hecticam communiter appellatam, febrem eſſe ſpermaticam, & hoc nomine aptiùs nuncupari? Nempe ſi ſolidæ omnes partes ſemine & coaleſcunt, & nutriuntur, earum deſtructio non niſi ſeminis labefactatio eſt, atque areſcentia, atque adeo seminalis morbus. Huic meæ ſententiæ plauſit olim vir ſtudioſiſſimus, omnique eruditione medica cumulatiſſimus Paulus Mancinus Acumulenſis in quadam ſua epiſtola, quam hic appingere, vt corollarium non grauabor.

Domino Io. Benedicto Sinibaldo Leoniſſano Archiatro Romano, & in Romana Schola Profeſſori eximio, Amico ſingulari.

NE fortè, quod te inueniente, ma annuente, de ſpermatica febre aſſertum extat, Doctis paradoxon vndequaque appareat, latius ſpatiantem ſententiam addo, quam & tu paſſim conſimilibus ferè tota Geneanthropeia indigitaſti; quod in mentem olim ſubijt, raptim paucis ſuſſultum exaro: pluribus (ſi expetas) fundamentis circumuallaturus.

Ad meam adſtruendam ſententiam præmittenda nonnulla, ac vt vera ſupponenda.

Primo. Nos, præcipuaſque corporis noſtri partes, etiam carneoſas ſemine conſtare, abſurdum

Digitized by Google

dum videri non debere. Hæ vel semine, vel sanguine menstruo fiunt; hic ad seminis alimoniam cùm accurrat, illius induit naturam, cùm nutriens nutribili debeat assimilari, nec queunt carnosa additamenta adiungi, ni semine enutrito turgido. Lignum, cortex, frondes, vegetantibus stirpibus medullo conformes. Prima corporis elementa spermatica augmentum consimile dabunt: in macrocosmo à semine matriculi terra obruto, nutrimentum sibi datur consimile: sòlo siue nigro, siue rubro, albone, viridis succreuit herba seminis intellechia, menstrui vice terrestri succo non præpediente formam, coloris, pinguedinis, alteriusue differentia causa.

Secundò. Nos seminali duntaxat materia enutriri. Accipimus à Gal. lib. 1. de semine circa finem, asserente solidas partes semine conflare, eoque nutriri ad vitam. Dictat ratio, ex quibus constamus, iisdem nutreimur, axiomate vulgato. Hinc perspicere est id quod semine destituitur, probe nos nutrire haud posse. Ex segetum familia frugifera comedimus semina, herbas adhuc seminali ambrosia respersas in victum accipimus, vtiles & suaues: confectio autem semine minimè. Senio tabidas carnes, quibus semen ereptum extat, malas agnoscimus: iuuenes, quibus vlla sit dum seminis deperditio, & castratæ eadem ratione meliores, & suauiores existunt. Cum vero coitum exercere incipiunt, cum potior vis deperdatur, vituperantur. Inde sanè scimus tabem à Venereis, sublato viuifico nectare: insinuauit Hippoc. cùm à venis, & à neruis toti corpori disseminatis spumescens semen in partes genitales deferri, scripsit libro de genit. eodem sensu de morbo sac. & 4. de morb. ab omnibus corporis partibus decidere, scripsit, insit cùm ad partium enutritionem, at valida ætatis parte superexcedens quantitas cùm gignitur, turget ad exitum.

Tertiò. Spiritus omnes à seminali minera prodeunt, vti facultatum instrumenta. Certum est, vnumquodque conseruari similibus, destrui contrarijs. Spiritus adiuant corpori tum ad facultates perficiendas, tum ad subiecta conseruanda principalia, ea membra sunt, & primo ortu constituta, & ex semine; à seminalibus igitur circumfluis spiritibus foueri, par est. His sic constitutis. Astero.

Nec prauam qualitatem innasci, nec indi corpori, nisi seminalis materia coinquinetur. Proinde omnem febrem maligniam, pestilentem, venena quæque, contagiosos morbos, luem veneream, & huiusmodi cunctas ægritudines, tunc nos abripere posse, cùm seminale subiectum prehenderint, secus, vel non esse prava mala, vel in tantum abesse, quatenus seminalem succum impurum reddant. Noua hæc assertio nec

A rationes, nec auctoritate destituetur. Agnouit Galenus à semine corrupto noxam, & affectus quasi admirabundus immanes enarrauit lib. 3. de loc. aff. Ast si in propriis sedibus tanta progignit symptomata, cur ahist, & principalioribus membris sede propinquiori noxam non leuem non inferre valebit? Vtilis spiritus in quiescente semine minor; maior in circumfuso per totum: vnitur autem satellite imaginatrice, comportaturque in coitu ad genitales; quo censu Auicennas quadrageſies magis seminis, quàm sanguinis emissio pendere affirmauit. Hæc erit causa, cur multi facile, alij difficulter inficiantur, vel peste, vel lue venerea à magis, vel minus spiritali semine; quinimo hæc vltima labe

B vix alio tactu, & diutino coinquinantur, quàm Venereo, quo seminalis materia exagitatur. Pleno folio vela contrabo. Arrideant nè, an non, scribe. Interdum vale, & me ama. Datum Narniæ 16. Septembris 1635.

Additiſs. & ex animo totus semper

Paulus Mancinus.

CAPVT IX.

De cura febrium spermaticarum in genere, & specie; vbi etiam habetur consilium Prophilacticum pro viro cœlibe, & Virgine claustrali.

DRÆSCRIPTA spermaticæ febris idea, differentia, ac sede; reliquum est, vt curationem adeamus, quę nonnisi elicitis scopis haberi poterit. Quare intentio erit in ephemera spiritus seminales æstuantes refrigerandi, ac mitefaciendi; quod balneo dulcis aquæ facillimè consequeris, & infrigidantibus ad renum regionem adhibitis, necnon lactucæ frequentiori vsu, cuius mira est potentia seminis acutiores spiritus hebetandi, atque infringendi. Si putrida sit febris, hoc opus, hic labor; nam purgantibus medicamentis in primis euinci nequit; siquidem non datur, aut saltem ignoratur medicamentum gonagogum, quod vel similitudine substantię, vel alio modo semen ducat: quin purgantia, quęq; pharmaca ex Atnaldi arbitrio, ex eo quod agitant, superfluitates ducunt largiùs ad vasa spermatica; quare augebunt fomitem potius, febrique adiungent. Sanguis si eliciatur, ex eo tantùm aliquatenus prodesse poterit, quatenus eo detracto seminis pabulum subrogatur: è copioso namque sanguine, copiosè sperma excrescit; at ratione ipsius corrupti seminis, nihil erit æmocerchna proficua; oporteret namque non ve-

Digitized by Google

venas incidere, sed ipsamet spermatica vasa, quod est vndequaque impossibile. Illud re vera non omittendum, sanguinem è venis sub scroto detractum his febribus mirificè prodesse posse; detrahet namque seminali materiæ, ac testes genituræ promos, & condos refrigerabit. Alterantia ægrè ad remotam seminis regionem pertingent; præterquamquod cuiusnam census illa erunt? In cæteris namque febribus vel respiciunt bilem, vel pituitam, vel melancholiam, quibus contrarijs qualitatibus aduersantur; at semini quisnam syrupus proportionatus erit, aut quod apozema congruum, præterquam illud, quod obstructa vasa aperire, ac deobstruere poterit? id à posteriori manifestum, etiam sit, siquidem viri cœlibes, ac mulieres virginitati sacræ, dum hanc febrem incurrunt, non modò his medicamentis non leuantur, verùm exasperantur potius, diuque in illa detinentur nulla remissione, nulla crisi manifesta, nulla apirexia, & omninò nulla mutatione. Nullum ergo huius morbi præsidium, nullaque antidotus? Itane auara, aut impotens natura, vt, vbi tot medica dedit auxilia omnibus morbis profligandis, huic soli febri nihil præstò fuerit? nihil fere aliud prodest, quàm seminis ipsius emissio; At hoc non licet, inquies; Venerea imaginatione, nedum opere prohibente. Ita prorsus est; quocirca ne soli prognostico relinquatur æger hac ipsa febre detentus, regimen saltem aliquod vitæ ex Arnaldo præscribemus, quod erit veluti prophilacticum consilium, quo potius præseruetur antequam corripiatur, licet postquam etiam fuerit quis affectus, longo vsu proderit, siquidem quę præcauent, curant etiam.

Arnaldus igitur de sanitatis regimine capite 28. scribit, eos, qui re Venerea vti consueti sunt, non debere statim, ac prorsus abstinere, sed sensim à consuetudine recedere; additque cùm turpibus, ac vetulis rem fore habendam, dum Veneris vsum paulatim demittunt. Hoc tamen ijs competit, qui impunè, ac nullo peccati crimine, vt coniugati sunt, possunt aphrodision tractare. Alia ergo inuenienda via erit pro ijs, quibus is vsus omnimodè interdicitur. Sed scisciteberis interim, cur velit Arnaldus cum turpibus, ac vetulis concumbendum? ex eo dixerim, quod cùm omnis Venereus actus fœdus, ac re vera putidus existat, ille multò magis huiusmodi est, qui cum turpibus, vetulisque habetur; quò itaque hos viros magis pœniteat rei peractæ, monet Auctor, vt vetulis, deformibusque remisceantur; non enim verendum erit; vt illarum memores denuò libidine concitentur, & speciei illicio ad voluptatem reuocentur; quin potius ex remiscentia turpissimi contactus extinguetur fertior lasciuientis Genij. Age namque, quem a deò furentem œstro libidinis post Venerem non pigeat illicò mulierculæ gibbosę, edentulę, vietę, excarnis, exuecę, putibundę, ac toto corpore rimosæ? vt hic maximè locum habeat Senecę dictum: *Malitia maximam partem sui Veneni bibit*: post namque momentaneam voluptatem, continuò pręstò est pœnitentię venenum; At id non ita facilè contingit, si mulier sit formosa, florida, rosea, candida, cuius memoria excitatur insimul amor, & cupido noua fruendi. Id ferè nobis Horatius primò carminum infinuarat Ode vigesimaquinta in Lydiam vetulam.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Icibus crebris Iuuenes proterui,
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Ianua limen.
Quæ prius multum facilis mouebat
Cardines, audis minus, & minus iam
Me tua longas pereunte noctes
Lydia dormis. &c.

Subdit Villanouanus, in frequentiori vsu esse debere res semen minuentes, vti phlebotomiam, & vomitum, non autem pharmaciam, ne fiat descensus superfluitatum ad membra coitus; Adhuc adhibenda portulacę semina, agni casti, & similia, de quibus abundè egimus, vbi de maleficis naturalibus sermonem iniuimus. Quòd si ex Veneris intermisso vsu stomachus infirmetur, & cor debilitetur, monet coniugiendum ad ea, quę ventriculum roborant, & ad cordiales medicinas; rursus vt gestetur smaragdus, & saphirus, adhibeanturque frigida vnguenta circa renes, necnò plumbeę laminę. Illud ego ex sacris Theologis non prætcribo, licere absque culpa nocturnas pollutiones optare, ijsque etiam cibis, alioue modo occasionem prębere, ea videlicet intentione, vt copia seminis minuatur, vnde & salubrius agat, & libidinis flagrans æstus restinguatur.

Sed redeamus ad Arnaldum, qui libro 2. Breuiarij capite 40. hęc habet: *Multi in diuersis Monasterijs, & religiosis locis reperiuntur, qui vouerunt castitatem Deo, qui pluribus vicibus, Diabolo instigante, & etiam quia cibaria ventositatem generantia comedunt quotidie, quæ augent libidinem, miro modo coire appetunt, & virgam tendunt; & quia*, subdit, *illum librum in Monasterio Casæ nouæ Ordinis Cistercienſis compilaui permanens cum Monachis amore Abbatis, & Prioris, & Monachorum illius loci quædam, quæ faciunt ad remouendum coitum in hoc loco dicam, cum interfit religiosis, castitatem præ cunctis alijs Hominibus continere.* Post hæc multa recensetur medicamenta, quæ in epitomen redacta hæc sunt. Infusio testiculorum in aceto: odor camphoræ: flatus resoluentia, vti fœni-

culum, cuminum, dauci, Agnus castus; summi Creatoris Dei omnipotentis, & Paradisi fortis imaginatio: Ieiunia, labores, victus perperus, lectus durus: Abscissio testiculorum. *Sed hoc*, inquit Arnaldus, *nemini consulo facere*. Item huiusmodi syrupus ℞. lenticulæ aquarum, seminum lactucæ, & portulacæ, papaueris an. drach. 1. coquantur in aqua, & addito saccharo, fiat syrupus: & hæc potiuncula vel in ipsa febre spermatica, iam accensa propinari potest; & si addatur portiuncula camphoræ, & succus limonis, nil vlterius efficacius, desiderari poterit; camphora siquidem & semen exiccat, & putredinem arcet, & febrilem æstum dissipat, & omnino ipsius spermatis vim, ac spiritus hebetat, & extinguit, cui intentioni etiam limonum aciditas præstò est; Item syrupus rosaceus, ac de nenuphare, oximel factum ex infusione seminum asparagi, brusci, agni casti, coriandri, granorum Solis, rutæ, & cumini: syrupus rutæ agrestis, vel etiam aquæ coctæ cum cumino, & aniso: sedere super lapidem marmoreum, & super lapidem multum frigidum, vel supra terram humidam: Infusio peritonæi, & virgæ in succo cymbalariæ, vel vermicularis: cultellum gestare, cuius manubrium ex ligno agni casti factum sit: coturæ factæ in tibijs, & gestare apertas, vt semper humores emittant, faciunt, hominem coitum non appetere: Phlebotomia de vena saphenæ; sed à sceroto, & ab inguine melius me arbitro vt supra; appositio ventosarum supra pulpas tibiarum cum scarificatione: castoreum sumptum cum aliquo syrupo: pedibus nudis incessus, & alia plura, de quibus ex professo nos egimus libro tertio, vbi de rebus Venerem coercentibus, & maleficis naturalibus sermo fuit.

Tandem, ne pia remedia prætermittantur, illud carmen ex hympno Virginum deuotè prolatum efficax est:

Te deprecamur largiùs,
Nostris adauge sensibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

In carnis namque pruritu nullum Religiosis viris efficacius auxilium, quàm ad Deum confugere, qui solus fomitis petulantis illecebras infringere, ac restinguere potest. Vnde sapientiæ 8. legimus: *Et vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum:* Hæc itaque erit spermaticarum febrium cura, seu potius præseruatio. si fortè quis inconiugatus viuat, ita vt aphrodisijs vel solo animo vacare sit necesse; alioquin enim ægrè huiusmodi febres remouentur. Quoad postremò hecticam seminalem credidierim, dulcis aquæ balneo, lacte, & similibus, quæ alteri hecticæ sunt proportionata, curari posse. Cæterum tute lector perspicaciori ingenio alia adipiscere medicamina, mihi sat fuit annuisse; inuentis additur facile.

CAPVT X.

Ischuriæ, aliúsque vrinæ laboribus proficuam esse Venerem.

QVANDOQVIDEM in vrinæ difficultate vt plurimùm vesicæ facultas expultrix consopita est, vt nequeat ideò humores viscidos, aliasque præter naturam materias expellere, fit inde, vt iugiter excitatore aliquo, ac vellicante auxilio vesica, eique famulantis membra indigeant; quo consilio prudentes medici quædam ad præputium adhibent medicamina vellicantia, quatenus communicata penis titillatione vesicæ, ac finitimis partibus & ipsa excitetur, necnon audacter contra morbificam causam insurgat. Vnde Marcellus Empyricus commendat in hunc vsum formicas peni impositas, nitrum, cimices, fimum columbinum, & alia multa; quamobrem si lenis titillatio, simplexque exterior pruritus, quo facultates parum excitantur, potest ad expulsionem irritare vesicam, quantò id efficacius efficiet credendum erit à Venereo illo pruriente sensu, quo seminalia vasa vreteribus proxima ad fortem seminis jaculationem coguntur? etenim vsu formicarum, nitri, & aliarum rerum appositione, facultates vix expergefiunt, vt patet; nam ijs rebus prurientibus semen nequaquam emittitur; at Venerea voluptate furiunt, quin penè percelluntur, vt non difficile inde expulsio fieri valeat rerum præter naturam. vrinaria vasa obstruentium, accedente præsertim attritione, qua calor excitatur, cuius ministerium est aperire, & occlusos meatus patefacere; ob viciniam namque meatuum seminalium, & vreterum fiet, vt si illi atterantur, & incalescunt, hi quoque vellicentur, & excitentur. Potest id non obscurè experientia comprobari, qua videre est, pueros ante pubertatis annos penis meatus, & uesicæ angustos obtinere, ideòque sæpe lapide tentari; siquidem crassa excrementa, quorum ex intempestiua nictus ratione, & ingluuie magnam cumulant copiam, non detrudunt, prohibente foraminum angustia. Verùm non ita citò incipiunt rem Veneris degustare, quod meatus dilatantur, indeque crassis, uiscidisque excremẽtis datur exitus. Porrò non secus ac; teste Hippocrate; coitus adaperit mulieribus uasa uteri, unde accelerat, facilemque reddit menstruorum flu-

fluxum, ita similiter eundem existimandum est simile quid operari in viris, & mulieribus circa vasa ureteres. Non eam tamen inficias, quin per accidens possit interdum præpediri magis urinæ effluxus à re aphrodisia, quando videlicet parui in uesica existentes lapilli, seu arenulæ grandiores Venereo motu commouentur, & in collum delabentes meatum longè magis obstruunt.

Sed ulteriùs probemus nostrum hoc theorema ratione ex anatome desumpta. Duo glandulosa corpora, quę prostatæ nuncupantur, utraque parte colli uesicæ sunt locata, in quibus humor quidam spermati consimilis, tenuior tamen continetur, qui etiam in Venerea mixtione unà cum semine ipso demittitur; hu- A iusmodi verò humorin eum usum à natura positus est ex Galeno libro de semine, ac de usu partium, ut scilicet primùm in Venerem excitet: Secundò, ut uoluptatem pruriendo pariat. Tertiò demum, ut suo lentore, ac uisciditate instar olei urinarium meatum deliniat, ne ab urinę acrimonia lædatur, & excorietur, neue exiccatus prohibeat, quòminùs & semen, & lotium facilè deferatur. Modò si quis ab usu Veneris abstineat, humoris, qui prostatis glandulosis continetur, crassior penitus euadit, ac prorsus difficilis motus, atque adeò meatuum humectationi ineptior; quapropter & urina ęgrè defluet, & acrimonia sua dolorem inferet, ut in ischuria contingit.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Veneris multiplici detrimento, ac summa pernicie.

PRAELOQVIVM.

AGE? quis mihi det æneum pectus, aut quis igneam vocem, vt Veneris deformem rictum, atque iniunctum lethale detrimentum describere valeam? Quis impuræ huius lamiæ turpissimum aspectum, licet pictor facundissimus delineare satis queat? quis adeo prudens poterit immanis huius hięnæ venenatos mille morsus aperire? O si mihi fas esset, hunc recentem Pythonem, hominum vastatorem interficere, vtique dulciora pęana per compita vna omnium voce audire merer, quàm olim sentijt victor Apollo? Nempè eò deuenit naturæ corruptæ, seu deprauatæ conditio, vt humanum genus non amplius generationis gratia, & charæ prolis excipiendæ Venerem exerceat; verùm tantummodo voluptatis fœdæ, quam habet finitimam, illicio; cuius si fortè fortuna expers extitisset, immortalitatem, quam in prole consequuntur, nihil curarent homines: sola voluptas pellicit, irritat: sola delectatio, ac pruritus facit, vt nullum detrectent laborem, nullum declinent onus, immo laboriosa quæque conentur. Inde 3. Ethicorum Auerroes asserebat, Amatores concupiscentiæ causa audacter aggredi terribilia quæque: sola denique mulcedinis titillatio facit, vt moderato vsu non expleantur, & inde in quam plurimos incidant cùm animi, tum corporis affectus. O quàm bene dicebat ideo Cato Maior B apud Tullium: *Nulla capitalior pestis, quàm corporis voluptas hominibus à natura data est.* Et sanè Venus Aphrodisia nomine pestis æquè, & appositè compellari meretur; quo titulo nun cupauit etiam Seneca Tragicus:

Totum per orbem maximum est exortum malum,
Luxuria pestis blanda.

Simili modo Princeps Latinorum Poetarum 4. Æneados Didonis lasciuum ardorem pestem appellauit;

Quam simul ac tali præsensit peste teneri
Clara Iouis coniux &c.

Sed ad rem redeuntes; Tullius primo de finibus rei non ignarus aiebat: *Plerique propter voluptatem, & paruam, & non necessariam tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt.* quod nobis præ omnibus vnus psalmando indixit regius Vates: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Ergo C

I nunc, & animam Veneri committe dolose.

Suis namque illecebris blanditur primò, mordet proximè: primùm insidioso cantu soporat, dehinc atro necat morsu; vt meritò primo Amorum Ouidius

Impia sub dulci melle venena latent.

Quod primo Epistolarum confirmat Horatius:

Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas. D

In quod carmen lepidum illud apud Bocchium symbolum legitur libro 4.

Nuper Pogius hospitalitatis
Fons, item & pater elegantiarum
Hamatum cochlear dedit secundis
Mensis, quo sibi quisque posset apte
In os inferere, vt minutiora est
Mos bellaria prandio peracto.
Tunc res ridicula accidit, grauisque,
Namque hamum sibi quemque deuorasse
Sentit Boccbius, atque ita est locutus:
Ne factum temere putes, sed alta
Mente, & consilio optimo. Quid ergo?
Nempe id significauit, vt voluptas
Tristi hamata dolore non amanda.

Verùm omnium præclarissimè simul, ac pijssimè Gregorius Nazianzenus in Odis rem hanc adamussim enucleat ijs carminibus;

Tu, cedo, dic mihi teterrima,
O male olens caruncula,
Quandoquidem iuncta sum tibi;
Domina coquo, quid tibi vis fieri?
Voluptatem inexplebilem in modum?
Alium quære largitorem;
Mihi enim non est otium, te
Fouere, domesticum hostiem,
Quò vt serpens gelu passus
Aestu deinde concalefactus
In sinu me ferias.

Iure igitur ad huius fugam Didascalos Aristoteles Alexandrum discipulum hortabatur, inquiens: *Oclemens Imperator noli te multum inclinare ad coitum, quoniam coitus est quædam proprietas porcorum, quæ igitur tibi gloria, si exerceas vitium bestiarum, & actus brutorum? Crede mihi indubitanter, quod coitus est destructio corporis, abreuiatio vitæ, corruptio Virtutum, legis transgressio, & generat famineos mores;* Nec profectò ab re coitus ab Aristotele Porcorum dicitur proprietas; siquidem vel apud Ægiptios Horappoline, ac Pierio testibus, dum perditos, molles, ac turpè lascriuientes homines describi consilium erat, porcus exprimebatur pro hieroglyphico: & hinc, ni fallor, datus est apud Homerum locus fabulæ, dum fingit, socios Vlyssis in porcos à Circe commutatos fuisse. Circes enim fera voluptas est. At nimis ad rem nostram D. Bernardus de fallacijs præsentis vitæ: *Nec quicquam habent terrena voluptates, quo famem desiderij nostri expleant, cùm sint vanissimæ, sed potius velut Circæum quoddam poculum, aut porcorum siliquæ animos nostros obrutescere faciunt.* Quò sanè collimauit & illud Senecæ: *voluptas bonum pecoris est.* Magnus insuper Alexander iure optimo duabus potissimum rebus se mortalem esse profitebatur; dum illum turba adulatrix Deum acclamabat, somno videlicet, & coitu, quo palam est corpus ad interitum properare.

Etenim non ibo inficias, nobis à primis Parentibus relictum fuisse inobedientem fomitem, animumque ad nequitiam procliuem; vnde Diuinus Plato in Timæo: *Pudendorum natura in Viris insita vis inobediens, atque imperiosa, & quasi animal non exaudiens rationem furiosarum libidinum violentia subijcere sibi cuncta conatur.* At nihilominus possumus rationali, ac superiori portione animæ reclamantes sensuum impetus coercere, quoniam sensus à ratione corrigi nati sunt, iuxta illud 4. Geneseos: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* quod pariter maximus idem Plato edixerat ijs verbis: *est autem caput, in quo ratio residet, membrum corporis diuinissimum, reliquorumque membrorum princeps, cui totum corpus connexum Dij subesse, ac parere iusserunt:* & hoc ipsum hieroglyphicè describere antiqui Academici volentes, animal effingebant, cuius dimidia superna pars hominis referebat faciem, flagellum præ manibus habentem, quò inferiorem medietatem similem belluæ percutiebat; vt videlicet monerent, debere homines rationis vi brutales, ac rebelles sensuum furores, atque ferinos impetus castigare, vulnerare, & infringere; quocirca æquanimis idem Plato alibi dixerat: *Iecur à conditore esse factum fidem, in qua habitaret anima irrationalis, vt scilicet hæc bellua, tamquam ad præsepe aliquod alligata nullo modo perturbare posset mentem, neque à suis operationibus auocare.*

Sanè ex omnibus, quæ insitæ sunt homini affectiones, nulla fortior est voluptate, qua, vt Cato maior dicebat, homines vt hamo pisces capiuntur, eò quod fraude, & astu insidiatur: inde 7. ethicorum præclarè admodùm Aristoteles aiebat: *Venus est dolosa, & eius corrigia est varia, & quod ex insidijs agit, incontinens est concupiscentiæ;* supra quæ verba Angelicus Doctor hæc addit: *Philosophus Venerem dolosam appellat secundùm quamdam similitudinem, in quantum scilicet hominem subitò surripit, sicut & in dolis agitur, non tam per astutias, sed magis ob violentiam concupiscentiæ, & delectationis;* Marsilius quoque Ficinus libro 2. capite 15. de triplici vita, & ipse subdolam Veneris naturam delineat præclarè, vt semper solet, ijs verbis: *Illecebras verò saporum miras, quibus quotidie, velut hamo capti, clam miseri vitam perditis, Venus insidiosa fabricat; Quid igitur Martem incusatis? Quid Saturnum?* *Mars quidem raro admodum vobis, palamque nocet. Saturnus quoque sapius vultu se professetur hostem, nocet tardius, tempusque remedijs nulli negat. Sola Venus palam, vt amica venit, hanc igitur incusate potius, si quem inter supiros incusare licet: admultiplices huius insidias tum oculos argiuos ipsos instruite, tum Palladis clypeo vos munite. Aures autem adblandas pollicitationes claras, tanquam ad lethales syrenum cantus obstruite. Hunc denique*

pro-

prouidentiæ florem à me accipite, quo Circes huius veneficia deuitetis. Hæc igitur, vt familiaris inimica recedat à corde, si sapis; namque vt Boetius libro 3. aiebat: *Nulla pestis efficacior est ad nocendum familiari inimico.* Igitur Textori potius præbeantur aures dicenti.

Ite, sed à stimulo carnis, Veneriſque cauete;
Cauta est, atque dolis vndique plena Venus.

Et hoc arbitror consilio Plato primo de legibus dicebat, deteriorem esse, qui voluptate, quàm qui dolore superatur; siquidem vt est apud Aristotelem 2. Ethicorum, propter voluptatem mala operamur, & propter tristitiam à bonis recedimus. Iam, vt patet, deterior est, qui mala operatur, quàm qui à bonis declinat: benè itaque Clotho apud illum Poetam;

Si mundus saperet, Veneris fomenta malignæ
Sperneret, & vanas corporis illecebras.

Melius Lachesis apud eundem

Si mundus saperet; numquam virtute relicta.
Pollueret spurcis corpora flagitijs.

Iure denique ab aliis voluptas dicitur adulterina; ab Vgone à Sancto Victore fœrens sulphur; à Diuo Gregorio corporis venenum, à Platone mortalis syrena, ab Antistene, extremum malum; ideòque cum Epicuro, qui vnicum, & summum bonum in voluptate collocabat, concludamus.

O multum damnosa Viris, damnosa voluptas
O nimis damnosa Viris Venus, damnosa libido;
Damnosi risus, damnosaque basia, torpor
Damnosus, damnosus amor, damnosaque sceorta;
O multum damnosa Viris damnosa voluptas.

Verùm damna, ac detrimenta Venereæ voluptatis singillatim inferius describentur.

CAPVT I.

Aphrodisiam voluptatem animum inprimis deprauare.

NON immeritò in statuis Anacharsidis inscriptum erat: *linguam, ventrem, mentulam compesce*: quo fortè intuitu in conuiuio apud Solonem idem consopitus ita decumbebat, vt sinistra pudenda, os dextra comprimere videretur; quandoquidem fœda Veneris voluptas non modo corporis destruit facultates, eiusdemque vires funditùs elidit; verùm etiam diuinæ mentis aciem hebetat, animique bona cuncta labefactat; quod si quæras, quonam pacto immortalis, ac purus animus à corporis affectionibus immutari, seu corrumpi valeat; Respondetur, spiritum quamdiù corporeis inhabitat membris horum coaffici pathematibus, iuxta illud Poetæ celebre carmen 6. Aeneidos alibi sæpe relatum.

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Respiciunt clausa tenebris, & carcere cæco.

Verum igitur est, Venerem præ cunctis alijs passionibus animum, mentemque infringere; & minus mali profectò foret, si ab Aphrodisia voluptate corporeæ tantum emanarent ægritudines, nisi etiam purissimæ quoque animæ accederent affectiones, quæ proculdubio longè sunt quibusuis corporis infirmitatibus deteriores; quantùm enim corpori præstat animus, tantò faciendi sunt magis huius, quàm illius languores. Valerius ille cognomine Maximus libro suæ Historiæ nono hanc fœdissimam improbans, & vndique exitialem voluptatem, aiebat: *Quid luxuria fœdius? quidue damnosius! à qua virtus atteritur, ratio languescit, sopita gloria in infamiam commutatur, & animi vires, & corporis expugnantur?* legat amabò quisque Catonem Maiorem apud Romanę eloquentię Principem dicentem: *Impedit consilium voluptas, rationi inimica, ac mentis, vt ita dicam præstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium;* Ideoque mysticè apud Anacreontem habemus, Coribantum illum, qui ante fores Iouis ad fontem Venereę voluptatis ebibebat, nunquam potuisse Mercurij eius præceptoris (cuius nomine intellige sapientiam) ędes reperire; quapropter Philo Hebręus non immeritò enunciauit: *Duo alia non sunt in rebus ita opposita, quàm sunt voluptas, & scientia.* Nęc Philosophus in Ethicis id prętetijt, quando palàm profitetur, Venereas cupiditates, & illecebras, vel admodum Sapientis auferre intellectum; Inde D. Thomas secunda secundæ quęst. 55. artic. 8. prudenter habet: *Luxuria propter vehementiam delectationis, & concupiscentiæ totaliter opprimit rationem, ne prodeat in actum.*

Aristophanes Poeta non vulgaris dum Troię miserabile narrat excidium, fingit, in sęua illa, &

& horribili nocte, qua Ciuitas ruebat flammis, Ænean tot circumseptum ærumnis, tantis periculis obnoxium, quandiù Mater Venus illi propè, & à latere astitit, velut excæcatum nihil vidisse; vt significaret, hominem quandiù voluptati adhæret, mentis oculos habere omni luce orbatos. Nihil nempè altum, nihil generosum, ac diuinum suscipere possunt, qui suam omnem cogitationem in voluptatem abiecerunt, quoniam ei, qui voluptati deditus est, vt secundo de finibus testatur Cicero, *omnia sensu, non ratione sunt iudicanda, eaque dicenda optima, quæ sunt suauissima.* Fit ergo sensibus mancipatus animus, animus diuina e mente exceptus, quo nihil diuinius, nihil præstantius Deus ipse homini dedit: quocirca in opusculis exclamabat meritò Aristoteles, oportere perfectum Philosophum huius sæculi desideria mortificare, quæ adducunt ad mortificationem corporis, & animę. Proh deploranda calamitas! Vis animi, quę diuina semper perscrutari, sublimè semper tendere deberet, infami, & obscæna voluptate humiflectitur, obscuratur, extinguitur, inde citato nuper loco Philosophus miserandum hoc ægrè dolens infortunium exclamabat: *Væ animæ peccatrici, ac deuiæ, quæ non habet potestatem redeundi ad locum suum, quia turpes delectationes corporis impediunt eius ascensum sursum.*

Nimirùm cùm tres extent animæ potentiæ nobiles, intellectus, memoria, ac voluntas, hæ omnes à Venere dolosa læduntur, & eliduntur. Inde 7. ethicorum profitetur Aristoteles, Venereas concupiscentias quibusdam insaniam immittere; igitur ingenij hebetat aciem, lumenque intellectus obscurat. Nihil enim, vt Seneca in præfatione libri septimi declamationum habet: est tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria; qua re motus Theocrytus protulit auream illam sententiam:

Amare, & sapere nec Dijs conceditur.

D. Thomas in secunda secundæ, quæstione 15. articulo 3. rationem reddens, cur obscenæ voluptates tantum obsint, mentisque depraueant actiones, ait: *Quia ijs videlicet maximè homo impenditur, & applicatur ad materialia, proinde debilitatur eius opera circa intelligibilia.* Memoriam & ipsam vsu Veneris eneruari, quando ex eo caloris, ac spirituum summa fit iactura, sine quibus reminiscentia nequit vllo modo vigere, luce clarius est. Voluntas demum adeo ad illecebras insidiantis huius hyenę redditur proclivis, vt nihil vlterius expetere, ferè possit, quàm turpes has, ferinasque voluptates. Patet hoc, nam cùm voluntas sequatur intellectum, cùmque hic, vt dicebamus, oppressus caligine, Veneris nequitiam non aspiciat, & non cognoscat, sed illam tam-

A quam bonum apprehendat; non mirum si voluntas idem sub specie boni concupiscat. At quid inde sequitur? Certè omnium vitiorum executio, omnium virtutum dejectio; nam vt Ouidius in Epistolis.

Quid deceat, non videt vllus amans.

Audiatis amabò D. Thomam apud Boetium, libro 3. Prosa 7. vbi hæc exarauit: *Conatur voluptatum generat carnalem humorem, hic generat auaritiam, hæc generat desiderium diuitiarum, quæ generant inuerecundiam, inuerecundia præsumptionem, præsumptio infidelitatem, infidelitas latrocinium, propter quæ malè vitanda est voluptas.* En ergo vt corrumpit omnia Venus, & in exilium virtutum omnium coercet actus, deletque bene operandi habitum; vt cum Homero exclamare libeat.

Ah miseri quorum caput ignorantia texit.

& cum Claudiano.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine sensus.

CAPVT II.

Vinum, & Venerem eadem afferre detrimenta.

VINA, & Venus pari passu incedunt, ideo communi quadam nota infimulantur, hinc Poeta.

Compedibus Venerem, vinclis constringe Liæum.

& alibi decantatum fuit.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina, Venusque nocent.

Quod verissimum esse demonstrabitur, si quę damna vinum infert, cum Veneris detrimentis eadem comparentur. Si vinum in primis lædere nervos, in confesso est apud omnes rei medicę professores, Venerem similiter nervos offendere ex Galeno alibi ostenditur: si vinum caput, & cerebrum debilitare, manifestum est; debilitat itidem Venus caput, & cerebrum, vt patet experientia: si vina mentis aciem tenebris offundunt; eiusdem Venus opprimit acumen: vina offuscant oculos; Venus pariter lucem hebetat: Vinum inebriat; Venus dementat: Vinum calorem naturalem extinguit; Venus natiuam caliditatem refrigerat; vinum in furorem compellit; in insaniam Venus: vinum podagram peculiariter infligit; Venus eiusdem fœcundissima parens est. Quo circa venustissimè a Poetis, qui vera sub tegmine falsi adumbrant, scriptum fuit, Venerem in matrimonio innectam Baccho

si-

filiam podagram genuisse; & huius euentus ea ratio est, quòd vno, eodemque modo Venus, & Vinum debilitant artus, laxant vasa, per quæ humores à capite, medulla spinali, atque vniuerso corpore præcipitantes, nec non tendones, ac neruos lædentes huiusmodi affectionem producunt. Adhuc Venus, & vina eodem pacto imbecillem præstant ventriculum, vnde cruditates, & ab ijs mala cuncta effluunt, ac potissimum articularis morbus. Cuius rei duo habentur apud Hippocratem clarissima testimonia in aphorismis; vnum est, quod Eunuchi podagra non laborant, eo quia Veneris non exercent operam: alterum quod pueri ante Veneris vsum podagra non afficiuntur: quam eamdem sententiam adhuc luculentiùs repetit libro Prognost. In summa vina, & Venus eodem prorsus modo conspirant, hominumque destruunt vitam, corrumpunt corpora, vnde carmen.

Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra.

Mentem eodem modo deprauant, vnde apud Ecclesiasticum. *Vina, & Venus apostatare faciunt sapientes, & arguunt prudentes*: Cor eodem modo surripiunt: inde capite 4. Osea. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Vitalem auram simili modo abripiunt, ideò vates.

Importuna tradunt in triſtia tartara Ditis
Rectà mortales, ira, merumque, Venus.

Denique adeò coniugali nexu iunguntur Venus, & Bacchus, vt hic Venerem, Venus Bacchum desideret: Quandoquidem qui vino indulgent, ijdem & luxurioſi sunt; & qui Venereis operam nauant, ijdem vini studio delectantur, vt possint illam exercere diutius, & inde languentes uires aliquatenus reparare, dissipatosque spiritus renutrire. Meritò ergo in Epigram. Mato.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina, Venusque nocent.
Vt Venus eneruat vires, ſic copia Bacchi,
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpè parit ferus exitiale cupido;
Sæpè manus itidem Bacchas ad arma vocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello,
At Lapythas bello perdis Iacche graui.
Denique cùm mentes hominum furiarit vterque,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abeſt.

A Sit igitur modus vtrique iuxta normam a Poeta traditam

Vina ſitim ſtdent, natis Venus alma creandis
Seruiat; bos fines tranſiliſſe nocet.

Claudat Epitectus huius capitis orationem, prælaris illis uerbis capitis sexagesimi tertij Enchiridion. *Hebetis ingenij signum est in rebus corporis immorari: velut exerceri diu, edere diu, potare diu, cacare diu, coire diu; nam hæc quidem facienda sunt obiter: cura autem omnis ad animum est transferenda.*

B

CAPVT III.

Naturalem potentiam à Venere labefactari.

C

RES esse corporis viuentis facultates, quibus illud regitur, ac seruatur, apud omnes tum Philosophos, tum Medicos receptum est; naturalem videlicet, vitalem, & animalem, quas omnes ab intempestiua, & immoderata Venere lædi, infringi, ac deuastari, vnus cùm rationibus, tum auctoritatibus palam fiet; At quoniam, teste Philosopho, quę ordine traduntur, facilius intelliguntur, seriatim de singulis agemus, noxas, & cuncta propalantes detrimenta, quæ circa illarum unamquamque ab Aphrodisio ludo contingere poterunt. Incipiemus autem à naturali, ceu quę omnibus ministrat, magisque uniuersalis existit, & qua offensa, difficile est cæteras seruari illęsas; id quod significauit 6. Epidemiorum Hippocrates, cùm dixit: *Ventris segnities, vasorum impuritas, cerebri consumptio, omnium confusio.* Hanc uerò à Venere labefactari; constat unicuique experientia; quando iugiter est uidere, eos omnes, qui frequentiori studio clinopali indulgent, uentriculi imbecillitatem, & D pepsis incurrere uitium, atque penitus cacostomachos euadere. Quarè sapienter Auicennas libro 3. fen. 2. dicebat: *Dimissio coitus est res conuenientior ei, qui habet stomachum debilem:* & ratio est in promptu, quoniam in Veneris palæstra naturales spiritus coctioni inseruientes, dissipantur, unde uentriculum frigescere, necesse est; refrigeratum plures cruditates progignere, quę mox de sententia Auicennę morbos omnes parere aptę sunt. Quocirca Marsilius Ficinus libro de uita producenda cap. 4. dicebat: *Cruditatem tamquam grauem resolutionis simul, & suffocationis causam diligentissimè deuitemus.* Hinc Auicennas

nas idem corrumpi sanguinem aiebat, ubi ipsa digestio corrumpitur, & vnà cum Galeno coctionem radicem vitæ appellabat; ut proinde meritò Diogenes adolescentulo luxuriæ dedito dixerit ex Homero.

Nate mihi fueris breuis vita. Quod cùm luce clarius sit ex Hippocratis, & Aristotelis Gymnasio, ad cætera pergamus.

Non modò infrigidat Venus uentriculum, sed putridis insuper humoribus illum infarcit, adeò vt cum inibi magna excitata est corruptio stabulantis humoris, ventriculi, & oris fœua exoriantur symptomata, ac potissimum fœtens halitus, quo nescio an turpior vlla contingere valeat affectio, qua solùm contractum dirimi matrimonium, fert Ecclesia sacrosancta. Rursus cùm ex Venere immoderata refrigescat iecur, ejusque fatiscat eutonia, nequit recta æmatosis celebrari; verùm loco sanguinis crudi ichores, & impuri producuntur humores, quibus partium œconomia haud quaquam renutriri potest: eò magis quòd membra ipsa infirmata nutrimentum congruè assimilare nequeunt; vnde postmodum cachexia, atrophia, hydrops, deformitas, & reliqua id genus mille pessima exoriuntur symptomata, & inprimis debilitas, de qua statim agendum.

CAPVT IV.

Veneris palæstram ingentem corpori debilitatem inferre.

SVMMVS Philosophiæ indagator Pythagoras interrogatus, quando cum muliere congrediendum foret, responsum tulit: *Cùm te ipso debilior fieri voles*; ratus hic Philosophus, non posse quempiam ex Venere nisi languorem, & olygopeliam reportare: quod rei veritati quàmmaximè consonat; ut ideo summo iure bonus ille Vir apud Textorem in Venerem occineret:

Sed potius minuit vires, effœminat artus,
Membra facit musca debiliora breui.

Hinc summa cum ratione censuit Auicennas, plus obesse feminis emissi drachmam unam, quàm sanguinis quadraginta, cuius rei luculentissimam rationem afferens lib. 3. fen. 20. cap. undecimo, sic ait; *Coitus euacuat de substantia cibi postremi, quare debilitatem affert, cuius similem alia non afferunt euacuationes.* Etenim de eiusdem Arabis arbitrio eodem loco capite 3. *Sperma est quarta digestionis superfluitas, & nutrimentum proximum solidarum partium, & de summa humiditatis proximæ coagulatione, ex qua nutriuntur membra.* Quare membra ipsa cùm proprio destituantur alimento, necesse est robur amittere, & languorem contrahere. Significauit multò ante rationem eamdem sapientipotens Hippocrates libro de Genitura, vbi scripserat: *Genitura Viri prouenit ab omni humido, quod in corpore existit; itaut id, quod robustissimum est, secernatur.* Quod idem inferiùs repetens addit: *Porrò genituram dico, à toto corpore secerni, & à solidis, & à mollibus partibus, & ab humido omni in toto corpore.* Idem prorsus 4. Carminum Lucretius complexus est tali pacto:

Ex homine humanum semen ciet vnà hominum vis,
Quod simul atque suis eiectum sedibus exit,
Per membra, atque artus decedit corpore toto.

Nec me præterit, in textu illo Hippocratis variam fieri lectionem, & Mercurialem inprimis legere, non ab omni humido, sed ab omni parte sana; sed hoc parùm ad rem nostram facit, & supra ex Cagnato genuinam textus illius paraphrasim attulimus: sat est dixisse, ab vniuerso corpore procedere alimentum membrorum, quando res agitur Venerea, seu, vt melius dicamus, vniuerso corpori subrogari alimentum. Quod probatum etiam volo Aristotelis auctoritate, ne quid ad elucidationem desit. Is igitur sectione 14. Problematum quærens, cur Venere vtentes resoluantur, ac debiliores euadant, respondit. *Quoniam ex vniuerso corpore semen prosiuit, & paucum ex multo nutrimento.* Cognouit hanc veritatem Alexander ille Magnus, qui, vt paulò ante retulimus, duabus causis, cùm à cunctis Deus prædicaretur, dignosci, aiebat, se mortalem esse, coitu videlicet, & somno; quòd scilicet ille debilitatem induceret, hic verò esset mortis imago.

Lex extitit olim Hebræorum, ne quis tempore belli mulieri iungeretur, eò quod mulierum consortium robur, ac ferocitatem adimeret. In cuius rei confirmationem adduci potest vetus Athletarum consuetudo, qui à philotisijs prorsus abstinebant, ne eorum corpora, quibus vegetis viribus opus erat, vllo pacto languescerent, vt Plato 8. de legibus, & Galenus 6. de locis affectis fidem faciunt. Magnus quoque Basilius, vt refert Mercurialis primo artis gymnasticæ, Homilia 52. scribit, Pædotribas, considerantes ex Venereis voluptatibus corpus imbecillius, & ad necessariorum operationes pigrum, ac debile reddi, temperantiæ legem promulgasse, quo adolescentium corpora à voluptatibus tuta conseruaret: & ipsis decertantibus, ne aspicere quidem venustas formas

mas permitteret. Quod idem significauit lepidissimus Martialis, dum cecinit:

Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus
Perfundit gelidum Virgine? ne fatuat.

Quin etiam, vt referunt & Plinius libro 34. capite 48. & Galenus 5. de tuenda valetudine capite vltimo non modo athletæ ad Venerem, & erotolipsiam extinguendam frigida se lauabant; verum etiam plumbea lamina ad infringendum fomitis æstum in renum regionibus obstringebantur.

Profectò athletæ ob sanguinis copiam, polyòpsiam, vinique ingluiem, qua vtebantur, fortasse non erant Veneri penitus interdicendi; Verumtamen quamtumcumque corpus sanguissium sit, & succiplenum, Venus reddit & sanguidum, & imbecille; licet alioquin sub aliqua ratione eiusdem visus conferat sanitati. Apertissimis verbis id nos docuit Aristoteles libro de Historia Animalium 10. cap. 7. quem locum nescio, an aliquis intùs & recèq. perpenderit, quo sic ait: *Iam verò interdum fit, vt mulieres cum in somnis emiserint, & viri cum ysi Venere fuerint, robustiores non viribus, sed sanitate euadant.* Post verò subiungit: *Id autem euenit, quando semen multum eo in loco fuerit collectum, vnde emittunt.* etenim, vt ipsemet subiungit cum satis multum sit, quod superest, iccirco non viribus, sed valetudine robustiores efficiuntur. Idem legitur apud eumdem Philosophum primo de Generatione Animalium capite 18. his verbis: *Dissolutio enim, & imbecillitas manifesta consequitur, vbi vel minimum id secesserit, vt quasi corpus eo fine priuetur, qui demum ab alimento afferatur: Paulo verò quidam, & breui tempore per ætatem leuantur, cum id secedit videlicet, vbi copia superarit: quomodo alimentum primum, si vbi modum excesserit, emittitur, melius corpori cedit.* Sed obseruanda sunt verba illa Aristotelis: *robustiores non viribus, sed sanitate euadunt:* vt significaret videlicet, rem Veneris omnimodè imbecillitatem inferre.

Non absque ratione igitur lex Hebræorum statuebat, vt miles, qui vel in somno pollutionem passus esset, extrà castra per totum sequentem diem abscederet; fortè quia languidum, & imbecillem, ac prorsùs pugnæ, & armis impotentem inde factum, existimabant: placet verba ipsa Deuteronomij cap. 23. registrare: *Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re mala. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio; egredietur extra castra, & non reuertetur vsque ad vesperam: lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra, &c.* Sic magnus ille polemarchos, ac strenuitate celeberrimus Romanorum Scipio, teste Valerio Maximo, cùm Generalis Dux, & militiæ coriphæus, quæ ad Hispaniam diuersabatur, electus fuisset, castra ingressus, statim iussit, ea omnia ablegari, quæ corporis voluptati inseruirent; atque illico bis mille meretrices demissæ fuerunt; ratus ille summus vir, non posse arma intrepidè sustinere, qui aphrodisiæ mulcedini dedisset operam; nec sufficere posse Marti, qui indulgeret Veneri. Quis ergo valeat ad ora tantæ Circis appellere absque zoboris, vitæque dispendio?

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Verùm dices, num sit verum, quod ab Auicenna sancitur; vnam videlicet seminis drachmam sanguinis quadraginta æquiualere? Id si verum esset, deberet homo eandem imbecillitatem lucrari ab vno coitu, quàm referret, si eidem quinque sanguinis unciæ detraherentur: At videmus plerosque iuuenes ter, aut quater aphrodision reiterare, parua resultante debilitate, aut saltem non illa, quæ ex viginti sanguinis unciis prouenireret; dato quòd homo in vno congressu non nisi vnicam seminis drachmam effunderet; cùm alioquin duas, ac tres, pluresque effundant corpora calida, & humida: qua proportione idem foret semel coire, quàm vnius libræ sanguinis phlebotomiam sustinere. Respondeo tamen, Auicennæ sententiam verissimam esse, nec enim inter sperma, & sanguinem intercedere proportionem quadrantuplam; quandoquidem in officina caloris, natiui ex quadraginta sanguinis drachmis, non nisi vnica seminis conficietur; & ratio est, quoniam in sanguine sunt multæ superfluitates, bilis, phlegma, ichor, & melancholia, quibus cùm nutritui nequeant corporis particulæ; necesse est eas expumari prius debere; despumatis ijs excrementis, supereſt ad summum quarta pars, videlicet decem ex quadraginta drachmis. Iam cùm hæ decem drachmæ debeant sæpius, ac sæpius coqui, ac digeri; quandoquidem sperma est vltimæ coctionis excrementum, plurimùm imminui debent; nam adhoc vt res humidè valdè concrescant, & coagulentur, opus habent multa coctione; dum autem res humidè ad consistentiam coquuntur, valdè euaporant, multumque minuuntur. Ita mustum gratia exempli adhoc, vt ad consistentiam defruti, seu perfectissimè sæpe coquatur, necesse est, tamdiu ebullire, vt non ad tertias, aut quartas diminuatur, sed ad plures; quare videre est mustum decem vnarum, vix sufficere ad vnius vrnæ defrutum conficiendum. Sic pari ratione, & erit fortè magis congruum exemplum, ad eliciendam drachmam vnam aquæ ardentis summæ perfectionis requiruntur plures, quàm vini quadraginta drachmæ, vt spagiricis notum est. Iam semen est sanguinis ipsius spiritus, seu vitalis humor, & veluti quinta essentia, quo consilio ab Hermeticis vitale balsamum, & perla-

ta nuncupatur materia. Vel dicas, si hæc non arrideant, Auicennam comparare drachmam seminis in viro ultra uires in aphrodisiasmo emissi, cum sanguinis quadraginta, ubi eo corpus largè, & undique diffluit, summoque robore uiget. Cæterùm Auicennę pronunciatum ueritatem non habet in mulieribus, in quibus semen crudius, ac spiritibus depauperatum inuenitur.

CAPVT V.

Aphroditim vitale balsamum, ac Naturalem humiditatem arefacere, ideoque interitum accelerare.

CLYNIAS Pythagoricus interrogatus & ipse, quando Veneris illecebris vtendum foret. *Tum*, ait, *quando aliquid mali quis pativeht*: cùm verè nemo à Veneris palæstra resurgat illæsus; quam læsionem cùm de suo instinctu natura cognoscat, statim post aphrodision tristatur, quasi dolens infortunium, & factam iacturam. Arguit illud est detrimentorum omnium longè grauissimum, quod iethum accelerat, auramque vitalem, qua nihil dulcius, extinguit; nam cùm vniuseuiusque vita in calido illo primigenio, insitoque humido consistat, isdemque commeniuretur; cùmque Venus id genus calotis, & humoris & refrigeret, & arefaciat; nihil mirum, si necem inferat vnicuique quamocyus. Nec sanè humanæ vitæ breuis periodus nostra, hac tempestate in aliud referri potest, quàm in immoderatam carnis concupiscentiam, atque catopheriam. Proh hominum cæcitatem! vt breui, ac momentanea fruantur voluptate, vitale bonum, quo non est sub Cœlo optabilius quicquam, contendunt, pessundant. Significauit id nobis pluribus in locis Aristoteles, quos hic recensere, operæpretium arbitror, quatenus nostra conclusio tanti Philosophi, & aliorum etiam fusiuita auctoritatibus, penes omnes certam fidem adipiscatur. Stagirita igitur libro de longitudine, ac breuitate uitæ, manifestis uerbis enunciat, falacia quæque animalia parum uiuere: ut enim ipse idem alibi scribit, qui multum uoluptate utitur Venerea, inueterat corpus suum; siquidem cùm inueteratio contingat humiditatis insitæ arescentia, cùmque illa à Venere auidè depascatur, vt passim Philosophi, ac Medici testantur; inde est, quòd frequentius lasciuientes immaturam senectutem incurrent, atque morbi fiunt. Quare Auicennas libro 3. fen. 2. tractatu primo capite secundo prudenter admodum scribebat. *Et coitus quidem facit velociter peruenire eum, qui plurimum eo vtitur, ad infrigidationem sui corporis, & resolutionem caliditatis innatæ, & mortificationem virtutis.*

Insuper nonne habemus in Aristotele, passerem ad tertium annum præ libidinis copia vix peruenire? Quinimo nono de Historia Animalium capite 7. idem refert ex multorum sententia, passerum mares diutius vno anno durare non posse. Anerroes quoque in commento libri de longitudine, ac breuitate vitæ narrat, mulum plus viuere, quàm equum ob coitus paucitatem. Ideò Marsilius Ficinus aiebat; *Naturalem humorem velociter hæc exiccant, sanguinis fluxus vberior, profusus sudor, coitus ad debilitatem factus*. Cuius euentus illa est æqua ratio, quoniam, vt paulò ante asserebamus, semen est de substantia vltimæ digestionis, illius videlicet, quæ membris alendis præsto est, ideoque id, quod humidum natiuum restaurare potest. Præterea cùm vita tamquam lumen in naturali calore consistat, vt Ficinus ait; calor autem naturalis in spiritibus resideat, ac seruetur; quid mirum, si ex iugi Veneris palæstra uita extinguatur, quando in ea spiritus ingens copia disperditur? Siquidem apprimè spirituosum est semen ipsum; vnde libro illo de Genitura dicebat Hippocrates, id quod robustissimum est in Venere fieeerni: ideoque Auicennas Canticorum tractatu primo non ab re edixerat: *Multum coitus debilitat corpus, facitque ipsos hæreditare varios morbos, ac dolorum species*. Meritò ergo decantatum olim fuit.

Crebra Venus neruos, animum, vim, lumina, corpus
Debilitat, mollit, surripit, orbat, edit.

Tradunt naturales Philosophi de polypo pisce, quòd licèt eius roboris, & audaciæ esse videatur, vt nauim piratam è naui abducere, vt mergat, & voret; cùm tamen æstate tempore Veneri indulget, adeo uiribus prosternitur, ac nequitiæ narcosi offunditur, vt vilibus etiam piscibus cuadat esca: Sic ergo aphrodisius vsus ictu oculi mollit animum, vires debellat, audaciam frangit, corpusque efœtum robore tundit insenium. Hinc non iniuria de Senectute Cicero scriptum reliquit: *Libidinosa, intemperansque adolescentia effœtum corpus tradit senectuti*. Fabulatisunt Poetæ, qui sub inuoluceris alta, texerunt mysteria, quòd comprehensus à Vulcano Mars cum Venere in clinopali, complicatus ab eodem, ac retentus laqueis fuit, quoque Deorum concilium in adulterij testimonium accerseretur: quid hoc est, nisi documentum, quo significarent, Venerem vires, robur, vigorem, spiritus, ac vitam adimere? Age! Mars ille armorum Deus, ac bellorum Dux in-

Digitized by Google

uictus, molli rete, ac fragili compede vincitur? ille furoris auctor, ille valoris arbiter, qui nec ferro, nec igne superari poterat, tenui flamine comprehenditur? Ille demum Deorum terror, hominumque pauor à turpi homunculo, claudo, squallido, & impotente fabro vna cum Venere illaqueatur? Ita est, omnis virtus langueſcit, omne robur corruit, vbi suas Venus effundit illecebras.

Sed adhuc nobile mysterium hic referatum uolo, quò ueluti epiſodio propoſita theſis roboretur, & claudatur: & est, quòd cùm rerum omnium nundinæ apud Romanos prorſus inuarijs locis haberentur, ſola inuolucra illa uilia, funebreſque lacernæ, quibus cadauera defodebantur, vendi ſolebant, vt refert Plutarchus, apud Veneris templum. Nimirùm, vt ſignificarent, Venerem ipſam mortis eſſe ſummam cauſam; ideoque ibi neceſſaria ad mortuos vendi, par eſſe, vbi mortis alitabat origo, miſerique deperierant. Pulchrum profectò mysterium, quo mihi exclamandi datur occaſio cum Triſmegiſto in Pimandro. *Quo ruitis mortales ebrij, qui merum ignorantiæ combibiſtis? cum id ferre nequeatis, euomite, viuite ſobrij, oculis mentis inſpicite. In primis autem oportet veſtem, quam circumſers, exuere, indumentum inſcitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, ſenſitiuum cadauer, ſepulcrum circumuertile, domeſticum denique furem, qui dum blanditur, odit, dum odit, inuidet: huiuſcemodi eſt, quo circumtegeris, umbraculum inimicum.*

CAPVT VI.

An, & quomodo Venus immoderata canitiem acceleret; vbi de ipſa polioti nonnulla cum Hippocrate, & Ariſtotele expendantur.

INTER alia propemodum infinita ſymptomatum genera, quæ ab lurida Venere humano corpori immittuntur, ſunt non leuia illa, quæ accidentia turpitudinis nuncupantur, vt in primis canities, & caluitium, de quibus in præſentiarum ſeriatim agendum: & ſanè canitiem ab uſu aphrodiſio præcociter aduocari, docet in primis communis experientia, qua videre eſt, omnes quot quot largiùs Veneri dant operam, immaturius, immò etiam primò virilitatis limine caneſcere. Noui Iuuenem mihi familiaritate iunctum, qui vix vigeſimo quinto anno peracto ob libidinis exceſſum vniuerſo penitus capite canuerat; docet hoc inſuper Textoris in primis auctoritas, qui Venerem obiurgans aiebat.

Hæc pariter canos accelerare facit.

Probat vltimo ratio, quæ vt ſolida appareat, paulò altius repetendæ ſunt canitiei cauſæ. Hippocrates, vt ab hoc exordiar, canitiei cauſam his verbis libro de natura Pueri deſcribit: *Cæterùm cani ob id fiunt, quòd longo tempore pertranſeunte in homine humiditate albiſſimum eius ſecernitur, & ad cuticulam allabitur, & pilus albidiorem humiditatem trahens, albidior fit.* Quamobrem cùm Veneris vſus, eo quod refrigeret, & coctrices facultates reddat imbecilles, ac torpidas (vnde pituita, & cruditates) pituitoſi excrementi copiam congerat, nihil mirum, ſi huiuſcemodi affectus à Venere ortum ducat. Vnde Ariſtoteles primo capite quinti libri de Generatione Animalium aiebat: *Canities debilitas quædam humoris ſiti in cerebro, & cruditas eſt.* Quam eamdem ſententiam repetit capite 4. eiuſdem libri, vbi canitiem in caloris inopiam, & alimentum incoctum reijcit; etenim non ſum ego huius ſententiæ, vt rear, canitiem a ſiccitate produci, vt multi perperam cenſuere, eo quod Venus exiccet; contra hoc enim eſt Ariſtoteles 3. de hiſtoria Animalium, vbi legimus: *Plurimos tamen canorum numerus candicans illico exiſtit; qua ex re patet, canitiem non ex ariditate committi, vt quidam volunt; nihil enim illico aridum gigni ſolet.* Quam eandem ſententiam adhuc luculentiùs repetit 5. de Generatione Animalium capite 3. ijs verbis: *canitiem autem non eſſe ariditatem, nec pilum, vt herbam exiccatum albeſcere, indicium eſt, quod pili nonnulli cani illico oriuntur, at nullum oritur aridum, multi etiam ſuo extremo albeſcunt, &c.* Verùm ſciſcitaberis, qua ratione hæc pituita canos reddat pilos: reſpondeo, fieri omninò, vt vitium illud cutis, vitiligo appellatum; in hoc enim pituitæ pars candida ad cutem allapſa inficit ſuo colore, & qualitate; & quoniam pili diuerſificantur iuxta cutis ipſius diuerſam diſpoſitionem, atque colorem, ſequitur, vt etiam ipſi albidi fiant. Hanc opinionem hauio ex Hippocrate citato libro de natura Pueri, vbi legitur. *Qualemcumque humiditatem caro attraxerit, ſiue albam, ſiue rufam, ſeu nigram, tali colore etiam pilus inficitur.* Quod idem confirmat Philoſophus 3. de Hiſtoria Animalium capite undecimo his verbis: *Quibus verò Animalibus verſicolores ſunt pili, eoſdem etiam in cute varius ille color habetur, atque etiam in lingua. Perſpicuum igitur hoc.*

Cæterùm ſiquis addiſcere cupiat, quare per Venerem ad cutem pituita profundatur, id ex

eo accidere sentiat, quod in clinopali cutis, ac superficies incalescit, exquo consequens est, vt eadem attrahat vndequaque pituitosas humiditates, quarum pleni sunt ventres eorum, qui rebus aphrodisijs iugi studio nauant operam: huiusmodi autem album excrementum ad superficiem ductum, plerumque adhærescens radicibus, paulò post putrescit, vnde ipsorum pilorum exurgit canities, vt in Problematibus edocet Aristoteles.

Verùm enimuerò occasione, qua agimus de canitie, non erit ab re, veluti pro coronide, duo non ignobilia problemata, ab ipsomet Aristotele indicata examinare, quorum primum est. Quare pili ocyùs canescant operti, quàm detecti? Secundum est, cur tempora, ac partes primores celeriùs, quàm posteriores canitiem sentiant. Prioris problematis causam insinuat Aristoteles, quidiffiatos, ait, tardiùs senescere pilos; cum enim obtecti pili, expirare, seu ventilari nequeant, sequitur, vt capitis exhalationes in ipsammet cutem refundantur, quę huiusmodi mox putredine imbibita, simili colore crines commaculat; & ex hac ratione citius caput, quàm mentum canescere, obseruamus; eò quia caput, vt plurimum tectum gestetur; mentum verò iugiter detectum, ac palàm expositum. Sic quinto de Gener. Animalium Aristoteles capite 5. asserebat ijs verbis: *Canitiem autem effici putredine quadam, nec esse, vt quidam putant, ariditatem, indicium est, quod pili, qui vel pileo, vel alio tegmine operiuntur, celeriùs canescunt, flatus enim putredinem prohibent, operimentum autem flatum arcet:* & hac ratione Aegyptiorum capita tardissimè poliotim sentiebant; è contra Persarum capita celeriùs, & immaturiùs illam experiebantur, non ob aliam causam, nisi quia hi a primis annis incipiunt caput impensiùs fouere, pileos, thiarasque gestantes; illi verò vel à primis annis abradebant capita, quæ ad solem maximè reddebantur compacta, & contra externas iniurias consequenter melius suffulta. Quare, vt etiam Herodotus libro 3. testatur, Persarum capita vsque adeò fragilia, ac mollia erant, vt solo calculo frangi, ac perforari poterant. Aegyptiorum autem ita robusta, & firma, vt vix ictu lapidis colliderentur. Quapropter commendanda est illorum consuetudo, qui nudato capite adolescentes incedere iubent; nam tegmen, & pileus ipsum caput infirmant, vt Auicennas 3. Canonis testatur; quam sententiam mutuatus est forte à Platone 12. de legibus, vbi astruit, tegmenta pedum, & capitis caputque, & pedes corrumpere.

Quod verò ad secundum spectat problema, dixerim ex eò tempora, ac partes anticas ocyùs canescere, quoniam temperamentum nactæ sunt humidius; tempora enim musculum obti- A nent, cuius gratia humidiora, quàm capitis posteriora existunt: sinciput insuper & ipsum humiditate præpollet, quandoquidem in huiusmodi organo imaginatio residet, quæ humidam, ac mollem temperiem expetit. At ne quid absque auctoritate loquamur, Peripateticorũ Gymnasiarcha Aristoteles 5. de Generatione Animalium capite 4. hæc enunciat ijs verbis: *Tempora autem primò canescunt, quòd occiput vacat humore, cùm non contineat cerebrum, sinciput verò habet multum humoris; quod autem multum est, difficile id putrescit. At in temporum pilis nec tam parum humoris est, vt concoqui possit, nec tam multum, vt putrescere nequeat; cùm enim is locus medius inter vtrosque sit, extra vtrumque affectum esse potest.* B

Sed quoniam superius ex Aristotele diximus, canitiem fieri statim, quæres, an id verùm sit; Porrò fuisse aliquos, qui vnius noctis, immò breuis horæ spatio canuerint, memini me legisse sæpius. Suetonius Tranquillus in Sergio Galba narrat, sacrificante Imperatore puero ministranti acerram totius capitis capillitium repentè canuisse. Nicolaus Florentinus simili modo tradit, Puerum se vidisse Matthei Lippi de Scarparia, & Chechium Sutorem quemdam repente canos effectos: nec minus celebris est historia à Scaligero relata exercit. 313. aduersus Cardanum de subtilitate; scribit enim, Franciscum Gonzagam Mantuæ Principem affinem suum ob coniurationis crimen ad supplicium C in Turri seruari iussisse, cùmque huic supplicij legeretur sententia, confestim canum euasisse. Vide si placet historiam, quam etiam Martinus Delrio libro Disquisitionum Magicarum refert. Dicendum igitur est, quòd intima quædam, ac profunda mentis cogitatio, cura, & metus de repente canitiem parere possunt: hùc facit versus

Cura facit canos, &c.

Inde 1. de Ponto Ouidius elegia quinta scribens vxori, se factum iam esse canum, postquam dixerat;

Iam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Iamque meos vultus cura senilis arat.

D Subiungit statim

Confiteor facere hoc annos; sed & altera causa est,
Anxietas animi, continuusque labor.

Sicuti enim præ corporis ægritudine accidit interdum, vt iuuenes vndequaque canescant; vnde Aristoteles quinto de Generatione Animalium citato capite 4. dicebat, morbum esse aduentitiam senectutem; senectutem autem morbum naturalem: Sic præ animi morbo, qui est immoderatus quilibet affectus, immaturæ canities exoriri potest, vt recensita exempla nos mentiri non faciunt.

CA-

CAPVT VII.

An, & qua ratione aphrodisiasmos caluitium, & salitium faciat.

ENON minus canitiem, quàm caluitium, salitiumque à Venere originem ducere, auctoritate prius plurimorum, eorumque grauissimorũ Scriptorum, atque etiam mox rationibus comperturn fieri, velim. Verùm vt ea, quæ dicturi sumus, melius intelligantur, prænoscendum est prius, animalium pilos in duplici differentia reperiri, ideòque alios appellari congenitos, alios verò postgenitos. Congeniti ex Aristotele dicuntur libro de Historia Animalium illi, qui vnà cum corpore generantur, simulque in lucem eduntur; vt sunt capitis capilli, supercilio-rum, ac palpebrarum pili; Polt geniti verò, qui post generantur, vt sunt primò pili pubis, mox alarum, postremò menti. Iam magnus Philosophorum Dux Aristoteles libro 3 de Historia animalium capite vndecimo sic habet: *libidinosis pili congeniti maturius defluunt, posti genici celerius se se promunt*: adeo vt ex libidine quis facile in caluitium, & salitium incidere possit. Verùm clariùs adhuc, & apertiùs ex eodem Philosopho præfatam sententiam expendamus. Is enim eodem in loco testatur, neque caluitium, neque salitium ante Veneris vsum cuidam contingere posse. Iuuat ex more ipsius verba regiſtrare: *Ergo capitis lauitatem caluitium nuncupamus, quam rem in supercilijs salitium appellamus, quoad melius vocabulum inuenerimus, neutrum eorum prius quàm cœptus coitus Venereus sit, accidere nouimus*, & hoc idem libro quinto de Generatione Animalium capite 3. repetit. Rursus in eiusdem opinionis confirmationem subiungit Philosophus, caluitij immunes esse mulieres, pueros, ac spadones: adhuc eodemmet capite scribit palpebrarum pilos defluere rebus inceptis Venereis, eòque magis, quò libidinis vsus fuerit frequentior; vt hinc facillimè quisque certior fieri debeat, dubium non esse, ex Venere & caluitium, & salitium principium ducere, idem omninò asserentibus ex Arabis Auicenna, ex Græcis Aetio, & alijs communiter.

Quibus ita positis sequitur, vt inuestigemus, quomodo caluitium à Venereis inferatur; id nimirum duplici ratione contingere, statuo; vel scilicet ariditatis causa, vel prauorum succorum putredine. Ratione quidem ariditatis contingit caluitium, ac salitium; quandoquidem

A Aristoteles in Problematibus rationem adducens; cur homines caluescant, ait, ex eadem causa illos caluescere, qua arbores defoliantur; sed arbores natiuæ humiditatis defectu foliis nudantur, igitur & homines ob areſcentiã, quæ est humoris carentia, calui fiunt. Qua etiam ratione inductus Alexander 1. Problematum putauit, eos, qui crispos obtinuere capillos, eorũs caluescere, quoniam sicciori prædicti sunt cerebro. Modò Venus cùm sit insitæ caliditatis, atque humiditatis dissipatrix, exiccat admodùm; igitur necessariò congenitorum pilorum glabritiem inferre debet, caput in primis debilitando, ac refrigerando. Ita summus Philosophus 5. de Generatione Animalium capite

B 3. sentire videtur his propemodum verbis. *Quamobrem nemo, antequam coire incipiat, caluescit, sed à Venereo coitu potius id euenit, scilicet ijs, qui sua natura sunt eò propensiores; cum enim cerebrum frigidissimum omnium corporis partium sit, tum rei Venereæ vsus refrigerat, caloris namque sinceri, naturalisque secretio est: itaque cerebrum sentit meritò prius, quæ enim imbecilla, vitiosaque sunt, causa parua, exiguoque momento immutantur.* Hactenus Aristoteles, cuius sententiæ è diametro aduersari videtur Hippocrates libro de structura Hominis, vbi caluitij causam caliditatem, non frigiditatem statuere uidetur, & communi opinione à calido capite caluitium prouenire creditur. Porrò conciliantur summi auctores, si dicatur, æquè ab excedente calore pilorum radices exurente caluitium fieri posse, quàm à frigiditate exuberante, ob id scilicet, quod ad pilorum conseruationem exposcitur humidum calidum pingue de sententia eiusdem Aristotelis: igitur cerebro refrigerato huiusmodi pinguis humor defectu caloris excoqui nequit. Quocirca 4. Problematum addebat Philosophus: *Reliqua autem vtraque genera eadem illa de causa desiciunt, quòd partes superiores sanguinis parùm obtinentes, libido refrigerat, ita enim efficitur, vt locus hic alimentum concoquere non possit, cùm autem pili alimento caruerint, desluant necesse est.*

D Sed fortiorem adhuc rationem expiscari placet ex Galeno, vt probem, ab vsu Veneris manare caluitium. Profectò nihil magis cerebrum consumit, quàm nequitia frequens; maior siquidem seminalis materiæ portio à cerebro defluit, auctore Hippocrate. Iam 6. Epidemiorum Sectione 3. idem auctor existimauit, caluitium ab ipsius cerebri consumptione effici, vbi enim dixerat: *Ventris torpor, vniuersorum confusio, vasorum immunditia, cerebri consumptio.* Statim subiungit. *Qua propter, & caluicies*; quam sententiam exponens ingeniosè, vt solet, Galenus, ait, quod progressu temporis in homine cerebrum ab osse cranij abscedit,

vn-

vnde debita humiditate os illud defraudatum, nequit pilos, vt decet, alere; hi ergo congruo alimento destituti paulò post arescunt, ac decidunt. Hinc ego colligo, ex eo caluitium in anteriori magis parte contingere, quidquid placeat Auerroi, & Alexandro, quoniam vbi primum incipit cerebrum consumi, cuius in parte anteriori magna est copia, pars hæc prior cerebro destituitur, eo modo, quo incipiente è dolio exire vino, pars dolij superior prior vacua remanet. Vel si magis placet, dicamus, Aphrodisium vsum, eò quod calidum illud pingue absumat, ac dissipet, auferre pilorum nutrimentum; eo prorsus modo, quo tempore autumnali, arescente stirpium humore congeneto, folia contabescunt, ac decidunt.

Cæterum libidinis actus immoderatos gignere in corpore prauorum succorum colluuiem, præterquamquod superiori capite diximus, inde etiam palam innotescit, quòd corporis vniuersam oeconomiam labefactat, ac facultates omnes destruit, succosque in confusionem trahit; hinc videre est Veneris omnes pallescritas vultu sœdos, aspectu turpes, colore prauos, atque halitu fœtidos; vt non sit ideò mirum, si putridis cumulatis excrementis, caput insuper glabrum, ac debile supercilium reddere valeat eremenia. Et hinc est, quod Aristoteles mulieres caluitio non laborare, edisserit, licèt Albertus libro 19. de Animalibus, duas mulieres caluas se vidisse, testetur, cùm enim per menstruum illum fluxum noxijs quibuscunque succis depurentur, & sanguine acriori, ac deteriori prorsus expurgentur, huic turpitudinis symptomati, vt cæteris multis non fiunt obnoxiæ. Quæ sanè sententia coincidit cum illa Hippocratis Aphorismorum 6. vbi habet: *Qui calui fiunt, bis varices magni non eueniunt: Quibus verò caluis varices supereueniunt, ij rursus comantur*, & enim cùm per varices ex diadosi prauorum succorum fiat auersio à capite ad crura, non mirum, si ijs accedentibus, futura prohibeatur caluities, & præsens amoueatur: & hanc ipsam sententiam ex Hippocrate hausit verbatim iniquus Præceptoribus suis Aristoteles; tertio enim de Historia Animalium capite 3. illam registrauit ijs verbis: *Minus qui varices habent, caluescunt, & si calui habere incœperint, pilos nonnulli producunt.* Id tamen & apud Hippocratem, & apud Aristotelem intelligas de caluitio à prauis excrementis oriundo, quod enim ex siccitate contingit, nullam curationem recipit; & ratio euentus ex Aristotele ipso est, quoniam homo, eiusque partes mutantur secundum ætates tantum, quæ nunquam redeunt; quare non mirum, si eiusdem mutationes non renouentur, perinde ac in plantis accidit, quæ secundum anni tantummodo partes immutantur; quo circa cùm semper redeat ver, & autumnus, semper ijsdem folia renouantur, defluuntque. Atqui humano generi unum est ver, nempè iuuentus: vnus autumnus, nempè senectus. Adde, quod dissolutum humidum pingue nequit restaurari.

Verùmenimuero cùm de caluitio etiam promoueri possint ingeniosa, & perpulcra quædam problemata, illa non erunt reticenda: Illudque in primis ex verbis Aristotelis obuiam venit, quid sit videlicet, quod, vt ille ait, minus caluescere solent, qui mento sunt bipartito? Porrò causam huius euentus haud mihi facile est assequi, nisi ex quadam coniectura, quam de fonte Physiognomonico exantlaui, & est, quod cùm mentum bipartitum significet ingenij crassitiem, atque adeò pinguem cerebri humiditatem, ex qua radices capillorum fotæ hærent magis, ac diutius; inde est, quòd qui huiusmodi bipartitum obtinent mentum, minus caluescere solent, eo præsertim caluitio, quod à siccitate prosiuit. Dixi pinguem cerebri humiditatem; quoniam humiditas ichorosa, ac putrefacta, necnon per Venerem agitata caluitium efficere potius solet, si magno Hippocrati est fides habenda, qui libro de natura Pueri sic habet: *Quicunque autem calui fiunt, bi sanè pituitosi sunt, & pituita in cauite ipsorum simul agitata cum coitu, & calfacta, ad cuticulam allabens pilorum radices exurit, & defluunt pili.* Rursus Hippocrates idem rationem reddens, cur eunuchi calui non fiant, addit hæc: *Verùm eunuchi propterea calui non fiunt, quòd vehementem motum non faciant, neque pituita in coitu calfacta pilorum radices exurit.* Quod adeò verùm est, vt etiam à posteriori communiter deducatur, caluum esse petulantem, ac gynecophilin. An non latè patet Romanorum scomma in Cæsarem Dictatorem, qui caluitio tenebatur? *Romani seruate vxores; mœchum caluum adduximus.*

Sed quare cæci naturaliter non caluescunt? & est secundum Problema. Respondet Aristoteles, quod cùm oculi sint valde humidi, & in cæcis humiditas, quæ per oculos transire deberet, in sufficiens pilorum nutrimentum abeat; hinc est, quod fortiùs hærent, nec facilè defluunt. Hæc ratio quamuis probabilis satis existat, mihi tamen ad rem nostram probabilius dici posse videtur, quod ex eo cæci caluescunt minus, quoniam Veneri haudquaquam dediti sunt; cùm enim concupiscentia ab oculis excitetur: vnde Musæus

Si Mulier fuerit pulcherrima forma, sagittis
Corda virum figit velocius, esi via ocellus
Ex oculi iactu paulatim labitur vlcus
In mentes, illasque domat, seque imprimit altè.

Quid

Quid mirum si oculis orbati Venerea cupidi-
tate minus angantur? quod nescens Heraclitus
ille celebertimus Philosophus, vt alibi etiã dixi
mus, sibi ipsi oculos extulit, non vt multi censue-
re, quò aptius mente speculari valeret; verùm,
vt concupiscentiam refrœnaret, quæ per ocu-
los sibi aperit aditum, vt alibi docuimus. Ita
sanè est.

Qui videt, it peccat.

Cæterùm cùm superius ex Aristotele dixe-
rimus postgenitos pilos à Venere tantundem
augescere, quantum inde congeniti minuun-
tur, huius rei quoque rationem afferre, par erit.
Nimirum ideò pueris, ac virginibus pili postge-
niti non procedunt, quoniam cutis eorum densa,
& constipata exitum non concedit. Verùm ætã-
tis progressu, calore innascente, ac Venerea a-
gitatione dilatante meatus, pilis datur facilis a-
ditus. Sed quoniam Philosophus loqui non de-
bet vel sine ratione, vel sine ingenua auctorita-
te, hanc ex ipso Hippocrate decerptam libro de
natura Pueri registrabo iis verbis: *Cæterum
pilorum natura hoc modo se habet, oriuntur e-
quidem maximi, ac pluriuni, quia corporis par-
te cuticula rarissima est; & vbi pilus modera-
tum humorem in alimentum habet, & vbi cuticu-
la posterius rara fit, ibi etiam pili posteriùs
nascuntur velut in mento, & pube, & sicubi
alibi pili nascuntur; simul enim vt genitura
prodit, etiam cara rarescit, & cuticula, & vena
aperiuntur magis, quam priori tempore: nam
dum adhuc puer est, & vene tenues existunt, non
procedit per ipsas genitura (eadem ratio de men-
sibus virginum est) simul autem vt via fit, &
genitura, & menstruis virginibus etiam pilos
emittit pubes, tum pueri, tum virginis, rara-
nimirum cuticula reddita, simulque pilus mode-
ratam humiditatem in alimentum habet, & non
pauciorem. Sic verò & in mento viri contin-
git; rara enim fit cuticula, procedente in ipsum
de capite humiditate; simul enim & in costu,
simulque interiecto tempore pilus moderatam
humiditatem in alimentum habet, & tunc ma-
xime, quum tempus contingit humiditati de ca-
pite descendenti in coitu, ad mentum à pectore di-
liant.* Hactenus ille. Quod si dicas, ex eadem
ratione debere etiam mulieribus tempore Ve-
neris in mento, & alibi pilos apparere, respon-
det paulò post Hippocrates, atque: *At verò
mulieres læues fiunt & mento, & corpore,
quoniam in coitu ipsarum humiditas non simili-
ter agitata veluti viri cuticulam rarum non
facit.* Sed dices, cur non similiter agitatur? quo-
niam eo, quo sunt frigido temperamento adeò
non incalescunt, nec adeò in clinopali laborant
vt viri, in quibus calor impetum facit, subsi-
liuntque spiritus; Quòd si aliquæ reperiantur
Viragines, his non rarò ad mentum oriuntur
pili, & fiunt barbatæ; quod caliditatis, ac sala-
citatis insimul erit magnum argumentum. Ser-
monem hucusque habitum confirmat Auicen-
nas libro 3. fen. tract. 1. ubi docet, Venerem
præparare corpus ad caliditatem fumosam,
adeo donec multiplicantur super ipsum pili;
quocirca dixerat paulò supra citato loco Aristo-
teles, quòd pili postgeniti ijs, qui ante pubertã-
tem castrati sunt, non exeunt; & quòd pili in-
mento mulieris non prodeunt ex carentia cali-
ditatis fumosæ, ad quam Venus præparat; licet
enim mulier huiusmodi exhalationes, fuligines-
que congerere possit; per periodicos menses
nihilominus extrudere, & auertere satis valet;
inde idem Aristoteles addebat, non prodire in-
mento mulierum pilos, nisi paucos interdum
cum menstrui cursus substiterint. Sed prolixius
fortè diffluxi calamus.

CAPVT VIII.

Cur adeo perniciosum sit cum Vetula rem habere.

SAMIVS ille naturæ contemplator Pythagoras interrogatus, quonam modo vitam duxisset, respondit: *Nunquam satur è mensa discessi: luna me nunquam vidit: cum vetula non coiui.* Quod postremum cur adeo sit noxium, atque exitiale, non videtur a ratione alienum, hic inuestigare, cùm à Venere oriunda detrimenta quæque consilium sit edocere. Primùm itaque supponendum est id, quod apud omnes cum medicos, tum Philosophos vnanimi sensu receptum est, mulieribus videlicet, vbi senectutis limen attigerint, mensses deficere; quod non ita intelligendum est, vt putemus, aniculas tunc temporis excrementitio sanguine penitus destitui; nam liquidò constat, ea potissimum ætate prauis succis, crudisque excrementis vndique illas circumfluere, ob caloris nimirum defectum, virtutum imbecillitatem, atque etiam facultatum omnium corporem, ac segnitiem: quare mensium, & excrementorum relliquiæ, quæ pro virtutis expultricis languore foras haud erumpunt, ob diuturnam in vtero contractam moram necessariò putredinem contrahunt, prauosque vniuerso corpori communicant halitus; inde autem putidæ, ac morbosæ adeo redduntur, vt omni morbo morbosiores, omni ferè peste pestilentiores euadant, sedentaria præsertim accedente vita, qua nihil est ad putrilaginem conciliandam efficacius. Quid igitur mirum, si quæ vetulæ à Viris comprimantur, hos prauè

Digitized by Google

ue infelant? Porrò turpis anicula, vbi Veneream inesalescit ludo, eiusdemque cutis meatus reserantur, ac dilatantur, vapores perperi, ac pene stygie fuligines calore agitatę, & ad cutis superficiem conuocatę, vbi virum attigerint, eius corpus afficiunt, inficiunt, conficiunt; vt merito hinc Philosophus illo exclamaret prouerbio mortii: *Vetulam non cognouit, cur deliri non?* quasi mortis vnica causa foret vetulę consortium. Rursus ex ore vetulę putidus, ac putridus halitus impuri corporis nequam spiritus exuncę, squalidęque carnis execranda blephytis, nonne cor in primis, mox cerebrum, inde viscera cuncta perturbare apprimè potest? quin etiam genituram ipsam extinguere, & Veneris robur eneruare? Huc mehercle facit appositè illud Venusini vatis in vetulam.

Rogare longo putidam te sæculo,
Viresquid enerues meas,
Cum sis tibi dens inter, & rugis vetus
Frontem senectus exaret,
Hirtæque tergum intercidant nates,
Podex velut crudæ bovis, &c.

Venon immeritò insuper Menander, referente Gellio libro 2. capite 24. diceret in vetulam fusum,

Dum vivit mortem inhiat,
Fumet vivo mortuus inter vivos.

Accidit interdum, vt puelli, qui verularum excipiuntur brachijs, eorumque fœtido exosculantur ore, inficiantur, & emaceferentur adeò, vt à parentibus veneficio, & fascino oppressi creditantur; nec tamen veneficium vllum, vllaque intercessit fascinatio; solus verularum ille, contactus fuit, sola halitus communicatio, quæ tenelli corporis ruinam perpetrare valuit. Cum enim adhuc infantes sint admodum tenelli, facilè inde extrinsecas impressiones imbibere valent, immò ad morbos quoslibet capessendos proclines quam maximè existunt. Quòd si verum hoc est, quid ijs contingat viris, qui in Veneream lectam non halitum modo participant, verùm amplexantur, pertractant, inealescunt, sudant, & intimè his vetulis communicantur? Vtique Pythagoras nihil deceptus est, & rem ipsam optimè enunciauit.

Atque hinc modus eliciatur, quo senex frigidus foueri, fœtidus iuuenis in senium contrahi queat: nam senex si floridam puellam in lecto, absque tamen Veneris lenocinio adhibeat, hæc suo vinacei calore extinctum penè, sepultumque ignis culum vitæ excitabit, nutrier, ac foouebit; immò roridum quendam iuuentutis spiritum impertietur. Id quod non pauci animaduertentes, cùm nequeant adolescentulas lectulo admittunt, eoque ipsos, ac sopita membra refouent, quo iure Aristoteles in epistoli de conseruatione sanitatis inter præcepta, quæ inibi recenset, optimum esse, scribit, amplecti speciosam puellam: cur autem vetit Philosophus, vt sit formosa puella, ea ratio est, quòd nimirum forma, & species concinna, præterquamquòd perfectius temperamentum præsagit; addit etiam iucunditatem, ac voluptatem, quę cor dilatant; ex dilatatione autem spirituum vberior copia per vniuersa membra distribuitur. An non satis constat, Psalmographum Regem Dauidem consueuisse grate inclinante suo in thalamo adolescentulas complecti eo consilio, vt vndique fultus calor diu in vigore seruaretur? Ex aduerso qui cupit vegetem iuuentutem in senium propero gradu precipitare, anicilam ducat coniugem; hęc namque marcescętę caliditate, prauo contactu, fœdoque commercio viridem adolescentis calorem, atque vinaces spiritus emarcere breui tempore facit. Cuius quippè rei satis experientia ipsa testis est, videmus enim adolescentulas senibus iunctas continuò deturpari, ac defœdescere; iuuenes vetulis obstrictos ictu oculi defœdari, & indecoros reddi prę contactu maligno, vt ideo in Problematibus etiam moneret Philosophus, ab huiusmodi vetulis abstinendum, vnde fortassis datus est adagio locus: *Corium vetus indiget maiori adipe.*

Memini me legisse in sylua nuptiali Ioannis Neuizani, quod coitus cum vetula spermatis vberiorem copiam attrahit, fortè ex illius salaciori tripudio; ideoque in ardore vrinæ, huiusque difficultate non parum iuuet. Id si veritatem habet, ex hoc etiam capite maiorem noxam inferet congredienti viro; quandò enim genituræ maior effusio, tanto oportunè subsilantię, ac spirituum maius dispendium: quò propterea pertinere arbitror pulchrum illud dicterium: *Capra iuuenis comedit sal, sed antiqua deuorat sal, & faculum.*

Verùm argues, senes in thalamo complecti adolescentulas, videtur potius infensum; inde enim libidinis igniculi quodammodo fuscitari possunt; senibus autem nihil magis, quàm Veneris cogitatio, ne dum actus, inimicum est. Dicas, non debere puellas eius ætatis esse, vt genium titillare valeant, sed minoris staturæ; quomodo pruritus nequaquam excitabitur; non secus ac si puellus, vel catellus amplecteretur. Quæres, an qui catellum in lecto adhibent, vllam inde hauriant vtilitatem? Respondeo, non esse prorsus inutile, quia viuido huiusce animalis calore membra refoueri aliquatenus possunt. Absit, vt seles lecto, & cubiculo recipiantur, venenoso namque halitu necare facile possunt. Nunquid insignis non est Matthioli historia lib. 6 in Dioscoridem cap. 25. vbi integrum Monachorum cœnobium, narrat fuisse funditus extinctum, eò quod fratres in delicijs diu noctuque in mensa, ac thoro catos haberent, quorum

in

in ipso claustro magna erat copia? testatur idem plurimos ex horum familiaritate in hecticam, ac tabem deuenisse, multaque alia scitu digna recensetⁿ: tanta est domestici huius cati malignitas, tale venenum, quod ex oculis, ex ore spirat, vt ideò non sit mirum, si eiusdem cerebrum adeò venenosum, si comedatur, existat.

CAPVT IX.

Quare exitiale admodum sit cum menstruata muliere genialiter congredi.

HAVD minorem vim seruat ad homines labefactandos mulier, quamtumuis formosa, & uegeta, si quo tempore in clinopali viro succumbit, menstruo sanguine circumfluat: quod persuadere nihil quippè arduum erit ijs, quibus illius cruoris cognita, ac perspecta natura est. Quid enim? nonne de multorum sententia sanguis menstruus veneni naturam sapit, ideoque inter venena meritò ab auctoribus recensetur? manifesta sunt, quæ a Columella, Plinio, atque etiam Aristotele de huiusmodi succo scribuntur; aiunt enim, & nos alibi retulimus, illum arbores, quos contingat, vel exiccare, vel steriles reddere: flores, herbasque continuò destruere: ferrum tetra rubigine circumducere, canes in rabiem agere: homines dementare, ac veluti præstigiatos, lunaticosque efficere; speculum indelebili macula obducere, & labefactare non solùm tactu, sed etiam si in illo se se menstruata mulier respiciat. Non ergo mirum, si homines vita præditi ex contactu succi perperi pernicioſas referant qualitates. Profectò menstruæ mulieris corpus adeò coinquinatum est, spiritus adeò conspurcati, vt viri coniunctum corpus, alioquin permeabile, facilè inficere, ac labefactare valeant. Etenim ex impuro illo excremento halitus quidam, ac vapores multi exitiales eleuantur, affectæque mulieris corpus variè afficiunt; quare capiti grauitatem, doloremque inferunt, necnon tenebricosam vertiginem: oculis hebetationem, & caliginem; cordi anxietatem, & molestiam; ventriculo nauseam, & sæpè vomitum; & omnino corpori vniuerso offensam pariunt. Sic igitur affectæ mulieri siquis adhæreat, seseque Veneris ligamine constringat, impuros protinus ab oculis manantes spiritus; ab ore graueolentem halitum; prauaque à cutis foraminibus anaphysimata exuget, & imbibet; vnde non nisi derrimentum, idque non leue importabit. Quid si dicamus, spiritus vndique ad virilia descendentes in Venerea palæstra, voluptatis illicio aduocatos, impuroque illo sanguine, alijsque excrementis commaculatos, & ludo peracto, ad sua viscera redeuntes, illa inficere, & conspurcare, vnde mox fluant mille detrimenta?

Quòd si quærat aliquis, cur si venenatus adeò iste vapor, & sanguis menstrualis existit, grauiùs tamen, ac deteriùs mulieres ipsas, à quibus effluit, non afficiat? Dixerim primò, nihil in se ipsum agere, vel potius id accidere, quoniam cùm consuetus ille sit mulieribus, ab eodem nec affici, nec saltem insigniter lædi possunt; consuetudo enim passionem hebetat: quinimò teste Aristotele primo Rhetoricorum, consuetum sit delectabile; & ratio est, quoniam consuetum sit veluti innatum; quod autem innatum est, nusquam offendit. Quod non præterijt 2. Aphorismorum Hippocrates ijs verbis. *Quin etiam quarum rerum inueterauit consuetudo, quamuis deteriores sint illæ, minus tamen insuetis male afficiunt.* Sic nonnullos vel veneno fuisse enutritos, habetur ex Aristotele, & Alberto; Cùm itaque mulieres innatum penè habeant huiusmodi venenum, ac multo tempore consuetum, ideo est, vt ab eo magnopere non offendantur. Secundò dixerim, mulieres dum stato tempore prauum illum emittunt sanguinem, nullam in corpore noxam recipere; at perfectiore maximam, cùm ille, vt par est non emittitur; quod liquidò constat in ijs mulierculis, quibus menstrua purgatio periodicè, ac secundum naturæ leges non contingit; nam dolent capite calamitosè, strangulantur, concidunt epileptice, furore aguntur, admonia, & melancholia deprimuntur, sterilescunt, spasmantur, liuescunt, contabescunt, multisque id genus obnoxiæ fiunt symptomatibus, quæ veneno congenea existunt. Meritò ergo 3. collectaneorum Auerroes opinatus est, congressum cum menstruata lepram inferre: quo consilio vetus Hebræorum lex, vt arbitror, in Leuitico capite 15. prohibebat, nequis cum illa commercium haberet, verba sunt: *Mulier, quæ rediente menſe, patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur: Omnis qui tetigerit eam, immundus erit vſque ad veſperam, & locus, in quo dormierit, vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ polluetur.* Lex enim illa, vbi decimo quarto capite expurgationes à lepra edocuerat, alias expurgationes immediatè a semine, & menstruo subdit; quasi insinuare voluerit, eodem modo expiandos, qui leprosi existunt, ac qui cum menstruata concumbunt; fortè quia huiusmodi contactus ad lepram corpus coeuntis, aut saltem ipsius fœtus præparet. Id omne confirmat Aristoteles in libris de Animalibus, vbi mulieres, quæ menstruo tempore concipiunt, leprosos gignere testatur ob illum nimirum conspurcatum sanguinem, quo fœtus coalescit, &

Digitized by Google

quem expellère natura intendebat. Verùm argues, ſtatutum ſuperius fuit, opportunum tempus ex Hippocrate ad conceptionem eſſe, cùm incipiunt, vel deſinunt menſes; quo ergo pacto commixtio in principio conuenire poterit, ſi lepram & genitori, & conceptui inſinuet. Reſpondendum, apud Hippocratem frequentius legi coeundum eſſe generationis gratia deſinentibus, quàm incipientibus menſibus, & ratio etiam perſuadet ſuperius allata. In iis autem, in quibus apprimè vitioſus reperitur ſanguis, nulla prorſus ratione congruit in principio fluxus conceptum fieri; & quia reperiuntur quædam adeò oligemæ, ideſt ſanguine deſtitutæ, vt poſt menſtrualem curſum, nihil ſanguinis ad vteri regionem relinquatur; ideò eſt, quod apud has generationis actum expedit magis ſtatim apparentibus menſibus celebrari; quod ſiquid inde detrimenti poterit accidere fœtui, ſpes erit, fore, vt natura prouida expurgationi det locum, vt in multis videre eſt puellis, qui per morbillos, ſcabiem, cruſtulas, aliaſque affectiones a corrupto ſanguine vtero imbibito depurantur. Concludatur igitur, Venerem menſtrualem, vndequaque infenſam eſſe; nam ſi vetitum ab Heſiodo fuerat, ne quis balneum ingrederetur, in quo abluta foret menſtruata mulier: Sinefas erat in Leuitico vel veſtem, vel lectum, vel aliud quicquam menſtruatæ mulieris tangere, quàm deterius erit vas ipſum deſœdatum attrectare libidine? Porrò (& ſit corollidis loco) altera in Deuteronomij capite 20. lex habetur omnium aſperrima, quæ eſt illa: *Qui coierit cum Muliere in fluxu menſtruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui; interficientur ambo de medio Populi ſui.*

A *mento nutritus*. Quam eamdem ſententiam ferè ad verbum libro de ſterilibus repetit. Quid igitur ſtatuamus? Aut quis horum auctorum fallax. Profectò neque Hippocrates, neque Ariſtoteles damnandus eſt; viri namque ſapientes, quamuis inter ſe diſcordes videantur, diſcrepant tamen ſolummodo ex varia intelligentia. Aſſerendum itaque, Ariſtotelem de thermaluſia, hoc eſt de balneo dulcis aquæ, aut potius calidæ locutum fuiſſe: Hippocratem vero de balneo frigidæ, vt ex eius verbis manifeſte colligitur. Vnde autem fiat, vt calidum balneum obſit, frigidum proſit, ita explico. Profectò dulcis aquæ calidum balneum poros, & meatus reſerat cutis, dilataturque, atque adeo cùm calidis vaporationibus paret exitum amplifſimamque faciat diapneuſtiam, per accidens refrigerat; eò magis quod idem humor penitiores omnes partes, corpotiſque viſcera penetrans, irrigat, diluitque. Cùm autem naturali ſua temperie frigida ſit aqua, conſequens eſt vt diluendo refrigeret etiam.

B

Atqui ex aduerſo balneum aquæ actualiter frigidæ, quoniam frigoris eſt conſtipare, dum poros, ac meatus occludit, calorem intro recludit; ſiquidem calidæ exhalationes, quæ per extrinſecos ſeecedentes meatus, corpus ac viſcera euentilant, intro refluxæ ex adiapneuſtia accenduntur magis, magiſque membra excalefaciunt; fit igitur, vt qui poſt lautulas Venerem tractat, validè refrigeretur, eo quod binæ accidunt calidi enacuationes, vna ex balneo, ex Venere altera: duæ verò eadem die enacuationes, vt ſentit Philoſophus, malæ ſunt, quoniam exiccant nimium, vireſque apprimè exhauriunt: qua pariter intentione dixerat etiam Ariſtoteles in Problematibus, nō eſſe poſt vomitum vſurpandum balneum. Rurſus aquę calidę balneū vi caloris trahit a centro ad circumferētiam: Venus autem vt ſeminis adiuuet expulſionem a peripheria ad centrum; at bini motus contrarij ex Aeſculapidum pragmatia corruptiui ſunt. Atqui frigidus latex calorem ad intima propellens eò mouet, quò tendit motus Venereus, ſitque actio illa antiperiſtica, per quam contrariæ qualitates intenduntur magis. Quapropter Aphroditis multò tutius celebrari poterit ob calorem adauctum, atque adeò actionem adiuuantem.

C

Et hęc eadem ratio eſt, cur illi, qui pinguęſcere cupit, perſer bi debeat balneum frigidum, namque conſtipati cutanei pori, exitum haudquaquam concedunt vaporibus illis, qui iugi effluant effluuio, quique etiam vbi nimium exhalant, detrahunt alimento illi, quod in carnem, & pinguedinem abire debet. Huiuſmodi autem anaphyſimata non diſſipata membris adhærent, & in eorum nutrimentum tranſeunt. Quod 6. de Popularibus ſectione 3. ma-

D

CAPVT X.

Cur Venus poſt balneum adeo pernicioſa exiſtat.

VENVS amica Bacchi, Neptunum odit; ſic illa vino petulans, torpeſcit aqua; vt ideo ſummo iure Philoſophus in problematibus edixerit, nunquam a balneo fore congrediendum. Sed Hippocrates, qui medicam facultatem ex profeſſo callebat magis, è diametro contrariam ſententiam proferre videtur libro de ſuperfœtatione, vbi hæc leguntur: *Vbi autem probè omnia videbuntur, & ad virum accedere oportuerit, mulier ipſa ieiuna ſit, vir autem non ebrius, frigida lotui, & commodo ali-*

gnus

Digitized by Google

gnus Hippocrates insinuauit præclaro illo dogmate: *Cutis raritas, ventris densitas: cutis constrictio, carnium incrementum.* Hanc itidem lotionem præscribere debemus, quotiescunque viscera calefacere opus erit ob eamdem nimirum rationem, qua diximus, constipata cute, partes internas plurimùm incalescere. Dixerat hoc idem Hippocrates 6. eodem illo epidemiorum, sectione secunda ijs verbis: *Quod solidum factum est, & biliosius, & sanguinolentius est, hic calidior est locus Animali.* Quod adeo verum est, vt semper ab huiusmodi pororum stegnosi homines in febrem incidant, quę vt plurimùm ab obstructionibus ortum ducit. Sed hęc opulenter in meis commentarijs ad sextum epidemior. Hippocr. explicata inuenies. Sic ex aduerso cùm feruidam alicuius membri intemperiem commoderari expedit, aut ephemerinam extinguere phlogosin, ad dulcem, ac modicè calidam lotionem deuenitur, quo reseratis meatibus calidę fuligines exhalare liberè valeant, & calor in visceribus inde adauctus compesci, ac leniri. Vsus itaque Hippocrates, vt colophonem apponamus tandem, cum qui congressurus est causa prolis, frigida lauari debere, quatenus vberius exiliat semen, facilius moueatur, maiori cum voluptate recipiatur, & omnino spiritibus magis exuberet, quę omnia a frigore calorem augente facillimè contingunt. Aristoteles autem thermarum diuersum effectum intelligens, earundem prohibuit balneum, & sic soluta omnis diaphora inter principes auctores erit.

Sed fortè argues, intempestiuam futuram forè post etiam frigidum balneum Venerem, eo quia ex Philosopho 4. Probl. 15. sicuti nequeunt in aqua homines concumbere, eo quod in ea semen liquescere nequit, ita post balneationem non valde prosphoros erit concubitus ob torporem ipsi genituræ inflictum. At respondeam, aliud esse intra aquam concumbere, in qua non potest genitura fundi, aliud verò post eius balneum, ex quo adauctus calor seminis liquationem efficacius efficiet. Sume epiphoram. Venus a frigido balneo viribus minus insidiabitur; quoniam vagantes, ac fluxiles nimis spiritus frigida coercentur, vniuntur, ac suis in sedibus continentur; quare minor eorum in clinopali iactura fiet: quin etiam si & post Venerem frigida quis abluatur, eadem ratione dissitos congregabit spiritus, rarificatum calorem compinget, minoremque lassitudinem referet. An fortè in hunc finem lex vetus in Biblijs iubebat, tam viros, quàm mulieres post aphrodisia lauari?

CAPVT XI.

Frequentatam nequitiam scabiem vlcerosam inurere, ac sæpe elephantiasim.

SCABIEM, & sæpe vlcera (de Gallicis modo non loquor) ex immoderato, & intempestiuo Veneris vsu prouenire, versus docet apud Textorem

Hæc scabiem nutrit,
Saniesis vlcera membris.

Testatur insuper medicorum plena auctoritas; comprobat tandem experientia: siquidem perspectum est, eos, qui nimium geniali voluptati indulgent, in cutis scabritiem, pruritum, & sanioſam incidere scabiem; Id quod neogami, & neonimphæ, idest recenter desponsati viri, nuptæque viragines quotidie experiuntur, dum primis erotici congressus temporibus scabioso afficiuntur pruritu, quem nuptialem scabiem vulgus exirrisione appellitat. Huius quippe euentus ratio est, quoniam intemperanter huic rei operam dantes, cùm naturalem facultatem, vt supra diximus, & eam maximè, quæ circa hepar, & sanguinem est, labefactent, ac destruant; impuros, ichorosos, atque corruptos humores gignunt, qui mox præ Venereo motu allapsi ad cutem, scabiem, elephantiasim, & pustulas infligunt. Porrò ex motu illo, & agitatione, quę in exercenda libidine contingit, tenuiores quædam, teste Hippocrate, de capite liquantur humiditates, quæ mox calefactę turgent, & ad varia membra prorumpunt, & ad cutem non rarò, vbi post modum prurigine, & pſoram imprimunt. Id a posteriori comprobat Iatrophysicorum communis opinio; omnes enim eò conspirant, vt qui curari à scabie optant, Venereis illecebris prorsus abstineant.

Cæterùm cùm dicat 6. de popularibus Hippocrates, quod si quis impuris scatens humoribus laboranerit, in vlcera incidet, vtique omnes quotquot sunt adicti Veneri, conspurcatos obtinent succos præ naturali facultate labefactata, a qua cruditates, & ichores producuntur; dum ergo nimium in Venerea palæstra agitantur, & incalescunt, facilè in turpitudinis hoc symptoma incidere poterunt, additis præsertim erratis in victus ratione multis, & in vino, & aromatibus præsertim; quæ consueta apprimè sunt apud pætulantes, & salaces homines, qui dum libidinem explere anxiè optant, nihil quod genium fouere valeat, non adhibent. Hinc verò sequitur, vt extorresa-

cum hepar humores adurat magis, atramque producat bilem, cuius est scabies, & lepra præclara soboles; vt ideo non absque ratione asseruerit Aetius libro 13. exectos, seu castratos elephantiasi haudquaquam corripi; verba illius sunt: *Etenim non reperias vllum aliquem temere, qui exectus ab elephantiasi apprehendatur, neque etiam facile mulierem; forte ob id, quod ab vtili, ac bono humore seminis emissio prodeat, aut quod largior generatio ipsius in seminarijs locis ob materiæ spissitudinem contingat, multo itaque semine elephantiasi correpti abundant*; En igitur quantis malis breuem, ac transeuntem voluptatem rependit improba Venus. Et hæc de Venerea scabie satis.

Sed parua sunt hæc, & omnino leuia respectu illorum symptomatum, quæ Gallica nuncupantur; & nostris hisce temporibus est penè impossibile, vt aliunde, quàm a Venereo contactu, comparentur, quamuis à principio, quo in Italiam ab Indijs Occidentalibus deuectus fuit hic morbus, solo vestium contactu, solo vsu ejusdem cyathi, ac mantilis, ne dicam solo osculo, lues contrahebatur. An non igitur plena sunt vrbium Xenodochia, & nosochomia sancti Iacobi, vel Lazari nuncupata, in quibus tot gallici morbi deformes rictus, & infandas species videre est? Ille atrocissimis totius corporis, & capitis præcipuè vexatur doloribus: hic profundis vndique scatet vlceribus: ille nudato capite, ac depili mento mœret; hic duris extuberat gummatibus: ille fœdo per corporis ambitum veluti lepra inficitur; putridis hic bubonibus, magadibus, carieque depascitur; ille neruorum torquetur cruciatibus, hic præ anxietate nunquam in somno lumina claudit. Quid plura? Hic pudendo, aut balano caret; ille naso, & labijs deficit; hic accensis comburitur facibus; ille ignitis mutilatur ferris: hic sudoribus exoluitur; ille sanie, & vligine squallet: brachijs hic; pedibus ille vacat: hic luminibus exemptus vitam ducit tenebricosam; inuersis ille intuens palpebris terret aspicientes.

Verùm dies me deficeret, si cuncta symptomata gallicæ luis, quæ Veneris est soboles, recensere velim. Antonius Musa de re medica optimè meritus ducentum triginta quatuor gallici morbi enumerat species, idcoque inre aliqui Prometheum illum dixere; sicuti enim centum ille immutabat facies, nouas in dies induebat formas, ita & hic nouos quotidie promit aspectus. Proh Deum? Proh hominum dementiam! & sunt homines adeo molles, & lasciui, vt tot cruciatibus premi non curent, tot sæuis affectibus lacerari contemnant, dummodo libidinosam expleant cupiditatem; vt breui, ac momentanea fruantur voluptate, perpetuis non curant angi tormentis? vt ferino genio indulgeant, coinquinari, deturpari, ac rabo exædi nihili faciunt? vt petulantiæ pareant, vitæ deseruiunt? Non est mehercle res vlla sanitate potior, quam ideo Clytosophos Plato inter potissima recensuit bona; sine qua nihil potest esse suaue, & iucundum. Hinc Pyrrhus ille Epirotarum Rex præstantissimus iuges effundebat preces, templa erigebat, hostias immolabat, non quidem vt victorijs potiretur, non vt profligaret hostem, & regnum amplificaret, thesaurosque cumularet suos; sed vt sanitate duntaxat frueretur integra, sine qua non diuitiæ, non deliciæ, non regna, non aurum, beare quempiam possunt; & perditi homines adeo illam vilipendunt, adeo contemnunt ob fœdæ Veneris fallacem voluptatem?

Heu fuge blanditias molles, quas subdola syren
Dulcibus illecebris in tua damna mouet.
Heu fuge Dulichio vinctus tua corpora malo,
Obruta ne vasto gurgite præda nates.

CAPVT XII.

De Gonorrhœa intemperantis Veneris alumna, & sobole.

NON rarò accidit, vt qui clinopalin longiùs exercent, seminis inuitam incurrant effusionem. Noui ego, & curaui quamplurimos; in hanc tamen illos potissimum incidere, arbitrandum, qui plurimùm in Venereo polemo elaborant, eumdemque pluribus vicibus resumere gaudent. Est autem ratio, quoniam hi dum multum laboris in palæstra sustinent, plurimùm incalescunt, æstuantque circa renes, ac finitimas partes. Accensi verò renes affectionem spermaticis vasis communicant, quæ mox ab ipso dilatata, ac reserata calore, semen retinere nequeunt; cùm præsertim præ caliditate, ac dilatatione maiorem spermatis copiam congerant; quod etiam ab Hippocrate traditum fuit; Quinimò hæc eadem de causa ichoresi infimul, & acres alliciuntur humores, qui vasorum irritantes expultricem facultatem, gonorrhœæ ansam præbent. Accidit autem, vt si semen in principio non omnino præter naturam sit, & spiritibus omnino destitutum, aliquam inducat mulcedinem, & titillationis pruritum; si verò à propria crasi omnino desciuerit, & spiritali portione denudata fuerit, nec non putredinem nacta, voluptatis loco dolorem infert, ardore, & exoriatione aliqua inflictis.

Sed

Sed quoniam in duplici differentia reperitur gonorrhœa, vna scilicet vndique exitialis, & est gallica; altera simplex, ac tutior; meritò hic inquirendum, num vtraque eodem modo à Venere ortum ducere valeat, & vt quæstionis sensus comprehendatur, hic non ambigitur, an huiusmodi fluxus à commixtionè viri, aut muliere, quæ Gallica lue teneatur, contrahi soleat; id enim cùm liquidò constet, inquisitione non eget, sed controuertimur, num ex iugi, & intemperata Venere alicuius, qui gallicę affectionis vel ipsa suspicione careat, quique alteri identidem tali morbo immuni iungatur in Venere, possit gonorrhœa gallica inuadere. Porrò fui ego semper huius opinionis, vt crediderim, leopharon, seu scortum, quod diù, noctuque viris prætio succumbit, gallicam luem contrahere, absque eò quod viro cuipiam adhæreat, qui tali morbo laboret; solùm ex miscela, ac diuersorum corruptione seminum, quæ in vterum effusa, tandem vniuersum corpus coinquinent; dum enim huiusmodi putrescunt semina, tabum adeo sęuum nanciscuntur, vt apta sint luem æquiualentem gallicæ inferre, nec non contagium infligere, quod semper ab insigni corruptione, & exacta putredine exurgit. Quòd si de sui natura semen corruptum, vel in venenum abire valet, quàm deterius putrescet, si diuerso modo alijs remisceatur? semper namque commixtio ad corruptionem, eamque sæuiorem præparat. Ita prorsùs existimo, tam virum, quàm mulierem ex Veneris immodesto vsu gonorrhœam contrahere posse gallicam, vel si mauis appellare rebellem, & contumacem, eiusdem tamen caracterismi cum gallica ob semina corrupta, quæ proinde tamquam naturæ insensa ab huius facultatibus perenni studio propellantur, tamquam succum omnino infestum, nihilque vtilem nec proli progignendę, nec ipsi corpori gignenti.

Sed fortè queres, quibus caracteribus distinguatur gonorrhœa gallica ab ea, quæ simplex extat, de qua supra libro de semine expropositum egimus? Pluribus distingui, vtique perspicuum est. Prima namque differentia depromitur ab accidentibus; nam in gonorrhœa simplici semper adest pruritus, & ingens phlogosis, sæpe vlceratur vrethra; non raro etiam stranguria subsequitur: e contrario gallica videtur ab initio mitior, quando relatis caret accidentibus, aut si non omninò caret, longè tamen obtinet mitiora. Secunda differentia depromitur à tempore; nam gallica diuturnior, & contumax est; non gallica breuior, & facilior. Tertia est, quòd in gallico seminis effluxu præcedit semper, vel subsequitur pudendi caries, & hoc, ni fallor, est infallibile indicium, & signum pathognomonicum. Quarta est, quòd non gallica corpus magis absumit, & extenuat, quàm ciat gallica, licet hæc diuturnissima, illa breuior existat. Quinta differentia est, quoniam gallica statim, & nullo ferè labore præuio contrahitur, atqui simplex non nisi ex magna agitatione, celeri motu, ac renum accensione acquiri potest; & ratio est, quoniam contagium, seu miasma illud auras venenatas latenter immittit; renes autem, & vasa finitima nequeunt absque cooperatione vt plurimum alterari, & calefieri. Vltima tandem differentia ab ipsa curatione depromitur; nam simplex gonorrhœa, paucis adhibitis auxilijs curatur, & sæpe sponte sua finitur, id quod nequaquam accidit in gallica, quæ aliquando perpetua est, & incurabilis, tabo, ac tabe continentibus ipsis vasis communicata, quę ideo nec semen ritè parare, nec vllo modo retinere valent, sed potius deprauare, ac iugi propellere cursu. Sic ergo Venus vtramque gonorrhœam efficit, & succum illum, atque excellentem humorem, qui voluptati, & generationi dicatus à natura fuit, in dolorem, & interitum reijcit. Quàm igitur dolosa Venus? Quibus opprimit angustijs asseclas suas? Hinc ego cum Pythagora exclamare cogor: *O Iuppiter Pater vel à malis homines libera, vel offende illis, quo damone vtantur.*

Cæterùm si medicus quispiam practicus effrenę huius fluxionis gallicę quærat remedium efficax, nequid operis perfectioni desideretur. Illud ex Iacobo Donyneto Apol. libro 1. capite 7. petere valet, vbi habetur, quòd fabarum caules deuruntur, cinis per horas viginti quatuor in aqua fluuiali maceratur, mox per inclinationem colatur, cuius lixiuij singulis diebus quatuor assumuntur vnciæ mirabili cum euentu; quod etiam vbide gonorrhœa expropositum egimus, relatum fuit. Sed scisciabitur Theoricus, num hic euentus ex astringendi facultate, quam huiusmodi obtinet lixiuium, an potius ex occulta surgat quali tate? Crediderim ex arcana proprietate magis; alioquin talis potio non magis gallicæ gonorrhæę, quàm simplici prodesset, nec efficacior esset cæteris multis astrigentibus medicaminibus. An fortè quia, sicuti faba lac extinguit ex Dioscoride, & Galeno, ita etiam infringere possit seminis acrimoniam, gonorrhœam excitantem; An quia faba ex Plinio sensus hebetat? probabiles omnes rationes, at non adequatæ. Certius præsidium autumo, empiricis omissis, ad Guaiaci decoctum tamquam ad sacram anchoram confugere, aliaque id genus alexipharmaca; de quibus syphillidis expugnatores abundè.

CA-

CAPVT XIII.

Venerem arthriditem, & præcipuè podagram, & iſchiada progignere, Hippocratis eximio textu expenſo.

QVID magis artubus infenſum, aut quid neruis inimicum magis, quàm Venus, eiuſque voluptas aphrodiſia? Hinc crediderim myſticè fictum, quòd Venus coniugem habet Vulcanum pedibus offenſum, & claudum. Dum enim articulos debilitat, dum cruditates congerit, dum trahit vndique pituitam, facillimè podagram, iſchiada, arthritidemque producit, vt egregiè explicat in ſua Podagra Politica multæ eruditionis vir Liberatus de Liberatis Sereniſs. Ducis Parmæ Archiater, & in Parmæ Gymnaſio Theoriæ Profeſſor eximius. An non id indixerat Hippocrates in Aphoriſmis, cùm eunuchos, & pueros ante Veneris vſum podagra non laborare aſſeruit? Bene quoque mythologi, qui ex Venere Baccho iunctâ podagram ortam fuiſſe, tradiderunt. Enimuerò ob clunium agitationem os ſacrum incaleſcit, & vbi incaluit, à ſpinali medulla efficaciter trahit: medulla & ipſa exinanita a capite, quod frigidi eſt metropolis, attrahit; vnde humorum pituitoſorum illuuies ad coxam, & eius perioſtion, necnon ad alias partes præcipitat; quare continuò oritur intemperies, vnitatiſque ſolutio, ex qua dolor, & angor in ijs partibus. Præterea cùm Venus aluum exiccet ex Ariſtotele, & Hippocrate alibi relatis, nihil mirum, ſi inde articulorum morbus exoriatur. Sic videmus omnes arthriticos ſtipticam aluum obtinere: quinetiam ipſe Hippocrates vltimo prorheticorum aiebat, grauius afficiiſchiade, quibus aluus non egerit, & alibi; bonum eſſe iſchiadicos dyſenteria capi. Poteſt itaque ex hoc etiam capite morbus coxendicus intendi. Porrò aluo manente lubrica, facilè impuri ſucci exdiadoſi demittuntur, quamobrè nec ſanguinem cõſpurcabunt, nec membra labefactabunt; plures inſuper afferri poſſent cauſæ, quibus anaphlaſmos vel per ſe, vel per accidens arthriticum parere poteſt, ac ſolet affectum, ſed breuitati conſulentes his duntaxat, quas hactenus retulimus, contenti erimus.

Pergo tamen ad inſignem ipſius Hippocratis textum vltimo Prorheticorum in fine, vbi docet, eos grauiùs coxendico dolore torqueri, qui pudenda non poſſunt arrigere. Quare mens illius quodammodo eſſe videtur, eos leuiùs affici à coxendice, qui melius erigunt, & Venere vtuntur; id quod è diametro poſitæ concluſioni aduersaretur. Profectò licet aliqua ratione affirmari valeat, aphroditim, eò quod pituitoſæ materiæ fluxum deriuet ab oſſe ſacro, in quod per ſpinalem medullam allabens ad genitalia vergit, poſſe aliquatenus iuuare coxendicos a pituita laborantes; ſcitum eſt enim, crudorum humorum copiam aſſatim vnà cum ſemine excerni: hæc tamen in præſentiarum non eſt germana Hippocratis intelligentia, neque mens eidem acquieſcit: repugnat namque in primis Aetij auctoritati, qui ſermone 3. capite 8. de re venerea ex Rufo, Venerem infeſtam eſſe coxendicis affirmat; reclamat etiam rationi, quoniam quæ materia artubus imbibita eſt, ægre, immo etiam nullo modo deriuari aliò poteſt; præterquamquod imbecillitas Veneri ſuccedanea maiori eſſe poteſt detrimento. Igitur pro veritate iaciendum vti fundamentum eſt, pudenda, ac genitalem in primis neruum (quod alibi declarauimus) magnam habere cum cruribus, & cum neruoſis partibus ſympathiam (eſt enim eiuſdem generis) ac valde ſimul coaffici. Quamobrem ſi dolor, doloriſque coxendici cauſa tanta ſit, vt inde genitalis facultas, ac robur quoquo pacto afficiatur, proculdubio maior cenſenda eſt affectio; indicium namque erit inprimis, ſpiritus ipſos, qui præ dolore corruunt (in mœrore deijcitur ſpiritus, aiebat Salomon) magis, magiſque deiectos, ac diſſipatos eſſe. Secundò flatus, ſine quibus erectio nequit fieri, ad coxam diuertiſſe, ibique maiorem excitare dolorem; habent enim ſemper in neruoſis doloribus flatus vim ſuam: Tertiò erit euidens argumentum, materiam facientem iſchiada, adeo præter naturam eſſe, adeoque frigidam, vt nequeat à calore coqui, aut corrigi; immò potius calorem ipſum ſemen elaborantem, fomitem fouentem, & genitalia vellicantem euincere, ac prorſus extinguere; vnde ſubrogato ſpiritibus genitalibus proportionato alimento, flaccida, & imbecillis virga, parteſque pudendæ euadant. Quod ſanè ex textu ipſo Hippocratis non obſcurè haurio; Nam is maius omne detrimentum, magiſq. diuturnũ videtur in maiori refrigeratione collocare; verba illius ſunt: *Porrò de coxendicum morbo ſic conſideratione m facere oportet: quibuſcunque ſemioribus & torpores vehementiſſimi ſunt, & perfrigerationes tum lumborum, tum crurum, & qui pudendum arrigere non poſſunt, & quibus aluus non egerit, niſi ad neceſſitatem coacta, & prodit ipſius multus ſtercoraceus mucus, his maximè diuturnus morbus erit, prædicendumque eſt, annum, vt minimum, duraturum eſſe morbum, &c.* Videatis amabo, vt cuncta accidentia relata

ta ab Hippocrate sunt frigidi soboles, vt non A
sit proinde mirum, si morbus diù perduret, &
grauior censeri debeat. Rursus paulò infra
idem aiebat, eos in ischiade grauius habere,
quibus dolor pertinet ad inguen; iam dum do-
lor inguina vexat, proculdubio genitalia fa-
stum deprimunt; siquidem hæc dulci, & suaui,
non autem dolorifica sensatione excitantur, &
attolluntur, ac fermo tali pacto cum præceden-
ti coincidit.

Dicas insuper, ne quid intactum relinqua-
tur, ex affluxu pituitosæ, atque etherogeneæ
materiei per os sacrum ad coxam, musculum
ibi propinquum, communemque etiam peni
comprimi, & hebetari, ideòque meteorismon
eiusdem prohibere, atque erectionem, quòd fa-
cile contingere potest, quandoquidem in hoc
eodem morbo ob humoris illuuiem non rarò
vrina intercipitur, sitque ischuria; quod sanè
partium communionis est amplum indicium.
Adhuc coxa cum renibus communicat, quod
vel ex eo patet, quoniam dum quis renum
calculo laborat, grauius etiam afficitur, ac
torpescit circa coxam, & crus; igitur è con-
trario dum quis ischiade, & crure laborabit,
affectione impertita renibus, genitalia, quæ
inde fouentur, deprimi poterunt, atque rugari; quod confirmat Aristoteles sectione 4. Pro-
blematum, vbi asserit, varicosa crura homi-
nes ad Venerem impotentes reddere, quod
cùm ex alijs causis, tum maximè ex horum
partium consensu accidit: cùm itaque in ve-
ra, & graui coxendice crura insimul compa-
tiantur; fit inde, vt communicata genitalibus
instrumentis labe, ad Venerem inepta reddan
tur. Hic igitur est Hippocratis germanus sen-
sus; verumque ideo est, quod à principio ca-
pitis astruebam, Veneris improbum vsum ar-
ticularem morbum, & præcipuè coxendicum
infligere.

CAPVT XIV.

Animalem quoque virtutem à Venereis lædi, ac maximè disperdi.

VSVS Venerei ametriam animali etiam virtuti haud leuem inurere noxam; significauit in primis gelasimos Democritus, qui, vel referente Galeno 3. Epidemiorum, concubitum paruam epilepsiam nuncupauit; quam etiam sententiam amplexatus est Auicennas libro 3. fen. 20. quo loco edixerit, Venerem epilepsiæ occultæ similari. Idem doctissimus Galenus indicauit 3. Epidemiorum comm. 3. vbi habet: *Venus neruos, & eorum principium cerebrum satis lædit, viresque omnes elidit.* sic videre est, rem agentes aphrodisiam circa sensus, ac motus magna perpeti symptomata. Hinc doctè simul, ac lepidè Vates ille,

Est Veneris fugienda tibi immoderata voluptas,
Nam capiti, mentique nocet, sensusque retundit,
Virtutemque hebetat animalem, & corporis omnes.
Debilitat neruos, infirmaque pectora reddit.

Quid enim illud in complemento Venerei certaminis oculis nictare, voce vel clamare, vel eadem priuari, illud stertere, sensibusque rigere, ac veluti in rabiem, furoremque agi, nonne magnæ animalis potentiæ passionis argumentum est? Nemo ibit inficias. Intellectus aciem hebetari, lumenque rationis opprimi, nec non memoriâ deperdi rebus aphrodisijs, supra abundè diximus. Atqui huiusmodi facultates nunquam læderentur, nisi organum illorum, quod est cerebrum animalis virtutis thronus afficeretur. Refert Arnaldus in speculo introductorio Medicinæ, & libro de Regimine sanitatis, facta aliquando corporis cuiusdam anatome, inuentum fuisse caput exhaustum cerebro; cuius rei euentum prudentes Medici in frequentissimum Veneris vsum, cui ille apprimè deditus erat, vnanimi voto reiecerunt; & hinc roboratur opinio Hippocratis alibi decantata, qui maiorem seminis portionem à cerebro delabi, existimauit. Discat iam vnusquisque modum in rebus Venereis seruare, ne animalis quoque virtutis iacturam faciat. Nos ad alia progrediamur.

CAPVT XV.

Veneream cupiditatem insaniam, furoremque immittere.

PLATO in conuiuio, loquente Diotima fatidica, dicebat: *An non vides, quam grauiter afficiuntur animantes omnes, & quæ gradiuntur, & quæ volant, cum adgenerationem toto impetu proferuntur, & amoris ardore insaniunt?* Platoni subscribens Aristoteles & ipse libro de Animal. edixerit, rerum Venerearum concupiscentias quibusdam insaniam facere: præcipuè verò 6. de Historia Animalium genericè loquens; *Commune*, inquit, *omnium Animalium est, vt cu-*

cu pidine, voluptateque rei Veneree maximè gestiant, atque incitentur, ferociunt mares tempore coitus. Quod si velimus ad peculiaria quæpiam exempla descendere, constabit liquidò, cuncta prorsus animalia oestro libidinis incensa dementari, atque in furorem agi. Sustine lector amice æquo animo, vt hic aliqua ex ijs, quæ in secundo libro opulento calamo narrauimus, perfunctoriè recudantur. Sic geniali ipso tempore equi equos mordent, sternunt equitem, atque insequuntur. Sues accerrimè fæuiunt, dimicant inter se mirum in modum sese armantes, ac fulcientes, cutem suam quàm crassissimam præparantes, indurantque attritu arborum: pugnat, vt ait Aristoteles, adeò acri certamine græge relicto, vt sæpe numero mortem vterque aduersarius obeat. Tauri, arietes, cerui, & hirci simili modo efferantur, qui enim superiori tempore socij iugi concordia pascebantur, coitus tempore dissident, & alter alterum rabie libidinis inuadit. Cameli, vrsi, lupi, atque leones acrius per id tempus in eos, qui accesserint, fæuiunt. Elephanti adeò efferantur, vt apud Indos, referente Aristotele, haud quaquam initus permittatur; libidinis enim incitati rabie casas prosternunt male conditas, pluresque alias ruinas moliuntur. Vt hinc 3. Georgicorum doctè admodum Virgilius Aristotelem prosecutus.

Omne adeò genus in terris hominumque, ferarumque,
Et genus æquoreum pecudes, pictæque volucres
In furias ignemque ruunt: Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sæuior errauit campis; nec funera vulgo
Tam multa informes vrsi, stragemque dedere.
Per syluas tum fœuus aper, tum pessima tygris.
Heu male tum Lybiæ solis erratur in agrit:
Nonne vides, vt tota tremor pertenteè equorum,
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos iam frænavirùm, nec verbera sæua,
Non scopuli, rupesque cauæ, atque obiecta retardant
Flumina correptos, vnda torquentia montes
Ipse ruit, dentesque sabellicus exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat

Sed maximè omnium inceduntur, furiunt, & libidine insaniunt equæ, & eò tempore equire dicuntur; quod etiam dicterium ab hoc animali maledicto trahitur ad mulieres libidinosas: inde citato loco Virgilius:

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,
Et mentem Venus ipsa dedit, &c.

Quin lyricus ipse Vates Lydiæ libidinem exprobrans, illam equæ furoriasimilat, quemadmodum 2. libro dedita opera registranimus;

Cum tibi flagrans amor, & libido
Quæ solet matres furiare equorum
Sæuiet circa iecur vlcerosum,
non sine quæsitu.

Simili modo fues Veneris æstuantes igniculo subare dicuntur, parique pacto hoc verbum ad homines impuros, lasciuiæque nimium deditos transfertur. Hinc Satyricus idem Vates primo Epistolarum ad Tibullum:

Cum videre voles Epicuri de grege porcum.

& in Epodo:

Iamque subando tenta cubilia, tectaque rumpit.

Vnde factus est etiam prouerbio locus: *Hic Epicurus subans est*; quoties lasciuum, mollem, ac perditum luxuria hominem indicare volumus. Sic Diuus Hieronymus libro 2. ad Iouinianum, vt refert Polydorus Virgilius in libello Prouerbiorum dicebat: *Fraßat, et Epicurum nostrum subantem in hortulis suis inter adolescentulas, & mulierculas allaquearier.* Quò etiam pertiêt illud Ægyptiorum hieroglyphicum, quo suem depingentes, acolastum, & lasciuum hominem exprimebant. Insuper Vaccæ hoc eodem tempore taurire dicuntur, ideoque geniali citantur æstu, vt eas bubulci tenere, aut capere nequeant. At quid de Tauris ipsis dicemus? Maro ipse rem decernit his metris,

Pascitur in magna syluæ formosa Iuuenca,
Illi alternantes multa vi prelia miscent
Vulneribus crebris: lauit ater corpora sanguis
Versaque in obnixos vrgentur cornua vasto
Cum gemitu, reboantque syluæ, & magnus Olympus.
Nec mos bellantes vna stabulare, sed alter
Victus abit, longèque ignotis exulat oris
Multa gemens ignominiam, plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores

Ca-

Canes rursum canire dicuntur, & his mos est in propatulo canire, a quibus denominata est infanda illa, non dicam Philosophorum, sed porcorum secta, cynica nuncupata, qui in propatulo, & coram luce coibant; cùm cæteris alijs animantibus, quasi cuiusdam honestatis consortibus mos sit secretò rem peragere. Quapropter cerui, si Aristoteli habeatur fides, recessum petunt, elephantes solitudines quærunt, dum lasciuire intendunt: denique vel ipsæ feles libidinis tempore maximè efferantur, de quibus 5. de Historia magnus Peripateticus capite 2. hæc habet: *Sunt porrò in eo genere fœminæ ipsæ natura libidinosæ, & fallaces.* Itaque mares ad coitum ipsum frequentes alliciunt, inuitant, cogunt, puniuntetiam, nisi pareant, vt proinde non immeritò Aegyptij, vt est apud Pierium libro 13. mulierum salacitatem denotare voleates æluri fœminæ, quæ est felis species, simulachrum pingebant. Sic igitur passim Brutorum omne genus insanit, cùm Veneri indulget. Quod confirmatum postremò velim eleganti carmine Senecæ in Hippolyto.

Veneris instinctu quàm magna gerunt
Grege pro toto bella Iuuenci,
Si contagio timbere suo?
Poscunt timidi prælia cerui,
Et mugitus dant, concepti
Signa furoris. Tunc virgatas
India tygres decolor horret:
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto ejt spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones
Cùm nouit amor, tum sylua gemit
Murmure sæuo.

Verùm enimuerò non bruta tantum voluptatis cupidine insaniunt, sed & viri, & mulieres, & fortè deteriùs. Id Plato 9. de Iusto deplorabat, vbi sermonem habens de hominibus, qui pascendo, & coeundo vitam transigunt, ait: *Proque his rebus vberius potiundis calcibus inter se, & cornibus ferreis, vnguibusque decertant, sese inuicem ob inexplebilem libidinem trucidantes, vtpote qui neque veram, & firmam sui partem, neque veris pabulis implent.* Ideo apud eumdem Platonem Sophocles in Dialogis reipublicæ interrogatus a quodam, quo nam pacto in venereis se haberet, & an posset mulieribus admisceri, respondit. *Bona verba, quæso ò Amice, libentissimè hæc tamquam furiosum, agrestemque Dominum aufugi.* Sic videre est, viros plurimos amore, vel zelotypia correptos eò furoris, & insaniæ deuenire, vt quasi Scythæ impij nil nisi sanguinem ciuilis sitiant. Mulieres verò, vt quæ longe magis libidinosæ grauiora incidunt pathemata, præcipuèque Veneris ardore in furorem illum vterinum dictum incidunt, quo non est crudelior vllus: in eo siquidem agitantur, anhelant, oblo- A quuntur, garrulæ fiunt, & instar furiarum agunt-tur. Celebres sunt Historiæ Milesiarum virginem, & Lugdunensium mulierum: illæ enim teste Plutarcho de Virtutibus Mulierum, sese cateruatim suspendebant; hæ verò turmatim in flumina sese præcipitabant, putantes fortè genialem ardorem aquę restinguere aspergine, seu illuuio: vsque adeo feruor inuadebat Veneris, ac fomitis furor; & in hanc sententiam trahor facilius, eo quod Hippocrates peculiarem hunc morbum esse virginibus, & castis asseuerat. Nec desunt Maronis testimonia, quibus insinuatur, mulierum veneream cupidinem nil nisi furorem existere: Sic 4. Aeneidos de Didone.

Vritur infelix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens. Item
B *Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.*

Rursus

Totamque incensa per vrbem.
Bacchatur Adhuc
Heu furiis incensa feror.

Vbique demum Didonem vti furentem, & insanam describit.

Quod si quæras, quid sit, quod mulieres nuptui traditę, & quædam domestica animalia de rarò ob libidinem sæuiant, respondebit Aristoteles 6. de Historia Animalium capite 18. ijs verbis: *Quædam autem animalia non vno tempore, sed septimo anno coeunt, vt ea, quæ cum homine degunt, verbi gratia, canes, sues, vt minus efferantur, facit coitus copia.* Militat fanè eadem ratio in mulieribus, quæ cùm non-C stato quodam tempore à natura præscripto, vt pleraque bruta Veneri indulgeant, non nisi rarò huiusmodi ferino ardore concitentur; quomodo verò contingat in brutis ferina libido, & in mulieribus uterinus ille furor, non est ita facilè declarare: existimarim ego inde procedere, quoniam pruriente fomite, natura tota sese ad vterum, seminalesque meatus conuertit; quò pariter sanguinis ingens copia confluit, qui pruriens, ac suo feruore titillans immoderatam Veneris concupiscentiam inducit. Hinc libro illo de Historia Animalium Aristoteles de D virginibus, quibus menses fluere incipiunt sermonem habens: *fit etiam*, inquit, *vt per id tempus cuslodiri præcipuè debeant, maximè enim ad vsum rei veneręæ incitantur cùm hæc incipiunt.* Potest aliunde alia ratio decerpi, si dicamus videlicet, retentum semen copiosius excretricem irritare potentiam. Si enim diù retineatur, quis dubitet innumeras gignere posse molestias? Galenus enim 6. de locis affectis bruta, inquit appetere coitum non ob voluptatem tantum, sed præcipuè, vt fugiant noxas a retento semine oriundas; vt enim ibidè idem testatur, retentum semen non modò corrumpitur, verùm etiam inimicam, & venenatam qualitatem contrahit.

CAPVT XVI.

Cupidineam voluptatem præsertim immoderatam oculorum aciem hebetare, & sæpè visum auferre.

AVICENNAS fen 20. tertij libri tractatu primo apertis verbis edisserit, Veneris nimium vsum vim luminum auferre; & *succedit*, ait ille, *debilitas visus, & auditus*. Quam veritatem antiqui Philosophi sub fabularum inuolucro declarantes, Cupidinis simulachrum cœcum effinxerunt, vt significarent nimirum, Cupidinis iocos oculorum virtutem adimere; quod mysterium lepidus ille Marullus in epigrammate Cupidinis expressit eo carmine.

Quæ sors eripuit lucem? immoderata libido.

Cuius euentus ratio est, quoniam vt alibi sæpe decantatum fuit, ex re Venerea spirituum fit diaphoresis, & instrumentorum infrigidatio; vt autem censuit Auerroes, nullus sensus potest suam operationem efficere, cùm fuerit frigefactus; cunctæ enim virtutis actiones medio calore patrantur, quo natura tanquam proprio vtitur instrumento; quòd si aliquando frigus adhibere videatur, hoc potius tamquam caloris moderatore vtitur, quàm per se. Id autem in oculorum organo eò contingit magis, quò seminis maior portio in capite iuxta residet oculos; vt ideo maior circa oculos, quàm circa alias partes alteratio in seminis ipsius effusione percipiatur, & maior in illis contingat imbecillitas. Quod satis eruditè 2. de Generatione animalium capite 5. insinuauit Aristoteles ijs verbis: *Sedes enim oculorum maximè omnium locorum capitis seminalis est, quod patet, cùm sola ipsa per coitum venereum manifestè immutentur, & vsu immodico rei venereæ oculi apertè languescant, & subsideant. Causa est, quod natura genituræ similis cerebro est.* Hanc ipsam sententiam confirmat 4. Problematum sectione, problemate 20. vbi habet: *Oculos verò, & locum ijs proximum vim ad procreationem maximam obtinere, docent illinimenta, quæ mulieres tam steriles, quàm fœcundæ experiuntur, vt potè cùm vis ad semen transmitti hinc debeat:* Sed adhuc luculentiùs ad hanc veritatem elucidandam quærit Aristot. 4. sectione Problematum problemate 3. *Quamobrem & qui concumbunt, & spadones, qui re minimè vtuntur venerea, in acumine oculorum offenduntur?* Respondit. *An quod alteris ob libidinem, alteris ob excisionem partes superiores plus iusto exiccantur, quod perspicuum in ijs est, quorum opus exquisitius administratur, aspectus autem talis est; humoribus verò deorsum ductis, superiora siccari necesse est; id igitur nimirum fieri concubitu patet. Spadonum autem crura intumescunt, & alui faciles sunt, vtpote cùm deorsum se humoris copia seuocat.* Quid plura? non ne ipsamet experientia id omne luculenter comprobat, quando iuuenes Veneri nimium addictos statim videre est oculis hebetari, atque obscurari? Et hinc etiam fit, vt inter alias causas, quæ afferuntur, cur in Flandria, Bohemia, & Germania pauci reperiantur, qui ob oculorum offensionem cogantur ocularia gerere, in Italia verò quàmplurimi, illa potissimum referatur, quod Italæ gentes in vsu Aphrodisio intemperatiores existant.

Verùm enimuerò ne quid relinquatur, quòd ad rem nostram faciat, registrabimus vltimo loco secundum quartæ sectionis problema, quo tamquam addito lumine præsentis theorematis innotescat ratio, & confirmetur etiam, eo igitur loco quærit Philosophus, cur ijs, qui rem Veneream immodicè agunt oculi, & clunes manifestè subsideant; partes, quarum altera prope, altera procul à genitalibus abest. *Vtrum*, ait, *quòd in ipso etiam coitu partes hæ perspicuè collaborant, cùm rem studiosius ipsa persequantur, & se cogant, nitanturque in semine emittendo. Itaque quantum alimentum facilè liquefieri potest, id præsum extruditur? An quod obcalefactæ præcipuè contabescunt, concubitus autem caloris agitur facultate, eaque maximè sentiunt calorem, quæ in agendo commouentur? Oculi autem, partesque sedi proximæ perspicuè collaborant; haud enim fieri potest, vt semen profluat, nisi partes cogantur illæ, nisique oculi demittantur: Quippe cum partibus his cocuntibus humor quasi manu ex vesica prematur, oculisque coactis cerebrum sua demittat. Sunt autem*, subiungit, *oculi omnium pingues, atque obesi; ergo quòd partes hæ rem veneream efficaciùs adiuuant, caloris participes sunt, cuius tabifica vi extenuantur, multumque sui succi ad semen excerni patiuntur.* Patet ergo, vt Venus oculis inimica, eorum adimat aciem, & virtutem; quod ex concauitate etiam illa, quam semper oculi solent ab obscœnitate præseferre, maximè innotescit; vnde Rhasis 4. Almansoris cap. 17. *Qui coitu sæpè vtitur, oculorum habet concauitatem.* Parergon. Cœci, & luscioſi omnes libidine maximè feruent, quòd oculorum dapsile alimentum ad spermaticos poros vniuersum absedit. Ita Venus cœcitatem, cœcitas Venerem accersit.

CA-

CAPVT XVII.

Tenebricosam vertiginem, ac tremorem de Veneris fonte scaturire.

NEC rarò à Venere tenebricosa exsurgit vertigo, tum præ debilitate, quam capiti ininngit, tum etiam quia spiritus animales turbat, agitat, ac tenebris offundit. Quod vel ipsa experientia perspicuum fit, quando in Veneris ipsius complemento, semiusque eiaculatione, non secus ac in vertigine luminum caligatio, tenebrosaque accidunt symptomata. Præterea si vertigo, & scotomia parua est epilepsia, & coitus identidem parua epilepsia est; vertigo, & coitus penè congenea erunt, iuxta illud Philosophi. *Qua sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Non igitur mirum, si voluptas aphrodisia vertiginem inferat; caput enim valde imbecille redd t; Simili modo ab immoderata libidine tremor frequenter ortum ducit, vt enim; Epidemiorum comm. 3. Galenus aiebat: *Venus nerues, & eorum principium cerebrum satis lædit, vireſque omnes elidit*: quoties autem nerui afficiuntur, & cerebrum, toties tremulus membrorum motus accidere potest: quò fortassis illa spectat sententia 6. Epidemiorum sectione 3. *In accessibus alij quidem strepitum edunt, veluti Arcesilaus, alij verò accessuri horridi fiunt, & rugosi, hoc est tremuli.* Noui Romę Iuuenem conciuem, qui a re Venerea per breue temporis spatium in magnum totius ferè corporis incidebat tremorem, tum præsertim, cùm non recubans rem agebat; vt verum dixerit Auicennas, qui concubitum stantibus pedibus celebratum, tremorem, & mille noxas inferre asserebat; etenim dum Aphroditis exercetur, pituita in capite liquatur, teste Hippocrate, qua neruis, eorumque circumfusa principio, trumorem apta est parere. Alter quoque Adolescens cum vxorem duxisset, & prima nocte clinopalin auidè exercuisset, sequenti die magnas passus est vertigines perinde ac ebrius extitisset. Quare parentes neonimphi diuortium ad aliquod tempus efficere coacti fuere. Vsque adeo inimica capiti, neruisque Venus est, vt ne dum symptomata relata, aliaque quoque deteriora pariat, veluti paralysin, apoplexiam, & id genus mille ad facultatem animalem pertinentia accidentia. Nam sensus omnes hebetat, oligopelia conficit, corrumpitque, motum retardat, vel depranat, cephaleam infert, neruos, musculosque infirmat, vt meritò de nocumento coitus dixerit insuper Auicennas: *Et accidunt cruribus eius torpor, ac dolor, quare vix forsitan sustinent onus sui corporis.*

CAPVT XVIII.

Vitalem facultatem & ipsam ab Aphrodisia voluptate infirmari, & febres acutas, ac malemoratas concitari.

COR ipsum officina spirituum, fons caloris, vitæ principium re Venerea infirmatur, refrigeratur, extinguitur: vt non mirum si hunc vsum immodice retractantes in syncopen, lypothimiam, languorem, ac sæpe repentinum interitum incidant, vt infra dicetur. Etenim dissipatis spiritibus, qui affatim in concubitu secedunt, necesse est robur, vitamque confestim auolare: quod licet cor ipsorum sit faber spirituum, nequit nihilominus illos elaborare, si sanguis tamquam subiecta materia deficiat; sanguis autem minuitur vndique, dum geniali voluptati fusius datur opera: vt mirum ideo non sit, si scortum illud apud Marcellum Donatum libro 4. de Historia medica Mirabili in re venerea non raro animo linqueretur. Hinc Athletæ Veneri prorsus renunciabant, ne virium robur minueretur, nam vt in Georgicis.

Sednon vlla magis vires industria firmat,
Quàm Venerem, & cœci stimulos auertere amoris.

Inde Aristoteles ad Alexandrum scribebat, omnium virtutum corruptricem Venerem esse, & in problematibus addebat non vno in loco, seminis immoderatam demissionem corporis totius dissolutionis, ac debilitatis causam existere.

Quod verò etiam febres, easque acutas, ac malo caractere imbutas intempestiuus, immoderatusque sinusiasmos efficiat, & quotidiana probant experimenta, quibus videmus Amasios, ac recentes sponsos febribus sæpe corripi; dum voluptati auidiùs indulgendo vacant; (inde enim succos, semenque exagitari, excalefieri, necnon sordidè putrescere contingit) & Hippocrates tertio Epidemiorum sectione 3. duabus eximijs historijs Nicodemi scilicet qui euasit; & adolescentis in Mœlibea, qui periit, quorum historias cum symptomatum syndrome hic recensere non inutile reor.

Aegrotus Decimus.

ABderis Nicodemum ex Venere, & potu febris corripuit, initio fastidiosius erat, & cardialgicus, & stitulosus. Lingua vsta. Vrinæ tenues nigræ. Secundo febris exacerbata, horrida. Fastidiosus nihil dormiuit. Vomuit biliosa, flaua, vrinæ similes. Noctem quiete dormiuit. Tertio remiserunt omnia, & quies erat. Circa solis occasum rursum subdifficilem habebat tolerantiam. Noctem laboriosè. Quarto rigor, febris multa. Dolores omnium. Vrinæ tenues, appendiculum. Delirauit multa. Septimus leuis. Octauo alia omnia remiserunt. Decimo & sequentibus inerant quidem dolores, minus autem omnes. Paroxismi autem, & dolores huic vsque ad finem in diebus paribus erant maximè. Vigesimo minxit album, crassitiem habebat, repositum non subsidebat. Sudauit multum, visus est sine febre fieri. Vesperi rursum calefactus est, & idem dolores, horror, sitis, parum delirauit. Vigesimo quarto minxit multum, candidum, multam subsidentiam habens. Sudauit multum calidum per totum sine febre iudicatus est. Acuta nimirum fuit hæc febris, multisque implicita accidentibus, attamen absque prauitatis caractere.

Decimus sextus Aegrotus.

IN Melibea adolescens ex potu, & multa Venere, multo tempore calefactus decubuit. Horridus, & fastidiosus, & sine somno, & sine siti. Ab aluo autem primò multa flercora prodierunt cum multa defluxione, & sequentibus aquosa, biliosa multa prodierunt. Vrinæ tenues, paucæ, decolores. Spiritus rari, magnus per tempus. Hypochondriorum distentio submollis producta vtrinque, cordis palpitatio perpetua vsque ad finem. Minxit oleosum, delirauit modicè, modestusque, & mansuetus, cutis arida, & diffenta, deiectiones multæ, tenues, aut biliosæ pingues: Quatuordecima omnia exacerbata sunt. Mente est motus, multa delirauit. Vigesimo insaniuit. Iactatio. Nihil mingebat, exiguum potum continebat. Vigesimo quarto mortuus est. Phrenitis. Hæc fuit malignę, & sordidæ putredinis febris, id quod manifestè arguunt agrypniæ, sitis carentia, cordis palpitatio, iactatio, insania, pinguis, & oleosa excretio, modestia, & mansuetudo, & reliqua huius census. Non ergo mirum, si de adolescente triumphans occidit eum. Hem tanti fugax emitur voluptas? Tam paruipenditur vita? Discant ephebi ab hac historia philidiam despicere.

CAPVT XIX.

Quid sibi velit Hippocrates sexto Epidemiorum ea particula: Increscentes morbos mixtio.

QVID pro mixtione apud Hippocratem intelligatur, nemo ambigit; cunctis enim persuasum est, eo nomine Veneream consuetudinem præsignari. Cæterùm vt ancipitis huius sententiæ genuinam intelligentiam expiscari valeamus, operæ pretium ante omnia erit exponere, qui sint Hippocratis mente morbi increscentes. Existimarunt aliqui, increscentes morbos illos arbitrio Hippocratis vocari, qui infantes inuadere, eosque ad ephebiam vsque concomitari solent. Censuere alij, increscentes nuncupari eos omnes, qui temporis tractu grauiores euadunt, ac sæpe, si opportunè ijs non medeamur, incurabiles fieri. Huius ordinis erunt comitialis morbus, podagra, nephritis, arthritis, & id genus alij. Nonnulli tandem arbitrati sunt, morbos dici increscentes, qui in suo reperiuntur augmento; habent enim sua tempora morbi omnes principium, auxesin, statum, & catabasin, siue declinationem.

Primæ opinionis assertores, quorum principem agit Sabinus Medicus vetustus, cui Valesius sexto Epidem. in comment. huius sententiæ assentatur, dicunt, Venerem puberes ab illis morbis eximere, qui pueritiam vexabant; quod in puellabus, menstruis apparentibus, & in puberibus iacto semine probari, ajunt; quemadmodum palàm fit in epilepsia, de qua paulo supra quæstionem agitauimus.

Secundæ paraphrasis auctores tradunt, quòd licet aliquibus morbis propitietur Venus, quemadmodum morbis imprimis e pituita conferre, significauit Hippocrates; nunquam tamen remedium hoc aphrodision vsurpari debeat in ipsa morborum auxesi; verùm in principio, vel declinatione; iuxta præceptum illud Hippocraticum. *In principio si quid tibi mouendum videtur, move; in statu verò quiescere melius est.* Etenim ipsa quoque Venus est quædam euacuationis species.

Tertiæ verò sententiæ auctores, quorum Galenus coriphæus erit, autumant syntrophos quosdam, siue adnatos morbos plurimum à Venere lædi, vtpote arthritidem, podagram, nephritidem, epilepsiam, atrambilem, & similes; ita vt sententiæ dubiæ addi debeat ver-

verbum lædit, non autem iuuat. Nempe hæc mihi plausibilior sententia accedit, cui amplissimam fidem reddit experimentum, quo videmus, hos omnes morbos ab Aphrodisijs plurimum exasperari, quemadmodum multis huc usque dictauimus, & pluribus adhuc in sequentibus enunciabimus.

CAPVT XX.

Vocis organa mirum in modum lædi à Venere.

INTER alios vsque nunc recensitos humani corporis affectus, quos putibunda Venus immittit, est ille non leuis, qui citca pectus, & huius organa fit. Nam vocem peculiariter ab re venerea offendi probat vsus, & hodierna consuetudo pueros castrandi, quibus vocis lenitatem, acumen, & suauitatem perdurare cupimus; necnon antiqua insuper histrionum consuetudo infibulandi. Antiquitùs enim cùm comicæ, tragicæque fabulæ cantu, non simplici sermone haberentur; comœdi, ac tragœdi ad vocem ipsam acutam, & claram conseruandam non modo balneis, & laxantibus vtebantur celsijs, vt Galenus refert. verùm etiam infibulatione, cui similis est hodie apud veterinarios equarum, vt vocant, inanellatio. Infibulatio autem erat fibulam supra penem inuoluere; fibula verò erat circulus æneus, quo adolescentulorum, aliorumque hominum virilia coerceri solebant, vocis conseruandi gratia, quæ obsceno amplexu reditur imbecillior, & asperior: illa identidem comœdis, ac tragœdis iuxta implicabatur pudenda, quando huic etiam hominum generi, vt dicebamus euphonia erat necessaria. Hinc lepidissimus Martialis:

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit comœdis omnibus vna satis.

Annon satis liquet, adolescentulos, vbi primùm incipiunt effundere semen, vocem immutare? Hi namque iam pubescentes, quandoquidem asperiorem, & subraucam vocem emittere incipiunt, hirquitallire dicuntur; & hirquitalli tunc temporis ideo nuncupantur, quòd vocem grauiorem, hircinæque non dissimilem edant. Cuius quippe euentus rationem prosecutus Aristoteles in Problematibus aiebat, quod cotu vniuersum corpus dilatatur ob calorem, & consequenter aspera quoque arteria; sed non æqualiter, verùm qua magis, qua minus, adeò vt gutturis superficies inæqualis reddita, neutiquam liberum exitum spiritui concedat, sed præpeditum, & inæqualem; non secùs ac, dum rheuma guttur afficit, branchos efficitur, ex quo arteria limpidum sonum reddere nequit. Huc pertinet, quod Alexander in Problematibus scripserat. Quærens enim, quare pueri, spadones, ac mulieres acuta sint voce? Respondit, quòd his non protenditur aspera arteria in amplum ob humiditatis abundantiam, caliditatis enim munus est meatus in amplum relaxare; vt ergo angusta tibia angustum reddit sonum, sic arteria non dilatata. Nimirum Aristoteles de Historia Animalium septimo id claris fidibus significasse videtur ijs verbis: *Vox item per id tempus*, ideſt decimo quarto anno, *mutari in sonum asperiorem, inæquabilioremque incipit, quamquam nondum grauem, neque enim acuta præterea est, neque tota æqualis, sed similis fidibus incontentis, & asperis, quod caprire denominatur, idque potissimum, qui rem veneream incipiunt agere. ijs enim vox transit in sonu virilem. Abstinentibus verò è contrario fit, & securam adbibeant, quod aliqui faciunt ex ijs, qui choreis indulgent, vel longo seruari tempore sine magna mutatione potest.* Ita prorsus eodem 5. de Historia capite 30. de Cicadis sermonem habens Philosophus aiebat, eas ante maris coitum cantu longe suauiores esse. Rursus eodem libro capite 14. de equo: *Bimus*, inquit, *cùm est, atque hinnire incipit, vocem magnam, grauemque mas mittit, fœmina maiorem, &c.* Plura citato loco videat, qui vult.

Porrò tam vox, quam vniuersum corpus primo Veneris tempore maximâ experitur immutationem, eò namque temporis natura cuncta perlustrat membra. Sic videre est, mulieribus augeri mammas, ac protuberare; vti etiam pubem, & genitalia loca. Viris quoque pectus, & virilia explicari: Iuuenculis menstrua fluere, pilosque ad pudenda exoriri, puberibus pruritum seminalem fieri, & loca eadem pilis circumtegi; sed inprimis pectus manifestè afficitur ob magnam cum genitalibus communionem, vt ex anatomicis administrationibus liquidò consequi licet, & nos alibi pluribus prosequuti sumus. Nam ab arteria magna ramulus quidam demittitur ad os pubis in viris, & alter ramus in mulieribus ad fundum, collumque matricis; adeò vt ex hac omologia facilè sibi inuicem affectiones communicare valeant. Id vel ex eo patet, quoad Veneris lenocinia, quoniam si mulieribus mammæ pertractentur, continuò genitalem pruritum, ac rentiginem experiuntur; non secus ac sues fœminæ, si circa vbera leniter confricentur, voluptate delinitæ flatim humi prosternuntur; idque ex harum partium consensu, atque conspiratione contingere, putandum est; ambarum enim

enim vasa, communia sunt, vt ideo nihil mirum si ex mammarum varia dispositione, varia vteri affectio comprehendi valeat; nec non fœtus inibi contenti status, atque alteratio, vt ex Hippocratis, & Aristotelis doctrina plenè colligere fas est; nam quærens in Problematibus Philosophus, quare lac in mulieribus coeuntibus, lactentem puerum priuè afficiat; respondet, quoniam dum res agitur venerea purior, ac perfectior lactis portio ad seminales meatus, atque vterum defluit, parte impuriori in mamillis superstite. Insinuauit eamdem communionem Hippocrates secundo Epidemiorum ea sententia: *Tusses diuturnæ, si testis intumuerit, cessant, & quibus testis intumuit, si tusses fiant, cessat*: quam veritatem æpiùs comprobatam vidi Romæ in summo Principe, & Cardinali Bonifacio Caietano, dum primoribus annis doctissimum Vincentium Alsarium medicinam practicam habentem prosequebar, ille namque cùm rebelli asthmate laboraret, non priùs a fero paroxismo alleniabatur, quàm scrotum, testesque intumescerẽt. Rursus earumdem partium familiaritatem delineauit Hippocrates 5. Aphorismorum aphorismo 37. 38. 39. nam trigesimo septimo inquit: *Mulieri ingraudatæ si mammæ repeniè extenuentur abortit*; trigesimo octauo habet: *Quin & mulieri grauidæ si altera mamma extenuetur, ac gemellos gerit, alterum abortit, &c.* demum trigesimo nono. *Si mulier neque prægnans, neque puerpera lac habeat, huic suppressa sunt menstrua*. Præterea 6. epidemiorum sectione 5. legitur. *Si mammarum papillæ, & rubor paullus fuerit, morbosum vteri vas est*. Item 2. epidemiorum sectione 5. *Vocis gracilitatem soluit varix ad finistrum & dextrum testem, absque horum altero fieri non potest, vt soluatur*, & paulò infra. *Solutio coxarum doloris, oculorum distortiones, cæcitas, testium tumores, mammarum elcuatio*. Has celeberrimas auctoritates congerere libuit; licet alibi earum pleraque in alium retexerim sensum, vt constet plenius, quanta intercedat affinitas inter spiritales, ac genitales particulas, inter pectus, ac pudenda; ideoque innotesceret, ex philidonia vocis organa valde immutari posse. Auctarium decst. Dabo. Auicen. 8. de Animal. cap. 7. passeris cuiusdam meminit, qui remeante vere quindecim continuis diebus suauissimè cantillet, postmodum verò colorem immutet, & obmutescat. An plumas non minus, quàm vocis armoniam fusæ libidinis in præmium amittat?

CAPVT XXI.

Quibus nam morbis genericè sit magis infensus Veneris vsus; vbi morborum ilias inde quoque originarium recenseatur.

QVISQVIS morbosas affectiones, quæ à studio manant Aphrodisio pleniùs, & exactiùs habere cupit petere debet Auicennam libro 3. fen. 20. Aetium sermone 3. capite 8. & alios. Nos enim hactenus præcipuas quasdam, ac frequentiores recensuimus. Inuat nihilominus alias aliquot ægritudines inde oriundas promiscuè prosequi. Nempe omnibus, qui vel pectore, vel neruis, vel renibus malè habent, quique lumbis, coxendice, pedibusque imbecilles sunt Venus prorsùs aduersatur. Depranatæ coctioni, crudis ventriculis, obliuiosis, tremulis inimica prorsus. Sed audiamus Auicennam, cuius verba præcitato loco hæc sunt: *Coitus euacuat de substantia cibi postremi, quare debilitatem affert, cuius similem aliæ non afferunt euacuationes, & educat de substantia spiritus rem plurimam propter delectationem, & propter illud, qui plus delectantur, plus sunt cadentes in debilitatem: & coitus quidem velociter facit peruenire illum, qui plurimum eo vtitur ad infrigidationem sui corporis causa sui, & resolutionem caliditatis innatæ, & mortificationem virtutis: & præparat ipsum in primis ad caliditatem fumosam adeò donec multiplicentur super ipsum pili, deinde succedant ei infrigidatio completa, & debilitas sensuum, visus, & auditus, & accidunt cruribus eius torpor, ac dolor quare non forsitan sustinet onus sui corporis, & quandoque similatur dispositio eius epilepsiæ occultæ propter illud, & quandoque superat in ipso nigredo, deinde citrinitas, & accidunt ei periodi à debilitate; & videtur ei, quòd sit incessus formicarum in membris suis incipiens à capite suo vsque ad finem dorsi, & accidit ei tinnitus, & multoties accidunt ei febres acutæ, aduentes, & quandoque aduenunt ei tremor, ac debilitas neruorum, & vigiliæ, & prominentia oculorum ad exteriora etiam sicut accidit in separatione animæ à corpore, & accidit ei caluitium, epilepsia, & dolor dorsi, & renum, & vesicæ. Dorsum verò ignescit priùs, quare attrahit materiam dolor ad ipsum, & restringitur eorum natura, & quandoque facit incurrere colicam: & facit accidere eis fœtorem, & fetet eorum os, & carnes gingiuarum, & in il-*

illis, in quorum corpore sunt humores melancholici, moutur post coitum horripilatio; & in cuius corpore sunt humores putridi, procedit post coitum ex eo odor fœtidus; & ei, qui est debilis digestionis, accidit post coitum rugitus; & de hominibus est, qui est passus complexionem malam, dimissio coitus contriflatur plurimum, & grauat corpus eius, & caput ipsius, & rixatur, & multiplicatur pollutio ipsius, & si est ei obediens, debilitatur stomachus eius, & desiccatur; & de hominibus dignior alienatione coitus est ille, cui aduenit post ipsum tremor, aut frigus, aut constrictio anhelitus occulta, & pulsus cordis, & profunditas oculorum, & destructio appetitus cibi, cuius pectus est infirmum, aut debile, aut est debilis stomachi. Dimissio enim coitus est res conuenientior ei, qui habet stomachum debilem; & deuitent ipsum de mulieribus illis, quæ abortum patiuntur: & in coitu quidem sunt figuræ male, sicut si ascendat mulier supra virum: figura enim in coitu illo est mala, ex qua timetur vomex, & inflatio, & vlcera virgæ, & vesicæ propter laborem eiectionis spermatis, & dubitatur, si currat aliquid in virga ex parte mulieris. Et scias, quod retentio spermatis in coitu est mala valde, & quandoque perducit ad contritionem vnius duorum ouorum; & oportet, ne coitus fiat necessitate facis, & mingendi motu, nec cum exercitio, & motu, aut post passionem animalem fortem. Hactenus Auicenna, qui quidem fusè & erudiτè simul omnia percurrit, quæ de re præsenti dici poterant, insuperque optima, & scitu digna consilia suppeditat.

Iam Rufum apud Aetium auscultemus, qui nihil minus doctè rem aperuit his verbis: *Naturale opus coitus est: nullum autem ex naturalibus operibus nociuum est; verum iuxta immodicum, & assiduum vsum, itemque iuxta tempus non conueniens assumptus noxius euadit. Multò autem magis nociuus fit assiduus vsus his, qui neruos, aut pectus, aut renes, aut lumbos, coxendicesque, ac pedes imbecilles habent. Cuius rei coniecturam hinc facere licet, quòd omne hominis robur in coitus vsu debilius redditur. Robur autem est insitus in nobis calor. Vnde sanè concoctiones coeuntibus non integrè contingunt, & pallidi fiunt, & neque exactè vident, neque vt oportet, audiunt, neque alios sensus integros possident. Quin & obliuiosi tales, & tremuli existunt, & articulis maximè coxendicum dolent, & alij ex ipsis renum, alij vesicæ morbos incurrunt. Quibusdam etiam oris grauedolentia, & dentium dolores, & gurgulionum inflammationes obortuntur: & visi sunt tam viri multi, qui ex multa Venere sanguinem exposuerunt, partim ob violentam spiritus compressionem, ac intensionem, partim ob venarum, ac arteriarum, quæ ex pulmone ad testiculos deferuntur, communionem. Itaque,* subiungit, *propter iam relatas causas medici boni iubeant Venere abstinere, siue adsit quis ex prædictis morbis, siue timeatur ob naturalis corporis debilitatem.* Huc vsque Rufus, cui subscribit Paulus, & alij, & ab hoc, & ab Auicenna Michael Scotus, qui tempore Federici Imperatoris gloriosè vixit, eique à studio Philosophiæ seruiebat, coitus nocumenta, ac dispositiones hausit, quas in eius Physiognomonia quisque videre potest.

Viden' ergo iuuentus petulans, quantis obnoxiam morbis tua te lasciuia reddat. Hem! ita ne homines audent impetu effræno Genij in Venerem irruere nullo habito sanitatis studio? Ergo nec a tanta morborum colluuie terreberis miser anthropos? vt breui, eaque dolosa voluptate fruaris, valetudinem pessum dabis, qua sine nullum bonum iucundum esse potest? vt proinde Plato in Gorgia ex ore Socratis primum locum inter naturalia bona sanitati tribuat; & Orpheus alta voce cecinerit, sine salute cuncta esse hominibus inutilia. Inde in foribus Delij carmen inscriptum erat.

Perpulchrum iustum est: verùm optimum habere salutem.

Meritòque iccirco adhoc Ariphron Sicyonius hymnum illum egregium sanitati est modulatus, quem sic imitatus est Calcagninus.

O qua nec altera vetustior est Cœlitum,
O vna cunctis expetita sanitas!
Quodcunque reliquum est vitæ tecum vtinam
Agam, & vna omnium contubernalis sis mihi.
Quicunque enim fortunis fruitur, aut liberis,
Aut est alteri obnoxius voluptæ,
Te vna fauente, cuncta habet propitia,
Affiant & illum charites, & si media hyems
Rigeat, tamen ver illi flosculos parit.
Absente te sunt cuncta dura, & aspera,
Nec grata prorsùs cætera est felicitas,
Quum esse planè desinit fœlicitas.

Et Venerem sectamur Hygeæ, ac Panaceæ hostem infensam? Siccine insaniunt homines? At non reticenda insuper Veneris alia quædam detrimenta ad medicinam statim attinentia, ab ingeniosissimo Sanctorio eiusdem Medicinæ auctore aphoristicè promulgata.

Sau-

Sanctorij Sanctorij ex sexto libro Medicinæ staticæ duodecim selectiores aphorismi ad Veneris noxas pertinentes.

I.

Post coitum immoderatum quarta pars solitæ perspirationis in pluribus pr obiberi solet.

II.

A coitu immoderato diminuitur calor naturalis: a diminuto calore diminuta perspiratio; a diminuta perspiratione flatus, & palpitatio.

III.

Immoderatus coitus facit perspirare cruda, quæ deinde carnes frigidas efficiunt.

IV.

In actu Venereo multum crudi perspiratur, & si diu duret cruda transferuntur a centro ad corporis ambitum, fiunt obstructiones: & inde aluus supprimitur.

V.

Præsens vulnus immoderati coitus est stomachi refrigeratio: futurum, prohibita transpiratio; unde facilè fiunt palpitationes in supercilijs, & artubus, & deinde in membris obtinentibus principatum.

VI.

Coitus in æstate magis nocet, non quia corpus magis perspirat, sed quia coctio cum sit minor, deperditum difficilius resarcitur.

VII.

Coitus immoderatus lædit visionem, quia ab oculis subducit maximâ spirituum copiam; inde tunicæ oculorum præduræ, & rugosæ, nec non meatus minus peruij reddantur.

VIII.

Coitus calefacit iecur, & renes, quia excitatus calor minus exhalat: refrigerat verò stomachum, cerebrum, & eor, quia per meatus patentiores excitatus omnino, & proprius aliqua ex parte propterea resoluitur.

IX.

Hinc coitus immoderatus in bepate bilem; in renibus nephriticum affectum, in stomacho crudum succum; in cerebro catharrum, & in corde palpitationem, & syncopem.

X.

Post nimium coitum cum muliere quàm maximè concupita, non sentitur illico lassitudo; animi enim consolatio iuuat tunc perspirationem cordis, & auget eius robur; vnde in ipso quod amittitur promptius remittitur.

XI.

Illi qui coeundo sperma ex studio non emittunt, in tumorem testiculorum facilè incidunt; sperma enim est imperspirabile.

XII.

Coitum non nocuisse hæc indicant, vrina æqui cocta, vt ante; corporis agilitas: respiratio facilior, & idem fere corporis pondus perseuerans.

CAPVT XXII.

De ijs, qui in re Veneris vitali dissoluta virtute obiere, aut casu, fatoue fuerunt extincti.

HIS malis onusta Venus humanum grassatur Genus; nec solum grassatur, sed populatur, ac tandem in feram detrudit necem. Sic primo de semine Galenus testatur his verbis: *Accedente insuper voluptate, quæ ipsa per se satis est, vt vitalem dissoluat firmitatem, adeò vt iam quodam ex nimia voluptate, & iucunditate mortuos esse conflet.* Euentus rem aperit: historiæ centum id satis comprobant, quarum illæ sunt celebres. Cornelius Gallus, ac Titus Etherius, Plinio teste, in re Veneris obierunt. Itane Veneris afotæ improbum studium ad interitum tandem ducit? Siccine mortis pretio breuis, & fœda coemitur voluptas? Tanti emitur dulcedo vana? Siccine inter gaudia obrepit vltimus dolor? Sic diem exosus acolastus homo vitam sibi capularem facit? Proh vanitatis, & amentiæ columen! liceat historias aliquot prosequi eorum, qui inter Veneris illecebras animam exhalarunt, vt grex petulca arceatur à mollitie, & reuocetur ab orco.

Pontano Auctore libro de obedientia capite 10. Beltrandus Ferrerius in Hispania Barcellonæ in Venere dedit animam. Alcibiades quoque, vt Plutarchus refert cum Tymandra meretrice à Lysandro interfectus est in ipsa libidinis obscenitate. Sic Tigillinus, Cornelio teste, vigilum, & prætorij præfectus inter stupra concubinarum, & oscula fectis nouacula faucibus inhonestè vitam clausit. Rhodoaldus Longobardorum Rex, teste Paulo Diacono: Speusippus Platonicus, auctore Tertulliano in impuritate, & adulterijs è vita cessere. Iouannes Skenkius aliorum meminit, quos apud ipsum videre est. Hos habuit vetusta ætas: nostris quoque temporibus non pauci fuere, quos tamen referendi aufertur facultas. Exclamare interim cogor cum Valerio Maximo: *Quo sum autem attinet eorum cauillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit?* Quis rescire valeat, quot fuerint illi, qui coitu intemperato in lethales in-

ci-

cidere morbos? Apage à quibusnam causis frequentius ægrotant iuuenes, quam ab Aphroditis exuberante voluptate? Hæc mihi scribenti fit obuiam aduena, qui fratris nudius tertius reuocati ab orco calamitatem deplorat; nam curatus ope medica quasi insperatò à febre mali moris, statim, nondum resumptis viribus, vxori adhæsit, & in præsentiarum animam agit; vt summo iure pestis blanda luxuria nuncupetur; quem enim pestis fera, vtpote pestilentialis febris nequit interimere, interficiet mitis hæc, & voluptuosa pestis.

Sed in auidi lectoris lautiorem apparatum, ponantur in medio aliquorum exempla, qui vel fortuitò, vel fataliter in actu Aphrodisiæ voluptatis obiere. In templo D. Mariæ Rauennæ, vt Petrus Apianus Mathematicus Ingolstadienſis, & Bartholomæus Amantius memoriæ tradunt in libro cuius est apographon: *Inscriptiones Sacrosanctæ Vetustatis*, hoc legitur epitaphium.

F. I. DICAT
CINERES, ET OSSVA LAODICEÆ PHILOCAPTÆ HIC SITA SVNT PERPETVÆ MEMORIÆ FACTI, ET INFAMIÆ CAVSA, QVÆ INSACIABILI VENERE EXHAVSTA SVBTER. VIVO VIRO MORTVA EST. VIX. ANN. XXIII. MEN. VIII. D. IV. INFOELICISSIMI PARENTES TACITO NOMINE EXTRA SORTEM AD RVDERA POSVERE. O VORAGINEM EXVRIENTEM?

Eupolis quidam Niciæ Athenienſis filius prima nuptiarum nocte thalami ruina vnà cum vxore oppressus, paulò post perijt, quò spectat illud Ouidij in Diris contra Ibin.

Sit tibi coniugij nox prima nouissima vita,
Eupolis vt perijt, & noua nupta modo,

Hieronymo Magio referente, Mulio quidam illi notus Cornix appellatus, cùm in agrum oppidi Dini Ioannis Vallis aduenisset, tempestatem nimborum fugiens illicò exortam, diuertit ad mulierculam quamdam, quam cùm noctu cognosceret, domus ipsius lapsu cum pellice exanimatus est. Eodem Magio auctore tertio miscellaneorum Neapoli Sponsus quidam cùm Virginem sponsam deflorare conaretur, ligneo orbe, à quo conopeum pendebat, in caput eius delapso, occubuit. Legimus in sacra Tobiæ historia, Dæmonem nomine Asmodeum septem viros Sarræ Raguelis filiæ sponsos, simul atque voluissent desponsatæ Virgini adhærere, enecasse. Id quod non tam casu accidisse, quàm ex Dæmonum Zelotyporum ira, contendunt. Amant namque Dæmones, vt alibi fusiùs diximus, ac zelant non tam supra mulieres, sed etiam supra viros; refert enim Philostr. tertio de vita Apollonij Thianęi, Dæmonem cuiusdam Pueri captum amore fuisse; & si Magio relato habenda fides, quidam ex Dini Augustini Eremitarum familia tempestate sua antequam sacris insigneretur ordinibus, à Dæmone adamatus sæpè oscvlis petebatur, & ab eodem Zelotypo aliquando malè etiam diuexabatur; sed hæc per Apostraphen dicta sufficiant. Præsentem claudamus sermonem exemplo omnium pulcherrimo, & complorando, quod ex subscripto discès epitaphio, Romæ olim exculpto

ASPICE VIATOR Q. SERTVLL. ET DVLCICVLÆ SPON. ME. ORANCILIÆ VIRG. AC. POST. INDE QVID FACIAT LICENTIOSA SORS LEGITO. IN IPSA FLORIDA ÆTATE CVM ACRIOR VIS AMORIS INGRVER. MVTVO CAPT. TAND. SOCERO ET M. SOCR. ANN VENTIB. SOLENN. HYMEN. NVPT. COPVLAMVR. SED O FATVM INFELIX NOCTE PRIMA CVM IMPORT. VOLVPTATIS EX LI. FAC EXTINGVERE ET D. M. V. VOTA COGEREMVR REDDITIS HEV IPSO IN ACTV DOM. MARITALIS CORRVENS AMBOS IAM EXTRE. CVM DVLCITVDINE LÆTIS. COMPLICATOS OPPRESSIT FVNESTAS. SOROR NEC NOVI QVID FECISS. PVTA NON ERAT IN FATIS TVM NOSTRA LONGIOR HORA. CARI PARENTES LVCTV NEC LACRIMIS MISERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FVNERA NE REDDATIS INFELICIORA. AT VOS NOSTROS DIVTVRNIORES VIVITE ANNOS. OPTIME LECTOR AC VIVE TVOS.

D. M.

Ergo procul esto Venus impia, procul sunto tua funera, pestis blanda procul cuola. Iam mihi cum Cirenæo liceat intonare.

Abite in malam rem pestes
Impiorum mortalium,
Vrbiumque opes,
Abite in malam rem omnes
Noxæ blandæ,
Ingratæ Gratiæ,
Quibus animam illectam
Terram seruam retinet,
Quæ valde misera
Suorumque bonorum
Ebibit obliuionem.

Defluunt exiguo spatio, atque brevissimo, & singulis momentis quasi fluenta decurrunt hæ corporis fœdæ, damnosæque libidines, neque finem alium habent, quàm dolorem, ignominiam, luctum, interitum. Bossius apud Aloysium Nouarinum in Risu Sardonico.

CAPVT XXIII.

Veneris petulantiam vniuersum corpus profanare.

PRAE omnibus iam dictis affectibus, quos tamquam à Venereis oblectamentis emanantes recensuimus, est alius quispiam arcana quadam proprietate, ac labe vniuersum corpus profanans, quod cùm videatur inenarrabile, signis duntaxat à posteriori eo modo quo potero, propalare conabor. Quippe an non satis liquet, vtriusque sexus Iuuenes, cùm primùm virgineum pudorem amittunt, diuino quodam veluti lumine denudari, ita vt corpus puritatis decore, & castitatis fulgore spoliatum quibusdam veluti obductum tenebris conspiciatur? Quò factum prudenter est, vt qui virginitatis amittunt florem, meritò corrumpi dicantur; siquidem iam tum & animus corrumpitur, & corpus labefactatur, putensque euadit; cuius rei manifestum est argumentum, quod vbi primùm puberes semen effundere cœperunt, hircum redolent, in eoque Tragomasculi seu Tragizontes nuncupantur, hinc Martialis

Pastillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum.

Quæ sanè grauiolentia in aliis primitus innotescit, eo quia cutis inibi rarior, & tenuior existit. Hinc Horatius 2. Epodos

Grauis hirsutis cubat hircus in alis.

& Catullus

Valle sub alarum trux habitare caper.

Inquibusdam locis mos obtinet, vt nuptæ mulieres dum suo succubuere viro, per octo, decemque dies non egrediantur foras, multoque minus delubra ingrediantur, & quoniam cæremoniæ haud casu fiunt, soloque hominum opinatu, existimarim ideo id factum fuisse, quoniam nefas censetur, profanatas Deorum adire templa; Hinc Deiphobes apud Virgilium 6. Apollinis antrum subiens clamat.

Procul ite profani.

Et quia mulieres, vt quæ nullum aliud, quàm virginitatis decus à natura tulerunt, illud in Veneris primo congressu amittunt; hinc est, vt ceu labe contaminatæ à sacris ædibus per dies aliquot arceantur. Id non temere affirmo: colligo ex variis scriptoribus, & Plutarcho in primis 3. symposiorum 6. vbi narrat, veterem, consuetudinem tulisse, vt qui nocte Veneris voluptatibus indulsissent, procula Deorum ab essent sacellis: quò spectat illud Tibulli 2. Carminum,

Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris,
Cui tulit externa gaudia nocte Venus.

Nec modò voluntaria seminis effusio corpora polluit, verùm innita quoque pollutio, & spontanea gonorrhæa quodammodo conscelerat. Quare legimus in Leuitico capite 15. *Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit, & tunc iudicabitur huic vitio subiacere, cùm per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor: omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & vbicunque sederit: Si quis hominum tetigerit lectum eius, lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsque ad Vesperam, &c.* Quod idem habetur in Deuteronomio capite 23.

Magnus ille Cœlestium arcanorum reuelator Ioannes Euangelista in ecstasi videns candidatorum innumerabilem cohortem, & quinam essent scisciatus, responsum tulit. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati;* & hi cœlibes iure dicuntur, eò quod, vt Diuus Hieronymus ait, Cœlo dignam ducant vitam, qui Veneris abstinent voluptatibus; etenim ætherei spiritus, ipsaque numina oderunt carnis oblectamenta, ac fomitis pruritus, quicquid amentes Gentiles de suis Dijs effutirent. Appellatur Virgo sydus quoddam Zodiaci, quod Astræa creditur esse, Dea nempè æquitatis, & auri sæculi numen, à quo sortè astro interris virgines incorrupti homines nuncupantur, eò quòd sicut illa in æthere rutilat fulgore, sic etiam qui Venereis non sunt commaculati in terris tamquam sydera coruscant. Apud nos Talos mos tulit, vt quando adolescentula quæpiam nondùm passa hymenæum e vita cedit, candidis deferatur vestibus, sertaque liliis, floribusque contexta coronetur; lilia namque puritatis sunt hieroglyphica; vt ostendatur, illam, quòd non sit passa Venerem, vitæ candorem nequaquam amisisse. Apud Romanos in Vestalis ignis custodiam ex Numæ Pompilij dictato, non nisi virgines admittebantur, quo mox loco sub capitis pœnam illæsa seruabatur pudicitia; fortè quia non nisi à virginum puritate tanti Numinis ara custodiri posse putabatur.

Elephantes adumbratæ rationis animalia ex Aristotele de Historia Animalium in desertis coeunt locis, mox vero abluuntur, quasi tractam inde sordem, fœdamque labem deponere studeant. An non insuper mirum est, quod de Vnicornio animali purissimo scribunt naturæ Polyhistores, innata scilicet proprietate, atque instinctu virginitatem illum dignoscere, diligereque adeo, vt capi nequeat nisi à virgine, quam vbi primùm odoratus est, sponte sequitur, eiusque libenter adhæret sinui. Proh virginitatis decus? Contrà autem apes, vt supra dicemus,

cebamus, naturali instinctu recentes à Venere adorantes aculeo morsu, insequuntur, ac feriunt.

Olim in ipsa Gentilitatis densissima nocte Sacerdotes, ac mulieres gditiæ, aut initiaturę per nouem noctes à Venere arcebantur, vt patet ex ijs versibus.

Perque nouem noctes Venerem, tactusque virorum
In vetitis memorant.

Haud enim grata esse arbitrabantur holocausta, quæ ab impuris offerebantur manibus, dictante Platone 4. de legibus: *Ab impuro capere munera, neque bonum virum, neque Deum decet.* Hinc etiam Pythagoras in symbolis addebat: *Nudis pedibus sacrifica, & adora.* Hoc est animi puritate, cordisque sinceritate, vt in nostris commentarijs in symbola plenè exarauimus. Velapud Turcas exrat hodie consuetudo, vt sese nimirum lauent, antequam templum adeant; putant enim à Deo non exaudiri preces, quæ ab impuris offeruntur; purificari autem stultè existimant simplici aquæ ablutione. Inde Hesiodus.

Nunquam vina Ioui, superisque rubentia libes
Ante manus fluuij, quàm pura lauaris onda.

Homerus in Iliade.

Non decet illotis manibus libare superno
Vina Ioui, &c.

Ergo vt Veneris ab illecebris misere sceleratur corpora. Quamobrem cum Trismegisto in Pimandro perorare fas erit. *Cur o viri terrigenæ præcipites in mortem ruitis, cum vobis haudquaquam desit immortalitatis consequendæ facultas? reuocate iam vosmet, qui laboratis inopia, ignorantia tenebris inuoluti: discedite ab obscuro lumine, asciscite immortalitatem, corruptionem fugite.*

CAPVT XXIV.

Omnium malorum, cladumque origi-
nem fuisse Venerem.

QVorsus effrœna Iuuentus? cuius nam Dominæ tirannico te committis imperio? Nunquid Venerem non aspicis totum orbem deuastantem, atque vniuersæ cladis originem? non fames, non bellum, non pestis mundum adeo depopulatur, vt familiaris hæc inimica. Hinc Sillius Italicus libro 15.

Inde aspice latè
Florentes quondam luxus quas verterit urbes,
Quippè nec æra Deum, nec tela, nec hostes
Quantum sola neces animis illapsa voluptas

Satis cuique manifesta sunt sæuissima bella, quæ ferus naturæ, & Genij produxit impetus. Amabo vnde cædes? vnde proditiones, ac fraudes? vnde flagitia mille? vnde ebrietas? vnde egestas? vnde infamia? quàm bene Plautus in Truculento.

Meretrix meum Herum
Miserum sua blanditia intulit in
Paupertem, priuauit bonis, luce, honore, atque amicis.

Idem 3. elegiarum 12. Propertius habet: Quod autem de ebrietate, & infamia peculiariter diceb amus, confirmat Sillius Italicus 15. Belli Punici:

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circate semper volitans infamia pennis.

Quam præclarè Apuleius libro de disciplina scholastica cap. 2. *Meretrix est non via inferni iannua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium sceleris, puteus interitus,* & est prorsus illud Salomonis parabolarum 23. *fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena; insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Pleni sunt omnes libri, plena volumina, & monumenta, quæ testantur, ob mulieres infinita penè mala, excidia, atque exitia promanasse. Ideo Seneca in Hippolyto.

Sed Dux malorum fœmina, & scelerum Artifex
Obsedit animos: cuius incesta stupris.
Et versa ab imo regna tot populos premunt.
Fumant tot vrbes, bella tot Gentes gerunt

Vide Athenæum 13. cap. 4. vbi ob mulieres exorta bella recensetur mille. Ne sit igitur qui voluptatis illecebris irretiatur, nemo specie, & delectatione delinitus fœuæ libidinis tirannidi se committat; quandoquidem terminus momentaneæ voluptatis est acerbissimus dolor, & delectationis fallaci gaudio amaror finitimus est; sardonici risus mors est comes; hinc Prouerbiorum capite 5. *fauus distillans labia meretricis, & oleo nitidius guttur eius; nouissima autem illius amara sicut absynthium, & acuta sicut gladius biceps.* Hinc facit iudicij illud: *mulierem melle esse molliorem, sed quò nitentior eò nocentior; dum se fouet, sibi fauet; dum tangit, tingit; dum ridet, rodit, seu radit: non est virgo, nec virago, sed vorago, quæ vires vorat, corpus carpit, aurum haurit, & amando*

mandit. Dilectus Apostolus cui diuina arcana reuelata fuere in quadam extasi, vt legitur Apocalipsis 17. Meretricis vidit dolosas imposturas, ductus namque in desertum quoddam mulierem conspexit purpura & margaritis ex ornatam habentem poculum aureum, *plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.*

Vegetius in 2. de re militari causam reddens, quare tot præclara gesta Romani suis temporibus patrarent, ait, quoniam nullis voluptatibus, nullis delicijs frangebantur: siquidem vt habet Tullius, *In voluptatis regno non potest virtus consistere;* Enimuerò netanda libidine homines ducti belluis deteriores euadunt, cùm nunquam sese ad altiora erigantur; meritò ideo plato 9. de Iusto dicebat: *Homini igitur prudentiæ, virtutisque expertes, & epulis rebusque similibus mancipati, deorsum feruntur, vsusque ad medium vsque perueniunt, & circa hæc per omnem vitam oberrant; super hæc verò emergunt nunquam; & quod verè summum est, nequaquam suspiciunt, neque ad supera euehuntur, neque vera vlla re quandoque fruuntur, neque stabilem puramque gustant voluptatem, sed veluti pecora humi proni spectant, ventrique obediendo pascendo, & coeundo ætatem conterunt:* & hoc est illud ipsum, quod mysticè nobis idem Plato inculcauit, dum dixit, animis nostris semper duos adesse dæmones, vnum qui ad superna erigat, alterum, qui ad inferna deprimat; qui sanè dæmones, testante Ficino, sunt duo amores, quorum vnus cœlestis est ad contemplandam diuinam pulchritudinem nos eleuans; alter vulgaris ad sobolem procreandam nos stimulans; & primus ideo iure dicitur dæmon, idest bonus dæmon, alter cacodemon, idest malus dæmon, eò quod vilia suadeat semper, & ad vulgaria concitet. Apagè quid magnorum Heroum animos inflexit magis, quàm Veneris delicium? Adeo animum, & mentis æthereum lucem obumbrat aphrodisia voluptas, vt vel Ethnicis fatentibus, qui illius illecebris indulserunt, æthera conscendere nequeant; quod in somnio Scipionis ijs verbis lectitatur: *Eorum animi, qui se corporis voluptatibus dedidere, earumque se quasi ministros præbuere, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium Deorum, & hominum iura violauere; corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec huc in locum, nisi multis exagitati sæculis reuertuntur;* & est illud prorsus Aristotelis ad Alexandrum: *Vt anima parricidij, quæ non habet potestatem redeundi ad locum suum; quia turpia opera delectationis corporis impediunt eius ascensum sursum.* Et huc pertinet illud Maronis 6. Æneidos, vbi Anchisem in Elysijs Campis ab Aenea repertum ita alloquentem facit.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, ac funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris:
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni:
Quisque suos patimur manes; exinde per amplum
Mittimur elysium; & pauci læta arua tenemus;
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Omne itaque exitium, omne facinus improbum à Venerea cupiditate fluit; omnis cœdis origo Venus extitit: omnis lex violata propter voluptatem improbam, omnis æquitas corrupta fuit. Sic Andrellinus basilicè satis concinit ijs carminibus, quæ tamquam capitis huius auctarium apponenda censui.

Te duce non vlli quamuis obnoxia culpæ
Iam rea, mentito teste, Susanna fuit
Caditur Vrias veri sub imagine belli,
Vt Dauid optata posset amante frui.
Sanctus monstrifera dum iura libidine fœdat
Corruit in rapidas Gomora versa faces.
Te duce fraternis fossus cadit vltibus Hamon,
Cumque suo Sichen patre necatus abit.
Perdidit inuictus per te sua robora Sampson,
Obruit exulsa segue, suosque domo.
Carpit Olophernes altum dum vocat soporem,
Heu malo fœmineo cæsus ab ense iacet.
Adde quod Herodes furijs agitatus iniquis,
Non leue suspecti crimen amoris habet.
Ipse etiam Salomon populo sapientior omni
Obtulit externis sacra nefanda Dijs.
Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimique quique interfecti sunt. Prouerbiorum 7.

CAPVT XXV.

Viro, an mulieri sit magis perniciosa Veneris consuetudo.

LVCTANTVR inuicem inclinopali vir, & mulier, parique conditione dimicant, ita vt moueatur, agiteturque vir, agiteturque mulier: incalescat vir, incalescat & mulier; delectentur ambo, amboque in fine semen iaciant. Non ab re igitur scisciabitur quispiam, qui nam ex duobus victoriam referat, hoc est viribus minus concidat, minusque robore prosternatur. Michael Scotus suæ Physiognomoniæ libello sententiam tulit, septies magis concubitum infensum, ac dannosum existere mulieri, quàm viro. Iudicis rationes esse possunt, quia cùm sit mulier omni viro frigidior, ac debilior, multo magis deprimi, afficique debet ab vsu Veneris vires infringentis, ac refrigerantis; quod in viris temperamento calidioribus, ac lacerto vegetioribus nequaquam sic facilè contingeret. Adhuc mulier magis quàm vir voluptate Venerea mulcetur. At quantò maior voluptas extat, tantò spirituum fit maior iactura; igitur maiorem ex congressu mulier, quàm vir noxam referet; tantò magis quòd menstruo illo sanguine, quo periodicè circumfluit, materiæ seminali, vtque etiam totius corporis alimento subtrahitur; vt ideo dixerint Philosophi, mulieres, quibus abundè, & affatim menstrui prorumpunt flores, libidinis pruritu minus tentari, eò quod sit humoris deriuatio; cùm itaque in viris cruentus huiusmodi effluxus non accedat, sanguinis copia decedit ad vasa spermatica, ibique in copiosum semen transit; vbi autem copiosè fluctuat semen, tantùm abest, vt Venus obsit, vt subleuet potius, ac maximopere conducat.

At his non obstantibus asseuerandum est, viros oppidò magis, quàm mulieres ab aphrodisio perfundari; id quod huiusmodi rationibus persuasum velim. Primò quidem, quoniam spirituosum magis est, & vberius, quod a viro emittitur semen, quàm quod à muliere; sed à maiori, calidiorique seminis copia maior inuadit læsio, viriumque dispendium; igitur vir muliere offendetur magis. Rursus hæc non extra proprium corpus effundit, quare calor, & spiritus etiam in corpore remanent, qui & fouere, & viuificare poterunt, regionem repetere suam, cordique robur communicare; quin a seminis ipsius viri spiritibus ulquàm insuper caliditatem, fotumque & vterus, & aliæ fœminæ partes haurire possunt. Quod significauit Hippocrates libro de Genitura, vbi mulieris vteros in coitu incalescere, totumque corpus melius habere asseuerat. Sed quid? nonne manifesto periculo comprobatur, vnicam mulierem quatuor, & quinque viris absque vlla succumbere læsione, vt de muliere illa scribitur, quæ tot militibus vnica nocte substitit? namque refert Mizaldus Germanicam Virginem vna nocte triginta quinque seriatim prostitisse militibus. Atqui vir vbiter, & quater aphrodisium patranit, toto sit corpore impotens, nec potest rem absque crimine viteriis peragere.

Secunda ratio esse potest, quod is magis ab opere fatigari, lædique putandus est, qui pluribus ad agendum indiget; sed vir multò pluribus opus habet, quàm mulier; igitur ille magis offendetur. Pater hoc, siquidem mulier vas tantummodo præstat; vir autem plura adhibet instrumenta, quæ satis idonea esse debent, summoque lacerto imbuta; Et ex his patet responsio ad ea, quæ in contrarium afferebantur nam ex eo quod mulier frigidior est, minoren etiam seminis emittit copiam, & paucioribus delatam spiritibus; quoad secundum licet mulier extensiuè magis delectetur, vt alibi dicetur; intensiuè tamen magis vir demulcetur, & si quid plus mulier promulsidis obtinent, id seminis virilis perfusioni, qua valde delintur, acceptum referri deberet. Insuper quoad sanguinem menstruum dicas, hunc, si indebita mensura fluat, tantum abesse, vt imbecilles mulieres reddat, vt subleuet potius tamquam deposita sarcina; Neque sanguis ille aptus est ad seminis generationem, siquidem ad illud exquiritur purior, ac spiritualior sanguis; & hæc tibi planibilia sunto.

CAPVT XXVI.

Hominibus, an Brutis magis officiat Venus.

QVÆSTIONEM hanc excitat consultò Aristoteles 4. sectione Problematum, vbi quærit; Cur homo omnium maximè animantium, postquam concubuit, dissoluitur, & langueseit, ac statim rationem subnectens, ita subiungit: *An quòd semen proportione sui corporis plurimum emittit: sed cur plurimum homo emittit? an quòd minus cibum is conficit, & omnium maximè animantium humidi natura, & calidus est, quarum*

rum earum altera seminis copiam reddit, altera naturæ vim efficit ad semen creandum, semen etenim tale est quandiu seruatur. Hactenus ille, cuius nimirum rationem haud efficacem, ac probantem existimo; siquidem, sicuti se habet calor brutiad brutum, ita & copia seminis hominis ad hominem; igitur ex eo quod homo maiorem fundat seminis vberratem, haudquaquam statui inde potest magis debilitari; quandoquidem ex propria natura humoris prolifici amplorem continet portionem. Sanè argumentum probaret in paritate gradus, quando scilicet homo haud calidior esset bruto, minusque seminis vberiorem conficeret portionem. Igitur eo modo infirmabitur homo ex vberrimi seminis fusione, quo brutum ex sui paucioris seminis missione. Perinde ac exempli gratia posito quod ejus vires obtineat onus ferendi centum librarum pondo, & alter octoginta, tantum modo fatigabitur qui pondus gestat centum librarum, quantum qui octoginta, cæteris paribus; Ratio est, quoniam sicut se habent vires vnius ad centum, ita & alterius ad octoginta, ipsumque onus virtibus vtriusque equiualet.

Rursus nec probat id, quod additur, debilitari videlicet magis hominem, quia semen obtinet calidius, & spiritibus magis circumfluis, quã brutum. Siquidem cum sit ex sui natura homo calidior, calidius quoq; semen eum elaborare par est. Probaret vis argumenti si ille frigidioris, aut æqualis temperaturæ foret, & nihilominus in actu aphrodisio spiritus, & calor linquentes partes superiores, ad semen, genitalesque partes confluerent largius. Enimuerò si dentur duo viri, quorum vnus calidiatem a natura obtinuerit vt duo, alter vt tres, proportionaliter æquè refrigerabitur, & infirmabitur qui habet vt tres ex deperditione vnius gradus, quàm alter, qui habet vt duo ex deperditione similiter gradus vnius; siquidem vt se habet vnus gradus ad duos, ita & vnus ad tres in temperaturis. Dicamus itaque, iccirco homines à coitu langueſcere magis quàm bruta quia infirmiori sunt habitu, & corpore delicatiori; quare facilius qualscunque præsentiunt noxas, quod verò in eo satis patet, quoniam bruta sub dio gelidò humi strata in noctibus iacent, cæli quibuslibet iniurijs exposita; scopulos; & antra incolunt, nullo tecta velamine, duris, & insipidis vescentia alimentis, ac frigida vtentia, quæ omnia nullo pacto sustinere homines possent. Præterea non irrationabiliter dici posset, ea de causa homines pessundari magis ab vsu Veneris, quoniam nequaquam statò tempore, & a natura indito rem peragunt, sed omnibus tempestatibus, & quacunque anni constitutione. Quo enim tempore natura sagax stimulos immittit libidinis, tantum abest vt possint animalia ex aphrodisijs lesionem recipere, vt potius hilaritatem, ac valetudinem nanciscantur, siquidem natumgandis, quę ad operationem dirigit, dat insimul instrumenta commoda, & vtilia quęque ad illam. Quare tunc temporis de indiuidui incolumitate sollicita in seminis, ac spirituum elaborationem enixè intendit, in vires reparandas incumbit, & in calorem seruandum summa prouidentia inuigilat; non secus, ac dux militiæ prudens cùm vehementius milites ob certamina elaborant, tunc magis de annona, de manipulis adiungendis, deque alijs auxilijs cogitat; vnde tandem victor euadat; at in alijs temporibus, quoniam natura non eò vergit, neque ex instinctu actionem illam exposcit, ideo nec suo conatu, nec tanta vtitur industria, quò fit vt corpus vniuersum deterius haberi contingat, magisque circa robur offendi; id quod hominibus accidit; & hæc mihi plausibilis videtur ratio.

CAPVT XXVII.

De Regimine eorum, qui Venere exoluuntur ex Actio, & Auicenna.

EVIDAM sunt, qui cum corporis habitum a natura obtinuerunt pessimum; vt inquit Actius, *vt semen multum, & calidum generent, quod eos ad excretionem vrget, atque postquam per coitum eiecerint, exolutionem orit ventris patiuntur, & toto corpore exluuuntur, debilesque fiunt, & sicci, & tenues, & pallidi; oculos etiam cauos habent hoc modo affecti: Contra verò si coitu abstinent, eo quod multo semine referti sunt, quod retentum omnino prauum est, fit vt capite discrucientur, itemque stomacho, & aſſlu fastidioque anguntur, nihilque magnopere continentia iuuantur; quod si per somnum emittunt, eodem modo offenduntur.* Quid ergo in tali casu faciendum erit? In primis Galeno auctore abstinendum est ab ijs æduliis, quæ sunt seminalis humoris prolifica, de quibus in 3. libro abunde egimus, suntque ea adhibenda, quæ semen ipsum diminuunt, exiccantque potius, vti lentium decoctum, portulacæ, lactucæ, & similium; de quibus citato loco plura; Item rutam adhibere, & calamentum, illa enim estitata calore suo semen coagulat; atque corrumpit; hoc aute massidue edentes generãdi potentia priuari dicitur. Præterea adhibendæ sunt inunctiones refrigerantes alibi quoque præscriptæ. Tandem capessendum est ipsius Actij consilium serm. 3. cap. 34 vbi ait, quod obseruare *oportet eos, qui tali vitioso habitu præditi sunt, quando maxima seminis multitudo,*

do, quæ excretionem expetat, congregata appareat, & tunc sanè in die quadam moderato, ac boni succi cibo usi a cœna, quum ad somnum vertuntur, coitu vtantur; sequenti verò die cum sufficienter dormierint, & à somno surrexerint, linteolo corpus perfricent, donec cutis quendam attrahat ruborem, deindeque olei confricatione, & intritu moderatè vtantur, & aliquantulo temporis interiecto spatio panem bene fermentatum elybanitem ex vino dilutum accipiant; atque hoc modo ad consueta munia obeunda perueniant, eo verò tempore, quod inter olei intritum, & panis exhibitionem intercedit, si locus adsit in vicinia aptus, in eo pauliſper deambulent; si verò hyemis tempus inflet, melius fuerit tandiu intus deambulare. Atque hæc ad verbum ex ipso Actio decerpta sunt, si placet, plura apud illum per lege.

Sequuntur Auicennæ catholica præcepta, quæ lib. 3. fen. 20. Tract. 1. his verbis exarantur: *Oportet, vt administretur calefactio, & humectatio cum cibis bonis, quorum paucum nutrit plurimum, & cum balneationibus, & aromaticis, & regimine, & facere vt ipsi dormiant, & quiescant, & letari in ludis, qui lætificant, & hæc quidem omnium, & vaccinum est vehementis iuuamenti ad confortandum, & viuificandum, cum sumitur de eo in ieiunio cum quantitate qua digeratur, & dormiat super ipsum; & oportet vt administretur exercitium præparationis, & quando administratur mithridatum, & Diamusæum cum superfluitate in humectatione viuificat. Quod si appareat debilitas visus, tunc causa eius est cerebrum, quare oportet vt assideat inunctionem capitis sui cum eis, quæ sunt sicut oleum violarum, & fiat caputpurgium cum eo: aut distilletur in aurem, & vtatur introitu aquæ dulcis, & aperiat visum suum in ea: Si autem accidat tremor ex ea, tunc si materia fuerit plurima humida salnatur cum eis, quæ sunt sicut pulpa coloquinthidæ, aut cucumere asinino, & centaurea, & post illud curentur nervi cum vnguentis fortibus, in quibus sint muscum, & ambra, & ben cum oleo de costo, & nardino, & de liliq, & oleo de cyperis, &c.* Vide plura tum in præsenti capite, tum in superiori apud ipsum Auicennam. Illud hic obiter non præteream, non statim a Venere geminata cibum offerendum esse, verùm aliquo interiecto tempore; siquidem hinc dispersus calor magis obruetur, virtusque fatiscet oeyus, vnde cruditates, & maior virium languor; quò spectat illud Celsi: *Interdiu peiores, noctu tutior, ita tamen ne quæ illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequatur.*

Sed salubrius consilium erit, parcèrei Veneræ indulgere, quàm inde contractam exolutionem corrigere, melius euitare periculum, quàm, vbi præsens est, morbum expugnare. Kara Venus omnis calamitatis redditur exors iuxta illud Hippocratis 2. Prædict. *Si exore semel vsus fuerit, vegetior vtique erit, & magis solutus; si verò sæpius rem peregerit, durior euadet, & squalliorem quendam habebit, & decoloratior, ac magis lassatus erit.* Cui Latinus astipulatur Hippocrates, Celsus videlicet inquiens: *concubitus rarus corpus excitat, frequens exoluit, &c.*

CAPVT XXVIII.

Epidemia tempore, nec non micante insigni Cometa in orbe Venerem exitialem esse.

SI vllo vnquam tempore Veneris oblectamentis vale dicendum est, pestis præsentia, vel suspicione omnino vel ipsa voluptatis cogitatio ableganda erit, & hoc pluribus ijsque veris rationibus. In primis quia philotisia corpus debilitant; in peste autem nil magis aduersum quàm virium imbecillitas. Secundò quia coitus respirationis auget vsum; tempore verò contagij parum respirandum est, vt aeris inquinati parum inspiretur. Tertiò quia auget penes viscera calorem, qui potest de facili humores internos, ad putredines alioquin paratos inflammare. Quartò, quia poros aperit; atqui pestilentiæ tempore habere meatus corporis densos, salubrius est. Quę omnes rationes firmissimæ sunt. Cæterùm non sum iturus inficias, quin pluribus hominibus optimi roboris, quadratę complexionis, & assuetis tunc etiam temporis frugalis Venus aliquatenus propitietur: quandoquidem & seminis quoque plenitudo potest corpus ad morbos parare, quin si fortè semen corrumpatur, luis deterius genus parit, quàm cuiuuis humoris corruptela, & putrilago. Quare concludendum est, epidemiali quoque tempore rarum coitum ab assuetis demitti non debere, in quo tamen nihil elaborent, non insudent, non excalefiant, sed suo nature impetu sinant lasciuire naturam, quo modo auxiliatis potius Venus erit quàm secus.

Neque temporum constitutiones duntaxat, cœlique influxus infaustos obseruare in Veneris gymnasio expedit, verùm aeris quoque impressiones, ac meteora. Itaque magni refert in primis altioris regionis aeris inspicere, & obseruari mutationes; qui vniuersaliter dum scatet ignitis impressionibus, & illis potissimum, quæ Come-

tæ

tæ appellantur, Veneris vſus demittendus erit vel ſaltem ingenti mediocritate adhibendus. Hoc autem non erit probatu difficile; ſi quidem ſi cometes ſiccitatis indicia ſunt, & etiam concauſæ: ſiccitatis autem tempore Venus incommoda eſt, nedum inutilis; quis neget penes cometas fugiendam libidinem eſſe? Nam Venus ipſa per ſe valde exiccat, vt patet vnanimi Philoſophorum, atque etiam medicorum conſenſu, cometes inſuper ſiccitatem præſefert, ſequetur, vt a duabus cauſis vnitis maximus effectus ſiccitatis oriatur; hinc autem humani ſaluti corporis non leue detrimentum accedet; Senectus enim, & interitus humiditatis defectu contingit. Inſuper cùm cometa ſemper, vel vt plurimum morboſam quandam vim portendat, inſalubritatemque minetur, vnde videre eſt illa exardeſcente peſtes, & epidemias per orbem vagari, potius natura corroborari debet, & præſeruari, ne morbo corripiatur, quàm debilitari, vt facilius afficiatur; debiles enim quacunque vel minima occaſione afficiuntur; Modò Venus valde debilitat, vt nemo inficiatur, naturam; igitur eo potiſſimum tempore ableganda protinus eſt; eoque magis quòd Venus ad putredinem diſponit, quæ eſt apta materia ad recipiendum quemuis ægritudinis caracterem, & aſtrorum maleficum influxum. Hanc meam ſententiam videtur indicaſſe ad verbum Hippocrates, dum libro de dieta ſcripſit, *pluri coitu vtendum eſſe in aqua, quàm in ignis impreſſionibus*; quod licet intelligatur vniuerſaliter de temporibus calidis, ſi tamen exactè conſideretur particula illa, *in ignis impreſſionibus*, proculdubio de cometis, & ſublimis aeris affectibus ignitis pronunciata ſententia iudicabitur. Præterea cometes latente quadam vi Viuentium exhaurit ſpiritus inſenſibiliter; igitur eo vigente fugienda eſt Venus, quæ ſpiritus validè & flocciſacit, & interimit, ne duabus cauſis concurrentibus ad ſpiritus eripiendos, in quibus vita conſiſtit, hæc properè tabeſcat. Id facilius perſuadetur, ſi conſideremus, cometam efficere commotionem in viuentibus trahendo a centro ad circunferentiam, Venerem a circunferentia ad centrum, quę duę mutationes contrarię quàm noxię, & deleterię ſint, Philoſopho non eſt obſcurum. Infauſtum ergo erit pluribus e cauſis, at maximè ob corporum ariditatem, Veneri blandiri comete ſublimè flammante; tunc enim, vt Pontanus in Meteoris;

Languentes impunè cadunt cum matribus hadi,
Examineſq; iacet paſſim cum matribus agni.
Vſque adeo infandam in rabiem fera ſeuit Erinnys,
Et dirus quatit in terras iacula aſpra cometes.

CAPVT XXIX.

Luna pubeſcente, vel adulta Venerem magis inimicam eſſe; eidemque micante Sirio, necnon ſcalari, ſeu climacterico anno infauſtè litari.

LVNA pro ætatis varietate varios primarum qualitatum gradus influit, neque eiuſdem naturæ ſemper eſt conſors, quemadmodum Alexand. Aphrodiſ. 1. problem. 66. expreſsè declarat his verbis. *Luna verò cùm quadriformi notetur habitu: primo cum æqua portione diuiſa eſt, humida, & aliquantulum calida regit: Secundo pleniter orbe calida, & quodammodo ſiccior eſt: Tertio cùm ſenecſit, ſicca, & frigida redditur: Quarto cùm luce omni exhauſta ſilet, frigida humidaque euadit, tum enim expers eſt radiorum ſolis, quos calidos eſſe, nemini ambiguum eſt*: hactenus ille. Vniuerſa autem hæc diſtinctio qualitatum maiori, vel minori Solis virtuti tribui poteſt, a quo Luna ſuam omnem aſſumit energiam; vt meritò proinde dicatur ab Ariſt. minor Sol, eò minor, vt eidem Ariſt. placet 4. de Gener. animalium, quò tepercuſſum lumen recto debilius eſſe par eſt; nemo enim poteſt tribuere qualitatem, & virtutem in ea penitus intentione, quam ipſe obtinet, ſed paulo debiliorem. Quare ſequitur, vt quantò eſt magis Luna ſplendoris diues, tantò calidior dici debeat; quantò minus, tantò frigidior, vt proinde etiam in plenilunio dignoſcatur aliquis maior temporis tepor; vnde ab Ariſtot. 4. de part. Animal. capite 5. dicitur: *pleniluny noctes tepidiores eſſe*. Præterea in prima Lunæ adoleſcentia, & ipſomet plenilunio maior humoris copia viget, cuius rei ratio eſt, quòd caliditas illa Lunæ cùm ſit imbecilla, poteſt quidem humiditates excitare, non autem diſcutere, & reſoluere, perinde ac verno tempore accidit Soli. Hæc ipſa humoris copia manifeſtè apparet in conchilijs, & oſtreaceis, quæ tunc temporis implentur; quò pertinet illud Lucilij apud Gell.

Luna alit oſtrea, & implet Echinos,
Muribus fibras, & pecudi addit.

Hoc idem præter Ariſt. de Gener. Animal. Plinius lib. 2. deſcripſit cap. 41. vbi ſic ait: *Iam quidem lunari poteſtate oſtrearum, conchiliarumque, & concharum omnium corpora augeri, ac rurſus minui, conſtat.* Quin etiam augeri tunc temporis cerebrum omnium, teſtatus eſt

est Auic. lib. 1. fen 4. cap. 21. vbi ait, *Augetur cerebrum augescente luna, desinit decrescente.* Insuperæ lurorum oculos augescente luna augeri, multi dixerunt; quod idem incrementum longè manifestius apparet in multis cum fluuijs, tum maribus, quæ fluxu ac refluxu afficiuntur. Sed quid? an non etiam hoc ipsum humoris incrementum latè patet in arboribus, vt Agricolas non præterit, à quibus arbores decrescente luna putantur, quo temporis momento minori scatent humoris copia?

His positis aio primo, in ipsa Lunæ infantia minus dispendiosum, quàm in eiusdē vigore vti Venere: ratio est, quia licet in plenilunio sit maior caliditas, ratione cuius videatur magis cōpetere Venus; in cornuta tamen luna plus humoris ineſt, ratione cuius tutius admitti potest libidinis actus, a quo, vt alibi superius diximus, superfluæ humiditates euacuantur. Si verò hanc Veneris minorem noxam a maiori copia seminis metiri velimus, censendum est, iam tum cùm suum perficit orbem, satius esse Genio fauere; tum temporis enim renes, & spermatica vasa implentur perinde ac ostrea, & conchæ; quod si verum est etiam ex Auicenna, augescēte Luna augeri cerebrum; cùm semen sit substantia cerebralis, quis neget, in plenilunio adesse polyspermiam, ratione cuius minus infensa erit libido? Si verò e contrario aliquatenus est admittenda humorum generatio apud varias Lunæ ætates, vt proinde in prima sanguis augeatur, in secunda bilis, nemini dubium Venus salubrior erit, & aptior dominante sanguine, in suo vide licet primo ortu, vt patet, quàm domiante bile, idest in plenilunio.

Secundò assero, dum Luna senescit, dumque penitus silet, minus quàm in prima quadratura, & plenilunio aphrodision inlidiari, non quidem maioris caloris beneficio, sed ob alias rationes. Nam primò si dum friget, commodius Venus exercetur, vt alibi plene probauimus, vtique senescente, & intermenstrua Luna, quibus temporibus defectu solarium radium magis frigescit, commodius vtemur ipsa Venere. Adhuc res voluptæ nemini dubium vtilius exercentur, dum fiunt secundum propensionem, quàm illa reclamante; Sed in Lunæ vel defectu, vel silentio contingit huiusmodi aptitudo; igitur his temporibus magis expedit. Maiorem vt certam relinquimus, assumptum sic probamus. In prima Lunæ figura fit motus in corpore a centro ad circumferentiam, & sic magis in plenilunio ipso, & hoc beneficio caloris: quod patet primo in fluxu maris, & aliquorum fluuiorum; Secundo in ipsis conchilijs, in quibus ita explentur extrinseca, vt intima pene vacua remaneant: Luna verò deficiente, atque ipso interlunio fit contrarius motus, putà à peripheria ad centrum, & hoc frigoris beneficio; sicuti enim calor à centro ad circumferentiam trahit, ita e contrario frigus à circumferentia ad centrum ducit, quod in ipso refluxu maris, & ijsdem ostreis licet intueri, in quibus interiora tunc temporis pleniora, & vberiora sunt, exteriora verò magis vacua. Iam Venus trahit à circunferentia ad centrum, quò conuocat spiritus, vt voluptatem, & cum voluptate seminis effusionem efficere valeat liberam, & facilem. Igitur si Venus exerceatur senescente & silente Luna quò tempore natura à circunferentia ad centrum trahit, commodior actus erit, & facilior, quia est secundum propensionem ipsius naturæ; si verò in prima adolescentia, & plenilunio exerceatur, quādo à centro ad circumferentiam natura tendit, præterquā quod non ita facilis, & commoda erit seminis effusio, quia natura ad duos motus diuersos distracta est, erit etiam noxia, quia motus contrarij, vt Philosophus ait, corruptiui sunt. Adde etiam, quod emolumenta illa Venerei certaminis, quę iunguntur pubescenti, & adultæ Lunæ adnexa, etiam sunt eidem senescenti & silenti, vt videlicet superfluarum humiditatum excretio, & copiæ seminis diminutio; quod ita, ni fallor, clarum est, & perspicuum, vt nulla vlteriori probatione indigere videatur. Eadem naturæ propensio ad centrum in interlunio perspicuè dignoscitur in mulieribus, quæ menstruo sanguine tunc temporis repurgantur, quod est meo iudicio efficacissimum argumentum.

Illud quidem non inficiabor, ex parte coeuntis tempore dicto minus damnosam Aphroditum esse; at ex parte prolis excipiendæ incommodior & penitus deterior est; siquidem in interlunio concepti, editiue inter alia fera symptomata epilepsia corripiuntur, quod crudis & inutilibus succis, quibus humana corpora eodem tempore ob lucis priuationem scatent, acceptum referri debet; luci enim per analogiam, vt habet Philosophus, est coniunctus ignis; vnde fit, vt semen mixtum frigidis hisce excrementis frigidas labes ac partium corporis, & præsertim capitis debilitatem transferat. Videant itaque laici, & molles viri quantum interfit in actibus Venereis respicere Solem, Lunā, astra, ac tempora.

Quod autem ardente Sirio libidini indulgere, sit apprimè infaustum, non est, cur multis persuadere studeam, quando est in omnium hominum opinione ita constans, vt detrectare audeat nemo; dum enim æstuat aer, feruet cœlum, bullit mare, ac terra præ siccitate tota rimosa squallet: dum aresunt fontes, tabescunt flores, rabiunt canes, & animalia quæque siti, estuque furiunt, Veneris insuper lenocinijs qui dant operam, squallidum, & exuccum prorsus proprium corpus reddunt; eo magis quod cùm eo tempore propter ambientis ca-

liditatem eximiam leui negotio humores putredinem asciscant, si insuper obscœno Veneris tripudio incalescant, ac turbentur, febres, morbosque sonticos concipiunt; in Sirio namque ægritudinibus obnoxia corpora magis reddunturr Vnde 10. Aeneidos.

Ille sitim, morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, & læuo contristat lumine cœlum.

Et Pontanus tertio de stellis ita pluribus accinit

Si cœlum nate aspicias memor ipse leonem,
Agnoscis; quæ stella nouis micat ignea flammis,
Ille quidem canis est, qua corniger vritur Ammon,
Assyriumque latus, cuius de sydere feruet
Aegiptus, totoque calent incendia Mundo,
Cuius & assatu tellus grauis, & grauis aer
Corripiunt morbos, passimque cadentibus ægris
Strata iacent armenta: furit vis efferain omnem,
Continuo gentem, viduat quoque ciuibus urbes.

Non potest ergo nisi insaniæ litari Veneri in hoc sydere; vnde recepta, & laudabilis consuetudo tulit, vt eo tempore coniuges diuortium faciant, illecebrisque thori omnibus renuncient.

Cæterùm in annis climactericis quàm crimnosum sit Venereæ uoluptati operam dare, ambiget nemo, qui hebdomatici, siue enneatici anni uim admittit; si enim hic magnum hominibus indicit periculum, fieri non poterit, vt maius non comminetur ijs omnibus, qui obscœnæ libidini indulgentes vegetum corporis exhauriunt robur, naturamque infirmant, itaut nequeat occultis horum annorum machinamentis, ac tacitis insidijs obsistere: etenim vero verius est, validam, robustamque virtutem extrinsecis quibusuis reclamare, & oppugnare noxijs aduersitatibus, & iniurijs, quemadmodum effœta, viribus cedit facultas unaqueque, immo proprio Marte morbum accersit. Vt mirum iccirco non sit, si olim, auctore Rhodigino lect. antiquarum lib. 22. cap. 12. annus climactericus præsertim sexagesimus tertius Andracles nuncuparetur, quod humanę scilicet uitæ substantiam frangat, comminuatque. Nimirum uis hebdomatici anni siue humores alteret, corrumpatque; siue spiritus latenter exhalari iat; siue continentibus insidietur, utique a geniali noluptate augebitur, quæ & humores ad putredinem parat, & spiritus dissipat, & solidas partes infirmat, atque eneruat. Quare si in scalaribus hisce annis par est in omnibus seruare homines modum, ac mensuram, & exacte uiuere; longè obseruantiores in usu aphrodisio esse debebunt, ne fatiscente robore ualidius inimica afficiat qualitas. Caueant ergo uiri in ipsis annis enneaticis vxores ducere: qui duxerunt, lenocinijs in ijsdem thoro seiungantur: quique inconiugati sunt, Veneris renuncient protinus. Verùm dices, qui fieri poterit ut dum quis Veneris incitamentis irritatur, totusque libidine spumat, possit has omnes conditiones obseruare? exlex, & alogos libido est, quę statim expleri cupit, nec patitur moras. Respondeam cum Ouidio 1. de remed. Amor.

Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Esse, sed vt valeas multa dolenda feres.

Plana est ad interitum via, ad salutem ardua: Medicinæ dogmata apud voluptuosos, & intemperantes uana censentur, frugalibus verò & Zoophilis iucundissima accedunt. Non Tirrhenis, aut Lesbijs hæc scribuntur. Procul hinc Heliogabali. Illud ego Venusini transferam.

Qui cupit optatam vitæ contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, sudauit & alsit Et illud.
Vt corpus redimas ferrum patieris & ignem.

SYLLABVS TRACTATVVM, ET CAPITVM

quæ in præcedente Nono Libro Geneanthropeiæ continentur.

Numeri columnas denotant; solùm in principijs Tractatuum paginam indigitant.

TRACTATVS PRIMVS. A

De multigenis vtilitatibus, quas Venus adiunctas habet.

Cap. I. *An, & qua ratione morbis è pituita oriundis prosit Venus.*

Cap. II. *An Venus Epilepticis faueat.*

Cap. III. *An vsus Veneris melancholicis, furiosisque animi passionibus medeatur.*

Cap. IV. *Temperamento calidis, & humidis mixtionem Venerem apprimè conducere.*

Cap. V. *Aphrodisiasmo carnes asperas lauigari, ac duros habitus emolliri.*

Cap. VI. *An, & qua ratione Venus dysenteriæ medeatur; vbi duæ Hippocratis in Epidemijs sententiæ insignes elucidantur.* B

Cap. VII. *De febre spermatica ephemera, putrida, & hectica à corrupto semine, eiusque æstuantibus spiritibus, & vasis excalefactis oriunda, quæ ἀναλυσῳ, siue seminis emissione duntaxat, vt proportionato auxilio remoueri potest.*

Cap. VIII. *De differentijs febrium spermaticarum, earumque sede.*

Cap. IX. *De cura febrium spermaticarum in genere, & specie; vbi etiam habetur consilium prophilacticum pro viro cœlibe, & Virgine claustrali.*

Cap. X. *Isthuriæ, aliisque vrinæ laboribus proficuam esse Venerem.*

TRACTATVS SECVNDVS.

De Veneris multiplici detrimento, ac summa pernicie.

Cap. I. *Aphrodisiasm voluptatem animum imprimis deprauare.*

Cap. II. *Vinum, & Venerem eadem afferre detrimenta.*

Cap. III. *Naturalem potentiam à Venere labefactari.*

Cap. IV. *Veneris palæstram ingentem corpori debilitatem inferre.*

Cap. V. *Aphroditim vitale balsamum, ac Naturalem humiditatem arefacere ideoque interitum accelerare.*

Cap. VI. *An, & quomodo Venus immoderata canitiem acceleret; vbi de ipsa polioti nonnulla cum Hippocrate, & Aristotele expenduntur.*

Cap. VII. *An, & qua ratione aphrodisiasmos caluitium, & salitium faciat.*

Cap. VIII. *Cur adeo perniciosum sit cum Vetula rem habere.*

Cap. IX. *Quare exitiale admodum sit cum menstruata muliere genialiter congredi.* C

Cap. X. *Cur Venus post balneum adeo pernicioſa existat.*

Cap. XI. *Frequentatam nequitiam scabiem vlcerosam inurere, ac sæpe elephantiasin.*

Cap. XII. *De Gonorrhœa intemperantis Veneris alumna, & sobole.*

Cap. XIII. *Venerem arthriditem, & præcipuè podagram, & ischiada progignere, Hippocratis eximio textu expensa.*

Cap. XIV. *Animalium quoque virtutem à Venereis lœdi, ac maximè disperdi.*

Cap. XV. *Veneream cupiditatem insaniam, furoremque immittere.*

Cap. XVI. *Cupidineam voluptatem præsertim immoderatam oculorum aciem debetare, & sæpè visum auferre.*

Cap. XVII. *Tenebricosam vertiginem, ac tremorem de Veneris fonte scaturire.*

Cap. XVIII. *Vitalem facultatem, & ipsam ab Aphrodisia voluptate infirmari, & febres acutas, ac malemoratas concitari.*

Cap. XIX. *Quid sibi velit Hippocrates sexto Epidemiorum ea particula:* Increscentes morbos mixtio.

Cap. XX. *Vocis organa mirum in modum lædi à Venere.*
Cap. XXI. *Quibusnam morbis genericè sit magis infensus Veneris vsus; vbi morborum illas inde quoque originarium recenſetur.*
Cap. XXII. *Deijs, qui in re Veneris vitali dissoluta virtute obiere, aut casu, fatoue fuerunt extincti.*
Cap. XXIII. *Veneris petulantiam vniuersum corpus profanare.*
Cap. XXIV. *Omnium malorum, cladumque originem esse Venerem.*
Cap. XXV. *Viro, an mulieri sit magis perniciosa Veneris consuetudo.*
Cap. XXVI. *Hominibus, an Brutis magis officiat Venus.*
Cap. XXVII. *De Regimine eorum, qui Venere exoluuntur ex Aetio, & Auicenna.*
Cap. XXVIII. *Epidemiæ tempore, nec non micante insigni Cometa in orbe Venerem exitialem esse.*
Cap. XXIX. *Luna pubescente, vel adulta Venerem magis inimicam esse; eidemque micante Sirio, necnon scalari, seu climacterico anno infaustè litari.*

IO. BENEDICTI SINIBALDI LEONISSANI

Archiatri, & Professoris Romani.

GENEANTHROPEIAE,

ideſt

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER DECIMVS.

De Veneris voluptate, triſtitia, multiſque alijs conſectarijs affectionibus, vnà cum regimine mulieris ab excepto in Vtero ſemine.

Ad Perilluſtrem, & Reuerendiſsimum D.

D. IOSEPHVM FRENFANELLVM
Prothonotarium Apoſtolicum, & Sacri Collegij
S. R. E. Cardinalium a Secretis.

EA, qua me ſemper beneuolentia proſecutus es, Humaniſſime Ioſeph, vſque adeo neceſſitudinis arctis vinculis me tibi deuinxit, vt nihil magis dudum reoluerit animus, quàm deuoti erga te ſtudij monumentum aliquod palam exarare. Neque id hactenus licuit præ mea, vt arbitror, aut virium imbecillitate, aut fortunæ in Romano hoc Cœlo non multum arridente fauore. Verum quidem eſt, quòd ſicuti beneficium, arbitro Seneca, non in re quæ tribuitur, conſiſtit; ſed in ipſo tribuentis ac benefacientis animo; ita beneficij relatio non ex ipſa retributione, ſed ex animo tantum cenſeri debet; qua ratione beneficentiæ tuæ abundè ſatisfeciſſe exiſtimo. Interim cùm lucubrationes illæ meæ, quæ, vt noſti, neſcio quo in-

infortunio diu in tenebris contraxere ſitum, prælo tandem, ab Eſtenſibus Aquilis auſpicijs ductis, committantur; viſum eſt grati animi, quanquam tenue præſtare documentum, quo ſimul ipſe ſponte profiterer, alioſque monitos facerem, nuſquam, & nunquam beneficiorum obliuiſci debere ingenuum animum. Nec ſanè beneficia rependere arbitror, tuarum duntaxat virtutum edito teſtimonio; Siquidem nimis auara merces eſt, quæ verbis tantum ſoluitur, & epinicijs non indiget, qui omnium ore laudibus concelebratur. Quem enim in Romana hac Aula præterit tuę integritas vitæ, prudentia, dexteritas, inque Principum negotijs pertractandis illibata fides? Abundè hæc omnia probant & quam olim Internuncij apud Regem Poloniæ ſubijſti prouincia, & Bononienſis adminiſtratio, & poſtremò Eminentiſſimorum omnium Cardinalium vnanime votum, cùm te Sacri ſui Collegij a ſecretis decreuerunt. Vnde factum inſuper eſt, vt virtutibus tuis vndique illuceſcentibus, Illuſtriſsimus D. Paulus Germanus tuus miles emeritus e Belgis, vbi militaris diſciplinæ per ſexdecim totos annos ampliſsimum ſpecimen dederat, reuocatus fuerit, quatenus Ferrarienſis Arcis Præfecturę primùm obiret munus, nunc verò Magiſtri Campi prouinciam tanta laude, tantaque Summi Principis VRBANI commendatione Romę exerceret. Ita tandem, Reuerendiſsime Præſul, adultis virtutibus, ne dicam ſeneſcentibus incipit fortuna blandiri, & aliquam condignam referre mercedem. Rerum, & vitæ auctori placeat, te diu incolumen ſeruare, vt maioribus dignitatum luminibus illuſtratam Domum tuam indies conſpicere valeam.

Digitized by Google

GENEANTHROPEIÆ.

IDEST

DE HOMINIS GENERATIONE.

LIBER DECIMVS,

De Veneris voluptate, triſtitia, multiſque alijs conſectarijs affectionibus, vnà cum regimine mulieris ab excepto in vtero ſemine.

PROEMIVM,

NATVRÆ cuncta miniſteria vel voluptate, vel ἀδηφαγίᾳ, ſeu tædio celebrantur; voluptate ſi frugaliter, tædio ſi intemperanter vſurpentur. Sic Venus in primis vtrique paſſioni inauctorata eſt; A ac proinde de his ad calcem operis agendum. Rurſus aphrodiſijs luſibus quoniam alia ſunt quæpiam iniuncta accidentia, percurremus & ipſa conſueta brevitate. Tandem quo vitæ regimine vti debeat in primis mulier a clinopali, quatenus receptum ſemen haud effluat, ſed Generationis opificio ſtatim deſerviat, in medio ponam ſignis conceptionis adiunctis; inde cum ſalito Martiali lætus concinam.

Obe iam ſatis eſt, obe libelle,
Iam peruenimus vſque ad vmbilicos.

TRACTATVS PRIMVS.

De Venerea voluptate, ac ſuccedanea triſtitia.

PRAELOQVIVM.

DVO ſunt hoſtes humano generi valde infenſi auct. Platone 1. de legibus, vnus a dextris, & eſt voluptas; a ſiniſtris alter, & eſt dolor; quibus obſeſſus immortalis animus in ſeruitutem aſperam redigitur, necnon præcellenti diuinitatis lumine præſtringitur. Inde Porphirius 1. de abſtinentia dicebat: *Duo fontes hic ad vinculum animæ fluunt, ex quibus ipſa quaſi lethali potione repleta in propriarum contemplationum obliuionem inducitur, voluptas videlicet, & dolor.* Sanè ad hos latices intemperanter ſi bibat anima, in ebrietatem trahitur, & inde in furorem, atque amentiam; ideoque Plato idem præfato loco parcè ex his deguſtandum, & hauriendum fore præcipiebat iis verbis. *Duo namque hi fontes natura ſcaturiunt, a quibus qui haurit vnde, quando, quan-* B *tumque oportet, fœlix eſt, priuatus ſcilicet, & ciuitas, omneque animal. Qui autem inſipienter, & præter opportunitatem contra viuit infœlix.* Age ergo de Veneris illecebroſa voluptate in poſtremo libro dicamus aliqua; eò magis, quod corruptis hiſce noſtris vitæ ſæculis, delectationis potius, quàm Generationis gratia Venus exerceri videtur, ex quo accidit, vt maior conſequatur poſt illam pœnitentia, atque triſtitia. Huc itaque huc tenella pubes; huc mollis exoletorum turba: huc ſenium ſalax: huc Gynæcium petulans. Hi deliciarum flores: hæc prata Genij; hic hortus voluptæ; hic cingulus Veneris; legito, diſcurrito, odorare, induito. At ſyrenum cantus deſpice fallaces; doloris comitem voluptatem abijcito; procul eſto a contactu; vrit namque, ferit, at tandem dolore necat; Aut ſaltem in fumum ac pulnerem momento reſoluta ſequaces fruſtratur ſuos, vt proinde ſodomiticis illis iure aſſimiletur pomis, de quibus ſic Ioannes Tollenarius cap. 2. Eccleſ. C

Alium

Digitized by Google

Alium cibum mensæ voluptatis magis accommodatum nullum inuenio, nisi fortè Pœna sodomitica, de quibus sic habet Solinus, præferre quidem illa speciem maturitatis; cæterùm speciosæ cutis ambitione fauillaceam intrinsecus suffiginem abscondi, quæ vel leui præsu tacta fumum exhalet, & satisfaciat in vacuum pulueremi: nihil certè a voluptate fructuosum est vbique.

CAPVT I.

Quid sit voluptas Veneris.

NON satis, & apertè constat apud magnos Philosophos, quid sit voluptas, vel delectatio in genere; siquidem alij alio modo definierunt. Plato in Philebo, siue de summo bono illorum opinionem expungit, qui voluptatem nihil aliud esse existimabãt, quàm doloris carentiam, idque multis, & luculentis pariter probat rationibus. Ex ipsius verò arbitrio nil aliud voluptas est, quàm titillans, præsnauis, ac proritans in sensibus motio, quam inde consurgere statuit, vbi indigentiæ paria facias. Namque necessitas cupiditatem conciliat, & ex absentia dolorem, satisfactio iucunditatem sensibus inducit; hinc ille subiungit: *Dicimus sitire aliquem, hoc autem est vacuum esse, & satis concupiscentia est. Vacuus igitur, & exhaustus contraria eorum, quæ patitur appetit; nam cum vacuus sit impleri cupit, ex hoc verò voluptatem exoriri.* Aristoteles & ipse cum alibi, tum præcipuè ethicorum 7. definit eandem sic: *Sed definienda fuit potius actio esse habitus naturæ congruentis, & pro illo ad sensus illabens non impedita.* In Platonem insuper multis insurgit Aristoteles, nititurque potissimum probare, voluptatem non esse generationem, sed potius terminum. In hoc tamen ab illo non inuitus descisco; siquidem percurramus voluptates quascunque, omnes in via, siue in fieri, nusquam in termino inueniemus: qui escis vescuntur suauissimis, atque vina cum ambrosia conferenda hauriunt, tandiu gustus percipiunt iucunditatem, quandiu per palatum fluunt. Qui formas venustissimas aspiciunt, quique melos inauribus dulcissimum excipiunt per modum transeuntis oblectantur; ita vt nihil in organis illis tamquam in termino sistat. Quæ verò ad tactum pertinet voluptas, qualis in primis aphrodisia est, vtique longè magis quàm aliæ velut fulgur dum splendet euanescit, immo cùm primum oritur interit, vt ideo Sardonici risus auctor diceret: *Voluptatem esse, & extingui, idem fere est.* Quod a sancto Isidoro Pelusiota didicit primo libro epistol. vbi habet: *Cogitare vobis cum ipsis debetis, voluptatem propemodum prius quàm appareat extingui.* Sed quid immoror? voluptatis in primis Veneræ terminus est mœror, ac tristitia, vt infra suadetur; igitur voluptas hæc non in termino, sed in via sum esse agnoscit: Verum hæc parum ad rem faciunt, suntque ingenij potius acumina. Dicas ergo breuiter, quod præsens nostrum institutum, Veneream voluptatem seu delectationem, nil aliud esse, quàm tactus expletionem, dum eius concupiscentiæ ordinata ad Venerea proprio finitur obiecto. Crediderim huiusmodi descriptionem satis opportunam esse.

CAPVT II.

A qua nam causa efficienter Veneris oriatur voluptas.

VENEREÆ mixtionis comitem voluptatem referri debere in ipsius genitalis instrumenti attritionem tamquam in efficientem causam, videtur aperè insinuasse magnus Hippocrates in libro de Genitura vbi hæc habentur: *Venæ, & nervi ab omni corpore in pudendum vergunt, quibus dum aliquantulum teruntur, & calescunt, ac implentur, velut pruritus incidit, & ex hoc toto corpori voluptas, & caliditas accedit.* Siquidem enim dum quis cutem affectam scabie, vel pruritu scalpit, suauem experitur delectationem; ita etiam ex agitatione genialis illius membri sensu exquisito præditi oppidò maiorem voluptatem persentire debemus. At nihilominus existimandum est, voluptuosam illam Veneris sensationem non aliunde, quàm a seminis emanare spiritibus, qui dum feruent pruriunt, dum pruriunt titillant, dum titillant demulcent. Etenim non a semine præcisè, vt plerique existimarunt, ortum ducit huiusmodi promulsis; siquidem illud ex sui natura frigidum potius est, lentum, viscidum, atque adeo sensum tantum abest vt vellicet, vt obtundat, hebeteteque potius. Idque manifesta comprobatur experientia, quandoquidem si a semine, vt tale est, voluptas emicaret, semper quotiescunque illud effunditur, iucunditas sentiri deberet; sed accidit interdum, vt semen vel etiam in maxima copia iaciatur, vt contingit in gonorrhœa, nec non seminalium meatum, renumquo imbecillitate, ac tamen nulla dulcis exiliat sensatio: igitur non a semine per se, verùm quatenus ignitis circunfluit spiritibus oritur iucunditas.

Digitized by Google

ditas. Adde quod reperti sunt, qui congredientes emiserunt quidem seminalem humorem, at non magis oblectati sunt, quàm si vrinam, aliudue missent excrementum; idque inde contigisse putabunt, quod spiritus ad renes, ac spermaticos poros non confluxere, aut quia impediti, aut quia minus geniti fuere.

Aisarius a Cruce vir nulla acceptione doctus in suis Centurijs inuenem quendam recenset a se curatum, qui quoties cum vxore rem habebat, iaculabatur quidem geniturам, at non maiorem percipiebat voluptatem, quàm hauriant qui cerealia semina in agros fundunt, & euentus causa erat, quod illius testes, ac scrotum, penes quæ membra elaboratur, ac perficitur vltimò semen, actu frigidissimi erant; quare seminis voluptiferos spiritus extinguebant, aut saltem adeo infringebant, vt pruriginosæ actioni, atque tentigini inutiles prorsus euaderent. In huiusce sententiæ confirmationem lubet proponere Aristotelicum illud problema, cur scilicet coeuntibus pueris cùm geniturам non effundant, accidat delectatio. Enimuerò licet pueri seminalis humoris expertes sint, spiritibus tamen vberrimè scatent, qui soli ad voluptatem requiruntur. Pari modo non ob aliam rationem vsu venit, vt qui frequentius coeunt, minus delectentur, nisi quia spiritum fit iactura, quorum deinceps dispendium voluptuoso derogat sensui. Profectò accidere potest, vt voluptas perlentiatur absque vlla seminis effusione spiritibus duntaxat blandientibus, vt in pueris aduenit, & in viro illo, de quo in primo libro egimus, qui præ nimia voluptate in vsu Veneris quasi epilepticus decidebat, nec tamen seminis minimum dabat stillicidium.

Sed obtrudes, si spiritus sunt, qui mulcedinem efficiunt, deberent hi etiam citra Veneris actum demulcere, siquidem licet quis Venere non vtatur, habet nihilominus plenum spiritibus semen. Citra coitum (& nodus dissoluitur) quiescunt, ac veluti sopiti manent spiritus, ideoque nullum inducunt pruritum, nihilo vellicant; motu vero Venereo excitantur, incalescunt, turgent, æstuant, vnde mox prurigo, & suauis sensatio; eo prorsus modo, quo cinere sepultus ignis neque calefacit, neque splendescit, verùm detectus ac ventilatus ardorem, & flammam expandit. Instabis, in nocturnis pollutionibus maior degustatur voluptas quàm in spontaneo coitu, ac tamen in his nullus præcedit libidinarius motus, igitur non a motu quiescentes excitantur spiritus. Respondeas, quod licet in somnijs Venereis haudquaquam terantur, & agitentur externæ particulæ contactu illo, ab imaginatione tamen, quæ supra cunctas corporis partes, & facultates imperium obtinet, ac potissimum supra motrices, spermatica vasa, & inibi detenti spiritus, commotantur atque excitantur.

Sed quo pacto satisfiet Hippocratis auctoritati in principio allatæ, qui sentire videtur, voluptatem ex illa penis tritione, ac fricatione prouenire? Profectò si Hippocratis verba intimè perpendantur, inueniemus, non a simplici attritione voluptatem ex eius mente prouenire, sed a neruis, & venis ad pudendum pertinentibus cùm implentur semine, & spiritibus; Quare non solum ille ait (*dum aliquantulum teruntur, & calescunt*) sed addit insuper (*& implentur*) Quoniam antem attritio illa est in causa curuenæ, & nerui spiritibus impleantur, hinc est, vt attritio remotè dici valeat delectationis causa, quamuis proximè, & immediatè a semine præuijs spiritibus eadem oriatur, quod ipsemet sapientiporens Hippocrates perspicuè insinuauit, cùm immediate post relata verba subdit: *Quum verò pudendum teritur, & humor mouetur, humidum in corpore calescit, ac diffunditur, & a motu conquassatur, ac spumescit.* Cæterùm illud est inuincibile argumentum, non simpliciter ab attritione suauitatis illam sensationem emanare, quia si ab illa efficienter exoriretur, semper, quandiu duraret attritio, voluptas perciperetur; at animaduertimus, quod statim emisso semine iucunditas abit; igitur a semine non ab attritione dependet immediatè.

CAPVT III.

Cur natura voluptatem in re Veneris collocauerit.

MAGNVS ille Philosophiæ Dictator Aristoteles, qui nihil propemodum intactum reliquit, de quo ingenium dubitare valeret 4. sectione Problematum 15. quærens, qua de causa res omnium suauissima concubitus sit, dubitationem ita circa finem exoluit: *Suauis autem tum ex necessitate, tum rei cuiuspiam gratia concubitus est. Ex necessitate inquam, quod via omnis pertinens ad rem naturalem suauis est, si modo a sensu percipi queat. Rei verò cuiuspiam gratia est, vt ortus sit animantium perpetuus, facit enim voluptas, vt animantes ad coitum ardentius excitentur.* Percurramus huius Aristotelicæ positionis vtrumque membrum. Ex necessitate, inquit ille, primo suauis est Venus, eo quod via omnis pertinens ad rem naturalem voluptuosa est; quod consonat cum eo, quod Plato, & medici omnes astruunt, dolorem videlicet esse recessum a naturali statu; quamobrem si contrariorum eædem sunt rationes, vo-

Digitized by Google

voluptas erit accessus ad naturalem statum. A Et quamuis doctissimus Aetius libro 5. cap. 100. etiam regressum ad naturalem habitum dolore aliquando afficere dicat, vt apparet in iis, qui in vehementissimo frigore iter fecerunt, mox violenter calefacti dolent; id tamen, vt sapienter ait ipsemet Aetius, nequaquam ipsi naturali qualitati, sed violentiæ tribuendum est; ita vt nequeat illa dici reductio ad naturalem statum, verùm potius ad alium præter naturalem statum accessio. Significauit hoc Alexander ille primo problematum 44. vbi quærens, quamobrem qui extremis perfrixere, si membra igni admoueant, doleant vehementer, basilicè respondit sic: *Hoc vniuersim, & ad subitam qualitatis mutationem accidere arbitrandum est, fit enim vt ex multo frigoris repente transeant ad multum caloris; omne autem quod immodicè, vniuersimque malo agitur habitu, dolorem naturæ infligere potest: sicut quod per habitum bonum modicè, atque ad naturalem conditionem vniuersim mutatur, naturam verò vehementer permulcet atque oblectat; corpus enim humanum habitu temperatiori, quam cætera animalia constat.* Sic ergo cùm res maximè secundum naturam cuilibet vjuenti fit generatio; non erit mirum, si in actu aphrodisio, quo itur ad illam, suauem experiamur oblectationem. Adde quod cùm omnis potentia in sui obiecti fruitione admodum delectetur, nihil mirum si tactus quoque proprio iunctus obiecto omnium magis demulceatur; C dixi omnium magis, quandoquidem ex Philosophi arbitrio tertio Ethicorum maximæ delectationes sunt secundum tactum; id quod ex professo agitat Angelicus doctor in prima quæst. 31. articulo 6. quem adeunto.

Verùm enimuerò cuncta hæc ex primo Peripateticæ assertionis membro deducta probant, potius in Venereis necessariò voluptatem reperiri, quàm propter quid reperiatur, quod fuit nostrum institutum. Finalem igitur causam ex secundo membro hauriamus. Collocata est ex mente Philosophi voluptas illa, vt ortus animantium foret perpetuus; addo ego, vt esset perfectior, quilibet enim iucunditate oblinitus quodlibet opus libentius patrat; perficit namque teste Peripatetico operationem delectatio. Profectò (& erit altera fortissima ratio) nisi esset delectatio, eaque maxima in vsu Veneris, iandiu animalium Genus perijsset; Siquidem vsque adeo immundus est, ac putidus aphrodisius actus, vt nisi immundities, ac turpitudo voluptate obtegeretur, homines prorsus declinarent à pædurgia. De hac fœditate inferius multa dicemus, interim illud Horatij primo epistolarum ad Lollium placeat audire.

Syrenum voces, & Circes pocula nosti,
Quæ si cum socijs stultus, cupidusque bibisset
Sub domina meretrice fuisset turpis, & exors,
Vixisset cœnis immundus, vel amica luto sus.

Vt ideo non mirum, si multi immunditiem hanc, fœditatemq; perosi, mulieres omnes immortali prosecuti sunt odio, qualis extitit inter alios Hippolytus Phædræ priuignus, quem Seneca his verbis proloquentem inducit

Detestor omnes, horreo, fugio, execror,
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor.

Nisi ergo natura huiusmodi blandimento, ac dulcoris irritamine homines pelliceret, vtique sordidem stomachati viri coniunctionem protinus detrectarent; mulieres autem non mestris gestationis depressæ labore, partusque funestos expertæ dolores à Venereo coniugio tamquam a funere abhorrerent, vt hinc iure cum Ouidio accinere valeamus

Quid creat omne genus volucrum nisi blanda voluptas?
Nec coeunt pecudes, ni lenis adsit amor.

CAPVT IV.

Num in statu innocentiæ futura fuisset voluptas vt modo est in Generatione hominum.

CHRVMANAM propagationem, nisi Adam peccasset, futuram fuisse, vt est in præsentiarum, per maris, & fœminæ commixtionem, superius in primo libro asseueruimus & rationibus, & auctoritatibus. Modo hic vbi de geniali voluptate Tractatus instituitur, non ab re curiosus quispiam scisitabitur, an in statu illo perfecto simul, ac fœlici, nulli inauctorato rebelli fomiti futurum fuisset, vt homines in Venereo coniugio delectationem haurirent. Magister sententiarum, & cum eo D. Bonauentura futurum fuisse voluptatis pruritum, non obscurè detrectare videntur; ille enim in 2. Distinct. 20. ad litteram A sic habet: *Et esset ibi thorus immaculatus, & commixtio sine concupiscentia, atque genitalibus membris sicut cæteris imperarent, vt ibi nullum motum illicitum sentirent; & sicut alia membra corporis alijs admouemus, vt manum ori sine ardore libidinis: ita genitalibus vterentur membris sine aliquo pruritu carnis.* Posset præterea huiusmodi assertio rationibus suaderi; quandoquidem in carnali coniunctione maximè efficitur homo bestijs assimilis, propter delectationis vehementiam; quo circa in beatitudine illa cùm veluti Angeli extis-

tissent homines, operepretium non erat vt vllam bestiarum obtinerent proprietatem.

Verùm his non obstantibus contraria sententia, vt verior amplexanda est. Pro qua habetur Angelicus ille Doctor ecclesiæ in prima quæst. 98. Artic. 2. cuius verba ipsa registrare placet. *Sed in statu*, inquit, *innocentiæ nihil huiusmodi fuisset, quod ratione non moderaretur, non quia esset minor delectatio secundum sensum, vt quidam dicunt; fuisset enim tantò maior delectatio sensibilis, quantò esset purior natura, & corpus magis sensibile.* Hactenus D. Thomas, præterquem sunt etiam fortissimæ rationes; prima quidem quoniam delectatio, & iucunditas, quas natura sagax in operationibus collocauit, quatenus facilius, ac promptiùs fieret, non est ratio cur ab illo amœnissimo, ac suauissimo statu remoueantur; quinimo in maiori oppidò gradu reponendæ sunt, siquidem tunc temporis naturæ cuncta bona, & attributa longè magis exquisita, ac perfecta fuissent; neque id illius innocentis, ac limpidissimæ sedis conditioni repugnasset; siquidem ratio tamquam imperatrix nullo negotio concupiscentiam, & voluptatem esset moderata; Quare, vt inquit loco citato D. Thomas. *Virtus concupiscibilis non ita inordinatè se extulisset, & non immoderatè delectationi inhæsisset*; neque, addo ego, caro aduersus spiritum concupisset; quamobrem futurum fuisset, vt ex Durando refert Molina libro de opere sex dierum, vt actus coniugalis non sicuti nostris hisce deprauatis temporibus delectationis gratia exerceretur quotidie, verùm tunc solùm, cùm proles gignenda foret, nullusque, vt addit, fuisset coniugalis actus, ex quo proles non susciperetur.

Secunda ratio est, quoniam voluptas est Veneri naturale adiunctum, ideoque superiori capite ex Philosopho dicebamus, concubitum ex necessitate suauem esse; patet, quia fit a semine, einsque spiritalibus partibus titillantibus, ac prurientibus. Iam naturalia, vt certum est neque tribuuntur, neque subrogantur per peccatum, & consequenter ante primi hominis culpam tactus Venerei dulcor non defuisset; immo, vt ait D. Thomas, maiorē experti essemus, delectationem, quia corpus fuisset magis sensibile, & sensus tactus magis depuratus, & auctior, quare exquisitius iucunditatis sensum delibasset nam vt D. Augustinus 18. Genesis habet: *Dolor est testimonium bona naturæ*: At natura bona quo sensu percipit dolorem, eodem & voluptatem. Addo ego, non modo ex parte potentiæ, nimirum concupiscibilis, & tactus fore, vt maior degustata esset voluptas, sed etiam ex parte efficientis causæ, ipsius nempe seminis; cùm etenim rarò concubituri essent homines, vberius in primis extitisset semen, A insuper calidius, & purius, necnon alacrioribus obtectum spiritibus, eo quod a fructu illo vitæ dulcissimo, perennem impertiente vitam, restaurati, & ab omni labe contraria hi deputati fuissent, quare intensior inde iucunditas emicasset; tanto magis quod coniuges eo fœlicitatis emporio maiori permixti essent amore, ac purę dilectionis ligamine.

Ex quibus pateat responsio adductæ in contrarium rationi; nam non ex voluptate simpliciter homines brutales efficiuntur, verùm ab immoderata concupiscentia, quæ a ratione non infrenetur, ac moderetur; cùm enim rationis vsu ferinum genus careat, quò voluptas trahit, eò præceps ruit; quod cùm longe a patria illa, B electissima absuisset, meritò Angelis assimiles extitissent, nulla prorsus temerati labe. Hinc D. Augustinus 14. de Ciuitate Dei aiebat: *Absit, vt suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera, & sine ardore, & illecebroso stimulo cum tranquillitate animi, & corporis.* Porrò duo in concubitu ex eodem D. Thoma considerari possunt; vnum quod naturæ est, coniunctio scilicet maris, & fœminæ ad generandum: aliud quædam deformitas immoderatæ concupiscentiæ, quæ est illa quæ brutis hominem præstat compares, & post peccatum accessit, quę neutiquam in statu innocentię adfuisset, quando inferiores vires rationi C subdebantur, eiusque sponte subiacebant imperio: & hinc elicitur, quid respondendum sit ad Magistri auctoritatem; Namque si eius verba intimè perpendantur, nihilprorsus aliud continent, quàm quæ ex D. Augustino, ac D. Thoma in medio posuimus, nempe genitalia membra, non secus ac alia voluntatis arbitrio paruissent, nullo percita irregulato fomite.

CAPVT V.

Vir, an mulier maiorem in rebus Veneris voluptatem experiatur. D

SENEX noster libro de Genitura apertis fidibus quæstionem exoluit, cùm ait: *Multo minus delectatur fœmina, quam vir in coitu, & vir etiam tempore longiori.* Verùm, vt notat clarissimus Mercurialis 4. variarum lectionum corruptus est vsitatus textus, quando in manuscripto antiquo legitur: *Multo minus delectatur fœmina, quam vir, sed diutius ipso perdurat in voluptate*; quo sanè modo probabilior sententia est. At quoniam omnia, quæ dicuntur ra-

Digitized by Google

tionibus suffulta esse debent, quatenus veritatem continere appareat; operę pretium iccirco erit, Hippocratiçæ huius theseos in medium rationes exculpere iuxta id, quod in Metaphysicis habetur: *Hi soli docent, qui causas de singulis docent.* Dicamus igitur primò, quod cùm homo omni calidissima fœmina sit calidior, vt Peripatetici, & Aesculapicis placet, quid mirùm si magis voluptatis blandimento ille afficiatur? Etenim, vt supra declarauimus, a spirituum vbertate, & calore exoritur titillatio ac delectabilis pruritus; atqui spiritibus huiusmodi calorificis oppidò magis vir, quàm mulier æstuat; quod etiam vel inde posset, quia seminis multò maiorem copiam vir, quàm mulier effundit; ex illius verò vberiori fusione, vberior explendescit suauitas. Præterea cùm sensus viri sit magis exquisitus, & acutus quàm mulieris, eo quod perfectiorem temperiem a natura est indeptus, fit ex eo, vt genitales partes longè magis exquisito sensu præditæ ab iucundi, ac delectabilis obiecti præsentia vehementiùs afficiantur, & oblectentur. Rursus cùm semen in viro per longiorem meatum excurrat, ampliorem voluptatem deferre par est; siquidem tanta est voluptas, quàm longus ductus, per quem voluptifera transit materia; contingit enim, vt semen ipsum spumescat magis, & longo tractu intensius igaescant spiritus. Adde tandem, quod cùm sit perfectius agens, quàm patiens, perfectiorem conditionem illud quàm hoc obtinere debet; vna autem conditionibus erit voluptas in operando. Quod si aliquando apud Arabes legatur, mulierem virò magis in clinopali demulceri, id erit intelligendum de voluptate diuturniori, non autem intensiori, vt sentit Hippocrates quoque in textu a Mercuriali emendato.

Enimuerò virum aut mulierem delectari magis, dupliciter intelligi potest; intensiuè, aut extensiuè: sed quid est intensiuè magis delectari? Nihil nempe aliud, quàm voluptatis dulcorem in intensiori gradu haurire, quod virò accidit ob rationes adductas. Extensiuè autem delectari magis, est vel diutius in voluptate persistere, vel secius complere; id quod mulieri contingit, quæ cum frigida sit, in principio torpet, parumque pruritu excitatur, donec sanguis, & spiritus motu feruescant, ita vt cùm non ita cito actum complere valeat, diutius in præuia voluptate perseueret. Secundo loco dicendum arbitror, Veneris delectationem nos posse metiri ex præuia alteratione, & ex termino, putà ipsius aphrodisij complemento. Si ad præuiam alterationem seu motionem respiciamus, in hac vir magis, quàm mulier oblinitur, quoniam feruidiores spiritus toto mixtionis curriculo magis, ac magis pruriunt, cùm facili negotio ille exardescat. Cęterùm si terminum, & complementum eiusdem voluptatis animaduertamus, dubio procul multò intentius penes illud delinitur mulier, quæ vbi longa agitatione incanduit, sese totam voluptatis imperio tradit; Quare ex illis videre est, quæ in seminis effusione furit, aut venereo lethargo soporata obdormiscit, aut prorsus virtute languescit sensuum expers, aut alio modo victæ a voluptate naturæ exantlat argumenta. Porrò quælibet res si ad contrarias qualitates declinet, illas intensissimè concipit: ita ferrum natura frigidum si fortè incandescat, intensum caliditatis gradum naneiscitur, Quare mulier natura frigida laborat quidem, vt exardescat, sed ardore concepto flammam latiùs expandit.

Insuper delinitur mulier in Veneris complemento non modo ex proprii seminis fusione, sed quia etiam dum viri semine irroratur uterus, ingentem exhaurit voluptatem. Opinio est Hippocratis eodem libello de Genitura his verbis exarata. *Et delectatur mulier, vbi coire inceperit per omne tempus, donec vir semen emiserit, & siquidem appetit viro commiscteri, priusquam vir emittit, & de cætero non similiter delectatur; si verò non appetit, simul cum viro delectari desinit, & habet res hoc modo; quemadmodum si quis in feruentem aquam alteram frigidam infundat, illa feruere cessat, sic genitura viri in uterum illapsa caliditatem, & voluptatem mulieris extinguit; exsilit autem voluptas, & caliditas simul cum genitura in uteros illabente, deinde desinit: quemadmodum si quis in flammam vinum infundat, primum quidem contingit flammam exilire, & per modicum tempus augeri ad vini infusionem, deinde desinere; ita etiam mulieri caliditas exilit ad genituram viri, deinde desinit.* Hactenus Hippocrates, cuius sensus est, mulierem delectari etiam valde, dum eius in vterum semen vir iaculatur; quod quidem tunc melius contingere putandum est, quando in seminis emissione conueniunt pariter vir & mulier, quo sane tempore viri etiam amplius delectantur, id quod 2. de Arte lasciniæ doctor Ouidius testatus est ijs carminibus:

Illis sentitur non irritata voluptas,
Quod iuuat ex aquo fœmina, virque ferunt.
Odi concubitus, qui non vtrinque resoluunt,
Hoc est cur pueri tangar amore minus.

Et inferius:

Sed neque tu Dominam velis maioribus vsus
Desine, nec cursus ante eat illa tuos.
Ad metam properate simul, tunc plena voluptas,
Cum pariter victi fœmina, virque iacent

Ne-

Digitized by Google

Neque hoc præterijt Aristoteles 2. de Generatione animalium, vbi de seminis profusione loquens a mare facta hæc habet: *In qua quidem profusione voluptas & mari, & fœminæ contingere solet.* Quapropter cùm mulier in postremo Venereæ comœdiæ exodio a duabus canis delectetur, maiorem ejusdem esse tunc temporis voluptatem, nemo ibit inficias.

CAPVT VI.

De sede oblectationis muliebris, & cur viri præputium adaugeat mulieri voluptatem.

CELEBERRIMVS in Anatomicis ætate nostra Columbus libro 2. capite 15. insinuaturus qua præcipue pudendi muliebris parte (honos auribus esto) resideat voluptatis tentigo, hæc prorsus habet: *A matricis lateribus bini processus constituuntur, qui duo oblonga ligamenta videntur esse neruea, causque, ligamenti etiam munere fungi creduntur: at ad summum os pubis minimè perueniunt vt Vessalius existimauit, sed per ea foramina transeunt, quæ in neruosis tenuitatibus musculorum obliquorum descendentium, ascendentium, & transuersorum sita sunt, quemadmodum in viris, per quæ vasis seminarijs aditus patet. Etenim fœminis bi tendines perforati cernuntur, quamuis Vessalius id inficietur. Processus igitur bi ab vtero exorti prope id foramen, quod os matricis vocatur extra abdomen exeunt, supra pubem astendunt, desinunt autem in particulam quandam excelsam in vulvæ apice circumuolutam; supraid foramen, vnde lotium exit. Et hæc, lector candidissime, illa præcipuè sedes est delectationis mulierum, dum Venerem exercent, quam non modo si mentula confricabis, sed vel minimo digito attrectabis ocyus aura semen hac, atque illac præ voluptate vel illis invitis profluet. Hanc eandem vteri partem dum Venerem appetunt mulieres, & tamquam æstro percitæ virum appetunt ad libidinem conuitatæ, si attingas, duriusculam, & oblongam reddi tam esse comperies; adeo vt nescio quam viris mentula speciem præseferat. Hos igitur processus, atque eorundem vsus, cum nemo hactenus animaduerterit, si nomina rebus a me inuentis imponere licet, Amor Veneris, vel dulcedo appelletur. Non dici posset quantopere admirer, tot præclaros Anatomicos tam pulcram rem tanta arte effectam, tantæ vtilitatis gratia ne olfecerint quidem. Vos autem qui inhas meas lucubrationes anatomicas legendas incideritis, scitote absque processibus, quos ego vobis paulo antea fideliter descripsi, neque mulierem aliquam in Veneris amplexibus delectationem percepturam fuisse, nullos fœtus concepturam; non enim absque mutua maris, & fœminæ voluptate concipi posse, crediderim.* Hactenus ille. Verùm Columbus nimis gloriosè hoc inuentum sibi adscribit, quando ante ipsum Auicennas libro 3. Tom. 1. capite 10. luculenter indicauit ijs prorsus verbis: *Cùmque desiderat, & affectat coitum, permisceatur ei fricando de ea quod est inter labia desuper, ille enim locus est locus delectationis eius.*

Queres, qua nam præcipuè parte sedes voluptatis virilis reperiatur? Residere in præputio probabilis opinio est, & ab ipsa experientia nihil dissona. At modo videndum, cur hoc præputium adaugeat mulieri voluptatem; nec obsecro, tibi, lector, huiusmodi problemata leue, aut ridiculum videatur, quando illud promouendi magnam præbent occasionem Iudæi, Turcæ, ac Mauritanæ mulieres, quę quoniam earum domini præputio resecti sunt, christianis mancipijs auidius, atque iucundius sese subijciunt, vt fertur; quænam igitur probabilis huius euentus afferetur ratio? Illa quidem in primis, quæ ab erudito Fallopio libro de Decoratione capite 18. satis congruè adducitur, quæ est quod cùm pars illa denudata præputio adeo mollis, & lubrica non sit, tantam voluptatem afferre nequit; si quidem in penę quò maior est lubricitas, tantò mulieri in Veneris palæstra maior inseritur delectatio, seu pruritus; maior pruritus vberiorem prolicit seminis copiam, a seminis ampliori vbertate intentior emicat voluptas; igitur a primo ad postremum ex non resecto præputio continget mulieri voluptatis excessus; adde, quod quum particula eadem tecta præputio sit mollior & rubicundior, ac proinde viuacior ab vteri facultate libentiùs excipitur, arctiùs complectitur, atque auidiùs exugitur. Et hęc ipsa fortè ratio extitit, cur imperscrutabilis Deus electo populo præciperet, vt infantulis abscinderetur præputium, ne videlicet nimia voluptate delinti homines a latria ad Veneris illecebras auocarent sese: decebat enim illos ab omni libidinis excessu, & voluptatis immunditie alienos esse, qualis vt regius Dauid: *Domum tuam domine decet Sanctitudo.* Non solum autem ipsis mulieribus voluptatem præputium addit, verùm & viris, quando quidem tecta glandis longe magis exquisito pollet sensu, atque adhuc mollior est, vt proinde matricis amplexum, & factionem melius persentiat; qui enim detecta sunt glande in illa veluti callum obducunt, quod ex eiusdem partis albedine, ac veluti mortificatione satis apparet; nam

alia quadam super obducta cute videtur, cuius gratia non ita vigili, & audaci sensu insignita euadit; Quocirca idem Fallopius de morbo gallico capite 22. scribebat, hos quoque difficilius venerea lue fœdari, quoniam glandis non adeo rara est, non adeo mollis, & iccirco non ita facilis labem illam assumit: Fallopij verba sunt hæc: *Præterea oportet, vt pudenda sint admodum mollia, nam dura, & callosa non ita facilè admittunt vaporem caliginosum. Hinc ego inter mille homines non credo, quod viderim duos, qui habeant detectam glandem, & præputium decurtatum, infectos gallico; ratio est, quoniam detectæ glandis durius corium redditur, atque caliosius. At illos, qui oblongum habent præputium, glandemque obductam facilius infectos vidi, quia glans, & interna pars præputij mollior est;* hactenus ille, cuius vtique verba sententiæ meæ non parum fauent. Proinde meritò tum Galenus, cùm Fallopius & alij de præputij restitutione agunt, cum fuerit nimis decurtatum; nam inde vir, mulierq; magis deliniti cõmodiorem præstant proformando fœtu geniturã: præterquam quod membrum venustius redditur, cuius decorationi antiqui sedulò operam dabant, quia nudi in palæstris publico spectaculo incedebant; ac dimicabant: turpe autem habebatur, partem ullam vel minimam habere, vel mutilatam propalare.

CAPVT VII.

Cur puberes quò plus coeunt, eò plus delectentur; & cur in Veneris complemento maior contingat voluptatis excessus.

FREQVENTIVS coeuntes minus delectari, eo quod contingat in ijs semen, spiritusque refrigescere, atque imminui; ratio persuadet, auctoritas ratum facit; Iam continuata, quæstionum serie indagandum videtur, quo pacto dicat Aristoteles de animalium historia 18. puberes in rebus aphrodisijs plus delectari, quàm alias ætates, & quantò assuescunt magis, tanto plus demulceri; siquidem e diametro alteri positioni reclamat. Atqui nihil à dæmonio Aristotele contra rationem positum esse, putandum est. Huius ergo cuentus causa affertur ab Hippocrate libello de natura pueri, vbi sic legimus: *Nam & vir si multum coeat, venæ ampliores redditæ Venerem magis inducunt;* Puberes itaque cùm venas angustas habeant, aut non valde patentes, ob quarum stegnosin pueri, vt multi volunt, semen non emittunt, id quod ab Hippocrate libro de Genitura apertis fidibus insinuatum fuit his verbis: *At verò pueris venulæ tenues, & replete existentes genituræ transitum impediunt, & pruritus ipsis non similiter accedit, & propterea neque conquassatur in corpore humidum ad genituræ secretionem*, parum ab initio stimulantur; postmodum verò Venereo illo motu, quo vti incipiunt, vasa dilatantur, & referantur; caloris namque est aperire, ac dilatare, seu rarefacere: vasa, ac venæ dilatatæ sanguinem ad se dapsilè prolectant ab vniuerso corpore, vnà cum sanguine confluunt spiritus; quò tendunt spiritus, eò tota natura vergit: sanguis est multus, spiritus vberes, natura tota veges, & calida; hinc fit vt pruritus magnus, titillatio maior, delectatio maxima in Venere ab ijsdem sentiatur.

Enimverò hæc est naturæ proprietas, vt nimirum quò accersitur, eò sestinet; vbi dolor est, aut voluptas, eò aduolet; hinc magnus idem Hippocrates libro illo de natura pueri: *Dum mammæ lactant, ac exuguntur, venulæ in mammis ampliores fiunt, ampliores autem factæ à ventre pinguedines trahentes in mammas distribuunt.* Sic prorsus in adolescentulis cùm primum renes, & vasa spermatica dilatari incipiunt, maior sanguinis copia, quæ nutricationi plenius deseruiebat ad partes illas derivatur; quocirca videre est eos omnes, qui plurimum in adolescentia Venereis indulgent, pingui, & pleno corporis habitu non coalescere; fit autem, vt sanguis nutricius ad seminales meatus affatim irruens tentiginem, ingentemque libidinis ardorem, & consequenter in coitu voluptatem eximiam producat, vt ideo non immeritò 2. de legibus Plato edixerit, ætatem puerilem à dolore, & voluptate, quasi à quibusdam tirannis magnopere affici; Sanè cadit in puberes illud Ouidij 1. de Ponto:

Nec vires vidimus Veneris damnosa voluptas.

Sed cur hoc idem in viris consistentis ætatis non accidit? quoniam in his non est tanta seminis, & humoris alimentitij exuberantia; & cùm sint multo ante genitalia vasa dilatata, tot spiritus haudquaquam recipiunt; quo fit, vt si hi frequentius coire velint, deficiant appetitu, & voluptate, eo quod sanguis, spiritus, & semen imminuantur; id quod in puberibus vndequaque calidissimis, ac sanguiuis haudquaquam contingere potest. Adde, & nihil vltra dcerit, in adolescentibus dum spiritus vaforum angustos inueniunt cuniculos, & consequenter non liberum aditum, furere magis; & magis ab obsilite incalescere, vnde postmodum voluptatis sensus acerrimus, ac dulcor intensissimus. Atque ex hoc Plato de legi-

gibus vetabat, adolescentes potare vinum, quoniam cum præsertim natura sint, si vinum his propinetur, ignis adijcitur igni, & libidinis fomes incorrigibilis redditur; quod etiam præter Galeni auctoritatem alibi relatam de virginibus, & omnis etiam ætatis mulieribus obtestatur 3. de Arte Ouidius inquiens

Turpe iacens mulier multo madefacta lyeo
Digna est concubitus quoslibet illa pati.

Verùm ad secundum capitis problema properans, cur videlicet in Veneris exodio tantus exiliat voluptatis excessus, dicendum, quòd in præuia mixtionis agitatione quando semen paulatim spumescit, & spiritus non valde æstuant, leuis excitatur pruritus; At longa agitatione, ac tripudio ignei redditi, atque liqua tum, fusumque semen dum veluti facto impetu, adiuuante irritata facultate, confestim ad exitum properant, intensum delectationis pariunt gradum, totamque simul imprimunt suauitatem: confestim dixi, quoniam nisi semen ἀτρόως, sed veluti collachrimantibus pudendis flueret, haudquaquam excellens voluptatis culmen hauriretur; ut non sit ideo mirum, si tunc temporis illi præsertim, qui plena scatent seminis ubertate, adeo aphrodisiæ promulsidis, voluptatisque ui afficiantur, & euincantur, ut aliquando circa partes illas conuulsionem sustineant, atque adeo stercus, uel urinam in concubitu demittant; qua de re alibi dedita opera.

A B C D

CAPVT VIII.

Cur Venus rarior sit magis voluptuosa.

QVÆSTIONEM hanc promouet Aristoteles in Problematibus, & euentus tres adducit rationes, quarum prima est, quod rarius coeuntes plus seminis, ac spirituum obtinent, & consequenter maiorem experiuntur tentiginem, ac titillationem, a quibus voluptuosa sit sensatio; quod sanè luce clarius patet; non enim contingit aut semen imminui, aut spiritus dissipari; siquidem natura spatium habet reficiendi seminis, nec non reparandi spiritus. Secunda ratio est, quoniam in raro coeuntibus meatus, & uiæ seminis haud admodum reserantur, ut proinde semen in fluendo nullam, aut breuem efficiat moram; namque semen tantò diutius delectare existimandum est, quanto in distillatione diuturniorem contrahit moram; Cùm autem in frequentius congredientibus contingat, uias adeo patulas, & peruias reddi, ut semen præceps nulla facta mora dilabatur, hinc est, quod momentanea magis exoriatur uoluptas, atque adeo rarior Venus uoluptatis maiorem tum intensiuè, cum extensiuè dulcorem recipiat. Sit modo tertia ratio, quod aphrodisiam palestram frequentius exercentes loco perfecti seminis emittunt vt plurimum humorem crudum, atque in concoctum, ideoque calore, ac spiritibus denudatum; quare non nisi obtusus inde manare pruritus poterit. His adde, quod unaquæque res tantò gratior, & iucundior aduenit, quantò in minori consuetudine habetur, siquidem nimius usus satietatem parit, satietas contemptum; & raritate, magis, quàm familiaritate res quælibet commendatur. Enimuerò priuatio parit appetitum, & cupiditatem; cupiditas rei uel de Aristotelis arbitrio est ualde suauis; igitur quò maior fuerit priuatio, eò ardentior erit cupiditas: quantò hæc vehementior, tantò annexa suauitas, & uoluptas, quæ consequitur, dum expletur potentior erit. Quid multa? ab assuetis vt non fit passio, ita neque voluptatis perceptio, quæ passio quædam est. Probant id impurissima scorta, quæ tamquam obducto callo nullum amplius ab aphrodisijs libamentum degustant.

CAPVT IX.

An, & quomodo verum sit, mulieres amplius delectari cum adolescentibus impollutis, nec dum Veneremexpertis.

MAIORE Mpercipi voluptatem à viris penes mulierem adhuc non defloratam, cunctis in confesso est; ex vasis enim angustia, vt dicebat Auicennas, eos magis delectari contingit. Verùm ex aduerso an mulieres cum viris adhuc virginitatis florem seruantibus cõtingat magis delectari, hic venit inquirendum. Porrò indoctum vulgus existimat forte, mulieres etiam ex viri integritate maiorem haurire voluptatem; cuius tamen rei nullum potest esse fundamentum, præter quandam obseruationem, qua animaduertimus, petulcas mulieres adolescentum, aut impuri virginitatem, eamque sic affectare illicijs, vt pro ea sæpe munera offerant; Sic palam est, procaces nimis, ac lasciuas meretriculas peculiari quodam blandimento iuuenibus tendere laqueos, vt eorum virginitatis potiantur lilio; quo sanè illud Salomonis 13. Parabolarum spectare crediderim: *Insidiatur in via quasi latro, & quos meautos viderit, interficiet.*

Ve-

Digitized by Google

Verùm enimuerò nulla prorsus est ratio, qua quis probare valeat maiorem hunc voluptatis excessum apud mulieres ex virorum virginitate; siquidem percurras causas omnes, quæ muliebri naturæ, atque auiditati voluptatem augere possunt, non inuenietur vlla potior ex illis in viris incorruptis, quàm in defloratis. Sed si hoc est argues, cur mulieres vanæ, ac Veneris impuro dicatæ seruitio affectant adeo inuenum florem? Profectò mortalis huius vitæ bona in imaginatione cuncta consistunt, omniaque opinione magis, quàm ratione censentur; inde prudentissimus Boetius in suo de consolatione philosophorum aiebat: *Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas, sed ad falsa deuius error obducit*; Quare in mœtris primi libri occinebat idem.

Heu quàm præcipiti mersa profundo
Mens hebet, & propria luce relicta
Tendit in externas ire tenebras!

Hinc autem euenit, vt imaginariò alij diuitias, dignitates alij, & gloriam, alij voluptuosas delicias veram existiment fœlicitatem; sed vere hos omnes tramite denio abducit ignorantia; quod cùm ita sit nihil mirum, si in ipso fine decepti homines, in medijs quoque decipiantur. Quamobrem quicunque molles nimis, & abiecti in rebus Venereis fœlicitatem colloca runt, inijsdem apprimè delirant, & easdem imaginario quodam iure tantummodo diriguntur; Ita videre est interdum ex horum grege aliquos exuccam, ac squallidam deperire vetulam, pleroſque deformem ardere mulierculam, non paucos turpi, ac nefario oblectari amplexu. Id Martialis vt solet lepidè de se ipso primo carminum testatur dicens.

Quadam me cupit, inuide Procille,
Toto candidior puella cygno
Argento, niuie, lilio, ligustro.
Sed quandam volo nocte nigriorem
Formica, pice, graculo, cicadæ.

Vsque adeo mentis limen prestringit Venus, eo vsque imaginationem depranat! Hac itaque ratione contingit, vt mulier ex futili quadam opinione delectetur magis cum viro impolluto, quàm cum temerato: illum enim tamquam puriorem excipiens amplexatur libentius.

Cæterùm quod ratio hæc ex opinione decepta verissima sit, ex casu, qui tali pacto fingi potest, patebit. Proponamus mulierem aliquam illecebrosam, quæ nocturno tempore clam domi excipiat inuenem quempiam, quem floridum existimet illibatumque, cuius amore præ virginitatis aureola incensa suspiret, langueat, & hunc in abdito ad Venerem complectatur; certè voluptatis tantum degustabit, quantum hauriret si cum amasio virginitate redimito realiter congrederetur. Rursus adeat adolescens prostitutam mulierem, & sit idem impollutus, omnisque rei aphrodisiæ ignarus, sed talem se esse non profiteatur, proculdubio mulier delectationis tantundem delibabit, quantundem cum alio quo uis defloratо cæteris paribus persentiret. Enimuerò in tali casu illud contingit prorsus, quod multis euenit, qui nobilem ac gentilitiam mulierem, licet minus formosam quibus quibus pulcherrimis anteponunt, qua cum insuper voluptuosè magis agunt. Quid est hoc mehercle quàm opinio vana? ex eo namque, quod mulier patritijs est orta parentibus voluptificis causis nihil reapse addere potest; verùm phantasia quæ supra bestialem concupiscentiam imperium dispoliticum habet, obiectum representat ex domus gentilitio expetibile magis, magisque delectabile, Pari modo fit in his, quod hominum plerisque accidit, qui non ita libenter. & voluptuosè cum muliere conueniunt, quam sciant aliorum habere familiaritatem; vnde querebatur Horatius:

Me libertina nec vno
Contenta, Phrine macerat.

Quid cedo voluptati detrahere potest, illam succumbere alijs? prudenter ideo leuem hanc opinionem redarguit Aristippus duobus illis pulcherrimis apophtegmatibus; primo quidem dum illi obijceretur a quodam, quod cum Phrine rem haberet, ac tantum illius gratia pecuniæ impenderet, quæ tamen Diogenem Cynicum gratis admitteret: *Ego*, respondit, *illi multa suppedito, vt ipsa ea fruar, non me quis alius*. Secundo dum cum Phrine eadem consuetudinem habentem Diogenes obiurgauit dicens: *Cum publica muliere tibi res est, Aristippe? Aut igitur canem agas quemadmodum ego, aut desinas*, ille verò Diogenem rali repulit inductione. *Num absurdum tibi videtur, Diogenes, inhabitare domum, in qua prius habitarunt alij?* Quum negasset ille: *Quid* inquit, *Num vehi naui, qua multos antea vexerit?* Quum hoc quoque negasset Diogenes absurdum esse; *Cur igitur*, ait, *absurdum esse veris, congredi cum muliere, qua plures vsi sunt?* Hem quàm lepidè Aristippus vanam illam confutauit opinionem, cui tamen plerique addicti sunt: & verè periculo ipso comprobatur, haud ita iucundè cum multiuola congredi muliere. Quid si dicamus ad calcem, ideo posse mulierem demulceri magis cum virgine adolescente, quoniam in qualibet re primum locum, primasque partes obtinere, iucundum magis censetur. Quippe mollicula mulier mente concipiens adolescentem cœlibē ad se primo inclinasse, ibi inuente florem exhibere, seque præ alijs vnam dilexisse, ea qua est petulanti natura incenditur amore magis, atque dum eo fruitur, impensius delectatur.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane. Iuuenal. prima satyra.

CA-

CAPVT X.

Quo tempore vir, & mulier magis in clinopali delectentur.

TAMETSI rebus in aphrodisijs dulcorem, & voluptatem semper degustent homines; maiorem tamen, aut minorem ex diuersis conditionibus atque temporibus haurire solent; & quod attinet ad tempora in primis vniuersalia, compertum est plus delectari viros in hyeme, in æstate magis mulieres, vt alibi satis declarauimus; & omnino tunc temporis Venerea voluptate animalia quæque affici ac demulceri, quo ab ipsa natura somitis calcaria recipiunt, cùm videlicet statis quibusdam temporibus geniale suadet coniugium; quod verno tempore contingit vt plurimum. Verùm ad particularia tempora descendens, existimarunt aliqui nocturno tempore maiorem exhauriri voluptatem, quò illud Nasonis 3. de Arte spectare creditur:

Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris,
Aptius in vestro corpore multa latent.

Et philidiæ magister Theocritus.

Venus enim amica est tenebris,
Lux autem temperantiæ necessitatem affert.

Id quod Plutarchus in libro contra voluptatem ita est prosecutus: *Cur non omnibus videntibus luxuriaris, quando & te adeo ipsum reueritus fugis, nocti solum et tenebris sine testibus contumeliam, & libidinem committens?* Quod idem lepidissimè Ioannus Pontanus primo Amorum eo expressit hymno.

Nox Amoris conscia, quæ furenti
Ducis optatam iuueni puellam
Grata Dijs magnis, & amica blandæ
Nox bona lunæ.
Quam colunt vnà Geniusque, Hymenque
Et suo gaudens Erycina nato,
Cùm ferus diras acuit sagittas
Tendit, & arcum.
O voluptatis comes, & ministra
Quæ bona ex te fert thalamus, thoruſque?
Quas soror fert illecebras, iocosque
Deliciasque?
Quas simul iuncti faciunt amantes
Inter amplexum, trepidumque murmur
Inter & ludos, teneraſque rixas
Dum furit ardor.
Dum micant linguis, animæque florem
Ore deducunt querulo, parique
Concidunt motu resoluta post quam
Grata libido est.

A

Huc facit appositè ludricum illud epigramma, ex Cruceio apud Septalium in Problematibus Aristotelis

Quærenti Ersiliæ, quæ nam hora salubrior esset
Ad Venerem, Medicus sic ait Hermogenes,
Mane salubre magis Veneris decerpere fructus,
Iudice me fuerit; vespere dulce magis.
Hic illa arridens formoso, ait ore, voluptas
Mi curæ fuerit vespere, mane salus.

B

Quamuis autem nox Veneri sit amica magis, amantium tamen voluptatem augere lucerna creditur; quamobrem meretrices olim in lupanari ad lucernas prostabant; quò alludit 6. Satyra Iuuenalis de Messalina intelligens:

Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ.

Et illud quoque Horatij lib. 2. Sat. 7.

acris vbi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcumque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitauit equum lasciua supinum.

C

Arridet Martialis 11. Epigr. in vxorem.

Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna,
Et iuuat admissa numpere luce latus.

Ex Astronomis autem arbitrandum, eo diei spatio fore, vt maior degustetur voluptas, quo Venus in Astris dominatur; volunt namque septem illos Planetas habere inter se diei diuisas horas, sub quarum spatio quilibet suas præsert energias, vt exempli gratia primam horam naturalis diei cum aliquibus minutis regit saturnus: secundam cum suis minutis Iuppiter: tertiam cum minutis Mars: quintam cum minutis Venus: sextam cum minutis Mercurius: septimam cum minutis Luna: octauam iterum Saturnus, & sic successiuè, quousque viginti

D

quatuor horarum terminus impleatur, inde carmina

Cinthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Ioue, Satur,
Ordine retrogrado sibi quiuis vendicat horas.

Quarum numerus cùm excedat Planetarum triplicatam seriem, hinc est vt quilibet ex illis dominium habeat vnius horæ interuallo, & rursus aliquorum minutorum spatio: vide Christopharum Bambergensem in primum Sphæræ Ioannis de Sacrobosco; fit itaque, vt dum Veneris præpollet sydus, magis voluptuosum

Aphro-

aphrodision percipiatur. Inter alios verò Planetas illos plus voluptatis influere statuendum, qui propiùs Veneri familiaritate accedunt; atque hæc in gratiam Astronomorum, quę profectò cum ea coincidunt diuisione, quæ in humoribus fieri assolet; fertur enim, quemlibet nostri corporis humorem suas obtinere diei horas, quibus in humano præcellat corpore; & sic in prima, secunda, & tertia sanguinem imperare: quarta, quinta, & sexta bilem: septima, octaua, nona melancholiam: decima, vndecima, ac duodecima phlegma. Iterum prima, secunda, ac tertia noctis hora sanguinem: quarta, quinta, & sexta bilem: septima, octaua, & nona melancholiam: decima, vndecima, & duodecima præpollere phlegma. Quod sanè si ita est, decernendum erit, tunc temporis futurum fore, vt homines in geniali congressu maiorem delectationem delibent, cùm sanguis propriam percurrit sphęram, adeo vt mane, summo antelucanis horis, & vespere vsque ad noctis tertiam iucundior accedat Venus. De alijs verò temporibus dicēdum, illa intensiùs, aut minus delectare, quæ propiùs, aut remotiùs accedunt horis, in quibus sanguis prævalet, adeo vt post sanguinem succedant secundo gradu horæ ipsius bilis: tertio gradu melancholiæ: quarto pituitæ horę, eò modo quò de planetis dicebamus; nam & quatuor humores quaternario Planetarum numero consonant; siquidem Saturno melancholia, Mauorti bilis, Lunę pituita, Soli, Veneri, & Mercurio sanguis respondet; hi tres namque postremi tres planetæ eodem fere temporis spatio suum circulum complent. Sed cur relinquitur Iuppiter? Porrò non relinquitur, is enim nequaquam præest alicui determinato humori, verùm toti, & vniuersę temperaturæ, quæ ex quatuor illorum humorum mixtione exilit, & emicat. Hactenus de his.

Præterea magis in secunda quàm prima Veneris vice oblectari homines, asserendum; quod licet prima facie falsum existimari possit, eo quod in primo accessu plus seminis ac spirituum illi obtineant, a quibus affluentius exoriri voluptas potest; est nihilominus Aristotelis de Generatione animalium 2. capite 4. vbi hæc legimus: *Plurimum enim in menstruis quoque humoris inutilis continetur, vt in maris genitura quod humidissimum est, tum eadem emissione, tum in diuersis: prior enim emissio minus fœcunda, quàm posterior, minus enim caloris animalis continet propter cruditatem; at verò quod concoctum est crassius, & corpulentius est.* Iam dixerim ego, si ex Philosopho, atque etiam perspicua experientia in prima seminis effusione plus cruditatis reperitur, & minus caloris, sequitur necessariò, vt voluptas, quæ à seminis calorifica, & spirituali virtute manat, minor sit, & a maiori excrementitiæ humiditatis copia obtusa magis, & hebes; quod cùm in secunda Venere non contingat, voluptatis sensus alacrior, & exquisitior habetur. Accedit insuper, quòd in primo congressu semen vel ex copia, vel ex serosiori natura illico desluit, vt verò supra probauimus diuturnior, & intensior eò est voluptas, quò diutiùs moratur tripudium, a quo spiritus ipsi feruidiores euadunt, & consequenter pruritum, voluptatemque maiorem inferunt. Cæterùm seiuno corpore magis, quàm repleto iucunda est Venus ex eo, quod post digestionem corpus cibo non est infarctum; quin spiritus liberiorem habent aditum ad genitalia, & ipsi restaurati magis vegetes existunt. Demum tunc magis futurum est, vt suauitas rei aphrodisiæ delibetur, cùm antelixopalin vir & mulier aliquatenus membra corporis exercuerint, vel incessu per amœna, vel chorea, vel alia quapiam gymnastica agitatione, quibus excitati spiritus promptiùs prurire, & efficaciùs titillare valebunt; quo etiam modo semen ipsum fœcundius præstabitur.

CAPVT XI.

Quibus auxilijs Veneris voluptas intendi valeat.

QVAM sit in congressu Generationis gratia expediens, immo necessaria voluptas, ex ijs quæ supra exaranimus, deprehendi potest. Etenim tametsi absque delectationis excessu generatio, & conceptio fieri valeat, proles nihilominus quæ minus voluptuosam Venerem consequitur, longè est imperfectior; quandoquidem acrior voluptas vberiorem seminis prolectat fluxum, pluresque accersit spiritus; e semine verò magis dapsili, magisque spiritibus locupletę maior, perfectior, & omnibus numeris absolutus emicat fœtus. Coniugum ergo pro viribus in elinopali est procuranda voluptas. Breuibus itaque apponenda hic erunt, quæ intensiorem delectationis sensum inferre possunt; illud genericè præfatus, calida quæque & humida esculenta, nec non generosa & suauia vina, modicè tamen sumpta voluptati aphrodisiæ nimium adijcere posse; insuper ea omnia quę seminis prolifica sunt, de quibus loco suo abundè egimus. Inter extranea verò medicamenta Auicennas libro 3. fen 20. Tract. 1. capite 45. hæc potissimum recenset: *De illis, quæ delectant eos vtrosque simul, est saliua eius, qui sumit in ore suo altit (quod est assa dulcis) & saliua cubebe,*

be, & mel emblicorum, & mel cum quo confici-
tur scammonea, & Zinziber, & piper cum
melle; & si tetatur linimento proprie super me-
dietatem pollicem virge, non est magnum iu-
uamentum in ejus illius, facit enim delectatio-
nem in capite virge solum. Radix lauri Alexandrinę cum vino epota actum Venereum cum voluptate expedit: ex eadem confectum linimentum si pudendo, & perinæo adhibeatur, apprimè confert cum ad libidinem proritandam, tum etiam voluptuosè & expeditè perficiendam. Eadem & fortè maiori energia præditum est zibettum, si eo caput perungatur virgæ (amabò sit vestris auribus honos) euentus huius rationem illam crediderim, quòd scilicet vterus odoribus maximè oblectatur, & afficitur, quare halitus ob fragrantiam præceps ruit, auidiusque incensa Venerem affectat; quo circa ardentior emicat vndique conatus, maior libidinis explendescit flamma, longe vberior seminis, & caloris confluit illuuies. Vir quidam voluptuosus vtebatur paulo ante congressum balsamo, quo leuiter balanum, ac perineum inungebat, indeque sibi, & mulieri mulcedinem intendi profitebatur; erat autem illud balsamum Peruuianum. Cæterùm cubebe, ac pyrethrum apud lasciuiores in frequenti vsu esse, intelligo, nec uerè desunt alia mille, quę pruritum acuere possunt. Matthiolus testis est, quòd si penis ante mixtionem inungatur felle oratę, lucij, perdicis, & gallinę, mulieres maximopere delectantur. Ita quoque si mandragora ante ludum esitetur, creditur a multis aphrodisiam augere promulsidem; ut enim alias ediximus, mandragorę poma conciliandis amoribus non magis, quàm fœcunditati auxiliantur; unde Magi ea Hemonias, seu Gonogeonas uocitarunt; & Hesychius Venerem appellanit μανδραγορίτιν, non quod sensus soporet, ut quidam putant, sed quia mandragoris amplius delectetur.

Atqui sola illa, & uera voluptas, quæ sponte mulcet, oriturque naturaliter a mutuo coniugum amore, uicissimque a feruente utriusque libidine, atque amœbæo cupidine; ideoque insuaui atque insuaues censendi erunt complexus, qui vt Ouidius aiebat, non utrinque resoluunt, & qui frigidè a torpida muliere peragunturque consilio Martialis noster obscœnæ voluptatis affectator eximius uxorem suam querulus ita obiurgabat?

Vxor vade foras, aut moribus vtere nostris:
Non sum ego nec Curius, nec Numa, nec Tatius:
Me iucunda iuuant tractæ per pocula noctes,
Tu properas pota surgere trista aqua.
Tu tenebris gaudes; me ludere teste iuuat
cerna,
Et iuuat admissa rumpere luce fores.
Fascia te, tunicaque tegunt, obscuraque palla:
At mihi nuda satis nulla puella patet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas;
Tu mihi das, auiæ qualia mane soles.
Nec motu dignaris opus, nec voce iuuare,
Nec digitis: tamquam thura, merumque pares.

Tandem concludit.

Si te delectat grauitas, Lucretia toto
Sis licet vsque die: Thaida nocte volo.

At parcite molles amasij philidiam artificioso conamine exaugere; quò maior nestra uoluptas, tantò uitę nestrę derogatur magis; quò plus scintillat ignis, eò citius marcescit. Naturę minus dolor, quàm Volupia insidiatur. Parergon. Vocabat Aristippus uoluptatem monochronon, idest uniustemporis; siquidem futura non dum nos tangit, prętcrita non amplius afficit; ob momentaneam igitur uoluptatem insanimus? vitæque insidiamur?

CAPVT XII.

An, & cur homines post Veneream voluptatem tristentur.

EA est humanarum rerum conditio, ea mortalium bonorum ratio, vt nulla prorsus sit corporis voluptas absque dolore, nulla breuis iucunditas, quæ nimium permanentem tristitiam annexam non habeat; *Hanc omnibus humanis gaudijs*, dicebat Symmachus, *legem natura dixit, vt curæ voluptatem sequantur.* Quare Eluatus in Amphytrione prudenter satis aiebat: *Ita Dijs placitum est, ab eodem culmine voluptas, & ei mœror communis sequitur*; quod idem in Phædone Plato, atque in Philebo sentiebat, vbi palam profitebatur. *In totius vitæ quadam veluti tragœdia, atque comœdia dolores voluptatibus immiscere*; quin etiam subscribens Pindarus occinebat: *Bona separare non licet a malis, sed est mixtura quædam*; Vt ideo prælarè satis, & graphicè ante omnes Homerus vltimo Iliados, ni fallor, effinxerit, in postliminio Ioui sduo aperiri amplissima dolia, vnum uoluptate plenum, amaritudine alterum; lætis unum, tristibus alterum refertum, quæ tamen ille maligne nimis temperet; siquidem nimium semper malorum plus, quàm

bonorum admiscet, plusque amaritudinis quàm voluptatis ministrat. Id quod in Pythijs hymnis confirmat Pindarus idem ijs carminibus, quæ sonant: *Ad unum enim bonum duo pariter incommoda distribuunt mortalibus immortales*; Hinc Seneca in Thieste:

Nulla fors longa est; dolor, ac voluptas
Inuicem cedunt, breuior voluptas,
Ima permutat breuis hora summis.

Hãc Seuerinus Boethius humanam calamitatẽ deplorans 3. de consolatione Philosophorum bellè satis intonat

Habet hoc voluptas omnis
Stimulis agit furentem,
Aviumque par volatum,
Vbi grata mella fudit
Fugit, & nimis cruento
Ferit ilia corda morsu.

Quid igitur mirum, si voluptas in primis Venerea, vt potè omnium fragilissima, & minus legitima tristitiam post se relinquat inconsolabilem? Adeo vt exardeant quantumuis iuuenes desiderio potiundi vel formosissima adolescentula, haud quaquam tamen possint effugere post concubitum consequentem illum animi dolorem, ac pœnitudinem: quod sapientissimus ille Plato his verbis in Phædro testatus est: *Num amatores cùm primùm libidinem expleuerint, collati beneficij pœnitet?* estque prorsus idem, quod ingeniosissimus Aristoteles quarta sectione Problematum inquirit: cur videlicet adolescentuli cùm primò concumbere incipiunt, quibus cum fuerint congressi, eas re peracta odio habeant? Sit huius euentus vnicum ac memorabile exemplum Thamara Dauidis pulcherrima filia, quæ, vt secundo de Regibus registratur, & 7. Antiquitat. Iudaic. apud Iosephum non ita primum ab Amnone fratre, qui eius amore tabuerat, vim passa est, quod miserè odio habita domo expulsa est, neque ad noctem commorari ei permissum fuit: hæc sunt Iosephi verba: *Atque post oblatum vitium in contrarium mox affectum vertitur, & exosam ac fastidiosam tenuitijs aggressus iubet, vt euestigio sese inde faceßat; quæ cum hanc iniuriam priore grauiorem diceret, quòd constupratam vel usque noctem illic manere non patiatur, sed confestim extrudat clara adhuc luce, vt turpitudinis sue testibus occurrat, mandauit famulo, vt eam ejiceret?* en quàm cito Veneris impurus amor in odium commutatur, & cupidinis fœda voluptas in contemptum desinit?

Enimuerò vt Ouidius 1. Amorum

Impia sub dulci melle venena latent.

Namque suis illecebris blanditur primò, postea mordet insidioso primùm soporat cantu, dehinc atro necat morsu; ideoque non iniuria Diogenes palam profiteri consueuerat, formosas scortas similima esse mulso, læthalibus venenis tempero, quòd afferrent quidem initio voluptatem, sed quàm perpetuus dolor consequeretur. Quò pertinet illud Venusini:

Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas.

Vt iccirco mirum non sit, si spreuerint multi aphrodisiam hanc voluptatem, cuius pretium dolor est. Memini me legisse, Philosophum quendam (Aristotelem fuisse censent aliqui) interrogatum, quare puella, quam præ manibus formosissimam habebat, non vteretur, respõsum dedisse: *Nolo pœnitere*. An non satis vulgatum est illud Demosthenis, qui vt Phocion præcipuè refert in libro, quem inscripsit κατὰ ἀμαθίας, ideſt Cornu copiæ, cùm Corynthum petiisset clanculum, vt Laidem illam pulcherrimam meretricem nosceret; cùmque illa pretium requirens decem mille drachmas exposceret, quanti & pluris noctes suas locare consueuerat, Demosthenes mulieris petulantia, & pecuniæ multitudine deterritus discedens inquit: *Non tanti emo vnum pœnitere?* Sed quid profana monumenta quæro? Sapientissimus ille, qui mentiri non potest 5. Prouerbiorum id totum nos commonuit ijs verbis: *Fauus distillans labia meretricis, & oleo nitidius guttur eius, nouissima autem illius amara sicut absinthium, & acuta sicut gladius biceps.* Potte quia voluptas omnis falsidij limite coarctatur, vnde Ioannes secundus in Basijs:

Mensura rebus est suadulcibus,
Vt quodque mentem suauius afficit,
Fastidium sit triste secum
Limite proximiore ducit.

Porrò Venereæ voluptatis natura non incongruè pantheræ assimilari potest; hoc namque animal, vt referunt naturales Historici, & Plinius inprimis 8. libro capite 17. suaui, atque odorifero halitu allicit, ac ducit eminus animalia cætera; effero autem, ac truci ore eadem terret, ac fugat. Iam vt illa prædari valeat, atque astu vorare, inter nemorum latebras caput faciemque occulit, auras verò bene fragrantes indidem clam expirat; vbi tandem suaui, gratoque pellecta odore incauta appropinquant animantia, inuadit, lacerat, atque vorat. Ita prorsus amens ac bestialis Venus petulcam iuuenum imprudentum gregem voluptatis odore fallaci, ac dulcedinis facetis illecebris pellicit & corripit quidem, sed fœdo, ac turpi ritu eandem deterret: vt igitur insidiatricẽ depredetur, aspectus deformitatem obtegit, quandiu libidinis exercetur actus; verùm non ita citò completus ille est, quod nauseabundam propalat turpitudinem; inde dolore, pœnitentia, ac tristitia coeuntem afficit, premit, lacerat. Enimuerò appositè a docto quodam viro prurigo concupiscentiæ Emblema reputata est; sicutienim qui cutem scabiosam scalpit, magnam ini-

initio voluptatem percipit, verùm paulo post penas dolore luit, ita & qui concupiscentijs indulget, extincto fomite pœnitentiam agit. Emblema est hoc:

Agrum cauto carneum, ne vomere
Arare pergas corneo: pro mellea
Semente mox reponet vrens tibi piper.
Cupido eandem dulcamarus, γλυκοπίκρός
vim tenet
Pro melle felleum propinans poculum.
Fœdare tristis vnguibus cutem cave;
Assiduus est pruriginis comes dolor.

Ideoque meritò Aristoteles dicere sueuerat: *Voluptates abeuntes non venientes considerandas esse*: Siquidem venientes iucunditatem pollicentur, abeuntes dolorem, ac verecundiam inferunt. Quod Natal. Comes lepidè ijs verbibus exprompsit

Nil amor est aliud Veneris, quàm parua voluptas,
Quæ simul expleta est, inficit ora rubor

Idque vsque adeo verum est, vt neque coniugalis complexus sacramentali nexu cohonestatus verecundia, & resultante careat tristitia. Testatur hoc D. Thomas Secunda Secundæ Quæst. 151. Art. 4. vbi ait, maximè verecundari homines de actibus Venereis intantum, quod etiam concubitus coniugalis, qui honestate nuptiarum decoratur, verecundia non careat; quin etiam, addit, non modo verecundari homines de commixtione Venerea, sed etiam de quocunque illius signo, vt osculo, & amplexu. Hausit hãc doctrinam Angelicus doctor a D. Augustino libro 14. de Ciuitate Dei capite 17. vbi fœditatem Venereis actibus iniunctam pluribus prosequitur, audi si placet. *Opus verò ipsum, quod libidine tali peragitur, non solum in quibusque stupris, vbi latebra ad subterfugienda mundana iudicia requiruntur: verùm etiam in vsu scortorum, quam terrena ciuitas licitam turpitudinem fecit: quamuis id agatur, quod eius Ciuitatis nulla lex vindicat; deuitat tamen publicum etiam permissa, atque impunita libido conspectum, & verecundia naturali habent prouisum lupanaria ipsa secretum, facilisque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis quàm impudentia remouere latibula illius fœditatis. Sed hanc etiam ipsi turpes turpitudinem vocant, cuius licet sint amatores, ostentatores esse non audent. Quid concubitus coniugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum procreandorum sit causa liberorum, nonne & ipse tamquam sit licitus, & honestus remotum ab arbitris cubile conquirit? Nonne omnes famulos, atque ipsos etiam paranymphos, & quoscunque ingredi quælibet necessitudo permiserat, ante mittit foras, quàm vel blandiri consuæ coniugi incipiat? & quoniam sicut ait quidam Romani maximus auctior eloquij: Omnia recte facta in luce se collocari volunt, idest appetunt sciri, hoc recte factum sic appetit sciri, vt tamen erubescat videri.* En igitur, lector, vt voluptatis comes, & soror tristitia est, vtque adagium illum apud Polydorum Virgilium consonat: *Vbi vber, ibi tuber; vbi mel, ibi fel.*

Ita est; laruata est carnis pruginosa voluptas: risum ostentat, mulcedinem promittit; fletum tamen solum, ac pœnitudinem offert. Audiamus pium vatem, cuius modulamen apponam, vt iucundissimum corollarium.

Fuge, fuge pestem, sperne mendaces iocos,
Vanisque tandem detrahe illecebris fidem;
Risum propinat? perpetes fletus time;
Præfert rosarum purpuram? spinas cave;

Sed age iam inquiramus, quæ sit huius tristitiæ voluptatis affinis ratio. D. Thomas citato loco ideo vult homines, post aphrodision tristari, quoniam motus genitalium membrorum non subiicitur imperio rationis, ad cuius mancipationem necessariò tristitia sequitur. Numquid enim natura tristari non debet, dum lex eius corrumpitur, & ordo? Verè nemo ibit inficias. Quamobrem cùm statutum sit a natura, eiusque summo auctore Deo, vt inferiores potentiæ superioribus famulentur; hæ imperent, & illæ obediant, cùmque in libidinis actu, ac ferina voluptate portio superior puta voluntas reddatur sensibus tributaria, ægrè fert natura, maximèque dolet hanc præstantissimæ illius facultatis mancipationem. Præclara; sanè ratio verùm theologica potius, ac metaphysica; Physicam, si fieri potest, audiamus.

Magnus Peripateticorum Princeps in problematibus huiusce tristitiæ causam reijcit in fœditatem, & immunditiem, quæ peracta voluptate, & extincta libidinis efferuescentia innotescit, cùm antea latitaret; virtus namque concupiscibilis, vt aiebat Auerroes, non inspicit contristationem contingentem in futuro. Verùm sciscitaberis, vnde sit, quod hæc ipsa immundities, turpitudo, ac fœditas ante congressum non appareat? Ex eo dixerim euenire, quoniam passiones obruunt rationis lumen, & voluptas in primis frangit rectum consilium, nam difficile est nobis illud iniquum existimare, in quo naturaliter delectamur; affectibus enim imperantibus tamquam compedibus ratio vincitur. Hinc Sapienter Plato in Phædro: *Scire*, inquit, *oportet duas in vno quoque nostrum ideas esse dominantes, atque ducentes, quas sequimur quocunque ducunt; altera quidem est innata nobis voluptatum cupiditas, altera verò acquisita opinio optimi affectatrix. Hæ autem in nobis quandoque consentiunt, quandoque in seditione, & discordia sunt, & modo hac, modo altera peruinit.* Qua in re audiendus est Boethius ille de consolatione metro 7.

Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem,
Gaudia pelle,
Pelle Timorem,
Spemque fugato
Nec dolor adsit.
Nubila mens est
Vinctaque frœnis
Hæc vbi regnant

Non ergo mirum, si post Venerem restincto libidinis ardore, fomitis retuso pruritu, & ratione reuiuiscente, illius appareat naturalis facies, deformis scilicet, & contemnenda. Huc facit illud Nasonis secundo de remedijs, vbi admonet, quod mulierum, quarum vincula soluere consilium est, defectus ac turpitudines signari nequeunt nisi peracto coitu, quo tempore refrixit libido, & coiuisse piget; hæc sunt illius carmina.

At simul ad metas venit finita voluptas,
Lassaque cum tota corpora mente iacent.
Dum piget, & nullam malles tetigisse puellam,
Factaque tibi non videare diu.
Tunc animo signa quæcunque in corpore menda est,
Luminaque in vitijs illius vsque tene.

Profectò si ante congressum respicere possent homines hanc Veneris immunditiem, nunquam inducere possent animum ad libidinem exercendam, perinde ac reperti sunt multi, qui res Venereas tam ederunt, vt nihil magis; inter quos recensetur in primis doctissimus Origenes, qui vt referunt idolis potius offerre thura, quàm Venere inquinari voluit, id efficere coactus à sceleratissimis Hæresiarchis. In mentem venit alterius viri nomine Melamonis, qui mulierum conspectum ne dum consortium exosus in solitudinem demigrauit, perque ania montium solo cane conuictore feras insectabatur, nec vnquam domum reuocari potuit, indeque datus est prouerbio locus: *Melamone exitior*. Plato etiam 34. de legibus aliquorundam meminit, qui Veneris studijs penitus abstinebant; habet enim: *Num igitur de Tarentino Iceo non audiuimus, qui propter olympica aliaque certamina artificioso circa hæc studio temperantiam simul, & fortitudinem animi consecutus, nullam vnquam in toto exercitationis suæ tempore Venerem cognouit*; idem quoque de Chrysone, Astylo, & Diopompo, alijsque plurimis fertur; verùm de his loco suo plura duximus testimonia. Sed me arbitre dicendum præterea est, homines iccirco post Venerea tristari, quoniam sponte sua natura ægrefert iacturam vtilissimi excrementi, ac spirituum in primis dispendium, quibus fruebatur & exilarabatur, perinde ac seminali materia, tamquam vitali balsamo renutritur, & sustinetur; quare cùm corpus velut frigescat amisso calore, & vitæ fulcimine, necessariò demittitur melancholia grauante, & imbecillitate inducta languescit, vnde se ad interitum properare sentiens dolet, mœret, ac tristatur.

Quod sanè multo adhuc grauius accidit ijs, quibus etiam post voluptatem argentum quoque est impendendum; quò circa balax ille Ouidius 1. elegiarum belle satis quandam puellam interpellat, ne pro amore premia poscat, eo quod algescit amor, vbi munera sunt præbenda; sic ille ait:

Nunc timor omnis abest, animique euanuit ardor,
Nec facies oculos iam capit ista meos.
Cur sim mutatus quæris? Quia munera poscis:
Hæc te non patitur causa placere mihi.

Si igitur ante concubitum quando libido seruet, pruritque Genius cogitatio sola de munere potest infringere cupiditatem, quantò magis tristari debet, qui transacta voluptate duplicis sanguinis iacturam fecit? Dixi duplicis sanguinis, quoniam vt Timocles aiebat:

Est sanguis atque spiritus pecunia
Mortalibus, quæ nulla cui fit copia,
Viuos pererrat inter vmbra mortui.

Ideo querulus subiungit Ouidius:

Sumite in exemplum pecudes ratione carentes;
Turpe erit ingenium mitius esse feris,
Non equa munus equo, non tauro vacca poposcit
Non artes placidam munere captat ouem;
Sola viro mulier spolijs exultat adeptis,
Sola locat noctes, sola locanda venit.
Et vendit quod vtrumque iuuat, quod vterque petebat,
Et pretium quanti gaudeat ipsa facit. &c.

Plures itaque extant causæ, quæ homines post aphrodisiam voluptatem affligere possunt. Fugienda ergo voluptas, quæ sodalem habet inseparabilem ipsam tristitiam.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Virum mulier magis à Venere contristetur.

MVLIEREM nihil prorsus post Venerem tristari, non ausim libere proferre; Verùm parum ac minimum pœnitere, libere aio. Quod nisi vererer, eam ferino genere deteriorem efficere, quod vt inferius dicetur & ipsum post furores geniales aliquam experitur naturæ dejectionem, scriberem, eandem nulla pœnitus post Veneris immundos actus perturbatione torqueri. Nempe effrœnis sexus illius libido, infinita mollicies, perpetuus fomes, insatiabilis concupiscentia neutiquam finit a concubitu magnam referri tristitiam; quin potius hilaritatem quandam, vt proinde videre sit, pleraſque mulieres post virorum consortium aphrodisium nescio quam alacritatem auctiorem in frontis emporio exarare; nec ita facile animaduertere est, mulierum quampiam post mollitiem, & voluptatem animo dejici, perinde ac perpetuò viris contingit. Enimuerò si nullo vnquam tempore mulier a viri complexu fastiditur, nunquam etiam post eundem mœrebit; eò magis quia cùm illa imperfecta nimis exsui naturæ, ac mollis existat, turpitudinis actus, ac libidinis fœditatem, a quibus causis tristitia manat, haudquaquam dignoscit, & per consequens nequit ludos eosdem nauseabunda voluntate abhorrere; Eatenus enim res quælibet vel appetitur, vel detrectatur, vt est apud Philosophum, quatenus sub specie pulchri, vel horrendi apprehenditur. Præterea cùm sit mulier ex Aristotele sicut materia, vir autem tamquam forma, poterit quidem hæc aliqua ratione materiei deformitatem odio habere, materia namque passim ab Aristotele turpe, & hile; forma verò diuinum, & pulcrum nuncupatur; at nunquam a mixtione formæ contristabitur materia; siquidem quantumuis imperfectissima entelechia, erit quauis materia nobilior, ac macte perfectionis.

Cùm interrogaretur aliquando mulier quædam, num post Venerem pœniteret, ac tristaretur; continuò respondit pœnitet, & contristor ignauia viri; quòd centies nequeat agere, & libidini plenius satisfacere. Dignum profectò impurissimo Scorto responsum, a quo nil discrepat Messalinæ dicterium. Quamobrem ratiocinari licèt hac ratione; tristitia vel fastidium satietatis est comes, at mulier vix exple-

A tur a Venere, igitur & ab eadem vix tedio afficitur. Quod mulier aphrodisia voluptate nunquam expleatur Salomon Prouerbiorum 30. insinuauit ijs verbis: *Tria sunt insatiabilia Infernus, & os vuluæ, & terra, &c.*

His tamen non probantibus asserendum est; mulieres & ipsas aliquatenus post Venerem contristari; Verùm longè minus quàm viros; nihil prorsus enim tristari, nimium a veritate dissonat; siquidem a spirituum deperditione, & vitalis balsami priuatione; natura quoque illarum mœrere debet. Porrò cùm Venereus actus bestiarum apprimè sit proprius, opus est & mulieres, quæ humana ratione sunt præditæ, ab eius exercitatione verecundari simul & contristari. Quod 1. Officiorum Tullius his verbis exarauit. *Quin etiam si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat, & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam, &c.* Et est illud idem Aristotelis quarta sectione problem. 28. vbi quærit, cur homines rem agere Veneream cupientes confiteri se cupere maxime pudet. Erit igitur perpetuæ veritatis carmen illud in Catalectis Veterum Poetarum apud Petronium Arbitrum,

Fœda est in coitu, & breuis voluptas,
Et tadet Veneris statim peractæ;
Non ergo vt pecudes libidinosæ
Cœci protinus irruamus illuc;
Nam langueſcit Amor, peritque flamma.

CAPVT XIV.

An bruta etiam post Venerem tristentur.

FERINVM genus nihil tristari post aphrodisiam voluptatem, fortè aliqui ibunt inficias, tum quia huiusmodi est belluarum propria delectatio, cum etiam quia tristitia ijsdem minus competere videtur, quando hęc rationalis animæ censetur passio. Atqui non est id temere detrectandum; siquidem tristitia est passio facultatis animalis pertinens ad concupiscibilem, cuius motus vel est ad bonum, in cuius fruitione est delectatio, vel ad euitationem mali, à cuius præsentia tristamur, vt vult Ægidius de Regimine Principum tertia parte de duodecim passionibus animæ; quamobrem cùm & hæc concupiscibilis facultas haudquaquam in brutis desit, quin maximè vigeat, consequens est, vt

æquè

que delectationis, ac tristitiæ sint illa consortia; dixi delectationis, quia, vt sentit D. Thomas, vti gaudium est hominis proprium, ita delectatio belluarum proprijssima.

Arbitror itaque, belluas quoque post geniales indultus aliquatenus contristari; quare videre est equos, tauros, asinos, & similes peracto coitu ferociam spoliare, & veluti ambulare dejectos; nam ipsorum quoque natura vtilis excrementi iacturam, caloriſque viuifici deperditionem ægrè ferre aliquatenus debet. Dixi aliquatenus, quoniam cùm statò duntaxat tempore in Venerem belluæ ruant, a cuius operatione apprimè iuuantur, inde est, quod valde moerere nequeunt, sicuti valde ab vsu geniali non infirmantur, cò quod ex plenitudine agant, & prolifici humoris vbertare ducta, & impulsa libidini satisfaciant. Præterea cùm tristitia, vt supra dicebamus, ex Veneris fœditate promanet, quæ re peracta eluceſcit, ex hac insuper causa bruta etiam ægrè affici possunt; his quoque enim libidinis mephitis, ac turpitudo post initum apparere debet; nec absque Aristotelis auctoritate id astruo; is enim 6. de histor. animal. capite 29. de Ceruis ita scriptum reliquit: *Cùm mares impleuerint fœminas, separantur per se ipsi, & propter libidinis grauolentiam quisque solitarius ſtrobes fodit: fœtent, vt hirci, facies quoque eorum nigreſcit aſpergine vt hircorum, degunt ita quousque imber accedat, tum paſcua repetunt.* Ferunt simili modo, elephantes post Veneris vsum aquas adire, ibique vniuersum abluere corpus, quasi libidinis tetrum spoliaturos fœtorem.

Verùm statim in hanc meam positionem insurget gallus, qui sæpius, vbi coiuit, dat alta voce cantum, lætitiæ non tristitiæ argumentum; eadem prorsus ratione, qua post victoriam idem triumphans occinit, triumphatus autem silet. Igitur is post Venereum congressum nihil tristatur, lætatur potius. Sanè gallus falacissimus est ales, semperque paratam secum gestat Venerem; singulis enim diebus vxores suas, quas plurimas habet, quinquagesies init. Huiusque nocturnam cantilenam, & ante lucanam vocem ad Veneris in primis cupiditatem expromendam fieri, putandum est: idque vel ex eo probari posset, quod huius auitij pulli non canunt, nisi vbi ad eam ætatem, & incrementum deuenerint, quo Veneri operam dare valeant; & castrati similiter cantu abstinent; & huc pertinet illud Plinij dicentis, contingere gallinaceis, quod fere cæteris vsu venire compertum est, vt peracto cibo, refecto per quietem corpore, ac inde maxime vegeto libidinis titillentur pruritu, ideoque hunc explicare antelucano cantu. In signum ergo peractæ libidinis gallus post Venerem occinit. Neque ex hoc tamen illum lætari, deduci debet; siquidem cantus ille, qui pro locutione volucribus ineſt, non magis voluptatis quàm doloris, lætitiæ quàm tristitiæ aliarumque passionum promus est, & index. Etiam gallinæ pariturę obstrepunt, nec tamen ille cantus, sed singultus est; vnde Columella: *parituras se gallinæ teſtantur crebris ſingultibus:* & si etiam post partum canunt, id fit *ob dolorem, quòd venter parto ouo vacuus vaniſſimum aerem ſuſceperit;* vt Sardonici risus auctor ingeniosissimus habet. Quid immorer? cygnus etiam morti proximus suauissimum edit cantum, qui tamen ploratus est potius. Illud igitur receptum esse debet, gallum, qui præ libidine persentit, suum vitale balsamum, siue dicas perlatam substantiam disperdi, ac dissipari, vnde raptim in senium, atque interitum deducitur, & ipsum debere detrimenti experiri noxam, atque adeo tristitiam. Ita ergo Veneris dolosa voluptas omnibus insidiatur, imponit omnibus, & ementito gaudio homines, & feras decipit; Hinc appositè libro contra voluptatem Plutarchus: *Fera eſt mancipans ſibi hominis voluptas, ſed non fera: nam ſi apertè pugnaret, citò caperetur; nunc adeo etiam ideo inuiſa magis, quod celat inimicitiam induta habitum beneuolentiæ. Itaque dupliciter auerſanda, & quod nocet, & quod fallit.*

Geneanthropeiæ Ioannis Benedicti Sinibaldi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERA

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDVS.

De quibusdam symptomatibus Venereum ludum interdum concomitantibus.

PROEMIVM.

VENERIS voluptas comes; voluptatis præsertim effusæ apud multos sodales fiunt turpes nonnullæ ac molestæ affectiones, propter quas eosdem amplius tristari contingit, atque verecundari intentius. Harum nonnullas recenseri, operis integritas, persuadet, & lectorum cupiditas expectat. Ius reddetur vtriqne. Ex jis tamen, quæ dicturi sumus, discant petulantes, quàm fœdum, & calamitosum sit, totius voluptatis habenas solvere, a qua victa natura suis omnibus defraudatur honestatis legibus.

CAPVT I.

An, & qua ratione in re Venerea crepitum vel stercus aliqui emittant.

HIPPOCRATES, vt asummo coriphæo exordiar 6. illo oraculorum potius quàm epidemiorum sic habet: *Sunt qui in coitu ventris crepitum emittant, vt Arcessilaus; quibusdam verò sicut Damagoræ, vbi cum mulieribus congressi fuerint, venter inflatur.* Cuncta hæc prius ab Hippocrate exarata confirmauit experientia. Nam quod ad ventris pertinet crepitum Aetius sermone 3. cap. 35. refert, adolescentem quempiam præ manibus habuisse, qui vbi commiscebatur, non quidem semen, sed flatus plurimos per sedem emittebat. Amatus quoque Lusitanus Centur. 6. iuuenem adolescentem formosum describit, qui ad cum tristis ac mœstus accesserat, se dicens malle mori, quàm simile vitium perpeti, quod eratillud: dum cum muliere coibat, nullum effundebat semen, verum potius pedebat, ventris abundè mittens flatus. Neque solum hoc viris, sed mulieribus etiam interdum accidit, vt nimirum in Venere per

A vuluam crepitus emittant, id quod venustissimus Martialis epigramm. 6. Gallæ his carminibus exprobrat.

Cùm tibi sit facies, de qua nec femina possit
Dicere, cum corpus nulla litura notet;
Cùm te tam rarus cupiat, repetatque fututor,
Miraris? vitium est non leue, Galla, tibi.
Accessi quoties ad opus, missique mouemur
Inguinibus, cunnus non tacet, ipsa taces.

B *Dij facerent, vt tu loqueneris, & ille taceret,*
Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem, namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, & risum res mouet ista simul.
Quis ridere potest satui poppysmata cunni?
Cum sonat hic, cui non mentula, mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno;
Et si adeo muta es, discè vel inde loqui.

C Lector sit auribus bonus, minusque prætexte ne stomachare verba; ludit namque de more vates; at referre occasio tulit. Refertur præterea a fide dignis extitisse viros, qui etiam per penem crepitum emitterent.

Quoad horrorem, noui gentilitium mulierem, quæ peracta Veneris voluptate in horrorem eo maiorem incidebat, quo lancinari consueuit æger in quartanæ accessione. Cæterum reperti sunt, qui vel stercus in seminis fusione emiserè; id quod inter alios testatur Anicennas libro 3. fen 20. Tract. 1. cap. 40. vbi affectum hunc his verbis describit: *Alactuoth est ille, qui cum coit, ejicit stercus suum, cum spermatis sit descensio, & non regit anum suum: & super plures eorum dominatur desiderium valde, & multiplicatur in eis delectatio: & mollificantur valde propter resolutionem spiritum eorum, & plurimi ipsorum sunt mollium corpo-*

D

Digitized by Google

porum. Passio huiusmodi senibus vt plurimum est familiaris, vti inter cæteros Alexander Benedictus libro 24. de curandis morbis narrat de quodam Andreæ Tragurienſi; ex eo autem symptoma accidit, quoniam ani musculi iuuant parastatas in seminis iaculatione, vnde est, vt ex talium musculorum imbecillitate fæces in illo actu retineri non valeant.

Quid verò sit in causa, vt crepitus interillecebras aphrodisias emittantur, subscribo, & suffragium ferò Lusitano loco nuper citato; is enim ex pituita crassa inferius intestinum occupante, cuius præsentia seminaria vasa, & frigida, & coarctata reddebantur, id euenire scribit; ex motu verò, ac Venerei tripudij agitatione, ab illa pituita tamquam a minera exhalationes excitantur, quæ orificium permeantes crepitum efficiunt. Huius affectionis curatio habetur apud eundem Amatum Lusitanum; ego tamen absque eo quod multis rem perageram, enematibus carminatiuis affectionem euincere, ac debellare sperarem. Similimodo remedia Alacuoth, siue illius, qui fæces cum semine trudit, ab Auicenna relato loco petenda erunt; generice enim roborantia quæque, stiptica, & astringentia conferunt.

Sed vnde horror? In mulieribus, quibus frequentius ille aduenit, ex fumosis vteri, acroribusque exhalationibus; vniuersum corpus in æqualiter concutientibus, ac neruosas particulas quatientibus illum exoriri, existimarim; In viris autem ex hepatis retorrida caliditate, aduſtisque vaporibus a Venereo motu concitatis, nec non per vniuersum corpus discurrentibus, illudque conquassantibus.

CAPVT II.

An, & cur post Venerem aliquibus succedat carnium fœtor.

POST Veneris blandimenta quibusdam cutis graueolentem succedere mephitim, apertis fidibus exarauit Auicennas 3. illo libro fen 20. tract. 1. cap. de coitus nocumentis: ait enim; *Et in cuius corpore fuerit humores putridi, procedit post coitum ex eo odor fœtidus*. Quod in cernis potissimum teste Aristotele 6. de Animalium historia comprobatur, siquidem eorum caro libidinis tempore vitiatur, ac fœtet perinde quasi hircorum; redditque huius rei Philosophus rationem dicens: *Hæc ideo cernò accidunt, quia falax animal suapte natura est, atque etiam quia pingui abundat*. Id quoque sentit Arnaldus Villanouanus; & Martialis 4. Epigramm. Bassæ cuidam id genus fœtoris inurit. Sunt lepida Carmina.

Quod siccæ redolet paluslacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Pisinæ vetus aura quod Marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardiacus quod euocati,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod icitnia sabbatharionum,
Mæstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Lædæ,
Quod ceromata fœtè de sabina,
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Malles quamquod olet, olere Bassæ.

Huius effectus rationem in prauos humores reiscit Auicennas in coeuntis corpore stabulantes; quod veritati non dissonat: quandoquidem agitatione Venerea incalescunt, ebulliuntque humores, ex his verò graueolentes, ac tetrici exhalant halitus, qui per corporis cauitates excurrentes fœtorem, ac pedorem inferunt. Profectò tametsi impuri, perperique succi non eatenus in putrilaginem abirent, vt graueolentiam indepti essent; agitatione tamen aphrodisia, indeque contracto calore, continuò fœtorem nanciscì valerent; putredo enim ab extranea exilit caliditate. Præterea sicuti multa licet, vbi fuerint putrefacta, non maleoleant, eo quod externa superficies est quasi cortex obstans, quo minus vliginosi halitus forinsecus euaporent; si tamen vel modicè tractentur, & agitentur, confestim exhalant, at tetrieum odorem exprimunt; ita prorsus dum putrilagines in humano corpore manent, quandiu quiescunt, nihil maleolidi spirant; at non ita citò aphrodisio motu quassantur, quod vndequaque graueolentiam expandunt. Id perspicua illucescit experientia; manifestum siquidem est, eos omnes, qui largius Veneri indulgent, oris in primis graueolentia affici, vt vix vnum reperias libidini inauctoratum, qui oris præseferat suauitatem; quod nimirum ex eo fit, quia Venus immodica, & intempestiua cocticem destruit vt alibi dictum est, quare ventriculum labefactat, & cruditatum collunie infarcit, nec non quia putrilaginosos humores, qui penes ipsum ventriculum stabulantur, commouet, vnde consectaria fit graueolentia.

Quod si Aristoteles prani halitus causam in hircis, & ceruis pinguedini acceptam referre videatur, id ex eo cotingere posse dicas, quod ab exacto calore Venereo liquefit pinguedo, ac veluti colliquatur; hinc verò nidorosus exhalat fœtor; sic videre est, quod admodum pingues in æstate maleolent, ex eo videlicet, quod fundatur, ac destillat adeps; qui vel sudore mixtus, vel calore in vaporem attenuatus, aliisque su-

li-

Digitized by Google

liginibus immixtus pessimè fœtet; etenim constat palam, qualem expirent pædorem vnctuosa quelibet, & adiposa, dum extraneam nanciscuntur caliditatem, docetque vsus, diutius conseruari carnes non pingues à fœtore, quàm nimium pinguedine saginatas; & diutius etiam hyemali frigore, quàm æstiuo calore. Quod si cui placeat huius ipsius rei rationem ab ipso Aristotele audire, petat illum quarta Problematum sectione 13. vbi hæc leguntur: *Quare concumbendi facultatem dari per ætatem dum cœptum est, corpora male olent; prius autem ante pubem non ita olent nec viri, nec mulieres? An quoniam quæ incocta sunt tum sapores habent deteriores? aut enim acidiores, aut salsiores, aut amariores; tum odores reddunt fœtidiores. Contra quæ concocta, maturaque sunt, sapores aut dulces, aut minus amaros, & odores suauiores præstant, aut certe minus insuaues. Patet hoc in omnibus tam terræ stirpibus, quàm animantibus ipsis. Detractis autem quæ natura, concoctaque sunt, cætera cruda relinquuntur, vt & in vinere portione dulci consumpta puluis amarus relinquitur, & sudor quoque salsus eadem de causa est. Calor autem naturalis semen genitale concoquit: quod quamquam exiguum est, vim tamen obtinet maximam; quippe quod ex multo admodum, tam exiguum constitutum sit. Quamobrem vbi id feceßit, resoluimur magna ex parte vehementius, atque refrigeramur: itaque humores incoctiores redduntur, patefactis meatibus propter seminis excursum; quo fit, vt sudor ob eruditatem & salsio, & fœtidior tunc sit, quàm in puerili ætate. Quod si cui forte talis natura sit, vt partem subsidentem sudoris fœtidam habeat, huic magis, magisque res innotescet, ac præsertim eisdem in locis, quibus & cæteris maximè consistit, velut in alis. Namque in his partibus ratione magnæ caliditatis ac raritatis insimul humores congeruntur, ac deterius spirant.*

CAPVT III.

De ijs qui sanguinem loco seminis in concubitu emittunt.

EX frequentata & intempestiua Venere adeo interdum apud salaciores viros vasa spermatica reserantur, ac dilatantur, vt non modo genituram ipsam retinere amplius nequeant, ita vt perenni eiusdem fluxu polluantur, verum etiam si Venerem exerceant, immo & citra Venerem, uel purum sanguinem emittant, sæpius quidem absque vlla voluptate, interdum tamen non sine mulcedine. Ita Fernel. 6. de part. morbis & sympt. Virum recenset, qui ex diuturna gonorrhæa purum sanguinem per insomnia, immo etiam sola libidinis cogitatione non minori voluptate effundebat, quàm in amoris palæstra consueuerint alij ex iacto semine voluptatem haurire. Id ipsum nec præteriit Aristoteles primo de generat. animal. cap. 19. vbi de semine verba faciens in principio hęc addit: *nam incoctum, aut per vim emissum, videlicet cùm vltra modum quis re Venerea vtitur, cruentum iam aliquibus prodijt.* Quibus sanè verbis docere videtur Philosophus, eatenus cruentam & sanguineam reddi genituram, quatenus in suis conceptaculis opportuno tempore non immoratur, sed vel ex coitus intemperantia intempestiuè effunditur, aut ex dilatatis vasis sponte effluit, prius quam exactam coctionem, cuius est albedo indicium, nacta fuerit. Illud quidem verissimum est, quod rarò ex cruento semine voluptas oritur, eo quod genitales spiritus, qui prurire, ac titillare solent, cum perfecto semine generantur; & licet sanguini etiam sui non deficiant spiritus, illi tamen a natura haudquaquam ad Veneris voluptatem diriguntur, sed alium finem obtinent, isque duntaxat qui semini hærent, promiscuè fidem excitant; & quamuis vir ille apud Fernelium ex emissione cruentæ genituræ deliniretur; attamen poterat voluptatis aliquid experiri, quoniam non purus sanguis, licet huiusmodi appareret, erat qui emittebatur, verùm spermatis portioni commixtus: aut etiam dicas, virum illum calidissimæ temperaturæ, & fecundissimi sanguinis extitisse, cuius causa voluptatis in partibus genitalibus oriebatur sensus, & vellicatio quædam dum effluebat.

Nec nouum alicui videatur, posse vasa spermatica adeo ab immodesta Venere dilatari, & varicosa fieri, vt affluentem nequeant, donec in semen immutetur, rerinere sanguinem; quandoquidem in alijs quoque partibus huiusmodi dilatationes non rarò contingunt; nam Fernelius citato libro cap. 12. narrat, nonnullis qui nephriticis doloribus vexari consueuerant, vsque adeo dilatatum inuenisse vreterem, alioquin ex sui natura angustissimum, vt maior immitteretur digitus. Idem cap. decimo refert, alios ex cohibendi flatus consuetudine in eam coli intestini dilatationem incidisse, vt bracchii amplitudinem adæquaret.

Cæterùm si præsidia poscas ad eos, qui sanguinem in concubitu emittunt, inde petenda erunt, vnde ad gonorrhœam curandam desumi solent: astringentia enim, & roborantia specifica vsurpantur: cibi incrassantes adhibentur, vina rubra & austera hauriuntur: violentæ exercitationes ablegantur, & Veneri in primis longum dicitur vale.

TRACTATVS TERTIVS.

De signis factæ conceptionis, necnon variis accidentibus, quæ mulierem à Ventre fœcundatam comitari solent, atque de eiusdem regimine.

PROEMIVM.

IN hoc postremo tractatu factæ conceptionis epiphenomena percurram, vt possint mulieres, præsertim quæ aliàs non concepere, a signis conijciare fœturam, vnde & sibi, & fœturi consulere valeant: ideoque ascribimus etiam, quo vitæ regimine, vt præcaueatur abortus, vtidebeant.

CAPVT I.

De variis, ac multigenis factæ conceptionis argumentis.

EXORDIAR a summo dictatore Hippocrate: is namque libello de superfœtatione sic habet: *Prægnantem mulierem si aliter non cognoscas, oculi tracti, & cauiores fiunt, & candidum oculorum albedinis naturam non habet, sed liuidus existit.* Rursus de Natura muliebri scribit hæc: *Si periculum facere velis in muliere, an prægnans sit, aut non, rubrum lapidem siue terra pribibea oculos sublimita, & siquidem ingrediatur phas macum, pragnans est, si minus, non.* Aristoteles autem 7. de Animalium historia capite 3. sic: *Indicium mulierem iam concepisse, cum statim a coitu loeua secedit.* Aucennas denum paulo fusior libro 3. fen 21. tract. 1. capite 2. hæc tradit: *Significant ipsam illud quod antecessit de conuenientia duarum emissionum spermatis: & dispositio quasi tepor succedens colitui, & est caput virgæ quasi suctum cum emittit sperma; & est cum egreditur ad siccitatem aliquantulum declinat, & succedit ei vehemens adunatio oris matricis, ita vt non ingrediatur ipsum stylus. Et similiter eius circuitio ad superiora, & anteriora: & colligitur absque duritie ex vehementia siccitatis illius partis, & retinentur menstrua.* Hæc omnia indicant infusum a viro semen à matrici facultate fuisse arreptum, reliqua accidentia, quæ conceptionis toto curriculo mulieribus accidunt, cùm plura admodum sint, opportunius fauente numine ex Hipp. afferentur in secundo volumine.

Sed interim lectoris auiditati plenius satisfaciens, conceptionis alia multa percurram, argumenta, illudque primò in medium afferam, quod 2. Epidem sect. 3. tex. 32. apud nostrum Dictatorem legitur, nempe: *Cibis, & potibus humeri, ac mammæ instantur, & eorum, quæ sunt in capite infirmitates, & inflationes incrementa recipiunt.* Vallesium adeunto, qui textus elucidationem desiderant. Ego ad reliqua pergo conceptionis epiphenomena his verbis apud Mercatū compilata libro 3. de steril. & pregnant. affect. *Item si sub lingua vena vireſcat, si cervix calidior, tergus algidius, si colli vena, arteriaque extendantur, pectoris venæ liueſcant, nigreſcantque, aut alio colore fœdentur: si mammæ obdureſcant, extuberent, præduleant, & caput doleat, aut antiquæ capitis affectiones exacerbentur iuxta Hippocr. decretum lib. 2. popul. par. 3. tex. 32. dicentis. Cibis & potionibus humeri, ac mammæ instantur, & eorum, quæ sunt in capite infirmitates, & inflationes incrementa recipiunt: si papillarum color in ruheum demutetur; si potus quiuis in mammas recto tramite, frigiditasque, vel calor sentiatur. Insuper si inuitis fastidium, si malacia apprehendat: quæ fit, vbi quisquam gustare improbè appetat, aut enormium appetitus varij assurgant, citoque commutentur: si cibi appetitus auferatur, si ventriculi redundantium succorum pariter, atque cibariorum cauitiones acciderint, si acide ructent, si dum biberit, languida fiat mulier, flaccesque atque; si cordis pulsus perturbetur, si lætetur, irrisetureve oppſime, si tormina aluum, umbilicumque præcipuè fatigent, si venum, & conxendicum grauitas hexet, si venter, & ilia posissimum intumuerint, si inguina persentiscat, contorqueantur que ea parte; si coitum renuerit, vel si solito ardentius concupierit, si veteri os arctissimè conniuerit, molleque, & naturale cum hoc extiterit, si menſibus per siatas periodos prinetur, si etiam nunc dolores, tumores, extuberationesque carnis in cruribus fuccreſcant, si corpus vniuersum grauetur: atque præter hæc omnia si pulsus prætinus a principio vehementi, & magnus, procedente verò tempore paruus, & velox perſtet. Ex urina verò, licet incertum in hac re præſtet iudicium, aliquando tamen certi aliquid elicere possumus, vt si subrubida sit, clara, nu-*

Digitized by Google

nubiloso rore supernatante, ac stellati lapidis colorem præferente, maximè atomis ipsam variegantibus. Item sia conceptu primo mense ima sui parte candicantia corpuscula, ad farinæ crassioris speciem subsideant, quæ commoda carminati sibi effigiem representat. Præterea si accedente adhuc tempore flava, deinde rubra, puniceaue, postremò atra nubecula parte superna rubore suffusa euadat: si quocunque tempore subsidentia tenuis, distella carminato gossypio perquàm similis in ea ipsa congeratur. Idem quoque iudicium elicies Hippocratis, & aliorum virorum qui docti sint, experimentis factis, mimirum si venter torqueatur ex mulso epoto, &c.

Sed, mi lector, infida ex his pleraque existunt, vt quæ ex alijs causis, quàm a grauidatione prouenire possunt. Omnium tamen fallacissima existimato, quę ab vrinis desumi posse, nonnulli tradunt, ac præcipuè Auicen. qui grana quædam in lotio fœtę mulieris innatare scribit. Quotiescunque mihi à mulierculis oblata vrina est, vt iudicium fœturæ facerem, semper ingenuè fum professus, me non dum ad artis tantam peritiam, seu excellentiam deuenisse. Vnum illud tutius conceptionis indicium censeto, quod 5. Aphorism. 61. ab Hippocrate exaratur, ijs verbis: *Si mulier non sit menstrualis, nec rigor vllus, nec febris, illi superueniat, ipsa verò in cibi fastidium veniat, certo scito hanc vterum ferre, & grauidam esse.* Verum enimuerò vt aphorismi huius veritas comprobetur, plura in illo expedenda erunt, quæ a doctissimo Heurnio ita in eius expositione insinuantur: *cum tamen illi ante respondierent menstrua; & si iam nulla repentinæ suppressionis causa afferri valeat vela vitio vteri, vel sanguinis a copia accisa, vel imbecillitatis facultatis expultricis, vel obstructorum vasorum, aut mœroris quod Phœtusæ euenit.* Plura ad hæc addimus in nostra isagoge Medica.

CAPVT II.

Post exceptionem, & conceptionem seminis mulieri per multos dies a Venere, sternutamento, saltatione, ira, & alijs multis abstinendum.

EXCEPTO semine mulier confestim in latere dextro quiescere debet, quatenus illud non excidat. Quare non solum immediatè post à viri nouo congressu prorsus vacare debet, verùm etiam per dies multos ab aphrodisia cogitatione, ne dum opera superfedere. Enimuerò cùm rei Venereæ agitatione calefiant, ac dilatentur muliebria vasa, contingere facilè posset, vt exceptum semen, quod non dum rite concreuit, effluereat, atque adeo disperderetur conceptio. Insuper ex Dicatoris nostri libro de Genitura doctrina, Venus humidiores reddit vteros, viamque parat mensibus; cùm autem conceptioni etiam factæ nihil sit magis infestum, quàm sanguinis illius excursus, consequens est, vt mulier per dies multos Veneri sit interdicenda, quò vsque scilicet Viri sperma sanguini immixtum in fœtum formatum abierit. Id nos naturalis in brutis fœminis admonet instinctus, quæ vbi iam concepere, per totum gestationis curriculum, ne dum per dies maris commixtionem rerunt. Neque dicendum est, os vteri post conceptionem naturæ pronidentia occludi, atque adeo misceatur quamtumlibet mulier, abortus periculum nullum imminere; siquidem vsque adeo seminis auida matrix est, vt licet semen exceperit vnica Venere, aliud nihilominus appetat; perinde ac materia, quæ cùm ad omnes formas appetitum seruet, quamuis vnæ ex ijs informetur, nequaquam tamen explerur, sed semper nouas appetit. Quamobrem seminis hac auiditate prolecta, si quidem coeat, vteri os ipsum hiare contingeret, indèque fœtum disperdi; non secùs ac accidit interdùm, vt licet conceperit nouo tamen inhiat vsu, & fit superfœtatio.

Præterea ableganda sunt exercitia cuncta violenta, & inopportuna, gestationes in quadrigis, spiritus detentiones, & coxendicum ictus; neque permittendum est, vt graue onus eleuent, vel duris insideant sellis. Detrectanda acriora æquitia, flatuosa, & menses promouentia, nec vllo modo fortiora recipiant enemata. Adhuc sternutamento præcipuè, ac saltatione abstinendum, tamquam ijs, quæ mirificè vterum concutiant. At cur sternutatio conceptionem præpediat, duplex est ratio; prima quidem, quoniam forti spiritum exitu, impulsuque è cerebro facto vterus, ciuisque vniuersa regio admodum quassatur. Quare Aetius sermone quarto, capite 16. dum docet qua ratione mulieres, quæ non tutò concipiunt, asseruandæ sint à conceptione; sic ait: *Ac genibus innixa sternutamenta ciet.* Secunda ratio est, quoniam sternutamentum menses excitat, qui & conceptioni, & conceptui aduersissimi sunt; ideo 5. Aphorismorum Hippocrates 49. dictabat: *Vt excludantur secundinæ, adhibito sternutatorio comprimere oportet nares, & os*: eo videlicet consilio, vt denegato spiritui exitu, quid cerebro excludi deberet, coactus deorsum pellatur, & facto impetu secundæ quoque propellantur. Item libro eodem Aphorismo 35. dixerat: *Vterina mu-*

Digitized by Google

mulieri, aut ægrè parienti, oborta sternutatio bona est; ex eo videlicet, quod facto impetu, vt dicebamus, succus putridus, & sonticus ille sanguis detrudatur; nam vt Galenus secundo de causis symptomatum de sternutamento loquens, habet: *Porrò omnibus, quæ dicta sunt, vnum commune habetur, nempe expultricem facultatem ipsam advehementissimos motus contitare, quò excutiat ea, quæ infestant*: patet itaque, qua ratione vitanda sint sternutamenta mulieri, quæ iam concepit; id quod vel Iulius Solinus Polihistor sui libri capite 3. vltrà crepidam definiuit, inquiens: *Ante omnia sobolem cogitantibus, sternutatio post coitum cauenda, ne prius semen excutiat impulsus repentinus, quàm penetralibus se maternis insinuet paternus humor*. Hoc ipsum de magnaira sentias.

Pari pacto arcendus est saltationis, ac tripudij motus, eò quòd in illo concitetur, & calefiat vterus; monuit hoc Aetius textu paulò supra nuncupato. Qua in re habemus insuper Hippocratis nostri oculatum experimentum, quo scimus mulierem, quæ iam conceperat, saltatione a fœtura exemptam fuisse. Placet eius verba apponere, quæ libro de natura Pueri legenda sunt: *Mulieris nobis familiaris famula cantrix magnæ existimationis ex Virorum consuetudine erat, quam in ventre concipere non conueniebat, vt minoris existimationis redderetur: audierat autem cantrix ipsa, qualia mulieres inter se dicunt, quòd quando mulier conceptura est in ventre, genitura non egreditur, sed intus manet. Auditis autem ijs, atque intellectis hoc semper obseruauit, & cum quandòque sentiret genituram non exeuntem, Domine exposuit, & sermo statim ad me peruenit: Ego verò quum audissem, iussi ipsam ad terram saltare, & postquam septies exiliisset, genitura in terram profluxit, & strepitus factus est, atque illa consepta, ipsa admirata est, &c.* Pateat igitur saltationem mulieri, quæ recenter conceperit, prohibendam esse. Non est autem hic mirandum, Hippocratem tantæ pietatis Virum, tantæ integritatis senem, quique in suo iureiurando expressè vetat, ne quis ad fœtum disperdendum, aut pharmacum præbeat, aut venam tali secet; nihilominus loco nuperrime citato conceptum ipsum disperdere, dum iussit psaltricem illam septies saltare, quatenus exceptum semen effluxeret, vt confestim effluxit; mirandum inquam non est, quandoquidem ethnicus erat ille in primis, vt proindè sicut facinus existimabat, fœtum iam vitalem infusa videlicet anima disperdere, ita non absurdum, aut impium ratus est conceptum sex dierum impedire, quo tempore nihil de vita communicatum erat, sed partium duntaxat præparabatur efformatio. Quo modo pariter Aetius, & alij modum conceptionis impediendæ in ijs, in quibus conceptus periculum ferret, ne ob vasi angustiam intermitteret, palam describunt. Non est itaque mirum, Hippocratem adulandi studio, in quod solum in aula intenditur animus, vt mulieri præsertim grataretur, cuius gratia nihil faciorosum omittunt homines, inanimatum disperdisse conceptum; quando Eudemus ille Tiberij scelerosus medicus, ne dicam carnifex, *Liuiæ specie artis frequens secretis*, vt Tacitus habet, eadem suadente, pròh nequitiam? Druso coiugi venenum propinauit; sed ad præconceptum sermonem redeamus iam: non modò mulieris agitatio, ac petulans tripudium post mixtionem semen excidere faciunt, verùm etiam nimia in voluptate ipsa crissatio: & hinc est quod callidæ meretriculæ, dum subiacent viris, petulantiùs agunt; abhorrent enim illæ à conceptione, quo astu etiam amasios decipiunt, quibus præ delectatione id efficere suadent, quod Physionates Lucretius 4. de natura significauit, & nos alibi exposuimus.

His omnibus postremò addendum Hippocratis prophilacticum consilium quoad mulieris, quæ conceperit, cùm dicam tum reliqua, quod primo de morbis muliebribus his verbis habetur: *Si verò, vbi cum viro coiuit, postridie detineat genituram, & neque altera die exeat, a cibis quidem, & balneis prohibeatur. Bibat autem polentam in aqua non salsam bis, ac ter in die, atque hæc dieta sit per sex dies, aut quod melius est septem, si non exierint ea, quæ a viro susceperit, dum eum ipso coiuit. Illota verò maneat per omne tempus, & det operam, vt motus vitet: Si verò deambulare velit, deambulet in loco plano & leui, nequaquam aculeui, neque declui: desideat etiam super mollia si conceperit: reliquam verò diætam eandem faciat vsque ad dies triginta: illota autem sit, aut si lauari opus habeat, pauca & non valde calida lauetur: caput verò ne madefaciat: cibis autem vtatur, & panibus, & maza siuelit. Ex carnibus autem palumbæ & similibus, ex marinis his quæ aluum sistunt: prohibeatur ab oleribus acribus: vino verò nigro vtatur, carnibus autem assatis potius, quàm coctis tum mansuetis, tum ferinis. Et hæc quidem, si conceperit, hoc modo facere oportet: &c.*

Cæterum quoad pharmaciam; post conceptionem ea erunt administranda, quæ ventriculi, cordis, & vteri roborandi facultatem habeant; confluente enim & sanguine & spiritu ad vterum, superna viscera caloris orbantur præsidio; quare pro ventriculo probatur Diacydonites, tabellæ Diarhodon Abb. macis, coriandrum, & similia. Pro corde Diamargariton, cortices cytri conditi, electuarium lætificans, Alchermes, confectio hiacynthina, & his congenea; simili modo proportionatis oleis, & vnguentis inungi poterunt regio cordis, renum, & ventriculi.

Sed

Sed extinctæ lucernę cumprimis caueant mulieres iam fœtę odorem, quoniam ex hoc abortum vel etiam equæ efficiunt; quod 8. de historia animalium Aristoteles capite 24. ij verbis refertur. *Abortum etiam facit equa odorem sentiens fungi fumigantis lucernæ extinctæ, quod & mulierum nonnullis accidit.* Hinc enim inquinati ac turbati valde materni spiritus, quos per vmbilicales arterias fœtus trahit, ipsum obruunt, atque disperdunt. Nempe extetra illa fungi lucernę extinctę fumigatione, siue nidorosa exhalatione animalem facultatem percelli ad modum videmus; quare non mirum si inde statim in synthimoriam euocatus vterus, qui cum sit neruaceus, cerebro facilè compatitur, vitam ipsius fœtus interturbet, atque suffocet. Non debemus enim cum vulgari schola censere, vterum odores percipere; hi namque sunt olfactiuæ potentiæ duntaxat obiectum, perinde ac oculorum colores, & aurium sonitus; sed vt sunt odores vapores quidam aerei, qui spiritibus sunt analogi, Vterum bene, vel malè afficiunt, & vel recreant, vel perturbant. Franciscus Perla vir doctissimus, & meus dilectissimus olim Collega, in suo eximio libro de locis in homine aliam, comminiscitur rationem, propter quam vterus a incundis odoribus capiatur, a graueolentibus percellatur; & est, quod cùm vterus naturali instinctu semen auidè appetat, ipsumque semen belle coctum sit bene odoratum (refert enim palmæ odorem, vt ait Aristoteles; hinc fit, quod odorata quælibet analogia quadam sub seminis specie desideret, ijsque bene fruitur. Verùm ex ingeniosa hac opinione non video cur non nullæ mulieres ex moscho, & alijs odoratis rebus adeo interdum grauiter afficiantur, vt semiuiuæ concidant. Ira tandem a muliere quæ concepit, procul abeat, cæteræque animi intensæ passiones, etiam nimium gaudium, quarum, ui frequenter abortum fieri, quotidie uidere est.

Ethic est, lector beneuole, Geneanthropeiæ finis, in quo Deo trino, & uni, qui uel in ipso mundi primordio crescere homines, & multiplicari præcepit; Deiparæ semper Virgini, ac D. Antonio de Padua Patrono, alijsque Cœlitibus omnibus gratias immortales ago: ipsamque Triadem Sacrosanctam humiliter deprecor, ut si quid in opere peccaui, humanæ fragilitatis, & insipientiæ miserta benignè parcat; Cæteroquin, ego Orthodoxiam nunc, & semper Deo adiuuante profiteor, & Sacros Ecclesiæ Romanæ Censores interpello, quatenus si quid in præsenti opere contra Sanctissima eius dogmata, aut contra morum honestatem legatur, corrigi, obliterari, ac pœnitus, si sit opus, deleri curent.

FINIS.

INDEX
LOCVPLETISSIMVS
RERVM, ET SENTENTIARVM
OMNIVM,
quæ in Geneanthropeiæ Decateucho ſparſim continentur.

Numeri columnam denotant; litteræ verò Alphabeticę columnę præciſum locum.

A

ABIMELECH Rex Sychimorũ Vxorem ſale conſperſit. col. 475. B
Abortus ſeptuaginta Embryonum in Germania 860. A
Abortum vel fœmellam faciet mulier, ſi ab ebrio viro conceperit 407
Abrahamum octogenarium Iſmaelem genuiſſe. 292. D
Abſynthium Veneri inimicum. 451. A
Academici ſentiunt, Dæmones mulieribus miſceri. 47. D
Accipiter ſummæ libidinis auis 226. A
Accidens nequit attingere productionem ſubſtantiæ per ſe, ſed vt inſtrumentum poteſt. 431. C
Accidentia nequeunt producere ſubſtantiam, niſi vt inſtrumenta. 45. B
Accipiter fœmina ſi trigeſies in die requiratur ad initum, ſemper obſequitur. 226. a
Accipitris fimus ſterilitatem oppugnat. 760. A
Acetoſæ ſemen ſeminis effluuium compeſcit. 677. C
Acetum, & ſal extenuant, 520. C
Achaz decemnis Ezechiam procreauit. 491. A
Achatem habuit Pirrhus Epyrotarum Rex, in qua nouem muſæ vna cum Apolline puſante lyram expromptæ à natura erant. 437. C
Aconitum ſi fœminæum genitale contingat, eadem die interimit mulierem. 442. d
Aconitum vino aſſumptum Scorpionis venenum extinguit 443. D
Acorus Venereas excitat, augetq. illecebras. 473. B
Actio quæque ſit ab exceſſu agentis ſuprà paſſum. 430. A
Adam non in Paradiſo, ſed poſtquam expulſus fuit, cognouit vxorem ſuam Euam. 121. D
Adam an fuerit in principio ſuæ creationis Androgynus, 128. B
Adam, & Eua quandiu in Paradiſo commorati ſint. 102. A
Adam ſoporato ex eius coſta Deus mulierem produxit, 106. C
Adamas noctis lemures pellit. 438. C
Adoleſcentes immaturè coeuntes corporis incremento defraudantur. 398. D
Adoleſcentibus dum pugnabant, cur neque aſpicere venuſtas mulieres liceret 938. d
Adoleſcens, qui in coitu nihil ſeminis, ſed multos crepitus emittebat. 1037. c
Adoleſcens Patauij duos meatus in pene habebat, per quorum vnum ſemen, vrinam per alterum reddebat. 348. d
Adoleſcentulas ſenibus iunctas cito deflorefcere 944. B
Adoleſcens in Mœlibea ex multa Venere in febrem malignam, funeſta ſymptomata, ac tandem in mortem incidit 967. c
Adoleſcens, qui in coitu ſemen emittere non poterat, ſed ſtatus plurimi per ſedem erumpebant. 402. a
